This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

D

Digitized by Google

2326

M. 42 p. 603

Salas

(Jean de)

Digitized by Google

Digitized by Google

ex Libris Conventus Lugdunensis Carm. Discal.
R. P.
330492

IOANNIS DE SALAS

GVMIELIENSIS, E SOCIETATE IESV, IN ACADEMIA SALMANTICENSI

Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ quondam Professoris.

COMMENTARII IN SECVNDAM

secundæ D. Thomæ de contractibus.

Siue

TRACTATVS QVINQVE,

De Emptione, & Venditione. De Vsuris.
De Censibus. De Cambiis. De Ludo.

NVNC PRIMVM IN LVCEM

emissi cum Indicibus necessariis.

LYON 1896

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC XVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Conventus S.ti Mariæ de monte Carmelo Lugdun. Carmelit. Discalceatorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆCLARO D. DOMINO.

BALTHASARI GILIMO DE LA MOTA

PRÆPOTENTIS PHILIPPI III.
HISPANIARVM, INDIARVMQVE
MONARCHÆ, A SVPREMI
REGALIS QVE SENATVS
consilio, Iuris vtriusque laude ac
titulis florentissimo Didacus
Muñoz Societatis Iesu
Presbyter S. D.

EST mortalium animis immortalitatis innata auiditas (vir ornatissime) vt etsi certò sciant, continuóque, ac mobili rerum vsu experiantur, vitam hanc necessariò cum morte commutandam; nemo tamen sit, qui non perpetuò viuere, nunquam mori aueat, qui hoc non fastidiat, & ab illo abhorreat; insigniorum verò mentium homines, siquidem frustra cum nece contendere, ac inane esse persentiant, modum, non euadendi, sed vincendi inuenêre, ita vt ad immortalis memoriæ, si non vitæ, aditum sibi patefacere, fragilisque naturæ finibus astricti, firmissimæ

Digitized by Google

missimæ gloriæ immarcessibile brauium parare : illi morum illibata integritate, isti rerum præclarè gestarum monumentis; hi pellucidæ mentis, scientiarúmque splendore quasi igneo, igniuomi lethi tela confringendo; de his (vt cæteros subticeam) diuinus ita efflauit Spiritus Dan. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam eruditi multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Quàm fuerit doctrinæ ornamentis insignitus R. P. Ioannes de Salas, è nostra Societate (cui me natura fecit socium vterinum) quod sit nactus inter sapientissimos viros nomẽ, nemo qui ingenio polluit, aut literis excelluit, dum exstaret, ignorat: edita in lucem, dum illius vsura potiretur, egregia indicant opera. Illius inter cætera, posthumũ hoc, quod tibi (vir eximie) dico, si fas est ita illud dicere; neque enim desinunt esse nunc mortui, quæ illius fuerunt tunc viuentis verba, scripta, & monimenta sea mediusfidiùs non alteri potiùs quàm tibi, integerrimo Iudici, Amico optimo, præclaro Mæcenati (atauis edito inclytis) mihíque præ cæteris intimæ necessitudinis societate illigato dicanda putaui: quo tu superstite familiarissimè vsus es, eodem iam æternitate donato, téque huius pignoris ac libri patrocinio decorante, non dedignare: cui te amicitia, ingenij, ac morum sympathia, méque ortus, amor, & religio, ei ambos vtinam beatitudinis æternæ fœdus consociet. Vale.*

APPRŌ

Digitized by Google

APPROBATIO.

DE mandato supremi Senatus Regij accuratè recognoui librum *de emptione, & venditione, de vsuris, de censibus, de cambiis, de ludo, compositum à Patre Ioanne de Salas Theologo Societatis Iesu:* in quo nihil mueni quod fidei Catholicæ, Conciliorum decretis, aut sanæ doctrinæ sit contrarium, quin potiùs summam in enodandis moralis Theologiæ, & vtriusque iuris difficultatibus eruditionem, Sanctorum Patrum, ac Doctorum placitis ad vnguem enucleandis miram facilitatem, summo cum labore, & ingenij felicitate coniunctam. Quare, vt in Theologorum gratiam, & vtriusque iuris Professorum vtilitatem typis, prælóque mandetur omnino censui. Apud Matritum decima die Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi decimitertij.

GVNDISALVVS SANCTIVS LVZERO
S. Theologiæ Doctor, & magistralis Granaten.

EGO Alphonsus Carrillo Visitator Societatis Iesu in hac Castellana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt *Tomus de emptione, & venditione, de vsuris, de censibus, de cambiis, de ludo, à Patre Ioanne de Salas nostræ Societatis, sacræ Theologiæ Professore in Salmanticensi Academia compositus,* & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Vallisoleti in Collegio S. Ambrosij dictæ Societatis, 18. Aprilis, anni 1613.

ALPHONSVS CARRILLIVS.

De mandato P. Visitatoris.

PETRVS OSORIO *Secretarius.*

Digitized by Google

EGo Gaſpar de Vegas Præpoſitus Prouincialis Societatis Ieſu in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre Claudio Aquauiua Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt *Tomus de emptione, & venditione, de vſuris, de cenſibus, de cambiis, de ludo, à patre Ioanne de Salas noſtræ Societatis ſacræ Theologiæ Profeſſore compoſitus*, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominũ iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Valliſoleti 18. Aprilis anni 1613.

GASPAR DE VEGAS
Præpoſitus Prouincialis.

De mandato P. Prouincialis.

ILDEFONSVS ROMERO *Secretarius.*

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Lugdunenſi.

EGo Bartholomæus Iacquinot Societatis Ieſu in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. cõceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis cõpoſitos, abſque ſuperiorũ eius permiſſione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Opus quod inſcribitur *R. P. Ioannis de Salas Gumilienſis è Societate Ieſu, in Academia Salmanticenſi Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ quondam Profeſſoris Commentarij in ſecundam ſecundæ D. Thomæ de contractibus, ſiue Tractatus quinque, de emptione, & venditione, de vſuris, de cenſibus, de cambiis, de ludo*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni Calend. Iulij 1617.

IACQVINOT.

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in sacra Theologia Magister in Sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, librorum Censor in hac Lugdunensi Diœcesi designatus: fidem facimus nos hunc librum, cui inscriptio est, *R. P. Ioannis de Salas Gumielienſis, è Societate Iesu, in Academia Salmanticensi Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ quondam Professoris Commentarij in secundam secundæ D. Thomæ de contractibus, sive Tractatus quinque, de emptione, & venditione, de vsuris, de censibus, de cambiis, de ludo*, vidisse, nihilque Catholicæ & Romanæ fidei contrarium inuenisse. Lugduni apud S. Paulum 10. Iunij, anno M. DCXVII.

DE VILLE.

R.D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes', Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Ludugnensi: Opus inscriptum, *R. P. Ioannis de Salas Gumielienſis è Societate Iesu, in Academia Salmanticensi Philosopiæ, ac sacræ Theologiæ quondam Professoris Commentarij in secundam secundæ D. Thomæ de contractibus, sive Tractatus quinque, de emptione, & venditione, de vsuris, de censibus, de cambiis, de ludo*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni Calend. Iulij anno 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

Digitized by Google

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librum, qui inscribitur, *R. P. Ioannis de Salas Gumielienſis, è Societate Iesu, in Academia Salmanticensi Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ quondam Professoris Commentarij in secundam secundæ D. Thomæ de contractibus, siue Tractatus quinque, de emptione, & venditione, de vsuris, de censibus, de cambiis, de ludo,* præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum

BERRVYER.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

TRACTATVVM, ET DVBIORVM.

Tractatus primus de emptione, & venditione.

Dub. I. QVIDNAM sit emptio, & venditio. pag. 1.

Dub. II. Quæ emptio, & venditio dicatur propriè negotiatio, & Clericis, & Religiosis interdicta sit. 4

Dub. III. Quomodo Clerici negotiatores priuilegium Clericale amittant, & gabellas soluere teneantur. 6

Dub. IV. Quotuplex sit rerum venalium pretium. 8

Dub. V. An res aliquæ sint, quæ vendi possint quanti inter se contrahentes conuenerint? 10

Dub. VI. An liceat transgredi legem taxantem triticum, vel alia, modò seruetur pretium, quod secluſa lege iustum esset? 12

Dub. VII. An tempore magnæ sterilitatis pragmatica frumenti seruanda sit? 14

Dub. VIII. An tam indigenæ quàm exteri pragmaticam seruare teneantur? 16

Dub. IX. An pragmatica frumenti Clericos Religiosos adstringat? ibid.

Dub. X. An sit peccatum nolle vendere triticum nisi ematur alia res, putà hordeum, vel oleum? 18

Dub. XI. An semper liceat pro frumento pretium lege taxatum exigere? 19

Dub. XII. An licitum sit tritico mundo, & sincero miscere aliqua mala, inutilia, vel inferiora, & pretio taxato vendere? ibid.

Dub. XIII. An sub hasta liceat triticum vltra taxam vendere? 22

Dub. XIV. An agricola, vel alius cui mensura frumenti

Digitized by Google

constat maiori pretio quàm sit lege taxatum, possit eodem pretio illam vendere? ibid.
Dub. XV. An vendere liceat triticum in farina, vel pane cocto cariùs quàm in grano taxatum sit? ibid.
Dub. XVI. An qui emit triticum pretio taxam excedente, possit illud eodem pretio reuendere? 24
Dub. XVII. An traiicientes triticum tempore abundantiæ ab vno loco in alium possint portationis iura exigere? 26.
Dub. XVIII. An nobiles aliunde in domos suas triticum afferentes iura asportationis pro illo exigere possint? 27
Dub. XIX. An traiectores si non afferant, vel non præsentent testimonium, quale lex exigit, iura traiectionis exigere possint? ibid.
Dub. XX. An stabularij possint minutatim pro iumentis hordeum vendere maiori pretio quàm sit lege taxatum? 28
Dub. XXI. An rectoribus ciuitatis liceat impedire ne panis, vinum, & similia abundè importentur, & in ciuitate vendantur, donec propria ciuium vendantur, etiamsi permittendo importari, & vendi, minori pretio à ciuibus emerentur? 29
Dub. XXII. Vtrùm ex permissione, vel facultate prætorum, vel rectorum ciuitatis possit taxa frumenti præteriri? ibid.
Dub. XXIII. An per tolerantiam Principis taxa interdum tollatur? 30
Dub. XXIV. De pœnis vendentium frumentum maiori pretio quàm sit lege taxatum. ibid.
Dub. XXV. Ex quibus causis naturale, seu vulgare pretiũ augeri, vel minui solet. 32
Dub. XXVI. An in conscientia sit licitum contrahentibus se decipere iuxta medietatem iusti pretij? 34
Dub. XXVII. Quænam sint maximè obseruanda circa læsionem intra, vel vltra dimidium pro foro interno, & externo? 37
Dub. XXVIII. An cariùs vendi res possint externis quàm indigenis, quando externi pecunia abundant, vt cùm classis Indica, aut Rex cum aula ad oppidum aliquod venit? 45
Dub. XXIX. Vtrùm mercatores possint cariùs vendere, quàm alij vendere soleãt? 46.
Dub. XXX. An ratione damni

Digitized by Google

damni emergentis, vel lucri cessantis possit aliquis cariùs vendere rem quàm per se valeat? 48
Dub. XXXI. An ratione donationis admixtæ possit res cariùs vendi quàm valeat? 49
Dub. XXXII. An si emptore inscio sciam pretium mercis meæ minuendum, possim eam vendere pretio currente? 50
Dub. XXXIII. Quid dicendum in aliquibus difficultatibus circa præcedentem doctrinam occurrentibus. 54
Dub. XXXIV. Vtrùm venditor teneatur ex iustitia, & cum onere restituendi, vitia, seu defectus mercium emptori manifestare? 56
Dub. XXXV. Quomodo enodandæ sint aliquæ difficultates circa superiorem doctrinam emergentes. 61
Dub. XXXVI. An sicut venditor tenetur vitia merois explicare, vel pretium minuere; ita emptor teneatur occultas virtutes exponere, vel pretium augere? 65
Dub. XXXVII. An venditiones, & emptiones reciprocæ diuerso pretio, quas Hispaniè *mohatras varatras* vocamus: Itali verò *stoncholas, & varocholas* dicũt, licitè sint? 68
Dub. XXXVIII. An monopolia sint licita? 70
Dub. XXXIX. An chirographa credita seu librantiæ, seu pagæ acerbæ, & virides, debitaque immatura possint minoris emi quàm sit summa debita? 74
Dub. XL. An si solutio debiti certa & facilis sit emptori; dubia autem & difficilis vẽditori, possit emi minori pretio, vt in debitis à Rege militibus, vel aliis? 76
Dub. XLI. An liceat cariùs vendere dilata solutione, seu creditò, quàm vendi solcat præsenti pecunia? 77
Dub. XLII. An merces pretiosæ maritimæ, quæ in magna quantitate non nisi ad creditum vendi solent, possint pluris creditò vendi quàm numerata pecunia? 79
Dub. XLIII. An liceat minoris emere anticipata solutione, saltem cùm res illæ eo tantùm modo emi solent, vt lanæ, &c. 81
Dub. XLIV. Vtrùm, si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim iis qui nesciunt vendere illud debitum pretio ordinario? 82
Dub. XLV. Vtrùm is, cui aliquid traditum fuit vendendum, possit sibi aliquid ex

Digitized by Google

pretio retinere, si pluris vendiderit quàm ei sit à domino præscriptum? ibid.
Dub. XLVI. Quando res in soliduum ex interuallo duobus sit vendita, vtri debeatur? 83
Dub. XLVII. An fas sit vẽdere, conficere, locare, aut ministrare aliis eas res, quibus ad peccatum sunt abusuri? 85
Dub. XLVIII. Vtrùm venditio rei alienæ sit valida, venditórque pretium rei venditæ retinere possit? 89
Dub. XLIX. Quæ aliàs emi, aut vendi possunt, vel non possunt. 92
Dub. L. Ad quem pertineat periculum, & commodum rei venditæ, & cui pereat, vel deterior fiat? ibid.
Dub. LI. De retractu rei venditæ ratione propinquitatis, vel communionis in eadem re cum venditore. 93
Dub. LII. An notarius faciens instrumentuum, in quo aliquis fraudatur circa dimidium iusti pretij, teneatur restituere? ibid.
Dub. LIII. An cogi aliquis possit ad vendendam rem suam? ibid.
Dub. LIV. An vendita re aliqua, etiam accessoria eodem pretio censeãtur vẽdita? ibid.
Dub. LV. Inter quas personas contractus emptionis, & venditionis celebrari nequat. ibid.
Dub. LVI. An peccent mortaliter cum onere restituendi qui triticum à Regno extrahunt? ibid.
Dub. LVII. An liceat triticum emere ad reuendendum in hoc Regno? ibid.
Dub. LVIII. An qui falsas literas de industria proiecit, vnde alius credens, emendo læsus est, & qui alienas aperuit, vel concisas collegit, & lucrum ad quod mittebantur præripuit, teneatur restituere? 94
Dub. LIX. An qui vendit rem pro decem, quæ tempore traditionis creditur tantùm valitura quinque, si postea valeat quindecim, debeat quinque restituere? ibid.
Dub. LX. An vendere, & emere in aliquibus locis, vel temporibus sit illicitum? ibid.
Dub. LXI. An res vendita cum expressione quantitatis, si postea reperiatur maior, aut minor, tota solo pretio ab initio constituto vendita censeatur? ibid.
Dub. LXII. An venditor teneatur emptori de euictione? ibid.
Dub. LXIII. An emptio, vel vẽditio

Digitized by Google

ditio metu facta sit valida? ibid.
Dub. LXIV. Quæ in fraudem creditorum vendita dicantur, & an eorum venditio sit nulla? 95
Dub. LXV. An scriptura sit necessaria ad valorem venditionis? ibid.
Dub. LXVI. Quid operetur arra in emptione, & venditione, & an data arra possit quisque contrahentium à contractu resilire? ibid.

Tractatus secundus de vsuris.

Dub. I. QVid sit vsura. 97
Dub. II. Quotuplex sit vra. 100
Dub. III. An vsura realis illicita sit etiam iure naturæ? 101
Dub. IV. An licitum sit vsuras impunè permittere? 111
Dub. V. An dare mutuò non spe, vel intentione recipiendi aliquid vltra sortem, nullo intercueniente pacto implicito, aut explicito, sit peccatum vsuræ? 113
Dub. VI. An sit vsura mentalis auctirium velle recipere ab eo quem scio non daturum, nisi timore ne iterum negetur ei mutuum, aut ne videatur, vel vocetur ingratus? 119
Dub. VII. An si mutuãs excitet mutuatarium ad mutui beneficium remunerandum, & mutuatarius sic excitatus aliquid vltra sortem mittat, accipiens sit vsurarius, restitueréque acceptum teneatur? 120
Dub. VIII. An mentalis vsura obliget ad restitutionem? 122
Dub. IX. Vtrùm dare mutuum cum pacto, vt mutuatarius in posterum tantundem mutuò det, vel vt in posterum iusto pretio aliquid emat, vendat, locet, conducat, vel faciat, &c. vsura sit? 127
Dub. X. An mutuanti vnum liceat in pactum deducere, vt mutuatarius statim aliud mutuet, emat, vendat, &c. 139
Dub. XI. An vsura sit in pactum deducere, vt mutuatarius pro me fideiussor existat? 141
Dub. XII. An pactum, vt mutuatarius liti cedat, à debito petendo desistat, iniuriam remittat, &c. vsurarium sit? 143
Dub. XIII. An sit vsura cum obligatione restituendi, si quis mutuet cũ pacto, vt mutuatarius ei conferat tẽpora-

Digitized by Google

leofficium? 145
Dub. XIV. An mutuare, cum pacto vt mutuatarius conferat Ecclesiasticum beneficiũ, vsura, vel simonia sit? 149
Dub. XV. Vtrùm mutuanti liceat in pactũ deducere amicitiam, benevolentiam, vrbanitatem, & earum signa, & effectus? 150
Dub. XVI. An pactum, vt mutuatarius committat vxoremmutuantis, vel vt mulier copiam sui faciat, vsurariũ sit? & quid de nonnullis pactis. 152
Dub. XVII. An vsura sit mutuare cum pacto, vt mutuatarius, partem mutui, quod pecunia petit, recipiat, vel reddat in mercibus, & an vsura sit viliori pretio merces emere pecunia numerata ab eo cui iam credito maiori pretio venditæ sunt, qui contractus ipse dicitur *mohatra*? 155
Dub. XVIII. An vsura sit damnum emergens in pactum deducere? 160
Dub. XIX. An mutuanti licitum sit lucrum cessans in pactum deducere? 166
Dub. XX. Quæ conditiones requirantur, vt mutuãs damnum emergens, & lucrum cessans exigere possit? 177
Dub. XXI. An pactum, vt mutuatarius certam soluat pœnam si in termino præfixo non soluerit, vsurarium sit? 190
Dub. XXII. An vsura sit ratione periculi in recuperanda sorte auctirium exigere? 199
Dub. XXIII. An vsura sit ratione periculi rei mutuatæ ad securitatem mutuatarij auctirium exigere? 207
Dub. XXIV. An vsura sit mutuare triticum, vel aliquid aliud reddendum quando plus valebit in eadem mensura? 211
Dub. XXV. Si valor pecuniæ pragmatica accrescat, vsurane sit, totidem quot mutuò datas sũt, pecunias accipere? & vniuersè quid de incremento monetarum, ac mensurarum censensum sit. 218.
Dub. XXVI. An vsura sit, ministros Regis aliquid recipere, vt expectẽt debitores, vel ante tempus creditoribus soluant? 223
Dub. XXVII. An debita in futurum soluenda, quæ pagas acerbas vocant, minori pretio anticipato emere, vsura, vel iniustitia sit? 224
Dub. XXVIII. An vsura sit, creditorem accipere fructus pignoris fructiferi ipsis in sor

Digitized by Google

ſortem non computatis? 253
Dub. XXIX. Vtrùm gener vſuram committat fructus pignoris dotalis non computando in ſortem? 237
Dub. XXX. An ſoluto matrimonio poſſit adhuc gener fructus pignoris dotalis accipere non computandos in ſortem? & quando de filiis vxoris defunctæ, & de ipſa vxore defuncto viro. 247
Dub. XXXI. An vſura ſit proprietarium non computare in ſortem fructus pignoris feudalis ſibi pro mutuo traditi, & quid de pignore emphyteutico? 255
Dub. XXXII. An pactum legis commiſſoriæ in pignoribus vſurarium ſit, vt ſi quis pignus pro mutuo, vel quocumque alio debito accipiat, ea lege vt ſi debitor intra certum tempus non ſoluerit, pignus efficiatur creditoris pro eo debito, aut emptũ certo aliquo, ac determinato pretio? 259
Dub. XXXIII. An in monte pietatis vſura interueniat? 260
Dub. XXXIV. An in pacto de retrouendendo vſura interueniat? 270
Dub. XXXV. An in contractu ſocietatis vſura interueniat? ibid.
Dub. XXXVI. An vſura ſit pro numeranda pecunia quæ in mutuo datur, aliquid vltra accipere? ibid.
Dub. XXXVII. An vſura ſit mutuantem deducere in pactum, vt vltra ſortem aliquid alioqui debitum, illi detur? 271
Dub. XXXVIII. An vſurarius dominium eorum comparet, quæ per vſuram acquirit? ibid.
Dub. XXXIX. An vſurarius comparet dominium eius quod re vſuraria vlteriùs acquiſiuit, illúdve reſtituere teneatur, & quid de acquiſitis à latrone, vel depoſitario, &c. 282
Dub. XL. An cõtractus ab vſurariis facti de rebus, quarum dominium non habent, validi ſint? 288
Dub. XLI. An omnia vſurarij bona ſint tacitè hypothecata, ſeu realiter obligata ad vſurarum reſtitutionem, & & quid de bonis furis? 292
Dub. XLII. An vſurarius non habens alia bona, vnde poſſit vſuras ſoluere, poſſit in propriam, & vxoris, ac filiorum, & famulorum ſuſtentationem, in aliósque eiuſmodi vſus expendere bona pro

Digitized by Google

propria, vel etiam vsurariè, vel furtiuè acquisita? 295
Dub. XLIII. An hæredes vsurarij ad restitutionem vsurarum teneantur? 308
Dub. XLIV. An cooperantes ad vsuram peccent, & ad restitutionem teneantur? 312
Dub. XLV. Ad quodnam tribunal spectet cognoscere de crimine vsurario? 322
Dub. XLVI. Quid sint vsurarij notorij seu manifesti? 325
Dub. XLVII. De pœnis manifestorum vsurariorum, & quorundam illis fauentium. 328.
Dub. XLVIII. An licitum sit petere, & accipere mutuum sub vsuris? 335
Dub. XLIX. An licitum sit suadere minus malum ad maius vitandum? 340

Tractatus tertius de censibus.

Dub. I. QVid sit census, & quotuplex, & quæ eius origo? 346
Dub. II. An census realis perpetuus, tã redimibilis, quàm irredimibilis licitè ematur? 348
Dub. III. An emptio census personalis licita sit? 361
Dub. IV. An census temporares ad certum annorum spatium, vt ad 20. vel 30. annos tam reales, quàm personales licitè emantur minori pretio, quàm sit pensionum cumulus? 374
Dub. V. An emptio census vitalitij, seu in incertum annorum numerum licita sit? 378.
Dub. VI. An conditiones positæ à Martino V. & Calixto III. extrauag. 1. & 2. inter communes de emptione, & venditione, à Pio V. extrauag. de censibus relatæ à Nauarr. cap. 17. n. 234. à Salone art. 3. de censib. controuerf. 3. Molina, & aliis, ad iustitiam census requirantur? 381.
Dub. VII. In quibus rebus cẽsus collocari possit & an seruanda sit necessariò prima clausula Bullæ Pij V. quæ sic habet? *Nostra constitutione statuimus censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & quæ nominatim certis finibus designata sit.* 387
Dub. VIII. De secunda conditione posita à Pio V. *vt non valeat census nisi fiat pecunia numerata præsentibus testibus,* &

Digitized by Google

& notario in actu celebrationis instrumenti: non autem priùs recepto integro, iustóque pretio. 400.

Dub. IX. De tertia cõditione, vt non fiat, nec in pactũ deducatur anticipata solutio pensionum. 412

Dub. X. De quarta conditione, ne vlla pacta indebita, aut conuentiones adiungantur, quibus censuarius extra naturam contractus obligetur. 413.

Dub. XI. De sex constitutionibus positis à Pio V. 415

Dub. XII. De cæteris conditionibus positis à Pio V. 419

Dub. XIII. Vtrùm hæ conditiones Pij V. obligent Christianos vbique? 431

Dub. XIV. Vtrùm nihil impediente Bulla hac Pij V. quando aliquis debet alicui aliquam pecuniæ summam, possit condemnari, vt vel eam statim soluat, vel annuum censum reddat dum eam non soluit? 435

Dub. XV. Vtrùm qui censum vendidit, possit dare partem pretij cuidam tertio, ea lege, vt soluat partem pensionis illi pretio respõdentem? 435

Dub. XVI. An si res in qua cẽsus erat collocatus. v. g. molẽdinum, aut domus omnino corruat, aut exuratur, itemque in eadem area alia similis erigatur, census debeatur? 437

Dub. XVII. An si census collocetur in re vinculo subiecta, aut aliena, pensiones licitè recipiantur. 438

Dub. XVIII. An si res in qua census legitimè erat collocatus, alicui vendatur non manifestato illi, eam rem tale reale onus habere, emptor id postea sciens possit venditionem rescindere? 439

Dub. XIX. Vtrùm vbi Bulla V. est recepta, fas sit censum redimere, & extinguere non in pecunia numerata, sed in aliis rebus, quibus dominus census contentus sit loco pretij? 440

Dub. XX. Vtrùm si Bulla Pij V. recipiatur alicubi, etiam quoad clausulam, quòd in venditione rei censui subiectæ præferatur dominus cẽsus cæteris, sit præferendus etiam habentibus ius retractus ratione communionis in eadem re, aut ratione cõsanguinitatis, vt est ius retractus in hoc Castellæ Regno? 441

Dub. XXI. Vtrùm cẽsus imponi possit in re aliena? ibid.

Dub. XXII. Quomodo fit cõstituendũ iustũ pretiũ cẽsuũ,

Digitized by Google

præsertim redimibilium perpetuorum. 442
Dub. XXIII. An minoris iusto pretio censum emens peccet mortaliter cum obligatione restituendi,& quomodo debeat fieri restitutio,& an cõtractus sit nullus,an verò validus,sed rescindendus? 444
Dub.XXIV. Vtrùm sit licitum emere censum cum pacto,vt venditor quãdo voluerit redimere , teneatur redimere eadẽ moneta?& quid de pacto, vt eodẽ pretio redimatur,vel pretio currenti tempore redemptionis. 450
Dub. XXV. Vtrùm licita sit emptio census vtrinque redimibilis, non solùm quando venditor, sed etiam quãdo emptor voluerit? 451
Dub. XXVI. An sit licitum pactum, vt si per biennium,vel triennium pensio soluta non fuerit,res censui subiecta cadat in commissum,& in pœnam negligentiæ fiat domini census? 456
Dub.XXVII. An possit in pactũ deduci, vt cẽsuarius rem cẽsitam vendere non possit sine censitoris consensu? 459
Dub. XXVIII. Vtrùm possit in pactum deduci , vt censuarius non possit rem censitam vendere,nisi admonito censualista,vt si velit, rem illam emat? 460
Dub. XXIX. Vtrùm liceat pactum apponere,vt si debitor rem vendat, teneatur decimam partem pretij dare emptori census? 461
Dub. XXX. An vbi recepta est Bulla Pij V. licitum sit pactum,quod aliàs licitum est, nempe vt pensio domi emptoris soluatur expensis censuarij adducenda? 462
Dub. XXXI. An vbi est recepta Bulla Pij V. contractus census , in quo pecunia coram tabellione , & testibus non numeratur , validus sit, & an pacta alioqui apposita in contractu census contra formam Pij V. valida,& licita sint? 464
Dub. XXXII. Vtrùm gabella in census , vel cuiuis alterius rei venditione , quæ vẽditur cum pacto de retrouẽdendo,debeatur? 465
Dub. XXXIII. An pereunte re censita census pereat? 468
Dub. XXXIV. An pensio esse possit in fructibus, qui ex re censuaria non percipiuntur, vt si in ædibus imponatur soluenda pẽsio vini,olei, vel frumenti? 475
Dub. XXXV. Quid iuris cùm æquè dubium est, sitne res cen

Digitized by Google

censuaria, an emphyteutica, & quid quando est dubium, an cēsus redimibilis sit? 476
Dub. XXXVI. An licitum sit pactū, vt censuarius in re cēsita feneſtram non aperiat, vel apertam claudat? 481.
Dub. XXXVII. Vtrùm licitū in censu sit fideiussores exigere? ibid.
Dub. XXXVIII. An fideiussor censuarij possit cum eo paciſci, vt censum intra certū tempus redimat, ipsúmque ſic, vel alia via ab obligatione fideiussoria liberet? 488.
Dub. XXXIX. Vtrùm pro ſecuritate census liceat in pactum deducere, vt cēsuarius generali hypotheca, & obligatione obliget omnia ſua bona mobilia & immobilia? 493.
Dub. XL. An pacta in cēsu redimibili à Pio V. vetita, in censu quoque irredimibili prohibita censeantur? 503.
Dub. XLI. Vtrùm pensio ſoluenda sit etiamſi res censita fructus eo anno non ferat? ibid.
Dub. XLII. Quando pensio ſoluenda sit. 504
Dub. XLIII. Vtrùm ſi pensio non ſoluatur tempore debito, possit censualiſta à contractu reſilire, & pretium datum repetere? ibid.
Dub. XLIV. An census inter immobilia bona numerentur? 507
Dub. XLV. An & quomodo in cēsibus præſcribi possit? 508
Dub. XLVI. An ciuitas, vel cōmunitas libera possit ſuper ſe censum conſtituere? 510
Dub. XLVII. An qui emit cēſum ab vſurario, & dubitat an ſit per vſuras acquiſitus, teneatur reſtituere? 521
Dub. XLVIII. An qui fictè promiſit ſe ſoluturum censum propter pecuniam quam debebat, teneatur censum ſoluere? 511
Dub. XLIX. An conſuetudo possit abrogare legem poſitiuam, quæ pretia censibus præſcribit? 512
Dub. L. An Clerici, Eccleſiæ, & Religioſi teneantur obedire legibus Principum ſecularium taxantibus pretia cenſuum? ibid.
Dub. LI. Vtrùm ſine ſcriptura, vel inſtrumento tabellionis contractus cenſendus validus ſit? ibid.
Dub. LII. Quis teneatur facere expenſas pro ſcriptura cenſus, & eius expeditione. 513
Dub. LIII. Vtrùm ſit licitū minori pretio cenſum emere

Digitized by Google

quàm sit lege taxatũ, cũ pacto non recipiendi pensionẽ per quadriennium, vel aliud certum tempus? ibid.
Dub. LIV. Quis sit Iudex legitimus quando agitur de redemptione census. ibid.
Dub. LV. An census fructuarius iustus sit, & an meritò ad pecuniarium reductus fuerit? ibid.
Dub. LVI. Vtrùm emptor cẽsus teneatur permittere vẽditori, vt censum per partes redimat, & quid de diuidenda parte solutionis? 515
Dub. LVII. De quodam contractu census vitalitij posito à Comitolo lib. 3. moralium responsorum. c. 24. 526.
Dub. LVIII. De alio contractu census vitalitij posito à Comitolo eodem lib. c. 25.

Tractatus quartus de cambiis.

Dub. I. QVid sit cambiũ, & quomodo ab aliis contractibus differat. 530
Dub. II. Quotuplex est cambium. 533
Dub. III. An cambium minutum cum lucro licitum sit, & qua ratione? 534
Dub. IV. An etiam in ordine ad emptiones, & debitorum solutiones possit pecunia magis æstimari, quàm sit lege taxata, vt si sit purior, vel commodior, &c. 544
Dub. V. Qui possint esse in Regno Castellæ & Lusitaniæ publici campsores, & an alij possint cambia facere priuatim? 547
Dub. VI. De variis aureis, atque argẽteis monetis in Castella tẽporis progressu cusis, déque earum valore tũc & modò, atque de valore massæ aureæ, vel argenteæ in eodem Regno diuersis temporibus, & de monetis Lusitaniæ. 550
Dub. VIII. An minister deferẽs solutionem in pecuniis aureis, illásque in itinere iustè commutans pro maiori pretio, sibi retinere possit incrementum? 556
Dub. VIII. An campsor in cãbio locali, quando prior accipit, vt alibi reddat, possit aliquid lucrari, & quo titulo? 559
Dub. IX. Vtrũ quãdo cãpsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo? 564
Dub. X. Vtrùm campsor possit lucrari, etiãsi det, & recipiat intra idem Regnum? 567
Dub. XI. An possim lucrari dãdo pecuniam ea indigenti, reddendam alibi, vbi ea indigeo? 570

Dub.

Digitized by Google

Dub. XII. An campſor poſſit lucrari ratione maioris æſtimationis pecuniæ vbi eam dat, quàm vbi eam recipit? 573
Dub. XIII. An cãpſor poſſit aliquid exigere ratione lucri ceſſantis ex cambio? 578
Dub. XIV. An cambium ſit vſurarium cum onere reſtituẽdi totum quod vltra ſortẽ fuerit acceptum, quãdo aliquis cõcedit alicui pecuniam ſoluẽdam cum incremento in loco, in quo intelligit accipientem neque pecuniam habere, neque alium qui eius loco eam ſoluat, ſed præſumit ſoluendam cum incremento in eo loco, in quo ad cambium accipitur? 582
Dub. XV. An ſi cãpſor bona fide dedit ad cambium exiſtimans alterum habere pecuniam in loco deſtinato ſolutioni, & poſtea cõperiat non habere, poſſit accipere incremẽtum illud in loco, vbi pecuniam dedit? 584
Dub. XVI. De praxi cãbiorum quæ hoc tempore viget. 585
Dub. XVII. An cãbium ſit licitum, cùm pro campſario reſpondet procurator, ſeu reſpondẽs campſoris, vt in cãbio Biſuntino, ſeu Beſuntino, & ſimilibus? 586
Dub. XVIII. An cambiũ Frãcofurtenſe, & ſimilia, in quibus pretium variatur pro maiori, vel minori temporis intercapedine, ſint licita? 595
Dub. XIX De cambio quodam quod mercatores Antuerpiæ ſæpe cum Rege inierũt. 597
Dub. XX. An campſores, vt depoſitarij ſunt, poſſint pro cuſtodia ſtipendium, & mercedem ſuæ prouidentiæ, & cuſtodiæ accipere, quod ſtipendium, prouiſionem aliqui vocant? 598
Dub. XXI. An dans pecuniam ad cambium poſſit à recipiẽte pignus, vel fideiuſſorẽ exigere? 600
Dub. XXII. Vtrũ fieri poſſit pactũ de eo quod intereſt campſoris, vel de recãbio, ſi campſuarius fuerit in mora? 602
Dub. XXIII. Vtrùm campſor quando poſt multa cambia, & recambia debitor ei ſoluit partem aliquam, teneatur illam acceptare in ſortẽ antequam ſit ſatisfactum detrimentis cambij? 603
Dub. XXIV. De conditionibus quas requirit Pius V. in ſua Bulla de cambiis edita anno 1571. 604
Dub. XXV. Quibus modis bãcariis cõſignẽtur pecuniæ, & quibus modis eas ſoluãt. 608
Dub. XXVI Quibus formis literæ cambij ſcribantur, & ſoluantur, & quot ſint nun-

Digitized by Google

dinę in Caſtella,&Flādria,& de bācariorū ſtipendiis. ibid.
Dub. XXVII. Vtrùm pro impuriori moneta eiuſdem valoris legalis in eodem, vel diuerſis locis puriorem accipere liceat. 615
Dub. XXVIII. An commutare pecuniam in vno loco, pro eadem, vel ſimili reddenda in alio loco, vbi pluris æſtimatur in ratione pecuniæ, licitum ſit? 616
Dub. XXIX. An commutatam, vel mutuò datam pecuniam, eandem, vel ſimilem exigere, quando Princeps auxit pretium illius, iniquum ſit? 617
Dub. XXX. An campſor faciat contra iuſtitiam cum onere reſtituendi, ſi initio nundinarum quando apud alios eſt copia pecuniæ cambiendæ, pecuniam ſuam abſcondat, vt aucto pretio cambij, illam manifeſtet, & maiorem quæſtum faciat? 619
Dub. XXXI. An qui dat pecuniam ad cambium in aliud proximum Regnum, poſſit paciſci cum campſore, vt literæ non ſoluantur niſi poſt tres menſes, eo tamen pacto vt ſtipendium nullum pro cambio detur campſori 620.
Dub. XXXII. Vtrùm Barcinonæ cum conſenſu Cæſarauguſtæ & Valentiæ poſſit ſtatutum fieri, vt literæ cambij non niſi poſt 6. menſes ſoluantur à die viſionis earum computandos? 620
Dub. XXXIII. De multiplici valore, & vſu monetæ, & an moneta aliqua poſſit in ordine ad ſolutiones debitorum, emptiones, venditiones, aut cambia refutari? 611
Dub. XXXIV. Vtrùm quo maior quantitas pecuniæ cambienda eſt, eo cæteris paribus maiorem mercedem campſor exigere valeat? 627
Dub. XXXV. An quando pecunia rarior eſt, campſor localis plus mercedis exigere poſſit? 628.
Dub. XXXVI. Vtrùm ex multitudine, & paucitate campſorum, vel campſariorum iuſta pretia cambiorum varientur? 629
Dub. XXXVII. Vtrùm ſi campſor rogatus mutuet pecuniam, quam ad cambiendum cum labore, & expenſis aggregatam habet, poſſit mercedē inde recipere, ac ſi ad cābiū eandē daret? 630.
Dub. XXXVIII. De monopoliis circa cambia factis. ibid.
Dub. XXXIX. Quot modis cambia ſicca fieri ſoleāt. 632
Dub. XL. De cambio ad incertam ſolutionis quantitatem, & cambio ad creditum, an licita

Digitized by Google

licita sint? 633
Dub.XLI. An cambium ratione officij sit licitum? 634
Dub. XLII. An liceat sub hac forma cambire? 635
Dub. XLIII. An campsor petenti ad cambium in locum vbi minùs possit lucrari, possit nolle dare nisi in locum vbi plurimũ lucrabitur? 636
Dub. XLIV. De cambiis quibus Hispalenses dant pecuniam in Occidentali India soluendam. 637
Dub. XLV. An petere ad cambium vsurarium pro se, vel pro amico sit licitum? 638
Dub. XLVI. An si amicus à me petat, vt ad cambium illi sumam cum lucro, vt solet, campsoris, possim ego ex mea pecunia dare, vt lucrum illud habeam? ibid.
Dub. XLVII. Vtrùm peccent campsores dantes ad cambium iis, quos sciunt, ad ludos, & luxus, aliáque delicta committenda pecunias postulare? ibid.

Tractatus quintus de ludo.

Dub. I. AN ludus aliquis licitus sit? 630
Dub. II. An ludus in quo lucrum notabile, & non animi relaxatio præcipuè intẽditur, sit peccatum mortale? 641
Dub. III. An aleæ ludus in iure Cæsareo sit prohibitus, vt peccatum mortale? 642
Dub. IV. De legib⁹ in nostro Castellæ Regno circa ludũ. 645
Dub. V. An is qui ludo prohibito lucratur, etiam sine vi, & fraude ab eo qui alienare potest, teneatur lucrum restituere perdenti, aut pauperibus antequam petatur? 649
Dub. VI. An qui alium traxit ad ludum per vim, fraudem, minas, conuitia, vel nimiam precum importunitatẽ, teneatur restituere lucrum ante ludicis sententiam? 652
Dub. VII. An qui fraudibus in ludo vtitur, peccet contra iustitiam cum onere restituendi? 655
Dub. VIII. An à fure, vsurario, depositario, & quouis alio rẽ alienã ludente sine facultate domini lucrari possimus? 657
Dub. IX. An quod à filiofamilias, vel minori quis lucratur, sit restituendum? 660
Dub. X. An si cõstet volũtatem patris esse vt filius qui in vniuersitate, vel Curia versatur, nihil omnino ludat, adhuc possit aliquid ludere? 664
Dub. XI. An filiꝰ qui est in domo patris, etiã eo inuito, possit aliquid ex eius bonis ludo exponere quando propria non habet? ibid.
Dub. XII. An si fortè filiꝰ in principio,

Digitized by Google

cipio, vel medietate anni totã illã sũmã, quã poterat, in ludo, vel aliis nõ necessariis impẽderit, possit insequentibus aliis diebus aliquid ludo exponere? 665
Dub. XIII. An filius familias, minor, aut quiuis alius possit lucrari cũ non potest perdere, aut plus lucrari, quàm possit perdere? ibid.
Dub. XIV. An probabile sit lucrãtẽ à minori sine cõsẽsu tutoris, vel curatoris, nõ teneri in cõsciẽtia restituere ante ludicis condemnationem? 667
Dub. XV. An si pater filio tradat pecuniæ summã, vt agat pro libito, & ipse parcè viuendo aliquid ex ea sibi reseruet, possit illud ludere? ibid.
Dub. XVI. An si pater filio in scholis versanti tribuat 100. aureos ad alimenta propter suã liberalitatẽ, cũ 70 illi sufficiant ad vsus ordinarios, possit ludere 30? ibid.
Dub XVII. An si quinq; ex 100. quę ex præsũpta volũtate patris potest filius in Vniuersitate expendere in eleemosynas, donationes, & honestas recreationes, expendat ludis illicitis, & rebus turpibus, qui illa accipit, teneatur restituere? ibid.
Dub. XVIII. An quod quis lucratur à muliere coniugata, obnoxiũ sit restitutioni? 668
Dub. XIX. Vtrũ qui lucratur à viro coniugato debeat restituere vxori, vel filiis? 669
Dub. XX. An qui à seruo alterius lucratur, teneatur restituere? 670
Dub. XXI. An à Religiosis aliquid ludo lucrari possim? 671
Dub. XXII. Quantũ Religiosi licitè ludere possunt. 673
Dub. XXIII. An Religiosi, vel alij licitè ludant pias aliquas preces pro victore, vel animabus Purgatorij dicẽdas? 674
Dub. XXIV. An ludus aleæ sit prohibitus Clericis? ibid.
Dub. XXV. Vtrùm ludẽs possit ab imperitiori lucrari? 875
Dub. XXVI. An ludẽs pecunia credita teneatur soluere, & an si soluat, qui accipit teneatur restituere? 678
Dub. XXVII. An qui lucratus est aliquid ludo prohibito à potente alienare, teneatur illud restituere victo petẽti extra iudicium, vel ante Iudicis sententiam? 682
Dub. XXVIII. An cùm quis ludo prohibito aliquid amisit, & soluit quod veretur petere in iudicio, vel non potest auctoritate Iudicis cõmodè recuperare, possit occultã compẽsationẽ facere, tantũdẽ accipiendo, vel retinendo occultè de bonis lucrãtis? 684

TRA

TRACTATVS

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

Quæstio LXXVII. S. Thomæ.

DVBIVM I.

Quidnam sit emptio, & venditio.

SVMMARIVM.

1 *Quid vox emptio, quid vox venditio significet.*
2 *Quid nomine contractus, siue pactum intelligatur.*
3 *Emptio contractus est bonæ fidei, non stricti iuris.*
4 *Varia Doctorum definitiones emptionis, & venditionis impugnantur. num.* 4.5.6.7.& 8.9.
10 *Venditio est pactum rei pro pretio: emptio pretij pro re.*

Num. 1. VETERES in emptione, & venditione, appellationibus promiscuè vtebantur. *l. veteres: ff. de act. empt.* notat Pinelus *(.de rerum vend. part. 1. c. 2. n. 3.* Sed propriè qui dat pecuniam, seu pretiũ, dicitur emere: qui verò mercem, aut rem, dicitur vendere. *l. 1. ff. de contrahend. empt.* Idẽ tamen est contractus emptionis, & venditionis, quia adducit obligationem vnius ad dandum pretium; alterius verò ad dandum rem, nisi iam sit tradita. *l. ex empto. ff. de act. empt.* & siue verbis, siue litetis, siue scriptura fieri potest. *inst. de oblig. §. si. & l. obligamur. ff. de oblig.* Cùm verò pecunia pro pecunia, vel non pecunia pro non pecunia datur, permutatio est, non venditio, neque emptio. *l. 1. ff. de contrahend. empt.* Vbi etiam dicitur hunc contractum inter absentes per nuntium, vel literas fieri posse, essèque iuris gẽtium; quod non ita intelligas, vt eius obligatio iure gentium fuerit introducta: hoc enim ius, si propriè loquamur, positiuum est, vt contra multos alibi ostendemus. Sed quia vsus huius contractus naturalem obligationem inducentis iure gentium introductus fuit, vt narrat Aristoteles 1. *Polit. c. 6. & 5. Eth. c. 2.* & D. Thom. 2. *de regimine Principum cap.* 13. & lex prima *ff. de contrahend. empt.*

Ioan. de Salas.

A CON-

Num. 2. CONTRAHERE interdum significat *celebrare, & facere*, vt notat Rebuff. *l. Labeo. §. contractū. ff. de verborum signific.* & Calepinus verb. *contrahere.* Sic accipitur *in rubric. ff. & C. de contrahend. empt. & C. de contrahend. stipulat. & l. in contrahenda. ff. de regulis iuris. & l. eum, qui. ff. de priuilegiis creditorum.* Interdum verò significat idem quod *pangere, conuenire, & pasciſci*; quod eſt in vnum venire, ſeu ad vnum trahi duas voluntates. Sic pactum, quod idem eſt cum contractu, definitur ab Vlpian. *l. 1. ff. de pactis*, vt ſit duorum, vel plurium in idem placitum, vel conſenſus; & ab eodem Vlpian. *l. 3. ff. de pollicitationibus*, vt ſit duorum, aut plurium in idem cõſenſus, atque conuentio: & ipſemet cõtractus definitur ab eodem Vlpian. *d. l. Labeo. §. contractus*, vt ſit vltrò, citróque obligatio. In quibus verbis non contineri definitionem contractus affirmat Morla cum aliis multis, *in Emporio iuris, tit. 9. n. 3. & ſeqq.* Sed magis placet, vt ſit definitio cõtractus, vt tenet Læſius 2. *de Iuſtit. c. 17. dub. 1.* Sotus *6. Iuſt. q. 2. art. 1.* Valentia 2. 2. *diſp. 5. q. 20. punct. 1.* Rebellus *de obligationib. Iuſt. part. 1. lib. 1. q. 1. ſect. 1.* & alij multi, quos refert Morla ſ. Intelligenda tamen ſunt verba illa non finaliter, ſed cauſaliter, vt admonent auctores citati: nam obligatio finaliter ſumpta non eſt de eſſentia contractus; ſed eius effectus.

SED contrà, quia mutuum eſt verè, & propriè contractus, tamen non parit vtrinque obligationem, quia ſolus mutuatarius manet obligatus. Reſpondeo, etiam mutuantem manere obligatum; nimirum quia tenetur non repetere ſtatim: ſed debet aliquod tempus expectare, vt dato mutuo fruatur. Aduerte autem aliquando nomen *contractus* accipi paulo laxiùs, & ſic eſſe conuentionẽ, quæ in altero ſaltem obligationem pariat. Sic donatio, & promiſſio acceptata contractus dicuntur *l. contractus. C. de fide inſtrumentorum*, & alibi.

EMPTIO inter contractus bonæ fidei, computatur; in quibus Iudex non eſt omnino obligatus verbis cõtrahentium: ſed poteſt ex æquo & bono arbitrari, cuiuſmodi ſunt emptio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum, pignus, permutatio, & ſimiles. *inſt. de act. §. act. & ſeqq.* Cæteri ſunt contractus ſtricti iuris; in quibus Iudex multùm ad verba adſtringitur, vt in contractu feudali, & emphyteutico, & in ſtipulatione. De hac diuiſione vide Morlam ſ. *n.* 12. Rebel. ſ. *part. 2. lib. 1. q. 2. ſect. 1.* Couar. *reg. poſſeſſio. part. 2. §. 6.* Mol. *tome 2. de Iuſt. diſp. 259.* Læſium *ſ. citat. dub. 2.* Num. 3.

IIS præmiſſis Sotus ſ. Aragon & Bãnes 2. 2. *q. 77. in prin.* vẽditionẽ definiunt, vt ſi rei pro pretio diſtractio: emptionem verò, vt ſit rei pro pretio cõtractio, ſeu attractio & appropriatio. Quã definitionẽ approbat Pinel. *l. 2. C. de reſcind. vẽd. part. 1. cap. 3. n. 28.* Fabro *l. 2. C. de reſcind. vend.* vbi venditio nomine *diſtractionis* deſignatur. Cum Soto conueniunt Angelus, Sylueſter, & Tabiena *verb. emptio in prin.* definientes hunc cõtractum, vt ſit alienatio, qua dominium rei ſoluto pretio transfertur. Num. 4.

SED meritò hanc definitionem reiiciunt Molina *diſp. 336. t. 2. de Iuſt.* Rebel. *de obligationib. part. 2. lib. 9. q. 1. ſectione 1.* Morla ſ. *n.* 10. quia repugnat legi primæ *ff. de contrahend. empt. ad finem*: & legi ſecundæ *ff. de act. & oblig. &* §. 1 *inſt. de oblig. ex conſenſu*: &

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. *inst. de empt. & vend.* & legi primæ. *tit. 5. partit. 5.* in quibus habetur, emptionem, & venditionem consensu perfici, scil. verbis, aut aliis signis expresso, quanuis pretium nondum sit numeratum, nec res tradita, nec dominium translatum. Vnde in eo euentu venditori competit actio ex re vendita, & emptori ex re empta. *l. 1. l. ex empto. ff. de act. empt.* §. 1. *inst. de oblig. ex consensu.*

EANDEM definitionem impugnant Molina, & Reb. quia de ratione emptionis non est, vt per eam etiam traditione interueniente, dominij acquisitio, vel translatio fiat. *l. 28. rem alienam. ff. de contrahend. empt.* per quam rei alienæ vēditio vera, & valida absque dominij translatione habetur, licèt venditio suapte natura ad translationem dominij ordinetur. Vnde pactum ne dominium transferatur, contractui venditionis repugnat, vt colligitur ex *l. cùm manu fata.* §. *vlt. ff. de contrahend. empt.* cuius hæc sunt verba: *Nemo potest videri eam rem vendidisse de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat; sed hoc locatio est, aut aliud genus contractus.*

Num. 5. HÆC tamen impugnatio difficilis mihi est, quia vera venditio est dominij translatiua: venditio autem rei alienæ non est translatiua dominij; ergo non est vera venditio, licèt habeat aliquid veræ venditionis, sc. vendentem obligare ad tradendam possessionem, & teneri de euictione, & damnis, & dominij pretium accipere, vt latè probat Molina *disp. 327.* Priori ergo impugnationi innitendum est. *l.* autem *illa 2. C. de rescindend. vend.* venditio appellatur distractio causaliter, non finaliter. Sic etiam *cap. nulli liceat, de rebus Ecclesiæ non alien.* appellatur alienatio.

ALII venditionem definiunt, vt sit contractus, quo res pro pretio, emptionem verò, quo pretium pro re promittitur. Hanc definitionem reiicit Rebel. quia promissio de re vendenda non est venditio, vt docet glossa vltima. *l. Titij. ff. de pign. act.* Tiraquel. *de retractu.* §. 1. *ad finem tituli.* Sed posset responderi, non esse promissionem venditionis, sed traditionis. At neque hoc satisfacit: nam sæpe datur res, aut pretium nulla præcedente promissione. Num. 6.

MOLINA *illa disput. 336.* venditionem definiit, vt sit cōtractus qui consensu perficitur, mercis pro pretio; emptionem verò, qui consensu perficitur, pretij pro merce. Sed hanc definitionem impugnat Reb. quia *mercis* appellatio ad res tantùm mobiles pertinet; emptio autem etiam ad immobiles. Sed responderi potest, quòd licèt solæ res mobiles merces dicantur propriè, & strictè. *C. 66. ff. de verborum signif.* & Rebuff. *ibid.* tamen translatè etiam res immobiles dicuntur merces, vt colligitur ex *l. 1. ff. de contrahend. empt.* Num. 7.

FAVIANVS de monte *tractatu de empt. q. 1.* definit esse contractum bonæ fidei vltrò, citróque obligatorum, qui consensu, re, & pretio perficitur: at iam diximus solo consensu perfici posse. Num. 8.

REBELLVS cum aliis definit, vt sit contractus, qui cōsensu perficitur super re aliqua, mediante pretio, sc. dato, vel dando. Dicitur *contractus*, vt excludatur contractus tam irritus, quàm improprius, cuiusmodi sunt omnes simplices promissiones, quæ ex vna tantùm parte obligationem inducunt: tum etiam dispositiones Num. 9.

Digitized by Google

Num. 2. CONTRAHERE interdum significat *celebrare, & facere*, vt notat Rebuff. *l. Labeo. §. contractū. ff. de verborum signific.* & Calepinus verb. *contrahere.* Sic accipitur *in rubric. ff. & C. de contrahend. empt. & C. de contrahend. stipulat. & l. in contrahenda. ff. de regulis iuris. & l. eum, qui. ff. de priuilegiis creditorum.* Interdum verò significat idem quod *pangere, conuenire*, & *pasciſci*; quod est in vnum venire, seu ad vnum trahi duas voluntates. Sic pactum, quod idem est cum contractu, definitur ab Vlpian. *l. 1. ff. de pactis*, vt sit duorum, vel plurium in idem placitum, vel consensus; & ab eodem Vlpian. *l. 3. ff. de pollicitationibus*, vt sit duorum, aut plurium in idem cōsensus, atque conuentio: & ipsemet cōtractus definitur ab eodem Vlpian. *d. l. Labeo. §. contractus*, vt sit vltrò, citróque obligatio. In quibus verbis non contineri definitionem contractus affirmat Morla cum aliis multis, *in Emporio iuris, tit. 9. n. 3. & seqq.* Sed magis placet, vt sit definitio cōtractus, vt tenet Læsius 2. *de Iustit. c. 17. dub. 1.* Sotus 6. *Iust. q. 2. art. 1.* Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 20. punct. 1.* Rebellus *de obligationib. Iust. part. 1. lib. 1. q. 1. sect. 1.* & alij multi, quos refert Morla s̄. Intelligenda tamen sunt verba illa non finaliter, sed causaliter, vt admonent auctores citati: nam obligatio finaliter sumpta non est de essentia contractus; sed eius effectus.

SED contrà, quia mutuum est verè, & propriè contractus, tamen non parit vtrinque obligationem, quia solus mutuatarius manet obligatus. Respondeo, etiam mutuantem manere obligatum; nimirum quia tenetur non repetere statim: sed debet aliquod tempus expectare, vt dato mutuo fruatur. Aduerte autem aliquando nomen *contractus* accipi paulo laxiùs, & sic esse conuentionē, quæ in altero saltem obligationem pariat. Sic donatio, & promissio acceptata contractus dicuntur *l. contractus. C. de fide instrumentorum*, & alibi.

EMPTIO inter contractus bonæ fidei computatur; in quibus Iudex non est omnino obligatus verbis cōtrahentium, sed potest ex æquo & bono arbitrari, cuiusmodi sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & similes. *inst. de act. §. act. & seqq.* Cæteri sunt contractus stricti iuris; in quibus Iudex multùm ad verba adstringitur, vt in contractu feudali, & emphyteutico, & in stipulatione. De hac diuisione vide Morlam s̄. *n.* 12. Rebel. s̄. *part. 2. lib. 1. q. 2. sect. 1.* Couar. *reg. possessio. part. 2. §. 6.* Mol. *tom 2. de Iust. disp. 259.* Læsium *C. citat. dub. 2.* Num. 3.

IIS præmissis Sotus s̄. Aragon & Bānes 2. 2. *q. 77. in prin.* vēditionē definiunt, vt si rei pro pretio distractio: emptionem verò, vt sit rei pro pretio cōtractio, seu attractio & appropriatio. Quā definitionē approbat Pinel. *l. 2. C. de rescind. vēd. part. 1. cap. 3. n. 28.* Fabro *l. 2. C. de rescind. vend.* vbi venditio nomine *distractionis* designatur. Cum Soto conueniunt Angelus, Syluester, & Tabiena *verb. emptio in prin.* definientes hunc cōtractum, vt sit alienatio, qua dominium rei soluto pretio transfertur. Num. 4.

SED meritò hanc definitionem reiiciunt Molina *disp. 336. t. 2. de Iust.* Rebel. *de obligationib. part. 2. lib. 9. q. 1. sectione 1.* Morla s̄. *n.* 10. quia repugnat legi primæ *ff. de contrahend. empt. ad finem*: & legi secundæ *ff. de act. & oblig. & §. 1. inst. de oblig. ex consensu*: & §. 1.

Digitized by Google

§. 1. *inst. de empt. & vend.* & legi primæ. *tit. 5. partit. 5.* in quibus habetur, emptionem, & venditionem consensu perfici, scil. verbis, aut aliis signis expresso, quanuis pretium nondum sit numeratum, nec res tradita, nec dominium translatum. Vnde in eo euentu venditori competit actio ex re vendita, & emptori ex re empta. *l. 1. l. ex empto. ff. de act. empt.* §. 1. *inst. de oblig. ex consensu.*

EANDEM definitionem impugnant Molina, & Reb. quia de ratione emptionis non est, vt per eam etiam traditione interueniente, dominij acquisitio, vel translatio fiat. *l. 28. rem alienam. ff. de contrahend. empt.* per quam rei alienæ vēditio vera, & valida absque dominij translatione habetur, licèt venditio suapte natura ad translationem dominij ordinetur. Vnde pactum ne dominium transferatur, contractui venditionis repugnat, vt colligitur ex *l. cùm manu fata.* §. *vlt. ff. de contrahend. empt.* cuius hæc sunt verba: *Nemo potest videri eam rem vendidisse de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat; sed hoc locatio est, aut aliud genus contractus.*

Num. 5. HÆC tamen impugnatio difficilis mihi est, quia vera venditio est dominij translatiua: venditio autem rei alienæ non est translatiua dominij; ergo non est vera venditio, licèt habeat aliquid veræ venditionis, sc. vendentem obligare ad tradendam possessionem, & teneri de euictione, & damnis, & dominij pretium accipere, vt latè probat Molina *disp. 327.* Priori ergo impugnationi innitendum est. *l.* autem *illa 2. C. de rescindend. vend.* venditio appellatur distractio causaliter, non finaliter. Sic etiam *cap. nulli liceat, de rebus Ecclesiæ non alien.* appellatur alienatio.

ALII venditionem definiunt, vt sit contractus, quo res pro pretio, emptionem verò, quo pretium pro re promittitur. Hanc definitionem reiicit Rebel. quia promissio de re vendenda non est venditio, vt docet glossa vltima. *l. Titij. ff. de pign. act.* Tiraquel. *de retractu.* §. 1. *ad finem tituli.* Sed posset responderi, non esse promissionem venditionis, sed traditionis. At neque hoc satisfacit: nam sæpe datur res, aut pretium nulla præcedente promissione. Num. 6.

MOLINA *illa disput. 336.* venditionem definiit, vt sit cōtractus qui consensu perficitur, mercis pro pretio; emptionem verò, qui consensu perficitur, pretij pro merce. Sed hanc definitionem impugnat Reb. quia *mercis* appellatio ad res tantùm mobiles pertinet; emptio autem etiam ad immobiles. Sed responderi potest, quòd licèt solæ res mobiles merces dicantur propriè, & strictè. *C. 66. ff. de verborum signif.* & Rebuff. *ibid.* tamen translatè etiam res immobiles dicuntur merces, vt colligitur ex *l. 1 ff. de contrahend. empt.* Num. 7.

FAVIANVS de monte *tractatu de empt. q. 1.* definit esse contractum bonæ fidei vltrò, citróque obligatorum, qui consensu, re, & pretio perficitur: at iam diximus solo consensu perfici posse. Num. 8.

REBELLVS cum aliis definit, vt sit contractus, qui cōsensu perficitur super re aliqua, mediante pretio, sc. dato, vel dando. Dicitur *contractus*, vt excludatur contractus tam irritus, quàm improprius, cuiusmodi sunt omnes simplices promissiones, quæ ex vna tantùm parte obligationem inducunt: tum etiam dispositiones Num. 9.

Digitized by Google

factæper testamenta, codicillos, & donationes. Dicitur *consensu* vt reiiciantur contractus qui solo consensu perfici nequeunt; cuiusmodi est stipulatio, & mutuum, & similes. Dicitur *super re*, prout res contra pretium, seu pecuniam distinguitur, vt cambium excludatur, quo pecunia pro pecunia commutatur: item prout res contra eius vsum distinguitur.

Num. 10. SED melius, & breuius dicitur, venditionem esse pactionem rei pro pretio; emptionem verò pretij pro re, abstrahendo à re, vel pretio dato, vel solùm promisso: & nomine *rei* intelligendo rem, quæ non sit vsus alterius rei; vel opera hominis; hæc enim locari dicuntur, non vendi: & ratio est, quia de natura venditionis est, vt quantùm est ex vi contractus, possessio, & dominium à venditore in emptorem transferatur: sed horum possessio, & dominium non potest transferri; ergo. Maior est Aluari, Valasci, Pineli, & Lasarte, vt docet Molina 5. Cum hac definitione coinciduntaliæ, quas tradunt Lessius, Valentia 5. & Sotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2.

DVBIVM II.

Quæ emptio, & venditio dicatur propriè negotiatio, & Clericis, & Religiosis interdicta sit.

SVMMARIVM.

1 *Negotiatio est, cùm quis emit rem eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucretur.*

2 *Negotiatio propriè dicta, interdicta est Clericis, & Religiosis.*

3 *Qui putent, semel aut iterum negotiari, esse mortale.*

4 *Semel aut iterum negotiari, non est mortale.*

5 *Clerici non initiati sacris non peccant, nec venialiter, negotiando, si non sint beneficiarij.*

6 *Beneficiarius non initiatus sacris, si beneficium non sit valde tenue, & publica negotiatio sit, peccat mortaliter negotiando.*

7 *Clerici propter suam, vel suorum necessitatem, cui non possunt aliter commodè subuenire, possunt per se negotiari.*

8 *Clerici possunt per alios negotiari. Clerici, & Religiosi possunt comparare materiam, ex qua arte facta conficiant, & vendant.*

9 *Non possunt conducere aliena prædia, vt fructus vendant.*

DICO primò: negotiatio propriè est cùm quis emit rem eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucretur. Ita Chrysost. *Homil.* 38. *in Matth.* & refertur *c. eiiciens.* 88. *d.* quem sequuntur D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad argumenta.* Toletus *lib. de septem peccatis. c.* 53. Molina *t.* 2. *de Iust. disp.* 339. Rebel. *de oblig. part.* 2. *q. vlt. sect.* 1. & omnes. Num. 1.

DICO secundò: negotiatio propriè dicta, est interdicta Clericis, & Religiosis. *c. consequens.* 5. *c. negotiatorē. c. fornicari.* 88. *dist. c. fin. de vita & honest. Cler. Clem.* 1. *eod. tit. c. placuit.* 21. *q.* 3. *c. secundum ne Clerici. l. Monachi.* vbi Pontifex ait: *Sub anathematis interminatione prohibemus ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur.* Et *in illo c. consequens, & c. sed neque.* ponitur pœna suspensionis, *& c. Canonum. l.* 4. *q.* 4. ponitur Num. 2.

Digitized by Google

nitur pœna expulsionis à Clero: *& Clem. 1. de vita & honest. Cler.* expoliãtur Clerici negotiatores priuilegio Clericali. Quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ, vt patet intuenti Text. & notant Doctores, & renouatæ sunt per Trident. *sess. 22. c. 2.*

Num 3. SED grauis est difficultas, an eiusmodi negotiatores peccent mortaliter? Læsius ꝛ. ait, si multùm negotientur, peccare mortaliter: cui consonat Morla *in Emporio iuris, part. 1. tit. 9. q. 10.* cum multis, asserens non dici Clericum negotiatorem si semel aut iterum negotietur. Indicant ergo vnã aut alteram negotiationem non esse peccatum mortale, eo quòd materia sit leuis. Molina tamen *disp. 342.* Salon 2. 2. *q. 77. art. 4.* Vega *in Epitom. & S. mma, verb. Clericus, casu 1.* Morla ꝛ. cum Ioãne Medina, Conrado, Sylvest. Angelo, Armil. Antonino, & aliis, quos referunt, absolutè affirmãt peccare mortaliter, quia materia est grauis, & pœnæ graues apponuntur. Rebel. ꝛ. *sect. 2.* affirmat hoc esse certum: sed Emanuel Rodriguez *verb. negotiatio. num. 2.* putat esse probabile, non peccare mortaliter, modò negotiatio non sit turpis, & absque scandalo, temeritate, contumacia, & contemptu fiat. Citat Nauarr. sed malè, quia tenet oppositum. Citat etiam Ludouicum Lopez *1. instruct. negotiantium c. 10.* Et apertè hanc sententiam tenet Caietanus *verb. Clericus*, & Palatios 2. *de contractib. c. 10.* Sed ex falso fundamento, & à nobis reiecto *tract. de legib.* nimirum quia pœnæ illæ ferendæ nõ indicant sufficienter legem obligare sub mortali.

Num. 4. EXISTIMO tamen semel aut iterum negotiari, non esse mortale; vt siquis libros, cruces, vel reliquaria occultè emat, vt cariùs vendat, quia non videtur grauis indecentia, nec dicitur Clericus negotiator si semel aut iterum negotietur, vt præter cæteros docet Zenedo *(collect. 37. ad c. Principes. part. 23. q. 5. n. 21.* Salcedo ad Bernardum Diaz *c. 55.*

Num. 5. QVANVIS hæc generatim vera sint de omnibus Religiosis, tamen Clerici non initiati sacris non peccant mortaliter negotiando. Medina *de rest. q. 30.* Molina *de Iust. tract. 2. disp. 342.* Rebel. *illa sect. 2.* Salon 2. 2. *q. 77. art. 4. controu. 4.* Nauarr. *c. 25. n. 110. & consil. 3. de succes. ab intest.* Emanuel *verb. negotiatio. n. 1.* Sylvest. *verb. Clericus. 3. q. 3.* Angel. Panor. & Conrr. ab iis citati. Et licèt Molina insinuet, & Rebel. exprimat peccare venialiter, probabilius tamẽ est, nec venialiter peccare, quia omnia illis licent quæ laicis, possũntque redire ad sæculũ, & laicare, vt loquitur Sylvester. Sed addit, maximè si non habent beneficium. Vnde videtur anceps an beneficiarius in minoribus cõstitutus peccet mortaliter negotiando? & in partem negãtem inclinat, vt & Molina; quam absolutè tenent alij.

Num. 6. ALII melius dicunt, mortaliter peccare. Vega *verb. Clericus. cas. 1.* & clariùs Rebel. *illa sect. 2.* cum ordinationibus Lusitanis *lib. 4. tit. 32.* Emanuel ꝛ. Tabiena *verb. emptio. q. 15.* Idem videtur dicere Sa *verb. Clericus. nu. 2.* vbi ait: *Cùm Clericis aliquid præcipitur, vel prohibetur, intelliguntur qui sunt in sacris, aut beneficiati.* Lesius ait ita esse tenendum, saltem si beneficium alicuius momenti sit, & negotiatio publica sit, atque ita sordida, vt statui Ecclesiastico notabiliter sit ignominiosa. Similiter limitat Emanuel, nisi

Digitized by Google

beneficium esset valde tenue: tunc enim sicut posset non recitare; ita posset negotiari. Si verò nō esset ita tenue, mortale esset negotiari, cùm sint Clerici, & congruam aut notabilem sustentationem habeant ab Ecclesia.

Num. 7. Dico tertiò: Clerici propter suā, vel suorum necessitatem, cui aliter nequeunt commodè subuenire, possunt negotiari per se. Sa *verb. Clericus. n.* 23. Nauarr. *illo n.* 110. Zerola *in praxi Episcopali, verb. Cleric.* §. 15. alios referens. Ratio est, quia illa necessitas excusat, vndę Conciliū Elibertinum c. 19. concedit eis in necessitate negotiari per se intra prouinciam, per alios extra.

Num. 8. Dico quartò: Clerici possunt per alios negotiari. Zerola ꝛ. Sa *illo n.* 23. Tabiena *verb. emptio. q.* 26. Armil. *n.* 28. Vega *verb. negotiatio. cas.* 2. vbi Emanuel *n.* 3. Salcedo ꝛ. Aragon 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. vbi Salon *controu.* 4. Valentia *disp.* 5. *q.* 20. *punct.* 5. Medina *de restitut. q.* 30. Læsius & Molina ꝛ. & Rebel. addens, à veniali non esse excusandos si per seipsos rationem dati, & accepti exigant: imò tantam posse esse indecentiam, & scandalum, vt à mortali non excusarentur. Ratio conclusionis est, quia negotiando per alios cessat ratio prohibitionis: & quia negotiari per alios nullibi est prohibitum. Imò *Clementina* 1. *de vita & honestate Clericorum* in simili videtur permissum.

Num. 9. Dico quintò: Clerici, & Religiosi possunt comparare materiam aliquam, ex qua arte facta conficiāt, & vendant, quia hoc non est negotiari, vt expressè docet Chrysost. ꝛ. Sic olim Religiosi sportas storeas, & similia faciebant, vt venderent, & ex pretio se sustentarent: & Paulus artem cenofactoriam exercebat, *Act.* 18. Similiter possunt agros proprios colere, & operæ rusticæ exercere, vt fructus vendant; greges alere, vt ex fœtu, lacte, & lana pecuniam conficiant, aut vt ipsa animalia adulta, vel saginata vendant. Ita docēt omnes auctores citati, & alij: & patet ex *c. quoniam de consecrat. dist.* 5. *& c. Clericus.* 1. *&* 2. 91. *dist. c. Clerici, de vita & honestate Cler.* Possunt etiam vendere cariùs quàm emerunt, nisi ad id emerint, quia hoc non est negotiari. D. Th. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 2. Sa *illo n.* 23. Reb. *illa sect.* 2. Zenedo ꝛ. cum Salcedo, & Candelabro. Possunt etiam cambium minutum, & per literas facere, si ad pecuniam nō quærant, quia hoc non est negotiari.

Num. 10. Dico sextò: non possunt conducere aliena prædia, vel similes res fructiferas, vt fructus vendant. Licèt enim hoc non sit negotiari, tamen expressè illis est prohibitum 21. *q.* 3. *c.* 1. *&* 3. Ita Molina, & Læsius ꝛ. addēs, posse id efficere pro sua necessaria sustentatione. Similiter *c. Clericus.* 91. *dist.* prohibentur ambulare in nundinis non emendo, sed inter emptores, id est, inter mercatores exercendo officium proxenetarum, vt explicat P. Nauarr. 2. *de restitut. c.* 2. *n.* 326.

DVBIVM III.

Quomodo Clerici negotiatores priuilegium Clericale amittant, & gabellas soluere teneantur.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Clerici negotiatores amittunt priuilegium Clericatus.*
2 *Requiruntur priùs tres monitiones.*
3 *Qui putent amittere priuilegium Canonis Clericum negotiatorem.*
4 *Verius est amittere priuilegium immunitatis à tributis & exactionibus.*
5 *Eo ipso quòd emendentur, recuperant priuilegium.*
6 *Qui negotiando vendunt, debent gabellam, etiamsi non sint moniti vt à negotiatione desistant.*
7 *De lucro quæsito per negotiationem, licèt turpem, possunt testari, nec tenentur dare pauperibus, nisi in pœnitentiam eis imponatur.*

Num. 1. IN *c. fin. de vita & honest. Cleric.* sic Honorius Episcopo cuidã scribit: *Mãdamus quatenus si tales tertio à te commoniti ab huiusmodi non resipuerunt; sed prætermissis diuinis officiis, negotiationibus institerint, suprà dicti cum faciõ priuilegium abiiciant Clericale, tu quominùs dum iis se implicant, de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus patriæ subiiciant, non defendas eosdem.*

Num. 2. AD incurrendam hanc pœnam, vnam monitionem sufficere tenet Rosel. *verb. excommunicatio. 2. n. 3.* Angelus *verb. Clericus. 9. n. 3.* Supplemẽtum apud Sylvest. §. Sed meliùs Panorm. Glossa, Imola, & Ioan. Andreas *illo c. fin.* Tabiena *verb. excommunicatio. 5 n. 24.* Sylvester *verb. Clericus. 13. q. 3.* tenent omnino requiri tres; quia odia restringenda sunt. Imò Naua r. *c. 27. n. 81.* putat dies aliquos debere esse interiectos inter vnam & alteram monitionem: quod sensit glossa *Clem. 1. de vita & honest. Cleric. verb. 3.* Panorm. *& alij ibi. & c. fin. eodem tit.* quod optimè probat Suar. *3. part. tom. 5. disp. 22. sect. 1. n. 16.* quia hæc interualla dantur ad expediendam emendationem: si autem non interponerentur aliqui dies, non cerneretur in hac re emendatio. Aliam probationem glossæ bene impugnat Suarez *ibi.*

Num. 3. SED quo priuilegio Clericali priuãtur Clerici, si post trinam monitionem non resipiscant? Ostiensis *c. fin. de vita & honest. Cler.* Sylvester *verb. excõmunicatio. 6. n. 6. dicto 5.* dicũt, amittere priuilegium Canonis, pro quo etiam Sylvest. citat Pisanel. Archidiaconum, Veluecum, & Innocentium: sed loca non indicat; probat, tum quia indistinctè ibi dicitur abiicere priuilegium Clericale; tum quia Text. illas subiicit statutis, & cõsuetudinib. patrię quoad res ipsas, quæ statuta, & consuetudines volunt, quòd quis interdum conueniat coram Iudice laico, citetur, capiatur, & carceri tradatur, &c. Iste perdit priuilegium fori, & à fortiori Canonis, quod faciliùs perditur; vt fatetur Rosella. Ostiensis etiam tenet amittere priuilegium fori: & Salon *2. 2. q. 77. art. 4. controu. 4.* ait talem posse conueniri apud Iudicem secularem, & Consules mercatores, sicut quis alius secularis negotiator. Idem tenet Innocentius; qui tamen non aufert ei priuilegium Canonũ, quod tamen aufert Nauarr. *c. 27. n. 80.*

Num. 4. SED verius est propter negotiationem solùm amittere priuilegium immunitatis à tributis & exactionibus. Molina *disp. 342.* Rebel. *de oblig. part. 2. lib. 9. q. vlt. sect. 2.* Tabiena *verb. Clericus. 3. n. 2.* Rosella *verb. excommunicatio. 2. dicto 4. n. 3.* Suarez §. *n. 17.* Comito

Digitized by Google

mitolius ꝛ. & glossa *dict. c. fin.* Imò Sylvester dicit fortè non amittere priuilegium Canonis, & absolutè non amittere priuilegium fori; quia nec Clericus coniugatus, quando contraxit semel tantùm, & cum virgine, & defert habitum & tonsuram, amittit priuilegium fori: ergo à fortiori nec Clericus non coniugatus negotiator. Item ex illo verbo, *de suis facultatibus*, & ex interrogatione ipsa constat solum expoliari priuilegio exemptionis à tributis & exactionibus, quibus laici subiiciuntur secũdùm statuta, & cõsuetudines patriæ. Malè ergo Zenedo *Collectan. 37. ad c. Principes. part. 23. q. 5.* tenet priuari etiam priuilegio fori.

Num. 5. ADVERTE autem primò, eo ipso quòd emendentur, priuilegium recuperare, vt ex Text. planè colligunt glossa, Innocentius, Panor. Ioan. Andreas, Ostiensis, Imola, Comitolius, Molina, & Rebel.

Num. 6. ITEM de iis quæ negotiandò vendunt, gabellam debere, etiamsi non sint moniti, & à negotiatione desisterent, Zenedo ꝛ. alios referens, Rosel. cum Panor. Molina ꝛ. Gregorius Lopez *l. 41. tit. 6. partit. 1.* Lasarte *de decima venditionis c. 19. n. 79.* & expressè habetur *in l. 7. tit. 19. lib. 9. nouæ collect. & l. 12. tit. 3. part. 5. legum extrauagantium Lusitaniæ.* Imò quando licitè negotiantur per alios, vel per se propter necessitatem, gabellam debent. Imò etiam secundùm Molinam ex quibusdam negotiationibus impropriè dictis; vt si vuas emant, ex quibus per famulos, aut ministros ad id conductos vinum faciant, & vendant: si ex lana propriarum ouium per operarios, & artifices conductos pannos efficiant, vt vendant, & lucrentur; si agros alienos conducant, vt colant, & fructus vendant.

SED de lucro per negotiationem, licèt turpem, quæsitoteſtari possunt; quia non est contra leges Iustitiæ acquisitum, sed Religionis. Emanuel *verb. negotiatio. n. 4.* citat Greg. Lopez, & Didacum Perez. *Num. 7.*

NEC tenentur illud dare pauperibus, nisi eis in pœnitentiam imponatur. Sylvest. cum aliis *verb. Clericus. 3. q. 3.* Ant. *3. part. tit. 13. c. 2. §. fin.* Beneuentus *opus. de mercatore, part. 3. n. 7.* Salon *2. 2. q. 77. art. 1. controu. 15. concluſ. vltim.* Tabiena *verb. emptio. q. 15.* contra Panor. ab eo citatum.

DVBIVM IV.

Quotuplex sit rerum venalium pretium.

SVMMARIVM.

1 *Pretium est duplex, legitimum, & naturale.*

2 *In pretio naturali non attenduntur rerum naturæ; sed vt subsunt humanis vsibus.*

3 *Pretium legitimum consistit in indiuisibili.*

4 *Pretium naturale latitudinem habet supremi, medij, & infimi. explicatur n. 5.*

6. 7 *Aduersùs hanc opinionem argumenta.*

8 *Argumentis fit satis.*

RESPONDETVR ex Arist. 5. *Eth. c. 7.* & omnibus Doctoribus, duplex esse; alterum legitimum, alterum naturale, seu vulgare, seu fori. Legitimũ est, quod lege Principis, vel Reipub. vel *Num. 2.*

Digitized by Google

vel eorum auctoritate taxatum est. Naturale verò est quod sine humana lege, aut decreto ex rerum naturis, conditionibus, & circumstantiis consurgit, & à vulgo, vel foro definitur, ad quod reducitur, quod mercibus quæ in prouinciam aliquam, in qua vendi non consueuerant, asportantur, imponitur: nam prudentis arbitrio definitur. Ita Molina *tom.* 2. *disp.* 348. Tolet. *lib. de septem peccatis c.* 47. Sylvester *verb. emptio.* §. 7.

Num. 2. ADVERTE autem in hoc naturali pretio definiendo non attendi rerum naturas secundùm se, sed in ordine ad humanos vsus: sæpe enim res in sua natura viliores, in ordine ad humanos vsus meliores sunt, & magis æstimantur. August. 11. *de ciuitate Dei c.* 16. *Quis domi suæ panem habere, quàm mures, nummos, quàm pulices non malit?* cùm tamen ordine naturæ viuentia non viuentibus præponantur. Atque hinc etiam fit, vt nonnulli cariùs equum quàm seruum, gemmam quàm annullum emant vtilitatis, vel voluptatis, non naturæ ordinem in æstimatione sequentes.

Num. 3. PRETIVM legitimum consistit in indiuisibili, & aliquando taxatur in vtilitatem ementium; & tunc non licet rem pluris vendere, quanuis possit minoris emi, vt in taxatione frumenti; aliquando in vtilitatem vendentium; & tunc non licet rem minoris emere, quanuis possit pluris vendi, vt in taxatione censuum. Interdum in vtilitatem vtrorumque, & tunc non licet pluris, aut minoris emere, aut vendere, vt in taxatione vini.

Num. 4. PRETIVM naturale consistit in indiuisibili; sed latitudinem habet supremi, medij, & infimi, seu rigoro-

si vel rigidi, moderati, pij, & minimi, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *ad* 1. vbi Caietanus, Aragon, Bãnez, Valentia, & alij. Scotus 4. *dist.* 15 *q.* 7. *art.* 2. Maior *ibi. q.* 29. 31. & 40. Medina *de restitut.* 31. Sotus, Sylvester, Petrus Ledesma, Emanuel, Vega, Nauar. Toletus, Angles, Couar. & passim alij.

QVÆ sententia secundùm Molinam *disp.* 347. & Reb. *de oblig.* præter secundam *lib.* 9. *q.* 1. non sic est intelligenda, vt pretium iustum naturale indiuisibile sit, sed ignoretur quòd reuerà verum pretium iustum sit diuisibile, & latitudinem habeat. Num. 5.

IN quo sensu hæc sententia est difficilis: neque est penitus improbabile esse, aliquod pretium Deo, & nobis notum; quod si nobis reuelaret, iniustitia esset vel latũ vnguem ab eo discedere, quod sumitur ex valore rei in ordine ad omnes humanos vsus, attentisque omnibus circumstantiis, quas exactè comprehendere, & ponderare, Dei est, non hominum, quãuis in hominum opinione & æstimatione prudenti, & probabili triplex illud pretium iustum constitui possit. Ita sentit Aluornoz *de contract. tit.* 16. quem referunt Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controu.* 3. *concluf.* 2. Palacios 2. *de contractibus, c.* 2. pro eadem sententia. Reb. citat Ricardum 1. *dist.* 33. *art.* 1. & Gandensiem *quodlib.* 1. *q.* 40. Sed licèt Gandensis eam insinuet, in Ricardo nihil inuenio. Num. 6.

SVADETVR tamen, primò, quia iustitia consistit in æqualitate, dicente Aristotele *primo magnorum moralium c.* 34. *Quod iustum est, æquale est: sed tria inter se inæqualia cum vno alio æqualitatem habere non possunt.* Num 7.

B Secun-

Digitized by Google

Secundò, quia iuxta Aristot. & alios iustitia commutatiua respicit æqualitatem arithmeticam, distributiua geometricam; æqualitas autem mathematica cõsistit in indiuisibili. ergo. Cõfirmatur, quia iustum pretiũ apud Deum consistit in indiuisibili: ergo & iusta commutatio apud homines. Confirmatur etiam: nam Molina, & Reb. fatentur dari aliquod pretium indiuisibile, in quo iustitia exactissimè seruatur. Hoc ergo videtur esse pretium verè iustum; cætera autem probabiliter tantùm iusta.

Num. 8. NIHILOMINVS tenendo sentẽtiam Molinæ, & Reb. quæ omnium videtur; ad primum argumentum respondeo, æqualitatem inter rem & pretium non debere esse mathematicam, cùm hæc sciri non possit; sed moralẽ, qua plura inter se inæqualia vni alteri æquari possunt; & ad hanc æqualitatem constituendam ordinatur iustitia, quæ humana, & moralis est virtus: vnde & medium virtutum moralium latitudinem habere dixit Aristot. 2. *Eth. c.* 8.

AD secundum respondeo, iustitiam seruare mathematicam æqualitatem, dando tantùm, quantùm debetur, non tamen obligando ad æqualitatem mathematicã inter rem & pretium: sed ad moralem, quæ latitudinem habet, secus est de iustitia diuina, quæ exactè nouit omnia, per quod patet ad confirmationes.

DVBIVM V.

An res aliquæ sint, quæ vendi possint quanti inter se contrahentes conuenerint.

SVMMARIVM.

1 *Sentẽtia affirmans, has res nullum aliud pretium habere nisi illud, in quo contrahentes conuenerint.*

Suadetur hæc sententia n. 2. & 3.

4 *Sententia affirmans, eiusmodi res suum habere limitatum pretium, profertur, & probatur n. 5.*

6 *Responsio ad argumenta contraria.*

Num. 1. VT sunt quædam gemmæ exquisitæ, aut insignes canes, falcones, aues Indicæ, picturæ veteres, statuæ antiquæ; idem dubium est de quibusdam operis non necessariis, an pro quocunque pretio locari possint, vt vsus mulieris, saltatio, fidium lusus, cantus, facetia, scurrilitas.

PRIMA sententia affirmat, hæc aliud pretium iustum non habere nisi illud, in quo contrahentes conuenerint. Tribuitur communiter Victoriæ, quem secuti sunt P. Nauarr. 3. *d. restitut. c.* 2. *n.* 11. *Bãnez* 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *in princip.* Valentia *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. §. 3. Sotus 6. *Iustit. q.* 2. *art.* 3. *ad finem.* Ledesma 2. *part. Summæ, tract.* 8. *c.* 32. *concluf.* 5. *reg.* 3. *& concluf.* 7. *difficultate* 5. Emanuel *verb. venditio. c.* 77. *concluf.* 2. Ioannes Medina *de restitut. q.* 32. Bartholom. Medina, Canus, Penna, & alij *in manu scriptis.* Toletus *lib. de septem peccatis c.* 48. Vnde ait, statuam antiquam, & gemmam aliquam quatuor mille aureis vendi posse.

Num. 2. SVADETVR primò, quia res istæ non habent pretium determinatum auctoritate Principis, nec communi vsu fori: ergo sola voluntate contrahentium. Hoc videtur fuisse fundamentum Victoriæ, Soti,

To

Toleti, Ledesmæ, & P. Nauarr. Secundò suadetur, quia cùm hæ res nõ sint humanæ vitæ necessariæ; si quis velit dare pro illis quod venditor exigit vltra pretium naturale, censebitur excessum donare, alioquin non emeret tanto pretio, cùm nulla necessitas compellat. Hoc est fundamentum Ioan. Medinæ, & Valētiæ, quibus fauet Sa *verb. emptio. n.* 3. dicens: *qui rem sciens & volens vendit pretio vilissimo, donare præsumitur, quod deest iusto pretio.* & *verb. venditio. n.* 1. *cùm quis pro empta re plus iusto dat sine vi, metu aut errore donare præsumitur.* Tertiò, quia quisque in rebus suis est moderator & arbiter. *l. in re mandatar. C. mandati.* & proloquium est, tantùm valet res quantùm vendi potest. *l.* 2. §. *si hæres ad S. C. Treb.* Quæ in hoc rerum genere intelligũtur, non in rebus humanæ vitæ necessariis, quæ lege, vel communi vsu fori pretium habent definitum.

Num. 3. AD hanc sententiam accedit Salon 2. 2. *controuers.* 3. & 4. dicens, res deseruientes pompæ, & ornatui extraordinario, & voluptati, quasdam esse communes inter magnates, & apud eos commune pretium habere, ac proinde pro illis non posse amplius exigi: alias verò non esse communes inter illos, vt ratissimas gemmas, & pro iis licere venditori exigere quantùm potuerit.

Num. 4. SECVNDA, & vera sententia est, etiam res istas suum habere limitatum pretium, vltra quod non licet aliquid exigere. Ita Læsius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 3. Reb. *de obligationib. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *sect.* 2. *n.* 10. *ad* 2. dicens, oppositam sententiam cõmuni aduersari, & ante Victoriam fuisse inauditam, nec esse recipiendam. Aragon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. §. *hucusque.* dicens, contrariam sententiam haud dubiè non esse vsquequaque veram. Hanc *in manu scriptis* tenet Mancius, & Mirand. indicat Molina *disputat.* 348. *in fine.* Nauarr. *c.* 23. *n.* 78. Caiet. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. & *opusc.* 17. *responsionum, respons.* 12. *dub.* 3. Gabr. 4. *dist.* 15. & alij.

PROBATVR primò, quia valor omnium rerum venalium sumitur in ordine ad humanos vsus: sed illarum rerũ vtilitas ad humanos vsus erit limitata, & sæpe parui momenti; ergo & pretium erit limitatum, vltráque nihil potest exigi: nec rectè aliqui dicunt excessum illũ pretij posse accipi titulo donationis; nã & bene obiiciunt Læsius, & Rebel. emptor non intendit donare, sed emere, nec venditor illud acceptat vt donatum, sed exigit vt debitum, & interdum contendunt illiberaliter de pretio: nec est vlla ratio præsumendi donationem, vbi non est amicitia. *l. cognatio*, & c. Sed illum excessum dat emptor ex inconsideratia, passione, animi leuitate, vel nimio, & temerario affectu ad rem illam. Excessus autem sic datus, vel acceptus restitui debet iuxta Angelum *verb. emptio.* §. 17. Medinam *de restitut. q.* 32. §. *circa tertium.* Contradum *de contractib. q.* 57. Syluest. *verb. emptio. q.* 9. Et quanuis emptor non cogatur necessitate, non sequitur, venditorem posse excessum illum accipere, alioqui liceret pro pallio, ab eo qui non indiget, quoduis pretium accipere, & sub vsuris dare ei qui petit sine necessitate; quod est absurdum illatum à Læsio 5. & Caiet. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. §. *quoad secundum.* Num. 5.

Ex iis patet ad primum, & secundum argumentum primæ sententiæ: Num. 6.

Digitized by Google

ad tertium verò respondeo, primam illam legem nihil ad rem facere, quia non loquitur de pretio rebus imponendo; sed tantùm significat quemque de suis rebus disponere posse, etiam in suum incommodum; mãdatarium autem non posse. Illud verò proloquium, tantùm valet res, quantùm vẽdi potest, exponit Henriquez *quodlibet.* 1. *q.* 40. quantùm potest vendi licitè, addidi, quantùm vẽdi potest intra limites iusti pretij. Læsius, Ledesma, Nauarr. cum Ioanne Medina, Soto, & Antonino. Reb. autem cũ Sylvest. & Caiet. ꝛ. *ff. quoad tertium.* & Nauarr. *c.* 23. *n.* 78. quantùm vendi potest secluso dolo, fraude, ignorantia, violentia, & necessitate; quia si aliquid horum non intercederet, non dabit emptor pro re plus quàm valet, nisi volendo donare excessum. Pro qua expositione multa adducit Salõ ꝛ. Sed licèt communiter ita contingat, non tamen illud est perpetuum, quia ex nimio desiderio, & passione non excæcante plus interdum dat.

VNDE non probo quod ait Sa *verb. venditio. n.* 4. *Cùm rebus ad vitam non necessariis, vt aureis, vel argenteis, vel margaritis, aut aliis huiusmodi pretium non est taxatum, potest accipi quantùm emens sciens, & prudens dat.*

NOSTRA sententia confirmatur, quia Salon, Bannez, & Ioan. Medina dicunt considerandas esse expensas, laborẽ, & industriam, vt in artificio aquæ Toletanæ Ianelli. Ergo iuxta hæc debet pretium definiri, & non ex sola conuẽtione cõtractuum. Vnde & Nauar. cũ Medina, Sylvest. Nauarr. Angelo, Gabr. & Caiet. ait, in iis pretiũ sumi ex iudicio probi & periti mercatoris, attẽtis circũstantiis, &c.

DVBIVM VI.

An liceat transgredi legem taxantem triticum, vel alia, modò seruetur pretium, quod secluſa lege iustum esset.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans refertur.*
2 *Discedere à pretio per legem taxato, etiamsi seruetur quod semota lege iustum esset, mortale est ex genere suo cum onere restituendi.*
3 *Probatur hæc sententia.*
4 *Princeps potest taxare triticum minori pretio infimo propter bonum publicum.*
5 *Venditor legem violans, tenetur excessum restituere, etiam quando pretium lege taxatum est minus infimo naturali.*
6 *Princeps potest diuites ad vendendum pretio taxato obligare propter commune bonum.*
7 *Princeps potest interdum cogere diuites, vt gratis triticum pauperibus porrigant.*

ALIQVI affirmant, vt Nauarr. *in Summa Hispana. c.* 23. *n.* 86. & Antonius Bernate *c.* 24. *n.* 44. Mexia *in pragmatica frumenti, concluſ.* 3. *n.* 17. *& concluſ.* 18. *n.* 26. Quidam Theologus probabile hoc putauit apud Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controu.* 9. *Num.* 1.

DICO tamen primò, esse peccatum mortale ex genere cum onere restituendi, discedere à pretio per legem taxato, etiamsi seruetur quod semota lege iustum esset. Ita Nauarr. *in Summa Latina. c.* 23. *n.* 88. *& conſ.* 5. *Num.* 2.

de

de emptione, & venditione. n. 3. Sotus *1. Iustitiæ. q. 6. art. 6. ad* 5. *lib.* 5. *q.* 8. *art.* 4. *lib.* 6. *q.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 3. Couarr. 3. *Variar. c.* 3. *n.* 5. *&* 6. *& c.* 14. *n.* 3. Reb. *de obligationib. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *ſect.* 1. Læſius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 2. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 20, *puncto* 2. §. 1. Caſtro 1. *de lege pœnarum, c.* 12. Medina *de reſtitut. q.* 36. & alter Medina 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *&* 1. *Summa. c.* 14. §. 25. Petr. Ledeſ. Salon, Aragon, Bannez, Vega, Emanuel, Lopez, Toletus, Graſis, & alij progreſſu citandi.

AZEVEDO *l.* 1. *lib.* 5. *noua comp. tit.* 25. *n.* 7. docet, cùm de pragmatica frumenti anni 1558. dubitatum eſſet, an obligaret in conſcientia, & cum onere reſtituendi exceſſum, id in pragmatica anni 1578. *c.* 6. expreſſum fuiſſe, quod etiam in alia lege anni 1582. declaratum fuit, vt videre licet *lib.* 5 *noua collect. tit.* 25. *l.* 4. *&* 5. Pro qua re multos citat Azeuedo *n.* 8. & Matienzo *eadem l.* 1. *gloſſa* 1. ait, ſacrilegij inſtar eſſe de huius legis iuſtitia dubitare, & meritò opinionem antiquam Nauarr. perniciosam eſſe dixit Henriquez 4. *de Pontif. & legib. c.* 26. §. 1. *litera* 1.

Num. 3. PROBATVR hæc ſententia, quia leges ciuiles poſſunt obligare ſub mortali ad ea quæ non ſunt de lege naturæ, vt docuimus *tract. de legibus*, quod præſertim poſſet eſſe verum de legibus taxantibus pretia frumenti, & ſimiliũ; cũ maximè id expediat cõmuni bono, ne ciues, præſertim pauperes, grauiſſima incommoda patiãtur: & in legibus ipſis explicatur hãc eſſe mentem legillatorum. Ergo ſic obligant. Confirmatur, quia iure naturæ, & de iuſtitia tenemur non excedere iuſtum pretium in venditione. Sed iuſtum pretium eſt quod lege taxatur, Ergo. Vnde ſequitur tranſgreſſores legis teneri ad reſtitutionem, quia violatio iuſtitiæ commutatiuæ obligat ad reſtitutionem, & quia emptor patitur iniuſtum nolens & inuitus.

Hoc ipſum docet Molina *t.* 2. *diſp.* 364. Sed duo addit notatu digna: primum eſt, Principem non poſſe obligare venditorem ad vendendũ rem minori pretio, quàm ſit iuſtum infimum naturale, quo, ſecluſa lege, venderetur; ſed tantùm intra latitudinem pretii naturalis. Secundum eſt, licet poſſet taxare infra infimum, non tamen ad reſtitutionem exceſſus obligare.

DICO tamen ſecundò, Principem *Num.* 4. poſſe taxare triticum minori pretio infimo. Probatur, quia taxatio fit propter bonum, & populi neceſſitatem ſubleuandam. Ergo ſi id poſcat, fas erit deſignare pretium minus infimo naturali; imò propter extremam neceſſitatem alicuius, licitum erit ad id cogere venditorem diuitem: ergo propter communem populi neceſſitatem, in qua multæ grauiſſimæ, vel etiam extremæ includuntur, licita erit illa taxatio.

SECVNDO probatur, quia commune bonum præferendum eſt priuato: ſed ex tali taxatione ſolùm ſequitur incommodũ priuati, & commune bonum promouetur; ergo eſt iuſta. Tertiò, quia ita praxi ſeruari videmus in frumento: ſemper enim pretium minus infimo naturali taxari pro frumento ſolet.

ITA tenent Bart. *l.* 1. §. *cura carnis. n.* 1. *ff. de officio præfecti vrbis.* Panor. *c.* 1. *de emptione, & venditione. n.* 6. Romanus, Tiraq. & Alex. quos citat, & ſequitur Couar. 2. *Var. c.* 3. *n.* 5. Graſis

Digitized by Google

1.*part.decisio.lib.*2.*c.*57.*n.*12.*& c.* 113. *n.*1. Castro 1.*de lege pœn.c.*12.*ad finem.* Læsius 2.*iustitiæ c.*21.*n.*14. Reb. 5. Palacios 2.*de contractib. c.* 2.

Num.5. Dico tertiò, etiam quando pretium lege taxatum est minus infimo naturali, si venditor legem violet, tenetur excessum restituere. Est de mente eorumdem auctorum; & probatur, quia ille peccat contra iustitiam commutatiuam : violatio autem iustitiæ commutatiuæ obligat ad restitutionem; item illum excessum capit, domino rationabiliter inuito. Ergo tenetur restituere. Item vt Princeps potest facere alias leges irritatorias, cur non poterit irritare venditionē quoad talem excessum; maximè cùm irritet excessum intra limites pretij naturalis? si autem excessus est irritus, venditor tenetur illum restituere. Denique lex naturæ quoties definit pretium, irritat excessum : ergo & lex positiua, maximè cùm explicat se velle obligare cum onere restituendi, sicut explicat ista.

Num. 6. Dico quartò: Princeps potest simpliciter obligare diuites ad vendendum pretio taxato, cùm id fuerit necessarium communi bono. Ita Couar.*illo n.* 5. *& c.* 14. *n.* 3. Grasis *illo c.* 113. *n.* 8. 9. *&* 12. Morla *in Emporio, part.*1.*tit.*9.*q.*1.*n.*4. *&* 5. Vega *verb.emptio. casu* 50. Molina *tomo* 2. *de Iustit. disp.* 341. qui afferunt alios auctores & iura; & patet *l.*1.*tit.* 25. *lib.* 5. *noua collectionis, & l.* 20. *&* 21.*tit.* 11.

Num.7. Dico quintò: interdum etiam possunt Principes cogere diuites, vt gratis triticum dent pauperibus. Reb.*illa sect.*1.*n.*5. Caiet. 2. 2. *q.* 118. *art.* 4. Couar. *illo c.* 14. *n.* 5. Mexia *in pragmat. frumenti.* Nauarr.*c.* 23.*n.*13. Sotus *c.* 4.*de liberal. in causa pauperum, ratione* 2. post Angelum, Sylvest. Par. & Felinum. Vega *in illo casu* 150. Ratio est, quia possunt imperare quæ pertinent ad bonum commune. Vide D. Thomam 2. 2. *q.* 118.*art.*4.

DVBIVM VII.

An tempore magnæ sterilitatis pragmatica frumenti seruanda sit.

SVMMARIVM.

1. 2 *Pars negatiua suadetur duplici ratione.*
3 *In magna sterilitate taxa non cessat. Probatur n.*4. *&* 5.
6 *Ad argumenta contraria respondetur.*

PAR 5 negatiua dupliciter asseri posset. Primò, asserendo taxam tunc cessare, quia iniusta esset. Secundò, quia Princeps tacitè eam reuocaret, vel suspenderet. Priori modo hanc sententiam tenuit Nauarr.*in Summa Hispanica, c.*23.*n.* 86. & Mexia *loco citato lib. precedenti.* Angles 2.*part.*4. *tit. de emptione, dub.* 2. probans, quia si esset magna abundantia, deberet venditor descendere à pretio taxato per legem. Ergo si esset magna penuria, deberet emptor supra tale pretium ascendere, alioqui lex esset iniqua, quia magis faueret venditori, quàm emptori. Idē tenet Molina *disp.* 364. quando tanta esset sterilitas, vt infimum pretium naturale maius esset legi Num.1.

Digitized by Google

legitimo.

Num. 2. POSTERIORI autem modo eandem sententiam tenet Nauarr. *in Summa Latina.c.23.n.88.* dicens: *superueniente magna necessitate tollitur omnino taxa.* Quem sequitur Rebel. *de oblig.part.2.lib.9.q.2.sect.3.n.14.* dicēs, non aliud debere præsumi de mente Principis; & valde probabile esse taxam notabiliter ab infimo pretio naturali deficientem fore iniustam, & vel non obligare sub peccato, vel solùm obligare sub peccato contra obediētiam, misericordiam, & charitatem, non contra iustitiam commutatiuam; & ideo non obligare ad restitutionem.

Num. 3. ABSOLVTE tamen tenendum est, in magna sterilitate taxam non cessare, vt tenet Cordoua *in Summa, q.78.* P. Nauarr. *3. de restitut.c.2.n.2.* Albornez *2.de contractib. tit.16.* Ledesma *2.part.Summæ, tract. 8. c.32.difficultate 19.de taxa.* vbi ait, taxam tempore sterilitatis obligare sine dubio, vt tenent Bannez, Orellana, Bart. Medina, & cæteri Thomistæ, & Doctores; & opinionem contrariam censent nullam habere probabilitatem, nec esse tutam in conscientia, maximè cùm ipse Molina doceat, in dubio standum pro lege: hîc autem saltem sit dubium, an lex sit iusta, & duret.

Num. 4. NOSTRAM sententiam tenet Emanuel *verb.venditio.c.69. concluſ.1.* citans Matienzum, & Palacium; nec obstat quòd dicit *concluſ.4.* tempore famis non obligare: loquitur enim quando venditor extremam, vel grauissimam, ac ferè extremam necessitatem patitur: nam sicut posset tunc furari, id est, alienum inuito domino accipere; ita taxam excedere: neque est impossibile, vt ei obiicit Ledesma 7. triticum habere, & talem necessitatem pati. Patet: nam ad diuturnam vitæ conseruationem pretio taxam excedente indigere poterit.

IAM probatur nostra sententia, primò, quia lex taxans triticum cœpit annis maximæ sterilitatis, vt narrat Castro *1.de leg.pœn.c.12.* & nunc præcipuè pro illis fit, quia pro abūdantibus non est necessaria.

SECVNDO, lex præcipit, vt Magistratus cogant omnes, etiam Ecclesiasticos, cuiuscunque status, conditionis, & dignitatis fuerint, vendere frumentum quod illis supereſt. Hæc autem coactio esset illicita nisi in magna necessitate. Ergo lex loquitur de tempore magnæ necessitatis, quod multa alia in ea contenta indicant. Nefas autem est dicere legē esse iniustam, cùm sit maximè necessaria bono communi, & cum consilio Regij Senatus, & Comitiorum facta. Ergo seruanda est etiam tempore magnæ sterilitatis. Quod etiā tenet Castro 7. Mercado; *.de contractibus.c.6.* Lucius *in Sum.resolut.1.nota 12.* Ioan. Medina *de restitut.q.31. §. prædictos tamen. & q.36.ad 2.in fine.* qui malè à Moli. & Ledesma pro contraria opinione citatur: non enim existimat aduentu sterilitatis iniustam reddi taxam; sed ita posse variari circunstantias, vt esset iniusta: quod esset quando iam non expediret bono communi, eo quòd computatis expēsis, & laboribus plurium annorum, vnus annus alio nō cōpēsaretur, ita vt agricolæ omnibus rebus computatis moderatum lucrum haberent, vt si nunc rediret antiqua taxa nouem argenteorum pro faneca tritici.

AD

Digitized by Google

Num. 6. Ad argumentum Angles respondeo, bono communi expedire, vt magis faueatur emptoribus, quã vẽditorib⁹, qui pauciores sũt, & minùs egẽt. Ex iis patet, decipi Vegam *verb. trigo. casu* 1. asserẽtem tempore famis Regni, vel prouinciæ taxam non obligare, secus tempore penuriæ tritici: nam tempore famis magis est necessaria: ergo magis obligat.

DVBIVM VII.

An tam indigenæ quàm exteri pragmaticam frumentariam seruare teneantur.

SVMMARIVM.

1. 2 *Pars negatiua suadetur duplici ratione.*
3 *In magna sterilitate taxa non cessat. Probatur n. 4. & 5.*
6 *Ad argumenta contraria respondetur.*

Num. 1. DIco primò: indigenæ extra hæc Regna nõ tenentur hac lege, quia leges horum Regnorum extra illa non ligant, & quia hæc lex dicit, *en todos estos Regnos*, vt patet *l. 1. tit. 25. lib. 5. nouæ collect.* vbi id notat Azeuedò *n. 1.* cum Mex. *conclus. 5. n. 21. & sequentibus.*

Num. 2. Dico secundò: qui aliundè per mare triticum asportant in his Regnis vendendum, non tenentur hac lege, quia id expressè in eadem dicitur, & exceptio est iusta, vt inquit Rebel. *de oblig. part. 2. lib. 1. q. 2. sect. 9. in fin.* contra aliquos, qui temerè dubitarũt: & rationem reddit ipsa lex, quia bono communi expedit, vt triticum aliunde veniat per mare; non autem veniret, si vẽtores taxa comprehenderet. Idem tenet Ledes. 2. *part. Summæ, tract. 8. c. 32. difficultate 11. de taxa.* & Molina *disp. 364.* Salon 2. 2. *q. 77. art. 1. controuers. 13.*

Num. 3. Sed quid de aliis, qui per terram aliunde triticum asportant? Salon *ibi* affirmat taxa non teneri, quia eadem est ratio de illis quæ de vehentibus per mare. Ergo eadem debet esse iuris dispositio, & ad eos extendenda est exceptio legis. Sed cõtrà est, quia exceptiones, & priuilegia odiosa sunt, & strictè interpretanda; præterea, quia non est eadem ratio: nam vehentes per terram, iuribus itineris fruuntur, & ad portandum alliciũtur; vehentes autem per mare, sola alliciuntur exceptione à taxa.

Num. 4. Sed quæres, an indigenæ, si per mare asportent, eximantur à taxa? Molina, Ledesma, & alij meritò affirmant, quia lex absolutè excipit per mare triticũ afferẽtes; & eadẽ est ratio quoad triticũ asportatũ. Sed exteri qui triticum non attulerunt, taxam non excedere tenentur, vt dicunt Molina s. & Ledes. *difficultate 13.* secus in Lusitania, vt refert Molina.

DVBIVM IX.

An pragmatica frumẽti Clericos & Religiosos adstringat.

SVMMARIVM.

1. *Pragmatica frumenti Clericos & Religiosos adstringit.*
2. *Non possunt cogi Clerici & Religiosi per*

Digitized by Google

per potestates seculares, nisi ob instans periculum.

3 *Ecclesiastici tenentur sub mortali, & cum onere restituendi, non vendere frumentum maiori pretio quàm sit lege taxatum.*

4 *Licèt gratis concedatur non posse leges ciuiles directè Clericos obligare, obligarent indirectè.*

5 *Clerici violantes taxam peccant mortaliter contra legem ciuilem, nō naturæ.*

6 *Clerici huius legis transgressores puniendi non sunt à Magistratu seculari.*

Num. 1. DIco primò, ipsos adstringere, ita vt cogi possint triticum vendere, vt dixi *dubio* 4. Ita tenet Morla in *Emporio, p.* 1. *tit.* 9. *q.* 1. *n.* 6. vbi ait, id etiam verum esse, etiamsi triticum collectum sit ex decimis; & ad id posse compelli per potestates seculares. Quod probat Mexia *in pragmatica panis. concluſ.* 1. Plura Panormit. Iason *l. placet. lect.* 1. *n.* 14. & 17. *C. de sacroſ. Eccleſ.* quia est iuri canonico cōsentaneum, vt qui fruitur cōmuni populi vtilitate, communi damno subiiciatur. *c. qui sentit. de regul. iuris in* 6. *c.* 1. *de empt. & vend.* Facit etiam quòd Ecclesia tenetur nauē suam offerre ad publicam vtilitatem. *l. inuenimus.* 10. *C. de sacroſ. Eccleſ.* Et ita in pragmatica ipsa præcipitur Iudicibus secularibus, vt cogant Ecclesias, Ecclesiasticos, & Religiosos vendere triticum quod illis supereſt, ad occurrendum communi damno. *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *nouæ coll.*

Num. 2. ADDIT tamen Morla, *Securius tamē erit quòd nō cogatur Clericus ad predictā vēditionē per potestates seculares, exc.* 2. *c. ai si leri. c. de iudiciis. c. non minus. c. aduersus, de immunitate Eccleſ. c. quanquam de censibus in* 6. *c.* 2. *de rebus Eccleſ. Bulla Ioan. de Salas.*

cuna. c. 12. *Sed recurrendum erit ad Ecclesiasticū Iudicē, nisi fames, & necessitas vrgeant, & periculum sit in mora, in quo casu Iudex laicus poterit frumētum sequestrare, & à Clericis extrahere, & vendere, non vi iurisdictionis, sed ob instans periculum de facto iuris auctoritate. l.* 1. *ff. de dāno infecto. l. ait Prætor. §. si debitorē. ff. quæ in fraudē cred. l. si quis.* 7. *ff. de furtis.* Sarm. 7. *select. c.* 13. Hæc Morla. Cæterùm nō oportet in hac parte recurrere ad Iudices Ecclesiasticos, quia lex iussa Regia potestatē dat ad hūc actū Iudicibus secularibus, & illi efficaciùs illum exercebūt, & Clerici tenētur directè in ciuilibus potestatibus secularibus obedire.

Num. 3. ¶ DIco secūdò Ecclesiastici & Religiosi tenentur in cōscientia, & sub peccato mortali ex genere suo, & cum onere restituendi non vendere frumentum maiori pretio quàm sit lege taxatum: nā expressè illis etiam præcipitur *illa l.* 1. *n.* 25. *lib.* 5. *nouæ coll.* quæ si esset iniusta, nō permitteretur à Pontifice, & populo Christiano. Iustam autem esse probatur, quia etiam Clerici sint exempti à iurisdictione seculari quoad negotia Ecclesiastica, & quoad forum, & tributa. *c. decernimus. de iudiciis. c. si indigenti, de foro competenti. c. bene quidem.* 96. *dist. c. Sancta Maria, de constitut. & aliis iuribus.* tamē quia sūt partes Reip. & vasalli Regū, quos proinde ipsi tenentur custodire, & defendere Regiis, & ciuilibus legibus, non derogantibus dignitati, & immunitati Ecclesiasticæ, directè subiecti sunt, vt docent Victoria *relect.* 1. *de potestate Eccleſiæ. q. vlt. n.* 3. Sotus 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 4. Reb. *de oblig. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *sect.* 2. *n.* 9. Post Bart. Felinum, Panor. & alios idem tenet Salcedo super Ber-

C nar.

nar. Diaz *c.* 55. Rebuf. 1. *t. constitution. Gallie, tit. de constitut. in proœmio.* Glos. 1. *n.* 55. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controuers.* 10. Bannez *eodem art. post dubium* 2. Palacios 2. *de contractibus. c.* 2. Morla alios referens in *Emporio, part.* 1. *q.* 6. *n.* 7.

Num.4. Et licèt gratis daretur leges ciuiles nõ posse directè obligare Clericos, tamen taxantes pretia obligarẽt illos indirectè, quia iure naturali tenẽtur iustum pretium seruare: tale autem est quod lege taxatur. Ergo. Veritas tamen est directè obligari legibus, vt diximus, & præter citatos tenet Syluester *verb. lex. q.* 15. Angelus §. 5. Petrus Ledesma 2. *part. Summa, tract.* 8. *c.* 32. *difficultate* 4. *de taxa*, dicens, esse omnium discipulorũ D. Thom. Mol. *de Iustitia, tractatu* 2. *disp.* 51. *conclus. vlt. & disp.* 364. Sotus 1. *Iustitia. q.* 6. *art.* 7. *conclus.* 1. Gried. *de libertate Christiana. c.* 8. *proposit.* 5. Grafius *to n.* 1. *lib.* 2. *c.* 57. *n.* 13. & 14. *& c.* 113. *n.* 10. Matienzo, Azeuedo ex Mexia *in p'agmatica frumenti.* Vega *verb. trigo. c.* 1. de qua re latè egimus *tractatu de legibus.*

Rex verò, licèt indirectè teneatur ad legem quãdiu durat, quia tenetur seruare iustũ pretium, non tamen directè, quia nõ potest directè obligare se suis legibus, vt *eodem tractatu* diximus.

Num.5. Vnde falsò aliqui dixerunt, Clericos violantes taxam peccare mortaliter, non vt faciunt contra legem ciuilem, sed vt faciunt contra legem naturæ de seruando iusto pretio. Ita loquuntur Petr. Nauarr. *c.* 23. *n.* 88. Emanuel 2. *parte Summæ. c.* 79. *conlus.* 5. Castro 1. *de lege pœnali. c.* 12. Ioannes Med. *de restitut. q.* 36. *column.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 12. *q.* 4.

Num.6. Admonent tamen citati, Clericos huius legis transgressores non posse puniri à Magistratu seculari; seuerè tamen puniendos ab Ecclesiastico, addit Salcedo 5. *n.* 20. pluribus id confirmans.

DVBIVM X.

An sit peccatum nolle vendere triticum nisi ematur alia res, putà hordeum, vel oleum.

SVMMARIVM.

1 *Si maiori pretio vendatur illa alia res quàm sit digna, est peccatum iniustitia cum onere restituendi.*

2 *Idem est si cogar sumere rem mihi inutilem propter triticum quo indigeo, & etiam si res sit vtilis, vel necessaria, erit iniustitia.*

Num.1. Respondeo, si illa alia res maiori pretio vẽdatur quã sit digna, peccatũ est iniustitiæ cum onere restituendi. Medina *de restitutione. q.* 36. Nauarr. *c.* 23. *n.* 88. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controuersia* 11. *in fine.* Petrus Ledesma *p.* 2. *Summa, tractatu* 8. *c.* 32. *difficultate* 10. *de taxa.* Azeuedo *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *noua collect.* & res est clara.

Num.2. Idem est si propter necessitatem tritici quã emptor habet, cogatur sumere rem sibi inutilem, vel non ita necessariam, & venditor tenebitur restituere quanti æstimabitur hoc grauamen, vt ait Reb. Addunt Salõ, & P. Ledesma cum Med. & Nauarr. 5. etiamsi ille nolit vendere triticum nisi simul vendendo aliam rem iusto pretio, & vtilem, vel necessariam emptori, committere iniustitiã, quia illa

Digitized by Google

illa obligatio est pretio æstimabilis; & verum est, nisi illi æquè expediès esset emere ab isto quā ab alio: secus si minùs illi expediret, vel quia ab alio minoris emeret, vel quia ab alio emendo gratiam eius sibi magis vtilem compararet.

DVBIVM XI.

An semper liceat pro frumento pretium lege taxatum exigere.

SVMMARIVM.

1 *Non licet pro frumento pretium lege taxatum exigere, quando suum pretium naturale non attingit pretium taxatum.*

2 *Nec quando triticum est vitiosum, vel corruptum, corrosum, &c.*

Num. 1. RESPONDEO, in aliquibus casibus illud non licere. Primus est, quando suum pretium naturale non attingeret pretium taxatum à lege: tunc enim nec creditò posset frumentum pretio legis vendi. Reb. *de oblig. p. 2. lib. 9. q. 2. sect. 3.* Cordub. *in Sūma q. 84.* Medina 1. *Summa. c. 4. §. 25.* Palacios 2. *de contractibus. c. 2.* Lopez 2. *p. Instructorij conscientia. c. 43.* aliàs 216. citans Garsiam. Salon 2. 2. *q. 77. art. 1. controuersia 11.* contra Mercadium 3. *de contractibus. c. 7.* Aragon *eodem art.* Emanuel 2. *p. Summa. c. 79. n. 8.* P. Ledesma *loco citato, dubio precedenti, difficultate 16. & 23. de taxa*, rē existimās certam. Angles *q. de empt. dub. 2.* indicat Nauarr. *c. 23. n. 88.*

RATIO est, quia taxa facta est in bonō mentium: esset autē in damnum si tunc ab eis exigi posset pretium lege taxatum. Item, quia lex solùm præcipit, vt pretium illud non excedatur. Ergo liberum relinquit vt aliquando minus pretium exigatur: imò id erit necessarium quando ratio postulauerit propter abundantiam frumenti.

SECVNDVS casus est, quādo triticum est vitiosum, & corruptum, à vermibus corrosum, inutile, vel immūdum valde, & plenum paleis: tunc enim est mortale ex genere cū onere restituendi exigere pretium taxatum à lege; & tanto vilius vendi debet, quanto magis fuerit vitiosū, aut mixtum. Reb. *illa sect. 3.* Ledesma 3. *concluf. 7. difficultate 1.* quia frumentum taxatur sanum, integrum & incorruptum, mundum, & purum puritate ordinaria, vt potest, & solet colligi ex area. Sic census non securi vendi debent minori pretio quàm sit lege taxatum, vt ait Ledesma, & cum aliis dicam *tract. de censu.* Num. 2.

DVBIVM XII.

An licitum sit tritico mundo, & sincero miscere aliqua mala, inutilia, vel inferiora, & pretio taxato vendere.

SVMMARIVM.

1 *Qui putent triticum ex industria mixtum posse vendi pretio per legem taxato.*

2 *Probabilior sententia, nō esse licitū eiusmodi triticum vēdere eodem pretio quo vendi potest triticum sic veniens ex area.*

Digitized by Google

3 *Si res non habet pretium lege taxatum, potest vendi eodem pretio quo res sic veniens ex area, modò emens cognoscat defectum.*

4 *Si emptor non cognoscit defectum, peccat venditor.*

5 *Responsio ad argumenta contraria.*

6 *Contractus autem de quo disputatur est validus.*

7 *Res ex industria mixta potest commutari pro re sic veniente ex area, modò is qui commutat, moneatur ne vendat illam eodem pretio quo res sic veniens ex area.*

8 *Vinum vetus novo permixtum non licet vendere pretio taxæ.*

9 *Nec triticum quod quis posuerit in loco humido, vt turgeat, & plures impleat mensuras.*

10 *Nec aliquid vltra taxam exigere pro aritico, licèt sit notabiliter melius, quàm communiter vendi consuevit.*

Num. 1. LVDOVICVS Lopez *in Instructorio conscientiæ, part. 2. c. 42. aliàs 192. in fin.* contendit, triticũ ex industria sic mistũ posse vendi pretio per legem taxato, quia potest vendi eodem pretio, quo triticũ ea mistione adductũ ex area, cùm sint æqualis bonitatis: sed triticum adductum ex area potest vendi pretio taxæ. Ergo & illud. Confirmatur primò, quia siquis triticum quod impurum venit ex area, sæpe cribraret & repurgaret, posset pluris illud vendere, quàm si non esset ita repurgatum. Ergo & triticũ quod ita purum venit ex area. Ergo similiter quod mistum est ex industria, eodem pretio vendi potest quo veniens ex area.

CONFIRMATVR secũdò, quia cui rem suã non possit quis ad eũ statum reducere in quo sunt res aliorum, & tunc eam vendere eodem pretio quo alij? Quo argumẽto hanc sentẽtiam tenet Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 11. n. 83.* addens, si vino valde præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua, posse vendi eodem pretio quo aliud vinum non deterius, nec melius, & hoc siue vinum vtrumque habeat pretium lege taxatum, siue non.

Num. 2. SED quando res habent pretium à Repub. taxatum, nõ posse sine peccato mortali eum qui eam ex industria miscet, vendere eodem pretio quo res sic veniens ex area, probabilius cẽseo cũ Medina 1. *Sum.* §. 14. P. Ledesma 2. *part. Sum. tract.* 8. *c.* 32. *post 7. conclus. difficultate* 2. Emanuele 2. *part. c.* 79. *n.* 10. Rebel. *de oblig. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *sect.* 3. *in proœmio. & q.* 8. *n.* 17. *q.* 9. *n.* 3. *q.* 10. *n.* 10. Mol. *disp.* 256. *in fine.* indicat Nauarr. *c.* 23. *n.* 88. Intelligitur etiamsi defectus notus sit emptori.

RATIO est, quia lex taxat triticum quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta. Ergo si mistũ est ex industria, minori pretio debet vẽdi quàm sit lege taxatum, præsertim, vt ait Emanuel, si post venditionem misceatur: nã tale tenetur venditor tradere quale erat tẽpore vẽditionis. Et sanè si tales mistiones nihil mali continent, falsum erit quod subiungit Læsius: *crediderim tamen talem posse puniri tanquam species l. vendendarum adulteratorem, & emptorum deceptorem; tales enim mistiones sunt in Repub. valde odiosæ, & auctores infames.* hæc ille.

Num 3. SI tamen res non habent pretium taxatum à Repub. probabile est eodem pretio vendi posse quo aliæ non meliores sic adductæ ex area, modò

modò emptor defectū nouerit, quia res æquè bonæ in eodē loco & tempore æquale pretiū naturale habent; nontamen quæ pretiū lege taxatum continent, quia lex potest facere res non æquè bonas, æquales in pretio, & æquè bonas, inæquales, quādo expedit communi bono. Sic & in locatione equus siue bonus, siue malus, æquale pretium habet lege taxatum in fauorem locantium, & conducentium.

Num. 4. SI autem emptor defectum ignorat, venditor peccat dans ei pro parte tritici aliam substantiam deteriorem. de quo dicam latiùs j. agendo de vitiis mercis manifestandis.

Num. 5. EX quibus patet ad argumentum cum secunda confirmatione. Ad primam confirmationem verò respondeo, triticum industria repurgatum posse vendi maiori pretio quàm sit lege taxatum, quia illa industria melius fit, nō verò aliud æqualiter purū, quod sic venit ex area. Sic etiā quòd industria factum est deterius, non potest vendi eodem pretio, quo id quod sic venit ex area.

Num. 6. SED nota primò, Emanuelem asserere, contractum de quo est disputatio, esse validum; Medinam verò inualidum. Prior opinio est vera de valore quoad substantiam: secunda de valore quoad excessum pretij.

Num. 7. SECVNDO nota, Ledesmam asserere, triticum mistum ex industria posse pro aliter misto commutari, eo quòd sit eiusdem bonitatis quoad omnes humanos vsus propter venditionem, de quo admoneri debet is cum quo aliquis commutat, ne ille eodem pretio vendat, quo venderet id quod à sua natiuitate impurū est. Sed cōtrà, quia nihil potest cōmutari pro re maioris pretij; triticum autē ex sua natiuitate mistum est maioris pretij. Ergo. Confirmatur, quia res quæ maiori pretio vendi potest, est maioris valoris: ergo est inæqualitas & iniustitia si commutetur pro re minoris pretij.

TERTIO nota, non licere vinum vetus vēdere pretio taxæ cui cōmistum est vinum nouum, quando diuersa pretia taxata habent, secus quando idem pretium. *Num. 8.*

QVARTO nota, bene Lopez, Emanuel. *n.* 11. Ledes. *difficultate* 17. asserere, siquis ex industria ponat triticum in loco humido, vt turgeat, & plures impleat mensuras, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri, quia facilius corrumpitur, & minùs sanū est, & minùs datur emptori, quod cernitur cum absumpta humiditate cōtrahitur. Imò etiā si id non fieret ex industria venditoris, deberet minori pretio vendi, & emptor moneri; ne si fortè seruare illud vellet, corrumpatur. *Num. 9.*

QVINTO nota, non posse pro tritico aliquid vltra taxam exigi, quamuis sit notabiliter melius, quàm quod communiter vendi cōsueuit, quidquid dicat Mol. *disput.* 364. §. *posito.* & similiter non posse emptorem in pretio descendere eo quòd triticum sit deterius quàm communiter vendi consueuit, modò sit sanum & integrum. & id valeret sine taxatione, quidquid dicat Mol. *ibidē.* Probo, quia taxa potest, & vult propter commune bonum rebus valde inæqualibus idem pretium imponere; & oppositum est patentissimum ostium aperire in cōmune damnum violationi legis: multi enim dicerent suum trici- *Num. 10.*

Digitized by Google

cũ esse notabiliter melius alio quod communiter vendi consueuit.

DVBIVM XIII.

An sub hasta liceat triticum vltra taxam vendere.

SVMMARIVM.

1. *Non licet sub hasta triticum vltra taxam vendere.*

RESPONDEO, minimè, vt cõtra Garsiã docẽt Emanuel 2.*p. Sũma.c.*79.*cõclus.* 24.*in fin.* Ledes.*s. difficultate* 18. Lopez *Instructorij negotiantium c.* 30. quia lex omnino prohibet venditionẽ vltra taxam, & alioqui omnes velent sub hasta vendere, vt tale lucrum haberent, quod tamen nõ est in vsu, & taxationem inutilem redderent.

DVBIVM XIV.

An agricola, vel alius cui mensura frumenti constat maiori pretio quàm sit lege taxatum, possit eodem pretio illam vendere.

SVMMARIVM.

1 *Non potest agricola (etiamsi amittat aliquid in contractu) vendere triticum vltra taxam.*

Num. 1. EXIA *in pragmatica frument. cõclus.* 4. *n.* 29. affirmat: sed pars negatiua tenenda est, quia lex commune bonum attendit, & communiter accidentia, nec semper agricolæ, & mercatores lucrari debent, sed interdum etiam perdere propter suam ignorãtiam, vel infelicitatem. Soto 6.*Iustit.q.*2.*art.* 3. Ledesma *s. difficultate* 14. *de taxa.* Emanuel *illo c.*79.*n.* 5. Cordubẽsis *in Summa.q.*84. Palacios 2.*de contractibus.c.*2. Gutierrez 2.*practic.q.* 180.*n.* 3. Vega *verb.trigo. casu* 1. Mercado, Grasis, & alij communiter.

DVBIVM XV.

An vendere liceat triticum in farina, vel pane cocto carius quàm in grano taxatum sit.

SVMMARIVM.

1 *Licet carius vendere farinam, quantus valent sumptus molitionis, & non pluris.*

2 *Idem intelligendum est de pane cocto.*

3 *Si pretium panis cocti non sit taxatum à Magistratibus, arbitrio boni viri metiendum erit, aut vsu fori.*

4 *Hoc pretium à Magistratu ponendum est.*

5 *Non possunt personæ quibus interdicta est hac negotiatio, inire societatem cum panificis.*

6 *Nec aliquis potest vendere illis triticum sub cõditione accipiẽdi aliquid lucri vltra taxam.*

7 *Vnusquisque cui non interdicta est huiusmodi negotiatio, post vendere panem cocti pretio taxato, licèt à Magistratibus non sit constitutus ad coquendum.*

8 *Peccãt mortaliter persona lege prohibita, si pa*

Digitized by Google

si panem coquant, vt vendant cum lucro.

9 *Possunt Clerici vendere panes, qui in Ecclesia illis offeruntur.*

Num. 1. RESPONDEO, licere cariùs vendere farinam, quanti valent sumptus molitionis, & expensæ factæ in molis frumentariis, & non amplius. Vnde lex prima *tit. 25. lib. 5. collect.* concessit pro farina posse tritici pretium exigi triginta maraued ines, & nihil amplius.

Num. 2. EADEMQVE lex statuit pro pane cocto non posse plus exigi quàm in grano, nisi id quod valent labores ac sumptus in molitione, & decoctione suscepti, & facti: & quamuis id lex non exprimeret, taxa tritici sic ad farinam, & panem coctum extendenda est, siue per panificos, siue quouis alio modo panis fiat, alioqui lex taxæ frustratoria & inutilis redderetur, & in fraudem legis triticum in farina, & cocto pane venderetur, & venditor maius pretium posset exigere: in fraudem enim legis facit qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit *l. 7. ff. de legibus.* Ita Reb. *de oblig. parte 2. lib. 9. cõclus. 2. n. 9. in fine.* cum Alciato, Marãta, Mexia *in pragmatica frumẽti. conclus. 4. n. 25.* Idẽ tenet Salon 2. 2. *q. 77. art. 1. controuer. 14. &* 15. citans iura, & Doctores. Azeuedo *illa lege 1 nouæ collect. num. 15. 16. &* 17. Emanuel 2. *parte Summæ. c. 79. num. 2.* Mol. *tit. 2. de Iust. disput. 364.* Ledes. 2. *parte Summæ, tract. 8. c. 32. diff. 6. &* 25. *de taxa.* & alij.

Num. 3. QVOD non ita intelligas, vt taxato tritico taxatum maneat lucrum panifici, quod pro suo labore, & expensis referre debet: sed quia præter pretium tritici, & laborum ac expẽsarum nihil exigere potest; quod si non taxauerint Magistratus, arbitrio boni viri, aut vsu fori metiendum erit, & nõ cõsistit in indiuisibili. Vnde immeritò Mexia s. *concl. 6. n. 11.* cẽset, quintam partem pretij panis cocti, laboris & industriæ panifici respondere debere.

RECTE autem Azeuedo s. *n. 18.* Num. 4. ex lege illa docente, vendenti panẽ coctum, lucrum moderatum concedendum esse, colligit, taxandum esse à Magistratu, vt quotidiè fit, & asserit Ripa *lib. de peste, tit. de remediis præseruantibus. n. 395. & seqq.* Ait etiã Azeuedo huius lucri cupiditate oẽs etiam Ecclesiasticos, & nobiles panificos esse cœpisse per se, vel per interpositas personas, adeò vt nullũ ferè triticum in grano venderetur. Ideo legibus latis anno 1568. 1571. & 1591. statutũ est, vt personæ quæ panificorum officium non haberent, & quas eiusmodi negotiatio dedeceret, panem coctum vendere non possent per se, nec per alias, vt videre licet *lege 4. 5. & 7. tit. 25. lib. 5. nouæ collect.*

Num. 5. EX dictis sequitur primò, nõ posse personas, quibus hæc negotiatio est prohibita, inire contractũ societatis cum panificis dando eis triticũ, vt in lucro participent.

Num. 6. SECVNDO, neminẽ posse vendere illis triticum sub conditione accipiendi aliquid lucri vltra pretium lege taxatum, quia hoc est in venditione taxam excedere. Mol. s. Petr. Ledes. *difficultate 7. de taxa.* Vega *verb. trigo. casu 5.*

Num. 7. TERTIO, personas non cõstitutas à Repub. ad coquendum, & vendendum

Digitized by Google

dum panem, modò nō sint talis qualitatis, vt eis negotiatio hæc sit indecens, posse coquere, & vendere panem coctum cum moderato lucro à Magistratibus taxato: vel si illi non taxauerint, prudentium arbitrio, & vsu fori cōstituto. Mol. 3. Palacios 2. *de cōtractib. c.* 2. Ledes. *difficultate* 16. & 30. *de taxa.* Emanuel 3. *n.* 16. & *vlt.* Azeuedo *illo num.* 18. Lopez 1. *Instructiry negotiantium. c.* 15. Gutierrez 2. *practicarum. q.* 181. & 182. Vega *verb. trigo. casu* 5. Probatur; quia lex aliis personis id non prohibet: imò *lege* 7. *citata* refertur anno 1590. permissum fuisse omnibus colligentibus triticum ex agris quos colerent, posse cum hoc lucro panem coctum vendere, quod illa lege reuocatur.

Num. 8. QVARTO, personas lege prohibutas, si panem coquant, vt cum lucro vendant, peccare mortaliter ex genere, quia materia est grauis, non tamen teneri ad restitutionem, si pretio iusto vendant, quia lex non irritat contractum quoad tale lucrum. Ita Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controu.* 15. Vega *verb. trigo. casu.* 5. Ledes. & Emanuel. Vnde colligūt tres postremi Clericos, nobiles, ac diuites vendentes sic panem coctum peccare mortaliter, quia sunt lege prohibiti.

Num. 9. POSSVNT tamen Clerici vendere panes coctos qui in Ecclesia illis offeruntur: non enim tenētur eos donare, vel in domo propria consumere: sōlúmque illis est prohibitum coquere ad vendēdum. Ita Ledesma, Vega, & Emanuel. Sed inter eos est dissidium; nam Emanuel, & Vega dicunt, diuites, & nobiles posse panifico pauperi dare aliquas fanecas tritici in panē conuertendas, ea lege vt inde habeat quod eius labor meretur: reliquum verò lucrum dantibus cedat, modò ad id magis charitas, quàm lucri cupiditas eos moueat, & modò fanecæ sint paucæ. Sed meritò eos reiicit Ledesma *difficulta.* 28. & dicit primò: nemo potest tritícū creditò, vel numerata pecunia vendere, exigendo aliquid vltra taxam, quia est contra legem, nec mutuò dare sub eadem conditione, quia est vsura. Secundò dicit: si nobilis, vel Clericus, aliúsue à lege prohibitus venderet panem coctum, & faceret contractum superiùs dictum, peccaret mortaliter: sed nō teneretur lucrum restituere, vt communiter docent Thomistæ. Prima pars probatur, quia sub specie charitatis violaret legem in re grauí: nam lex prohibet iis per se, vel per alios huiusmodi lucrum quærere, nec sunt faciēda mala, vt inde veniant bona. Secunda pars probatur; quia ille seruat iustū pretium, & non est inhabilis per legem ad sic contrahendum, & lucrandū: ergo nō tenetur lucrum restituere. Tertiò: dicit si nō est de prohibitis, potest sic contrahere siue in paucis, siue in multis fanecis. Adde quartò cum Azeuedo 3. *n.* 32. charitatis, & non lucri gratiā quemlibet posse panem ad vendendum conficere, nempe nullum lucrum reportando.

DVBIVM XVI.

An qui emit triticum pretio taxam excedente, possit illud eodem pretio reuendere.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Qui emit triticum pretio taxam excedente, non potest illud eodem pretio revendere.*

2 *Cùm quis triticum vltra taxam emit soluendo traiectori iura traiectionis, non potest illud alteri vltra taxam vendere, exigendo eadem traiectionis iura.*

3 *Nec quando quis ex horreo publico triticum emit maiori pretio propter expensas iustè diuisas inter ciues.*

4. 5 *Impugnantur contrarium asserentes.*

Num. 1. VIDAM Iurisperiti, & Mexia *in pragmatica frument.* partem affirmatiuam tenuerũt: sed negatiua tenenda est cum Emanuele 2. *parte Sum. c.* 79. *n.* 5. Ledesma *tractat.* 8. *c.* 32. *difficultate* 15. *de taxa.* Vega *verbo trigo. casu* 1. Salõ 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *cõtrouersia* 9. *&* 11. Probatur, quia iniquitas prioris vẽditoris facultatẽ non tribuit secundo ad similem iniquitatem. Et in hoc cõuenire omnes Theologos, & Iurisperitos docet Salon *ibi.*

ADDVNT Emanuel, Vega, & Ledes. eum qui emit pretio taxam excedente, posse alteri vẽdẽti medietatem eodem pretio illam dare, quia hoc non est alteri vendere: sed participem emptionis illum volentem facere: sed hoc verum non esse nisi recissa in ea parte, vẽditione, tertius pro illa parte cum priori venditore contraheret, vel ad eandem partem pro se emendam procuratorẽ alium constitueret.

Num. 2. VNDE infero duo. Primũ est, quãdo quis triticum emit vltra pretium legis soluendo traiectori iura traiectionis non posse illud alteri vendere vltra taxam, exigẽdo ea iura, cùm ipse aliunde triticum non aduexerit, quia iura traiectionis solùm conceduntur per legem aduehentibus aliunde triticum, vt ciuitati prouideant. Contrarium dixit Ledesm. *illa difficultate* 15. quia illud triticum iustè venditum est eo pretio: ergo eodem reuendi potest. Sed negatur cõsequentia: sic enim quod iustè venditum est decem argenteis in vno loco, vel tempore, non potest in alio vendi eodem pretio, vt docet Sotus 6. *Iustitiæ. q.* 2. *art.* 3. Grafis 1. *part. decis. lib.* 2. *c.* 112. *n.* 5. Couarr. 2. *Variarum. c.* 3. *n.* 4. & alij communiter: maximè quando iura transportationis propriè nõ sũt pars pretij, sed trãsportationis. Ergo qui nõ trãsportauit, non potest illa accipere, sicut qui emit ab eo qui vltra pretium taxatum dedit aliquid ratione lucri cessantis, vel damni emergẽtis venditori, non potest reuendere illud exigendo.

SECVNDVM est, eum qui ex horreo publico triticũ emit maiori pretio quàm sit lege taxatum, eo quòd Respub. inter ciues iustè diuidit expensas quas in tritico aduehendo, & seruando fecit, non posse illud alteri vendere eodem pretio, seu expensas ab alio exigendo: nam illa expensarum distributio ius illi non dat vendendi vltra taxam, vel partem illam oneris aliis cum tritico vendito imponendi: & alioqui tale triticũ non posset iustè pro alio commutari; nam aliud cùm vltra taxam vendi nequeat, minoris est valoris, & pretij: ergo contra iustitiam faceret qui aliud pro isto commutaret: consequens est falsum: ergo. Num. 3.

HÆC duo corollaria sunt Num. 4.

Digitized by Google

etiam contra Ledesm. *difficultate* 10. *de taxa.* vbi quærens an qui tempore sterilitatis emit triticum cum iuribus itineris, vltra pretium legis possit ibi eodem pretio, & cum eisdem iuribus reuẽdere tempore abundantiæ; dicit duo, in quibus cũ eo conuenit Vega *verb. trigo. casu* 5. Primum est, durante eadem sterilitate posse eodem pretio, & iuribus vendere. Idémque ait si ex publico horreo illud emit maiori pretio quàm taxæ, quia illud est legitimum pretium illius tritici. Secundum est, secus esse si propter superueniẽtem abundantiam iam est imminutum pretium tritici, quia tunc nec iura itineris exigi poterunt.

Num. 3. Sed contrà, quia si tempore abundantiæ non possum triticum à me emptum solutis iuribus itineris, vel ciuitatis expensis, vendere cum eisdem: ergo nec durante sterilitate; eadem enim est ratio, nempe quia teneor vendere pretio taxato, vel fori, licèt pluris emerim. Item ipse Ledesm. cum omnibus fatetur, triticũ aliud licitè posse tempore sterilitatis commutari cum tritico empto solutis iuribus itineris, vel expensis ciuitatis. Ergo sunt æqualia in pretio. Ergo si vnum non potest licitè vendi nisi pretio taxato, neque aliud: & alioqui omnes illi ad quos peruenirent triticũ communis horrei, possent illud vendere exigendo aliquid vltra taxam pro expensis ciuitatis, quia primus per se habebat ius ad talem exactionem: omne autẽ summum ius transtulit in sequẽtes. Consequens autem negat ipse Ledesma. Ergo. Vnde etiam falsum puto quod ait, siquis ex publico horreo emit decem fanecas, quamlibet viginti argenteis, & miscuit cum aliis decem ex proprio agro collectis, posse medietatem vendere ad rationem viginti argenteorum: aliam verò medietatem solùm ad rationem taxæ.

DVBIVM XVII.

An traiicientes triticum tempore abundantiæ ab vno loco in alium possint portationis iura exigere.

SVMMARIVM.

1 *Tempore abundantiæ triticum ab vno loco in alium traiicientes non posse iura portationis exigere, communis sententia est.*

2 *Possunt huiusmodi aspratores accipere, si illis donentur.*

Communis sententia est, Num. 1. non posse. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controuersia* 9. & 11. *corollario* 1. *post solutionem* 2. *argumenti.* Ledesma 2. *part. Summæ, tract.* 8. *c.* 32. *difficultate* 13. *de taxa.* Vega *verb. trigo. casu* 15. tum quia hæc concessio respicit tempus sterilitatis, pro quo solùm est necessaria taxa; tum quia pretium iustum legis tempore abũdantiæ tantùm est quod habet vsus fori.

Mihi videtur, illos vix repertu- Num. 2. ros qui vltra commune pretium dẽt ipsis iura itineris, cùm sine illis triticum omnes reperiant: siquis tamen ea velit dare, vel quia triticum est melius, vel quia creditò vẽditur, probabile puto posse illa recipere, quia lex vltra pretium tritici ea cõcedit

Digitized by Google

cedit aliunde afferentibus triticũ in bonum communeciuitatis, non distinguendo de tempore abundantiæ; nec curando an etiam proprias commoditates attenderint: tempore autem abundantiæ bonum commune est, vt triticum etiam aliunde afferatur; sic enim viliori pretio illud emũt ciues: ergo tunc etiam iura itineris recipi possunt, præsertim si traiectores existimarunt eo ciuitatem egere.

DVBIVM XVIII.

An nobiles aliunde in domos suas triticum afferentes iura asportationis pro illo exigere possint.

SVMMARIVM.

1. 2 *Nobiles aliunde in domum suam triticum afferentes propter bonum commune, possunt vendere illud, iura asportationis exigendo, secus si propter propriam commoditatem attulerint.*

Num. 1. EMANVEL 2. *part. Summa, t. 79. n. 7.* docet, ea iura vltra taxam recipere posse, quòd expenderunt in asportãdo tritico suorum redituum: imò etsi nihil in asportatione expenderint eo quòd agricolæ tenerentur ad transportandum illud in domos eorum, quia aliquid pretio æstimabile pro illa obligatione ab ipsis, vel eorum antecessoribus agricolæ acceperint. Eandem sententiam tenuisse aliquos Theologos, & Iurisperitos huius temporis ait Ledes. 3. *difficult.* 21. Vbi tamen addit contrariam sententiam esse multorum Thomistarum, & aliorum: quia in legibus Regni iura portationis solùm conceduntur agasonibus, & similibus personis: & vtramque sententiam putat probabilem. Sed melius iudicat, distinguendum esse: nam vel illi nobiles communis vtilitatis causâ triticum afferri fecerũt, & sic iura asportationis vltra taxam exigere possunt: secus si propriæ commoditatis causâ, vt in domibus suis meliùs conseruaretur: quia hanc gratiam concedere lex noluit, nisi eis qui prouisioni Reipub. intenderint.

Hæc distinctio mihi semper placuit: sed in lege 5. & aliis *tit. 25. lib. 5. nouæ collect.* omnibus per se, per seruos, famulos, vel ministros afferentibus triticum, cõcedũtur iura asportationis; nec refert quòd expẽsas plures, vel pauciores, vel nullas fecerint in asportatione, modò prouisioni ciuitatis intenderint. Et malè Vega *verb. trigo. casu 5.* ait, etiam si ob solam propriam vtilitatem triticum attulerint, posse iura illa exigere. Num. 2.

DVBIVM XIX.

An traiectores si nõ afferant, vel non præsentent testimonium quale lex exigit, iura traiectionis exigere possint.

SVMMARIVM.

1 *Si non petatur testimonium, traiectores tritici non tenentur illud præsentare.*
2 *Potest traiector exigere iura asportationis, etiamsi testimonium non sit legiti-*

Digitized by Google

mi tabellionis, modò veram relationem contineat.

3 *Præmium constitui posset à Republica vectoribus frumenti.*

Num. 1. DIco primò: si non petatur testimonium, non tenentur illud præsentare. Azeuedo *lege* 2. *tit.* 28. *lib.* 5. *nouæ col.n.*2. & si vendant ante præsentationem, non peccabunt, nec punientur, si post venditionem denunciati præsentent. Ita Azeuedo: quia testimonium non requiritur adiustificãdum actum; sed ad defensionem, ad quã sufficit postea illud ostendere, nisi antea petatur ab habente auctoritatem, licèt verba illius legis secundæ liquida sint; & ideo consulit Azeuedo, vt ante venditionem testimonium præsentetur.

Num. 2. DIco secundò: etiamsi testimonium non sit legitimi tabellionis, si tamen veram relationem continet, potest traiector exigere omnia illa iura traiectionis, quia leges solùm intendunt vitare iniustitias, quæ fiunt fingendo plures parasangas, seu leucas, quàm reuerà sint. Ita Gutierrez *in practicis. q.* 181. *in fin.* Emanuel 2. *part. Sum. c.* 79. *n.* 7. Ledesma 2. *part. tract.*8. *c.* 32. *difficult.* 21. *de taxa.* Vega *verb. trigo. c.*5. Si tamen testimonium plures leucas numerat, quàm reuerà sint, & ideo plura iura exigantur, quàm debeantur, restituendus est excessus, vt iidem docent, & perspicuum est.

Num. 3. DIco tertiò: vectoribus frumenti præmium cõstitui posset à Repub. vt adiicerentur ad vehendum triticum in ciuitatem, & ipsi licitè possent illud accipere. Colligitur *ex l.*1. *C. de frum. vrbis Alex. & l.*1. *C. de nauicularijs. lib.*10. *& l.*1. *ff. de nundinis.* & notat Ripa *lib. de peste, tit. de remediis præseruantibus. n.*193. *&* 194. Et malè Azeuedo s. *n.*7. addit: *quod præmiũ ego non reciperẽ, neque promitterem, si Iudex essem, cùm non possem in pragmatica dispensare, vt in ea dicitur, etiamsi Matienzus in glossa fin. cum relatione dictarum rerum transierit.*

DVBIVM XX.

An stabularij possint minutatim prõ iumentis hordeum vendere maiori pretio quàm sit lege taxatum.

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*

RESPONDEO, posse, modò normã sibi traditam à Magistratibus, quã *Aranzel* vocant, obseruent, vt bene docet Lopez 1. *Instructor. negot. cap.* 19. & est consuetudo receptissima: vbi etiã aliud dubium tractat, an qui per legem prohibitus est panem coctum vendere, possit panifico triticũ dare, vt conuersum in panem coctum illud reddat. Respondeo bene cum Cordubensi *in Sum. q.* 106. non posse, quod constat ex dictis *dub.* 15. *in fin.* Num. 1.

DVBIVM XXI.

An vectoribus ciuitatis liceat impedire ne panis, vinum, & similia abundè importentur, & in ciuitate vendantur, donec propria ciuium

Digitized by Google

uium vendantur, etiamsi permittendo importari, & vendi, minori pretio à ciuibus emerentur.

SVMMARIVM.

1 *Aliquando licet.*
2 *Taxandum non est aliud pretium pro indigenis, aliud pro exteris.*
3 *Taxantes iniustè res peccant mortaliter, & debent restituere venditoribus defectum, emptoribus excessum.*
4 *In dubio de iustitia taxationis taxa est seruanda.*

Num. 1. RESPONDEO, communiter non licere, secus aliquando, nempe cùm Magistratus videret communi bono expedire. Ledes. *difficul. 31. de taxa.* Emanuel Rod. *illo c. 79. n. 12.* Lopez *illo c. 19.* Cord. *in Sum. q. 82.* cum Medina *n. 2.*

Num. 2. SED aduerte primò, communiter non esse taxandum aliud pretium pro externis, & aliud pro indigenis vel incolis: nam cõmuniter erit contra charitatem, vel etiam contra iustitiã, vt colligitur *ex c. 1. de emptione, & venditione.* An verò in aliquo euentu licitum sit cariùs vendere externis, quàm indigenis, peculiari dubio discutiemus.

Num. 3. SECVNDO aduerte, taxantes iniustè pretia, peccare cum onere restituendi damna venditoribus, quando à iusto pretio in taxatione deficiunt; emptoribus verò quando excedunt. Rebel. *de obligationib. parte 2. lib. 9. sect. 3.* cũ aliis. Quòd si taxa esset manifestè iniusta in fauorem vendentum, venditores illam seruantes tenerentur illa restituere: si verò in fauorem emptorum, emptores. Reb. *q. 6. in fin*

TERTIO aduertè, in dubio de iustitia taxationis taxam esse seruandam: nam pro superioribus est præsumendum, qui possunt meliùs cæteris omnes circunstantias nosse, ex quibus æstimatio rerum crescit, vel decrescit; essétque magnum detrimentum boni cõmunis, si in dubio non tenerentur subditi obedire legibus & præceptis superiorum. Ita Reb. *illa sectione 3.* Læsius 2. *Iustitia. c. 21. dubio 2.* Med. *de restitut. q. 36.* Salon 2. 2. *q. 77. art. 1. controu. 15.* Arag. *eodem art.* Ledes. *illo c. 32. difficultate 3. & 4. post 7. conclus. & difficultate 19. de taxa,* dicens esse Mol. & omnium. Vide quæ diximus 1. 2. *tract. de conscientia.*

DVBIVM XXII.

Vtrùm ex permissione vel facultate prætorum, vel rectorum ciuitatis possit taxa frumenti præteriri.

SVMMARIVM.

1 *Licitè permittitur aliquando à prætoribus, vt taxa frumenti prætereatur.*

Num. 1. RESPONDEO, aliquando licitè permitti id à prætoribus ob maiora damna vitanda, non tamen semper id necessarium esse, & numquam posse ad id dare licentiam, quæ id subditis licitũ faciat, nisi habeant ad id specialem commissionẽ à Rege: non enim possunt abrogare legem, vel in ea dispensare, eámue suspendere; maximè cùm in lege id ex-

Digitized by Google

presse caueatur. Ita Ledesma *difficultate 4. de taxa.* Emanuel *illo c. 79. n. 2.* Cordona *in Summa, casu 78.* qui alia addunt.

DVBIVM XXIII.

An per tolerantiam Principis taxa interdum tollatur.

SVMMARIVM.

1 *Taxa interdum per tolerantiam Principis cessat.*

Num. 1. REBELL. *vbi s. q. 2. sect. 3. n. 15.* sic bene loquitur: *per scientiam, ac tolerantiam Principis interdum tolli, vel suspendi taxa obligationem certum est: si enim Princeps sciat taxam non seruari ab omnibus, vel à maiori parte populi, cùm alioqui sine incommodo transgressores puniri valeant; non tamen faciat, sed taceat, & dissimulet, censendus est tacitè pro tunc dispensare in lege, iuxta regulam iuris in sexto; qui tacet, consentire videtur.* Cõsẽtiunt. Gutierrez *2. practicarum. q. 180. n. 21.* Ledesma *difficult. 5. de taxa.* Salon *2. 2. q. 77. art. 1.* cum Ioanne Med. Castro, Soto, & Nauarr. quos citat.

DVBIVM XXIV.

De pœnis vendentium frumentum maiori pretio quàm sit lege taxatum.

SVMMARIVM.

1 *Pœna imposita vendentibus contra taxam frumentum, non incurruntur sola petitione maioris pretij.*

2 *Puniri debet moderatè, qui in modico taxam excedit.*

3 *Peccat mortaliter qui in pluribus mensuris acciperet id quod requiritur ad furtum mortale.*

4 *Si materia sit leuis, & tantùm sit peccatum veniale, sub veniali obligat restitutio.*

5 *Quod dicitur quoad peccatum, pœnas, & restitutionem de vendentibus vltra taxam, dicendum est de commutantibus pro re maioris pretij.*

DICO primò, sola petitione maioris pretij non incurri pœnas. Ita multos citans tenet Azeuedo *l. 1. verb. ni se venda. n. 2. & verb. pedir ni lleuar. n. 18. tit. 25. lib. 1. nou. collect.* nam pœnæ solùm imponuntur consummantibus venditionem saltem essentialiter. Et tãdem in hanc sententiam inclinat Mexia *ibi*, licèt priùs aduersari videatur, & refert Azeuedo, qui tamẽ malè ait contra Mexiam, petitionem illam non esse prohibitam; tum quia prohibita receptione indirectè, & consequenter prohibetur petitio; tum quia expressè prohibetur *in illa lege, verb. pedir ni lleuar, & verb. ni pidã, & verb. ni se le diga qué tome cosa alguna.* Num. 1.

DICO secundò: etiam qui in modico taxam excedit, puniri debet. Azeuedo *n. 4.* cum Scepola, Didaco Perez, & Auiles intelligit puniendum esse grauiter, & tota pœna legis, si modicus excessus sit sæpe repetitus, seu in multis mensuris, quia tunc magnam efficit quantitatem: secus si in vna, vel altera mensura; nam grauis pœna non potest imponi propter leuem culpam. Ita Salon s. *controu. 9.* Num. 2.

IMO

Digitized by Google

Num.3. IMO addit, etiamsi in multis mẽsuris excessus attingeret quantitatem, quæ in furto esset grauis, non fore peccatum mortale, quia Principes, & Magistratus non intendunt cum tanto rigore obligare: secus si in multis mensuris multorum argẽteorum cumulus fieret. Sed hoc diuinare præsertim sit. Est opinio Vasquez *tract. de legib.* asserentis, non posse legislatorem in materia graui leuem obligationẽ imponere: itẽ illum retinendo eum cumulum sufficientem ad furtum mortale, grauiter peccare: ergo & accipiendo siue ab vno, siue à multis, siue in paucis, siue in multis mẽsuris. Absolutè ergo tene, eum qui vendit, vel vendere vult multas mensuras, parum in qualibet excedendo, peccare mortaliter. Ita Emanuel *illo c.77.n.14.* Gutier. 2. *pract.q.*181. Palacios 2. *de contract.c.*2. Mexia *in hac pragmatica, concluſ.* 1.

Num.4. DICO tertiò: licèt tota materia sit cõmunis, & tãtùm sit peccatũ veniale, vt docet Palacios, Emanuel, Salon, & Mexia §. Nauarr. *c.*23. *n.* 88. Grasis 1. *p. decis. lib.* 2. *c.*56. *n.*18. Sotus 6. *Iustitiæ. q.*2. *art.*3. tamen ea materia restituenda est sub veniali, vt ait Emanuel, & clarum est. Pœnam autem nemo tenetur soluere ante Iudicis condemnationem. D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *ar.*3. Grasis, Sotus, & alij §. Azeuedo *n.*6. *&* 9. colligẽs ex ipsis pragmaticis; de quo latè nos *tract. de legibus.* Et pœnæ istæ non transeunt ad hæredes, vt cum multis Azeuedo *n.* 10. *n.* autem 18. cum Mexia contra Abendannum docet, pœnã amissionis tritici venditi sic debere intelligi; vt si triticum in potestatem emẽtis transierit, & fuerit consumptum, venditor sit damnandus, vt tantundem, vel eius valorem soluat; & ita haberi in praxi. *num.* autem *secundo.* bene cum Mexia probat, si emptor vltra taxam triticum emat, & ab eo ciuitas, vel depositum publicum, vel aliquis habens priuilegium retrahẽdi vellet illud pro tanto emere, venditorem illum probabiliter non incurrere pœnas legis, quia ipse non vendit; sed ille cuius triticum erat. Vnde confirmo quod dixi *dubio* 16. eum, qui emit vltra taxam non posse vendere eodem pretio; siquis tamẽ vt suo populo periclitanti subueniret, emerit alibi, vltra taxam posset conuicinis illud eodem pretio vendere, quia non debet ex charitate sua incommodum reportare. Addit Azeuedo *n.* 13. non esse publicandum saccum, in quo frumentum vltra taxam venditum portatur; quia lex hãc pœnam non imponit.

Num.5. QVÆ dicta sunt quoad peccatũ, restitutionem, & pœnas de vendentibus vltra taxam, dicenda sunt de commutantibus pro re maioris pretij, quia ita exprimit lex: & licèt non exprimeret, ita esset intelligendum; alioqui non esset satis consultum communi bono: & quia non est licitum commutare rem minoris pretij pro re maioris valoris, & quia prohibita vẽditione, intelligitur prohibita commutatio. *l. statuliberi ff. de statuliberis.* Sic quod *l.* 2. *C. de resc. vend.* dicitur de venditione vltra dimidium, intelligunt omnes etiam de permutatione. Vide Bãnes 2. 2. *q.*77. *art.* 1. *post dub.* 3. Salon *controuersia* 14. *in fine.* Ledes. 2. *p. Summæ, tract.* 8. *cap.* 32. *conclusione* 7. *post* 5. *difficultatem.*

Digitized by Google

DVBIVM XXV.

Ex quibus causis naturale, seu vulgare pretium augeri, vel minui solet.

SVMMARIVM.

1 *Causa ad augendum pretium naturale, est raritas, & penuria mercium.*
2 *Abundantia pecuniæ.*
3 *Vendendi modus explicatur n.* 4.
5 *Nouitas, vel antiquitas rei.*
6 *Communis vtilitas, vel necessitas.*
7 *Excellentia ad humanos vsus, & securitas rei.*

Num. 1. PRIMA causa ad augendum eiusmodi pretiũ est raritas, & penuria mercium, quod enim rarum est, pretiosum est, vt habet Hier. *epist. 85. ad Euagrium.* & habetur *c. legimus. dist. 93.* & ratio est, quia quod rarius est, difficiliùs haberi potest. Hinc etiã multitudo emptorum pretium auget: quo enim maior eorum copia est, minor copia mercium esse videtur: nam pro tot emptoribus minus quid est quàm pro paucioribus, & è contrario abundantia mercium pretium earum minuit, quia quod frequentius est, facilè habetur. Vnde Poëta, *inopem me copia fecit.* Et Tertul. lib. de habitu muliebri: *semper abundantia in se ipsam commelioſa est.* Eadem ratione multitudo vendentium pretium minuit, quia tunc maior est copia mercis, & faciliùs haberi potest.

Num. 2. SECVNDA causa augendi pretium est abundantia pecuniæ: nam tunc pecunia vilescit, & per consequens plus pecuniæ dabitur pro eadem re quàm antè. Sic in orbe nouo res cariùs emũtur quàm in Hispania, quia ibi est pecuniæ abundantia.

Num. 3. TERTIA causa est vendendi modus: sic qui vendit ex officio, vt mercator, pluris vendere potest quàm ab aliis vendi soleat, vt peculiari dubio explicabo. Sic etiam minutim res maioris venditur quàm in magna quantitate. Sylvester. *verb. emptio. q.* 20. Med. *de restitutione, quæstion.* 31. §. *& procedit.* Arag. 2. 2. *quæst.* 77. *articul.* 1. *in fine.* Reb. *de obligat. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 1. *sect.* 7. Læsius 2. *Iustitiæ. c.* 21. *dub.* 4. & cæteri cõmuniter, quia prior ille modus plus laboris, & expensarum, & minùs vtilitatis vendenti affert; posterior autem multis curis & occupationibus exonerat, quas circa illas merces habuisset, venditorémque reddit expeditiorem, vt statim alias comparet, quod magis cedit illi in lucrum, quàm si eas pretio ordinario sensim vendidisset. Sic etiam res pluris venduntur in manu, & officina mercatoris eas asseruantis, quæsiti, & rogati, quàm cùm quis per se, aut proxenetas emptores quærit, & rogat. Vnde dici solet; merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte, vt refert Læsius pro Caiet. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. Imò Palacios in Caiet. *verb. emptio. c.* 1. dixit, palliũ, quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato posse emi duobus: ratio est, quia iste modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum, ac pecuniæ, vel modicam mercium vtilitatem, aut necessitatem. Vide Couar. 2. *Var. c.* 3. *n.* 4. *&* 5. Nauarr. *c.* 23. *n.* 78. Mercado 1. *de contract. cap.* 8. *&* 10.

Num. 4. HINC etiam fit, vt quando non nisi

Digitized by Google

nisi rogatus, & pietate motus, & in gratiam potiùs vendentis quàm tui emis, fas sit minoris emere rẽ quàm aliàs valeret, quia quasi inuoluntarius rẽ parum tibi necessariam, vtilem, commodam, vel gratam emis. Ita Læsius, Reb. 5. Nauarr. *cap.* 23. *n.* 83. aliàs 84. Med. *de restitut. q.* 32. Syluest. *verb. emptio. q.* 7. Sotus 6. *Iustitia. q.* 2. *art.* 3. *ante* 4. *concluſ.* Sed aduertit Læsius tunc tantùm pretio esse æstimabilem rem quam vendere nolebas, venalẽ in gratiam emptoris facere, cùm aliquid inde incommodi, vel molestiæ sensias. Eadem de causa Syuest. Nauarr. & Reb. fas esse putant interdum viliùs emere operas pauperis, pro solo scil. victu, ne fame pereat. Sic & res sub hasta vel auctione viliùs emuntur, quanuis, vt notat Læsius, in auctionibus interdum excedatur pretium commune ex emptorum cõtradicitate, & tunc probabile est venditorem non teneri ad restitutionem, vt docẽt P. Nauarr. & Mercatus, quia ibi res subsunt fortuito, & incerto pretio, & sicut plerumque venduntur minoris quàm sit pretium mercatorum, ob ementium raritatem & frigus; ita venduntur interdũ pluris ob ementium multitudinem, vel feruorem. Quare sicut illud ad malam; ita hoc ad bonã fortunam ipsius censebitur pertinere. Confirmatur, quia iustum pretium illius fori est quod absque fraude potest illo modo vẽdendi obtineri: sic enim habet piorũ, & doctorum vsus. Ita Læsius. Sed de auctoribus plura 7. obserua tamen cum Lessio 5. & Valencia *q. de empt. punct.* 2. & Med. *de restit. q.* 31. nõ licere ex modo vendendi, vel emendi pretium lege taxatum præterire.

Ioan. de Salas.

QVARTA causa est nouitas, vel antiquitas rei, quia omnia noua placent, & fructus præcoces amplius appetuntur, vel quia antiquissima; sic statuæ, vel monetæ antiquissimæ pluris æstimantur ob raritatem, vel curiositatem, & domus antiquissimæ propriæ familiæ ad ostendendam generis nobilitatem, & antiquitatem, & ob reuerentiam maiorum plurimi æstimantur. P. Ledes. 2. *parte Summæ, tract.* 8. *concluſ.* 7. Sic Iaponij pro ollis & tripodibus vetustissimis atauorum multa aureorũ millia exoluunt, & Æthiopes pro vestibus rubri coloris, & aliis ludicris, quæ apud illos noua, & rara sunt, magnũ pretium pendunt; neque illud recipere iniquum putat Rebel. quia ex cõmuni gentis ignorantia hæc apud illos magni penduntur, & non ex priuato alicuius errore. Vnde Couar. 2. *Variarum cap.* 3. *n.* 4. ait pretium sumi ex communi hominum æstimatione, tametsi insana. *Num. 5.*

QVINTA causa augendi pretium est communis vtilitas, vel necessitas. Vnde in loco, vel tẽpore, quo res est cõmuniter vtilior, vel magis necessaria, maiorem valorem habet; secus si vtilitas, vel necessitas sit singularis emptori: ob hanc enim nõ debet augeri pretium. Ita Læsius, Reb. & alij communiter cum D. Thoma 2. 2. *q.* 27. *art.* 1. quamuis si res esset peculiariter vtilis, necessaria, vel delectabilis venditori, posset ratione voluptatis, vel lucri cessantis, vel dãni emergentis cariùs illam vendere, deducto in pactum damno illo emergenti: vel lucro, aut voluntate cessante, vt dicunt D. Thomas. Læsius, Reb. & alij, & Soto 6. *Iust. q.* 7. *art.* 1. *Num. 6.*

SEXTO, excellentia ad humanos

Digitized by Google

vsus, & securitas rei augent pretium: vitium autem, periculum, & onus rei pretium minuit, vt per leges probat Pinel. *lege 2. C. de rescindenda vendit. p. 3. c. vlt. n. 29. & n. 32.* ratione periculi insinuat ancillam grauidam minoris vendendam, quàm si grauida non esset: sed contrarium est verius, vt tenent Paul. Alex. & alij ab eo relati, quos sequitur Reb. quia multo verisimilius est, lucrũ ex prole obtinẽdum, quàm matrem perituram esse: hac tamen de causa minùs valet res litigiosa, vel cui pactum retrouendẽdi, aliúdue onus annexum sit.

DVBIVM XXVI.

An in conscientia sit licitum contrahentibus se decipere iuxta medietatem iusti pretij.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur controuersia.*
2 *Emptor tunc vltra dimidium decipitur, cùm rem valẽtem decem, emit plus quàm quindecim.*
3 *Ad leges in contrarium citatas responsio.*
4 *Prima opinio asserens lædentem intra medietatem iusti pretij non peccare, nec teneri ad restitutionem.*
5 *Secunda opinio docens peccare, sed non teneri ad restitutionem.*
6 *Tertia opinio, & vera affirmans peccare, & teneri ad restitutionem.*
7 *Censura contrariæ sententiæ.*
8 *Ad argumenta primæ opinionis respondetur.*
9 *Ad argumenta secundæ respondetur.*

LOQVIMVR de deceptione latè dicta, in qua non interuenit mendacium, nec falsitas: nam de propriè dicta inferiùs dicemus. Omnes conueniunt, venditorem decipi vltra dimidium, si lædatur iuxta medietatem iusti pretij, vt si rem valentem decem vendat minoris quàm quinque: intra dimidium verò, si vendat quinque, vel sex, quia sic explicant omnes leges Castellæ, Lusitaniæ, Valentiæ, & Galliæ ĩ. referendæ. Sed controuersum est, quando emptor vltra dimidum decipi dicatur: nam Petrus & Cinus *l. 2. C. de rescindenda venditione*, quos sequitur Pinel. *ibi. p. 2. c. 2. à n. 6.* dicunt, emptorem tunc tantùm decipi vltra dimidium, quando læditur ita, vt emat in duplo iusti pretij; & si rem valẽtem decem, emat plus quàm viginti. Idem tenet Speculator *tit. de emptione, & vẽditione. §. quod autem.* Conanus *lib. 7. c. 9.* Cuia. *lib. 16. obseruat. c. 18.* Forcatulus *dial. 100.* Panor. *c. cùm dilectus, de emptione.* tametsi statim *c. cùm causas. eod. tit.* contrarium dicat. Et hanc sententiam in puncto iuris esse veram docet Morla, & alij citati à Matienzo ĩ. & quod plus est, lex 16. *tit.* 11. *p.* 4. & lex quinta *tit.* 10. *lib.* 5. *fori.* Num. 1.

SED tenendum est, emptorem tũc vltra dimidiũ decipi cùm rem valentem decem v. g. emit plusquàm quindecim. Et in contraria opinione emptori æqualiter læso non daretur actio, quæ venditori esset inconueniens: item non diceretur læsus in medietate iusti pretij, sed in duplo iusti pretij, & vltra dimidium dati pretij. Hanc sententiam docet glossa *c. cùm caus. de emptione, & dicta lege 2.* vbi Aldericus, Fulgosus, Cagnolus, Num. 2.

Mene

Menesius, Padilla, Bart. Bal. Paulus, & Salicetus, Ant. Gom *tom. 2. Variarum*, c. 2. *n.* 22. Couar. 2. *Var.* c. 3. *n.* 8. Azeuedo *lege 1. tit. 11. lib. 5. compilat. n. 17.* Matienzo *ibi.* glossa 1. Gutierrez *2. pract. q. 133.* Gregorius Lopez *lege 16. tit. 11. part.* 4. glossa primaria, & Morla *in Emporio. p. tit. 1. 9.* ait in praxi hanc seruari, & seruandam esse: pro qua citatur Azó., Rebuf. Socin. Molinqus, Ant. Burius, Burg. Vedius, Motius: & ex Theologis idē tenet Mercado *1. de cōtract. c. 1.* Mol. *tom. 2. disp. 349.* Læsius *2. Iustitia. c. 21. dub.* 4. Rebel. *de oblig. part. 2. q. 3. sect. 1.* Sotus *6. Iustitia. q. 3. art. 1.* Salon 2. 2. q. 77. *art. 1. controuers. 17.* Lopez *1. Instruct. neg. c. 13.* Angles *q. de empt. dub.* 7. Neque mirum, cùm expressè habeatur *lege 56. tit. 5. part. 5. & lege 4. tit. 7. lib. 5. ordinamenti. & lege 1. tit. 11. lib. 5. compilationis, & lege Lusitania, lib. 4. ordinat. tit.* 30. *& Valentiæ de rescindenda venditione, & lege Galliæ.* & refert Didacus Perez *ad legem citatam ordinamēti*, cum Tiraq. *de retract. municipali. c. 32.* glossa vnica *n. 61.*

Num. 3. AD leges Regni in contrarium citatas omissis solutionibus Gomezij, Couar. Menes. & Greg. Lopez, quia non satisfaciunt, respōdeo cum Morla ī. & aliis doctissimis, esse posteriores correctas.

Num. 4. HIS suppositis, de proposita quæst. sunt tres sententiæ. Prima Baldi, Andr. Siculi, Balbasij, Ioannis Cloti, & Petri Duenas, quos refert Salon ī. & Matienzo ī. *n.* 9. qui docuēre, lædentem intra medietatem non peccare, neque ad restitutionem teneri. Idem docuit Durandus quidam ordinis minorum, apud Anton. *2. par. tit. 1. c. 16. §. vltimo.* & Conradum *q. 57. de contract.* Suadetur primò, quia quod legis auctoritate fit, iustè fit. *C. gratus. C. ad legē Iuliam de adulteriis.* Sed lædentes intra dimidium, legum auctoritatem non rescindunt. *l. 2. l. si voluntate. C. de resc. vēditione. c. cùm dilecti. c. cùm causa, de emptione, & venditione. leg. Castellæ, Lusitaniæ, Valentiæ, & Galliæ.* Ergo confirmatur, quia quod quis facit auctoritate Iudicis, dolo facere nō videtur. *l. 24. ff. de regul. iuris.* Sed illi excessum pretij retinent auctoritate Iudicis. Secundò, quia *l. in caus. §. idem Pomponius. ff. de minoribus. & l. item si pretio. §. quomodo. ff. locati.* dicitur licere naturaliter cōtrahētibus se circūuenire, & quod pluris est, minoris emere, & quod minoris est, pluris vēdere. Tertiò, quia tātùm valet res quantùm vēdi potest. *l. pretia rerum. ff. ad legem Falcid.* & vnusquisque in re sua est moderator, & arbiter. *l. in re. C. mādati.* Quartò, quia si quis sciens & prudens dat plusquàm res valeat, cēsetur excessū donare. Ergo vēditor nō peccabit illum accipiendo, nec tenebitur restituere.

SECVNDA opinio est Gersonis *tom. 2. Alphabeto 35. tract. de contractib. part. 2. propositione 11. & in suis fluxibus*, asserentis lædentem intra dimidium peccare contra ius naturæ, sed non teneri ad restitutionem. Suadetur primò, quia lex humana potuit iustè ad vitandas lites, & animarum pericula, statuere, vt qui læderet intra dimidium, etiamsi peccaret, non teneretur restituere, sicut statuit præscriptionem, quæ vim habet in eōsciētia: & sic statuisse videtur. Ergo retineri potest in consciētia quod sic acceptum est, vt acquisitum ludo prohibito, vel alio simili contractu vetito, vt ait Innocentius IV. *c. quia plerique de immunitate Ecclesiarum.* Num. 5.

SECVNDO: scienti & volēti non fit iniuria. Ergo si emptor scit quantùm

Digitized by Google

res valet, & nihilominus vult plus dare pro illa, non peccat contra iustitiam, & sic non tenetur restituere. Tertiò, ille contractus est validus: ergo quod illo accipitur, iure retineri potest. Quartò, quia Aug. *cap. non sane.* 14. *q.* 5. loquens de quibusdam officialibus, ait: *ab iis extorta per immodicatam improbitatem repeti solent, magis magisque reprehēdūt eos qui talia inusitatè receperūt; quàm quia iniquiter fecerint.* Ergo similiter venditor qui plus iusto pretio accepit, potest illud retinere, si solùm læsit intra dimidium.

Num. 6. TERTIA, & certissima opinio est, lædentem intra dimidium peccare mortaliter contra iustitiam, & teneri ad restitutionem. Probatur primò ex Paul. 1. *ad Thessalon. cap.* 4. *nequis supergrediatur, neque circunueniat in negotio fratrem suum: vindex est enim Dominus de his omnibus.* Et *l. iure naturæ. ff. reg. iuris*, dicitur: *Iure naturæ æquū est, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem.* Simile quid dicitur *l. iure succursum. §. fin. ff. de iure dotium.* & Cicer. 3. *de Officiis. & C.* 1. *ff. de empt. & vendit.* dicitur non licere cariùs vendere hospitibus quàm incolis. Et *Matth.* 7. atque *in proœmio decreti. & in glos. recepta. l. semper in contractib. ff. de reg. iuris*, dicitur; *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Sed quisque vult non lædi in contractibus: ergo nec lædere debet.

SECVNDO, quia iustitia postulat æqualitatem. 5. *Ethicorum c.* 5. 1. *Politicorum cap.* 6. Sed in ista læsione violatur æqualitas: ergo & iustitia; ac proinde oritur obligatio restituendi. Tertiò, si liceret lædere in pretio; ergo & in mensura, & pondere: quod est contra id *Deuter.* 25. *Non habebis in in sacculo diuersa pondera, maius, & minus*, &c. & *Prouerb.* 20. *pondus, & pondus, mensura, & mensura, vtrumque abominabile coram Domino.* Quartò, quia etiamsi detur pro re Ecclesiæ plus quàm valet, nō est recipiendum. *cap. hoc ius.* 10. *q.* 2. Quintò, quia Aug. 13. *Trinitatis. c.* 3. ait: *Velle vilè emere, aut carè vendere, vtrumque vitium est.* Et laudat hominem, cui cùm venalis codex esset oblatus, pretiisque eius ignarū, & ideo exiguum quid petentem cerneret venditorem, iustum pretium, quod multo amplius erat, nec opināti dedit. Sextò, si res tantùm valet decē, quo titulo vēditor recipit duodecim, cùm emptor donare nolit, sed emere iusto pretio? Septimò, qui rem valentem decem, vendit sexdecim, non solùm tenetur restituere vnum, sed sex, vt patet ex iuribus citatis. Ergo nō solùm illud vnum accipit iniustè, sed etiā alia quinque. Ergo si in quinque tantùm læsisset, egisset iniustè cū onere restituendi. Octauò, contingere potest, vt maior sit læsio in vna vēditione intra medietatē, quàm in alia vltra. Ergo si in hac læsio est iniusta, & obligat ad restitutionē, etiam in illa, cùm maior læsio sit. Confirmatur, quia magis, & minùs absolutè, vel proportionaliter nō variat speciē. Ergo si læsio vltra dimidum est iniusta, & obligat ad restitutionem, etiā intra dimidium. Confirmatur etiam, quia seclusa lege positiua læsio vtraque esset iniusta, & obligaret ad restitutionem: sed lex positiua hoc non immutauit, tantùm concessit vni actionem in foro externo, & non alteri: ergo in conscientia vtraque est iniusta, & inducit obligationem restituendi.

ITA tenent Mol. *disp.* 350. Reb. *illa sectione* 1. & 2. Conrradus *q.* 57. & 58.

Digitized by Google

& 58. *de contractibus. & in cōpendio totius operis. q.* 57. Salon, Sotus, Læsius, Antoninus, Lopez, & Mercado ꝛ. Sylvester *verb. emptio. q.* 8. vbi Angelus, Tabiena, & Armilla *eodem verbo*: quamuis Rosella *ibi. n.* 6. oppositum teneat. D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. vbi Caiet. Aragon, Bánes, Valencia *ibi. disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. §. 1. Angles *q. de emptione. dub.* 8. *difficultate* 4. Matienzo *illa glossa* 1. Azeuedo *eadem lege.* Menesius *lege* 2. *C. de rescindenda vend. n.* 8. & 75 Couarr. *regul. possessor. p.* 2. §. 7. & 2 *Variarum. c.* 4. *n.* 11. Caiet. *opusc.* 17. *responsionum. C.* 12. *dub.* 3. Ledes. 2. *p. Summæ, tract.* 8. *c.* 32. *concl. s.* 7. Medina *de restitutione. q.* 32. Palacios 2. *de cōtractib. c.* 1. Nauarr. *c.* 13. *an.* 77. & *c.* 9. *de iudiciis, notabili* 6. *corollario* 13. & *c. qualitas de pœnitentia. dist.* 5. *à n.* 27. Citantur alia loca D. Thomæ. Gab. Maior, Scotus, Almai, Henrriquez, D. Bernardinus, Adrianus, Castro, Innocentius, Felinus, Panor. Butrius; Archidiaconus, Fortunius, Ancarranus Ananias, Anto. Burgēsis, Gomezius, Placa, Tiraquellus, Almericus, Bart. Bald. & alij multi; & variæ glossæ, vt videre licet in Nauarro, & Salone s̄. & Pinelo *lege* 2. *C. de resc. vend. part.* 1. *n.* 35.

Num. 7. Et contrariam sententiam esse improbabilem, vel etiam erroneam censent Anton. Aragon, & Bannes, & Gabriel ait, de hac re nunquam esse dubium inter Theologos. Et aduerte, licèt qui bona fide, & ignorās rei valorem, excusetur à peccato, in hac læsione tamen, postquam eam nouerit, teneri ad restitutionem. Ita contra Padillam *lege* 2. *C. de resc. n.* 73. Arethinum *c. cùm causam. n.* 12. *de testibus.* Gomez. *c.* 2. *n.* 22. *de constitut. in* 6. Decium *c.* 1. *de constitutionib. n.* 18. Caterinum *ibi*, & Antonium Burgēsem *n.* 18. & eundem *c. cùm dilecti. n.* 12. *de empt.* & Menochium *consilio* 19. *n.* 5. docēt Anton. Adrianus, Mol. Valen. Reb. Med. Scotus, Contradus, Caiet. Syluest. Armilla, Tabiena, Castro, Bannes, Aragon, Salon, Ledesma, Mercado, & cæteri Theologi: & ex Iurisperitis Panor. Butrius, Bal. Aldericus, Curtius, Anton. Gomez. Pinelus, Placa, & alij, quos referunt, & sequuntur Matienzus *illa glossa* 1. *n.* 6. & 11. Nauar. *locis citatis.* Couarr. 2. *Var. c.* 4. *n.* 11. & Palacios s̄. Sicut qui bona fide emit rem alienam, tenetur cùm id nouerit, restituere: quam si bona fide consumpserit, tenetur id tantùm restituere in quo factus sit ditior, vt aduertunt Mol. Reb. & alij communiter. Bene quoque notat Mol. *in dubio de læsione*, non peccare contrahentem, modò animum habeat examinandi rem, & restituendi, si læsionem nouerit.

Ad primum argumentum primæ opinionis cum sua confirmatione respondeo, quando aliquid fit lege iusta, & iusto Iudice id concedente, licitè fieri: secus si tantùm permittēte, vt hìc, & in permissione lupanarij, & occisionis vxoris adulteræ, & violationis pacti nudi. Num. 8.

Ad secundum respondet Læsius, & Couar. 2. *Var. c.* 3. *n.* 2. iura loqui de circunuentione intra limites iusti pretij; quos reiicit Mol. quia ea lęsio nō potest appellari circūuentio, nisi ineptè. Vnde Mol. secundò & Læsius respōdent, naturaliter idē esse quod iure gentiū, quod quodammodo est naturale: nulla enim fuit vnquam natio, quæ pro quacumque valoris defraudatione actionem concesserit; sed omnis impunè permisit damnum

aliquod fieri, & non restitui. Hanc expositionem admisit Couar. *in postrema editione*, & tradidit Matienzo *illa glossa* 1. cum Acursio, & Pinelo. Tertiò, quidam interpretantur naturaliter, ideſt, cõsentaneè ad naturã hominis vel contractus quæ possit impunè permittere læsionẽ intra dimidium. Ita Matienzus, & Couar. *ibi.* Padilla *lege* 2. *C. de rescindend. n.* 11. Andonderius *lib. subhastationum. c.* 3. *n.* 34. Quartò, alij exponunt naturaliter, id est, iuxta inclinationẽ naturæ corruptæ: omnes autem (*licere*) accipiunt pro (*permittere*) vt sæpe apud Plautum: & *l. non omne. ff. de reg. iur.* vbi dicitur: *non omne quod licet, honestum est.* & *Marci* 5. Christus concessit dæmonibus vt in porcos introirent, id est, permisit. De hac re optimè Menoch. *cõsilio* 109. *n.* 30. *vol.* 2. & Petrus de Geieuara *lib.* 3. *de Iust. & iure. n.* 8.

Ad tertium respondeo, illud proloquium, tantùm valet res quantùm vendi potest; intelligi quantùm vendi potest intra latitudinem iusti pretij, vel iure, vt dicunt Mol. & Salon, quia id possumus quod iure possumus, alioqui etiam intra dimidium iusti pretij vendere liceret. Illud verò, in re sua quisque est moderator, & arbiter, solùm indicat dominum posse ad libitum de re sua disponere, non verò mandatarium.

Ad quartum respondeo; siquis necessitate coactus, vel passione, aut nimio affectu ductus rẽ emat, quam non potest habere nisi pretio excedente, non censetur excessum donare, vt docet Couar. *n.* 11. licèt oppositum dixisse videatur *cap.* 3. *n.* 2. Consentiunt nobiscum Caiet. *opusc. citato. c.* 12. Matienzo *illa glossa* 1. *n.* 12. Conradus *locis citatis.*

Ad primum argumentum secundæ opinionis respondeo, nulla lege iusta statui posse, vt quis licitè retineat excessum pretij mala fide acceptum: quia ea lex faueret peccato, sicut leges Cæsareæ cõcedentes præscriptionem mala fide, quæ propterea damnatæ sũt ab Ecclesia. Ita Sotus, Mol. Reb. Lopez, Contra. Bannes, Arag. & Valencia 5. Imò ij docent fortè non posse fieri legem, quæ statua vt excessus bona fide acceptus possit postea scienter retineri. Neque est simile de præscriptione: nam in hac communiter interuenit negligentia dominorum, & diuturna possessio bonæ fidei. Et vt puniatur negligentia dominorum, & ne lites post longa tempora excitentur, & ne dominia diu maneant confusa, & incerta, & vt subueniatur animæ periculis, iusta est lex præscriptionis. At verò in contractibus sæpe læsio est sine culpa, & negligẽtia læsi: nam pretia rerum non facilè cognoscuntur, nec contrahens diu solet retinere excessum bona fide: si verò diu retineat, iam poterit præscribere. Vnde non est cur alia lege statuatur, vt à principio possit notũ excessum retinere: & saltem non videmus lege ita fuisse statutum, sed solùm negasse læso intra dimidium actionem in foro contentioso. Ergo excessus etiam bona fide acceptus in conscientia retineri non potest. *Num.* 9.

Ad secundum respondeo, scienti & omnino volenti nõ fieri iniuriam: secus si misceatur inuoluntarium. Vt hìc contingit, quia ille nollet emere rem tanto pretio, sed minori; vt suæ necessitati; vel libidini satisfaceret.

Ad tertium respondeo, illum contractum

Digitized by Google

tractum esse irritum quoad excessum; secus de ludo, vel alio contractu vetito; sed nulla ex parte irrito.

Ad quartum respondeo, illud testimoniũ August. sumptum ex epistola 4. ad Macedon. non rectè referri in quibusdam decretis; nam in suo originali, & in decreto Gregoriano sic habetur: *ab iis exorta per immoderatam improbitatem, repeti solet: data per tolerabilem consuetudinem non solem, magisque reprehendimus*, &c. & sic verba nullam habent difficultatem. Vide Conrr. *in compendio totius operis. q. 57. conclus. 5. post dictum 14. ad 1. argument.* & Salon, ac Palacios 5.

DVBIVM XXVII.

Quænam sint maximè obseruanda circa læsionem intra, vel vltra dimidium pro foro interno, & externo.

SVMMARIVM.

1 *Cùm pretium vulgare triplex sit, supremum, infimum, & medium, in læsione passiua venditoris vltra dimidium, computandum est à pretio infimo.*

2 *Quacunque modica sit læsio vltra dimidium dat actionem in iudicio.*

3 *In foro Ecclesiastico actionem dari etiam si læsio sit intra dimidium, qui asseruerim.*

4 *Læsus intra dimidium etiam à seculari, potest petere à Iudice Ecclesiastico, vt laserem ad restitutionem per censuras generales compellat.*

5 *Quando pretium est à Repub. taxatum, læsio intra dimidium potest recurrere ad Iudicẽ, qui teneatur subuenire.*

6 *Læsus intra dimidium, etiam in subhastatione, actionem habet contra ledentem.*

7 *Si læsio intra dimidium contingat per dolum, in qua mendacium, aut falsitas interueniat, datur actio in foro externo.*

8 *Is qui sciens rei valorem læditur vltra dimidium, etiam habet actionem.*

9 *Si emptor læsus vltra dimidium, & rem consumpsit, vel alienauit, ita vt non possit reddere, debet supplere pretium. explicatur n. 10. & 11.*

12 *Quod dictũ est de læso vltra dimidium in emptione, & venditione, locum habet in aliis contractibus.*

13 *Actio hæc de iure communi solùm durat triginta annis.*

14 *Hoc ius cessat per specialem renuntiationem eiusdem. explicatur numeris sequentibus.*

RESPONDEO, obseruanda esse quæ sequuntur. Primò, cùm pretium vulgare triplex sit, supremum, infimum, & medium, in læsione passiua venditoris vltra dimidium computandum est à pretio infimo, vt si rem valentem pretio infimo decem, vendidit minoris quàm quinque: & non à pretio iusto supremo, vel medio, quia emptor iustè potuit non dare nisi pretium infimum. Vnde solùm fecit iniustitiam dando minus infimo. In læsione verò passiua emptoris computandum est à iusto pretio summo, quia venditor iustè potuit non vendere nisi pretio summo: vnde ab illo exclusiuè incipit iniustitia læsionis, & obligatio restituendi in vtroque foro. Ita Mol. *disput.* 349. Reb. *de oblig. part. 2. lib. 9. q. 3. sect. 1.* Couar. 2. *Var. c. 3. n. 3.* Indicant Matiezo, *gloss. 1. n. 9. tit. 11. lib. 5.* Num. 1.

compi

compilationis. Nauar. *c. qualitas de pœnit. ꝯ. distinct. 5. n. 34. & 36.* Læsius, & alij dicentes, hos non peccare emendo, aut vendendo intra limites iusti pretij.

SALON verò 2. 2. *artic. 1. q. 77. controu. 17. in fin.* tenet, computandum esse à pretio medio: sicque facere æquos & sapientes Iudices, & sic esse faciendum in foro interno. Sed nullam adducit rationem: fortassis ea est, quòd venditor tenetur valorem rei manifestare emptori ignoranti, aut moderatum pretium exigere: de quo ꝯ.

Num 2. SECVNDO nota, quæcumque modica sit læsio, vltra dimidium dari actionem in iudicio. Reb. ꝯ. *sect. 2.* cũ Tiraquel. Saliceto, Baldo, & aliis citatis à Padilla *l. 2. C. de resc. n. 50. iuxta leg. hæc dictio plus. ff. de verborum sign.* Idem docet secundùm omnes Matienzo *l. 1. tit. 11. lib. 5. compilat.* glossa 2. *n. 43.* Petrus Greg. *lib. 25 syntagmatis iuris. c. 24. n. 2.* Conrr. *compendio de contract. q. 57. dicto 7. post 5. conclusionem.* optimè Morla *Emporio. 1. part. tit. 9. q. 18. n. 3.*

Num 3. TERTIO nota, multos asseruisse, in foro Ecclesiastico, aç proinde contra Ecclesiam, vel Ecclesiasticos dari actionẽ, etiamsi læsio sit intra dimidium, glossa *c. ea enim. §. hoc iure.* 10. *q. 2. verb. & plus.* Clemen. *l. 2. C. de resc. n. 161.* Padilla *n. 55. & 56.* Butrius *cap. continebatur, de iis quæ sunt à maiori parte capituli. & c. in ciuitate, de vsuris. n. 9.* Ananias 8. Cepola *de simulatione cõtract. præsumptione 2. n. 20.* Veroius, Gomezius, Panor. Canderinus, Ancar. Franciscus Marcus, Cardinalis, Decianus, & alij, quos citant Tiraq. *q. 1, connubialium. n. 11.* Matienzo ꝯ. imò eos sequũtur Nauar. *c. 9. de iudiciis. notab. 6. corollario 13. & c. qualitas. dist. 5. de pœnitent.* Couarr. 2. *Var. c. 4. n. 11.* Sed hæc sententia nullum habet in iure fundamẽtum: nam etiam ius Canonicũ solùm cõcedit actionẽ cõtra lædentes, quando læsio est vltra dimidium. *c. cùm dilecti. & c. cùm cauſ. de empt.* nec est vllus Textus in contrarium. Vnde eam opinionem non esse in praxi concedunt Padilla, & Decianus ꝯ. Imò Matienzus *l. 1. tit. 11. lib. 5. compil.* glossa 1. *in fin.* & glossa 8. *n. 11.* ait, neque in praxi esse, nec sustineri posse, & oppositam tribuit Ant. Burg. Decio, Curtio, Cagnolo; & Pinelo.

FATEOR tamen læsum intra dimidium, etiam à sęculari, petere posse à Iudice Ecclesiastico, vt læsorem compellat ad restitutionem per censuras generales, vel conditionales ad satisfactionẽ, vt tenet pręter Nau. Couarr. & alios citatos pro 1. sententia, Almai 4. *dist. 15, q. 2. col. 2. & lib. de auct. Ecclesiæ. colum. penult. & q.* quam vocat vespertinam, *colum. 12.* Sotus *de ratione tegend. lib. 2* Salon 2. 2. *q. 77. art. 1. controuers. 17.* Mol. *disputat. 349.* Reb. *illa sect. 2.* & sic potest intelligi caput 1. *de alienatione feudi. §. sed diuersum.* vbi dicitur, Ecclesiam non pati, contra iustitiam aliquid fieri. *Num. 4.*

QVARTO nota, quando pretium à Repub. est taxatum, læsum intra dimidium posse ad Iudicem recurrere, qui tenetur ei subuenire. Ita Petrus Ledes. 1. *p. Sum. tract. 8. c. 32. concluſ. 8. difficultate 2.* citans Orellanam. Couarr. 2. *Var. c. 4. n. 11.* Mexia *in pragmatica frument. concluſ. 2. n. 126.* Emanuel 2. *p. Summæ. c. 79. concluſ. 4.* Rationem aliqui reddunt, quia in hoc casu nõ militant rationes legum negantium actionem læso intra dimidium: cùm *Num. 5.*

enim

enim pretium sit taxatum, & consistat in indiuisibili, facilè cognoscitur læsio, & metu pœnæ rariùs committitur hoc delictũ, & in pauçis mercibus taxatur pretiũ vnde nõ multiplicantur lites. Sed melior ratio adducitur à Palacios 2. *de contractibus. c.* 1. quoniam pretium taxatur à Repub. pro vtroq; foro: ergo in vtroque standum est taxationi.

Num. 6. QVINTO nota, lçsum intra dimidium etiam in subhastatione, actionem habere contra lædentem. Bart. & alij, quos citant, & sequũtur Reb. *illa sectione* 2. Mol. *disp.* 3. 4. 9. Pinel. *l.* 2. *C. de resc. part.* 2. *c.* 2. *n.* 18. & 25. Ant. Gomez. *tom.* 2. *Var. c.* 2. *n.* 22. Angles *in* 4. *q. de emptione, dub.* 7. Consonat legi, *si quos. C. de rescin.* & expressè definitum est *lege* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compil.* & *lege* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *ordinamenti.* & *lib.* 4. *Lusitanarum ordinat. tit.* 30. *§ Inuiusmodi.* Intelligunt Mol. & Reb. si considerato illo modo vendendi adhuc lædatur quis vltra dimidium iusti pretij. Vide Matienzo *lege illa compil.* glos. 9. & Azeuedo *n.* 31.

Num. 7. SEXTO nota, si læsio intra dimidium contingat per dolum seu deceptionem propriè dictam, in qua mendacium, aut falsitas intercedit, actionem dari in foro externo contra læsorem. Patet *lege* 1. *§. persuadere. ff. de seruo corrupto. l.* & *eleganter.* 7. *(si quis affirmauerit. ff. de dolo. l. Iulianus. §. si venditor.* & *§. Idem Iulianus. ff. de action. empt. l.* & *ideo. ff. locati. l. vniuersorum. ff. de rerum permutatione.* Panor. & Ananias *in ciuitate, de vsuris.* Decius *c.* 1. *n.* 18. *de constitut.* & alij multi, quos refert; & sequuntur Couarr. 2. *Var. cap.* 4. *n.* 11. & Pinelus *l.* 2. *C. de resc. part.* 1. *c.* 1. *n.* 8.

IDEM habetur *l.* 57. *tit.* 5. *par.* Ioan. de Salas.

tita 5. vbi Greg. & *lege* 2. *tit.* 11. *lib.* 5. *compil.* vbi Matienzus, & Azeuedo. Cardosus *in praxi. verb. emptio. n.* 59. Palacios 2. *de contractibus. c.* 1. Reb. Mol. Salon 3. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. Conrr. & alij. Theol. quod malè glossa *c. cùm dilecti, de emptione*, limitat ad casum in quo dolus causam dedit contractui: nam etiam verum est quando dolus solùm incidit in contractu; discrimen tamen est, quòd quando dolus dedit causam, contractus est nullus; quando verò incidit, est validus: sed rescindendus actione doli, vt ait Zenon, & alij. Et in hoc euentu optio non datur lædenti: sed læso, an velit contractum rescindi; vel pretium suppleri, vt ait Conrr. *in compendio de contract. q.* 57. *post quintam concluſ. dicto* 7. Matienzo *illa lege* 2. glossa 1. *n.* 11. Couar. *illo n.* 11. quanuis contrarium dicat Angelus *verb. dol. §.* 9. & Sylueſt. *vreb. culpa. §.* 7.

Num 8. SEPTIMO nota, esse opinionem multorum quos citat, & sequitur Matienzo *dicta l.* 1. glossa & *n.* 35. *& sequentibus*; cùm qui sciens rei valorem lædatur vltra dimidium, non habere actionem contra lædentem. Verior tamen opinio est, illam habere, quia neque *in dicta lege* 2. *C. de resc.* neque *in cap. cùm dilecti.* neque *in cap. cum causa. de emptione.* neque in legibus Regni excluditur, neque leges distinguunt, ac proinde nec nos distinguere debemus. *l. nõ distinguimus. ff. de arbitris.* & alioqui passim excluderentur homines ab hoc remedio, quia propriæ rei pretium non præsumitur quis ignorare. *l. quisquis. C. de resc.* præterea quia rarissimè vendentes & ementes læsionem donare præsumuntur, sed emere, aut vende-

re intendunt permittentes læsionem propter necessitatem, libidinem, vel leuitatem, non propter liberalitatem, cùm etiam interdum illiberaliter de pretio contendant: & illos ab hoc remedio excludere, durum & inhumanum esset, vt significat glossa *l. venditor. verb. quæri potest. C. de resc.* & firmans Aluer. *dicta l. 2. n. 12.* probat verissimam opinionem: & priorū piis hominibus indignā. Pinelus *ead. leg. part. 1. cap. 2.* Et licet Pineli argumentis occurrere nitatur Matienzus, tamen constanter, vt veriorem hanc defendit Sarm. 1. *select. c. 2.* & venditoris ignorātiam in magna decoctione non præsumi docet glossa ordinaria *l. quisquis. C. de resc.* & communis secundùm Ant. Gabrielem *lib. 3. tomo 3. communium opinionum. tit. de emptione, & venditione.* Imò si in instrumento expressum sit, donari quod plus est, intelligendum est de modica læsione, non tamen vltra dimidium, ex adductis à Crauetta *consilio 192.* & nouissimè à Vezio *consilio 41. n. 18.*

Num 9. OCTAVO nota, si emptor læsit vltra dimidium, & rem consumpsit, vel alienauit, vt non possit rem reddere, debere pretium supplere. Mol. & Reb. s. glossa *l. 2. C. de resc.* Ant. Gom. *tom. 2. Var. c. 2. num. 22.* qui citant Ban. Bal. Sal. Castrum, & ordinationē Lusitanam. Quòd si soluendo non sit, dabitur actio venditori primo aduersùs tertium possessorem, etiam ignorantem prioris læsionis, qui tamen rem ipsam agit vel titulo lucratiuo, vel iniusto, eodem vitio læsionis intra dimidium laborante, vt cum Couarr. & multis aliis docet Matienzus *illa glossa 8. n. 24.* quod etiam in foro conscientiæ procedere affirmant Reb. & Mol. Si tamen emit iusto pretio ignorans prioris contractus læsionem, non datur actio aduersùs tertium possessorem, vt cum multis ait Matienzus *n. 24. & 25.* Mol. & Reb. s. Si tamen tertius possessor rem emit iusto pretio sciēs prioris contractus læsionem, dabitur actio contra illum, vt cum Couar. Padilla, & aliis docet Matienz. Quod limitant Reb. & Mol. cū aliis, nisi tertius possessor emerit illam rem credens illum venditorem non reddi impotentem ad soluendū primo venditori: nam si credidit manere ad soluendum primo venditori; nec malè fecit, nec iniustitiam; & sic non tenetur restituere: si tamen res vendita perempta fuerit apud emptorem absque eius culpa, non poterit à vēditore conueniri ratione læsionis vltra dimidū, ad iusti pretij supplementum, iuxta communē opinionem iuris ciuilis peritorum, quos citant, & sequuntur Matiēzus *illa glossa 8. n. 26. & sequentibus.* Gutier. 2. *pract. q. 137.* Couar. 2. *Var. c. 4. n. 14.* Morla 1. *p. Emporij. tit. 9. q. 22.* Pinelus, & alij; & ita definitum est *lege 56. tit. 5. partita 5.* vbi Greg. Lopez. *& lib. 2. Lusitanarum ordinat. tit. 5.* & ita sentiūt Mol. & Reb. s.

SED stando iuri communi magis mihi placet communis opinio Canonistarum, quos refert Matienzo, nempe emptorem debere pretium supplere, quoniam prior opinio nec Textū, nec rationem efficacem pro se habet, nisi quando bona fide res illo pretio empta fuit: tunc enim si illa pereat casu fortuito, aut sine culpa mea, non teneor ratione reiacceptæ, neque iniustæ acceptionis.

DICVNT etiam Mol. & Reb. cum *Num. 10.* Ant.

Ant. Gomez. Gutierr. Greg. Lopez, & communi Iurisperitorum quos citant, quando læsio vltra dimidium à venditore facta est, si emptor rem alienauit, consumpsit, aut deteriorem reddidit, non dari ei actionem in foro externo aduersùs venditorem, quia impediuit optionem, quã venditor ex iure habebat ad rescindendum cõtractum, vel supplendum pretium. Idem tenet Matienzus *leg. 1. glossa 1. n. 33. tit. 11. lib. 5. compil.* quia illa lex partitæ sic habet: *esto decimos que pue de hazer e demandar el vẽdedor œl comprador non siendo la cosa que se vendio perdida in muerta nin muela empeorada la si alguna de estas cosas le acaecrese ne podira despues haler tal demanda.* Propter quam legem in hoc Regno hæc opinio obtinet: contraria tamen de iure communi tenenda est cum Couar. 2.a. *Var.c.4. in fine.* & Pinelo *l. 2. C. de resc. p. 2.c.1.n.39.* quia est rationi & æquitati naturali magis consona, vt fatetur Matienzus: imò *num. 33.* rectè probat, etiam in nostro Regno dari actionem si quid illorũ accideret lite contestata.

SI verò res vendita pereat apud venditorem, Matienzo *n. 32.* cum Pinelo, & Baptista Castell. putat vẽditorem læsum vltra dimidium non posse agere ad supplementum pretij contra emptorem. Sed mihi probabilior videtur opinio Panor. & Veroij, nempe posse agere aduersùs emptorem, quia venditor est iniustè læsus, neque infortunium emptoris excusat ipsum à restitutione in foro interno, aut externo.

Num. 11. QVI D QVI D autem sit de iis in foro externo, certum est cum Mol. & Reb. in foro conscientiæ siue læsio sit vltra, siue intra dimidium, siue ab emptore, siue à venditore facta, etiamsi res perierit, læsorem teneri ad supplementum pretij, nisi bona fide rem, vel pretium consumpserit, vel factus sit ditior.

NOTA nonò, quod dictum est de læso vltra dimidiũ in emptione, aut venditione, locum habere in aliis contractibus; saltem bonæ fidei, qui numerantur §. *actionum instituta, de actionibus.* Tenent Bart. Bal. Salicetus, Angelus, Immola, Romanus, Claud. Pinel. Panor. & alij, quos sequuntur Mol. & Reb. 5. & Mor. *loco citato. q. 19.* & definitum est *l. maioribus. C. communia vtriusque iudicij. & l. 4. tit. 7. lib. 5. ordinam.* vbi Didacus Perez. *& l. 1. tit. 51. lib. 5. compil.* vbi Azeuedo *n. 27.* & Matienzo *glossa 8.* Excipe cum Reb. permutationem beneficij ex Couar. 1. *Var.c. 5.* & Mor. 5. *n. 4.* Excipit etiam Mol. locationes & conductiones redituum regionum, in quibus etiamsi cõtingat læsio vltra dimidium, negatur actio. *l. 14. & 15. tit. 9. lib. 9. compilat.* Excipit etiam Morla *q. 19. n. 8. & q. 24.* artifices, qui de aliquo opere conficiendo conueniunt, & actionem nõ habent, etiamsi vltra dimidiũ læsi sint. *l. 3. tit. 11. lib. 5. compil.* Vide alia apud Matienz. Pinelum, Padillam, Couar. Ant. Gomez. & alios. Num. 12.

NOTA decimò, actionem hanc de iure communi solùm durare 30. annis, vt ex *l. sicut. C. de præscrip. 30. vel 40. annorum*, docẽt Mol. Reb. Panor. Bart. Alue. & alij, quos citat, & sequitur Padilla *l. 2. C. de resc. n. 47.* Pinel. *part. 2. c. 1. n. 26.* Ant. Gom. *tom. 2. Variarum cap. 2. n. 22.* Couar. 1. *Variar. cap. 3. n. 13. & lib. 2. cap. 3. n. 10.* Petrus Greg. *lib. 25. Syntagmatis Iuris cap. 24.* Menochius *consilio 197. n. 86. volumi-* Num. 13.

Digitized by Google

ne 2. Azeuedo, Matienzo, Morla, Greg. Lop. & alij, licèt Craueta *consilio* 151. *n.* 31. dicat 20. annis extingui; & de iure antiquo huius Regni 30. annis extinguebatur. *l. fin. tit. fin. partita* 6. sed iam 4. anno extinguitur. *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compil. & l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *ordinam.* in Lusitania 15. annis. 4. *Lusit. ordin. tit.* 11. §. 3. in Gallia 10. annis, vt ex Molinæo referunt aliqui citati: in Valentia 3. vt refert Morla.

Num. 14. NOTA vltimò, hoc remedium cessare etiam per renunciationem specialem eiusdem. Matienzus cum multis *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *compil.* glossa 8. *num.* 42. & 43. Morla 1. *part. Empor. tit.* 9. *q.* 19. *n.* 11. Patet: quia quilibet potest iuri suo renunciare. *l. quæritur.* §. *si venditor. ff. de ædilitio edicto. l. quisquis in cõscribẽdo. C. de pactis. cap. cùm periculosum.* 7. *q.* 1. *c.* & *Apostolic. de regularib.* etiam simul, & in eodem instrumento, vt contra Calcaneum *consilio* 25. Matien. Mor. & alios ab eis citatos docent Couar. 2. *Variarum c.* 4. *n.* 4. & Gutier. *de iuramento confirmatorio. p.* 1. *c.* 26. *n.* 3. Neque autem Morla *eodem tit. q.* 2. & 24. *n.* 7. cum aliis docet, idque diximus *notabili* 7. donationem læsionis intelligi de modica, & intra dimidium.

Num. 15. ET quamuis in Lusitania 4. *ord. tit.* 30. §. *penul.* omnis donatio læsionis etiam notæ, & omnis renunciatio huius actionis sit irrita: idémque in Castella, nisi renunciatio sit iurata, probabiliter colligat Mol. *disp.* 349. *ex l.* 56. *tit.* 3. *partit.* 5. Idémque de iure communi docent Ant. Gomez & Pinelus propter fundamenta relata à Mol. Verior tamen opinio est de iure communi, & huius Regni, renunciationes solas sine iuramento excludere hoc remedium. Si tamen renunciatio solùm sit generalis, nempe omnium beneficiorum sibi competentiũ, non excludere hoc remedium tenent Mat. ẽ. *n.* 8. Mor. ẽ. *n.* 11. & *q.* 24. *n.* 6. Sed fortè probabilius est quod tenent alij citati à Mat. *illo n.* 8. renunciatione generali excludi. Item si læsio intra dimidiũ sit enormis, nec per renunciationem specialem excludi hoc remedio docet Couar. *ibi.* Dicitur autem hic enormis, si sit multùm vltra dimidium, vt ait Couar. *n.* 5. & Gom. *consilio* 198. Greg. Lopez *illa lege partitæ.* Reb. & alij, licèt Cardosus *in praxi Iudicum, verb. emptio. n.* 59. omnem actionem vltra dimidium vocet enormem, eam verò quæ est multùm vltra dimidium, enormissimam.

Num. 16. PER iuramentum de non contraueniendo huic contractui, etiamsi non renuncietur huic remedio, excluditur, vt ex lege illa partitæ, & aliis iuribus docet Mol. ẽ. Morl. *illa q.* 19. *n.* 12. Mat. *dicta glossa* 8. *n.* 45. & *seqq.* Menoch. *consilio* 2. *n.* 358. multos alios referens. Excipiunt ferè omnes præter Padillam, nisi læsio vltra dimidium enormis sit, vt refert Mat. *illa glossa* 8. Ant. Gomez *tom.* 3. *lib.* 3. *communium opinionum. verb. emptio. n.* 80. *decis. Pedemont.* 41. Vezius *cons.* 12. & 58. Morla *quæst.* 19. *num.* 13. quia talis læsio æquiparatur dolo. Si quis tamen expressè iurasset se non acturum de enormi læsione, excluderetur ab hoc remedio, nisi, vt ait Reb. ideo iurasset, quia credidit se non ita lædi.

Num. 17. ALIQVI etiam excipiunt minorem 25. annis, mulierem & rusticum, quos dicunt per tale iuramentum non amittere hoc beneficium, sed

sed restitutionis in integrum. Communis tamen opinio est, ab vtroque excludi, vt docent Reb. *illa sect.* 2. Matien. *illa glossa.* 8. qui alios referunt. Morl. tamen cum Gutierrez, Padilla, Pin. & Mencha, priorem opinionem tenet *illo. n.* 12. *& quæst.* 24. *n.* 7. si tamen specialiter vtrique beneficio renunciauerunt in iuramento, ab vtroque excluderentur, vt dicunt Padilla, & Gutier. si quis iurauerit animo donandi id in quo defraudatus sit, teneri iuramẽto, nec posse relaxari; excipit Lusitaniam, in qua iuramentũ est irritum, nisi ex Regis facultate fiat. 4. *ordi. tit.* 3. Eadem ratione possem Castellam, & Valentiam excipere: nam *lege* 6. *tit.* 1 *lib.* 3. *ordinam. & lege* 12. *tit.* 1 *lib.* 4. *compil. & fuero* 11. Valentiæ cauetur ne vllus cõtractus fiat in quo interponatur iuramentum; quòd si interpositum sit, nullius fore momenti; & tabellionem officio priuari. Ideo Morl. ait, in his Regnis iuramentum potiùs obstare exclusioni huius remedij: & an Principes seculares potuerint has leges facere, tractant Pinel. & Pad. citati à Morl. *illo n.* 12. quãuis addat, posse has leges explicari cum Segura, Gomezio, Couar. Peres, Padilla, & Pinelo, vt procedant in contractibus per se validis de iure: secus in illis qui absque iuramento non valerent, vel facilè rescindi possent, vt hic contractus, quia quoad læsionem est nullus, quoad substantiam verò rescindi debet; nisi pretium suppleatur.

ADDIT Mol. etiamsi iuramentum factum esset sine animo donandi, seruandum esse, vbi non est irritum, nisi relaxetur.

DVBIVM XXVIII.

An cariùs vendi res possint externis quàm indigenis, quando externi pecunia abundant, vt cùm classis Indica, aut Rex cum nula ad oppidum aliquod venit.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Molina in casu proposito affertur.*
2 *Sententia Lasij præfertur, qua affirmat.*
3 *Explicatur.*

MOL. *disp.* 346. ait, communiter nõ licere externis quàm naturalibus cariùs vendere, vt patet *c.* 1 *de empt. & vend.* quod intelligunt Conr. *de contract. q.* 51. & Med. *de restitut. q.* 30. *art.* 4. & alij, quãdo limites iusti pretij exceduntur: sed in casu proposito cẽset Mol. non esse damnandum, quòd tunc res cariùs vendantur externis illis quàm indigenis, si pro vtrisque sit satis magna copia: nam respectu illorum externorum qui pecunia abundant, & plurima emere volunt, res istæ censentur pluris valere quàm respectu indigenarum: si tamẽ res non sufficerent pro vtrisque, augerent pretium absolutè respectu omniũ: neque venditores permittendi essent vendere cariùs exteris, vt viliùs detur indigenis. *Num.* 1.

HOC non reprobat Læsius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 4. *n.* 30. sed addit: *Vel dic po-* *Num.* 2.

Digitized by Google

test vtroque casu accrescere pretium respectu omnium, neque vēditores teneri minoris vendere indigenis, quā aduenis; tamen cōsuetudine receptum esse, vt indigenis fiat gratia, eo quòd incrementum illud sit fortuitum, & transiens, non enim est illicitum vendere cariùs exteris quàm incolis, modo limites pretij rigorosi non excedantur cum exteris.

Num. 3. Hæc secunda sententia magis mihi placet, alioqui liceret indigenis diuitibus cariùs res vendere quā pauperibus incolis vendi possent. De illa verò consuetudine, credo vniuersalem non esse, posse tamē Rempub. si expedire videret, taxare pretium pro indigenis minùs quàm currens pro exteris.

DVBIVM XXIX.

Vtrùm mercatores possint cariùs vendere, quàm alij vendere soleant.

SVMMARIVM.

1. *Mercatores possunt res cariùs vendere quàm alij, si res in valore mutata est.*
2. *Etiamsi res in valore immutata sit, possunt cariùs vendere.*
3. 4. 5 *Tres occurrentes sententia impugnantur.*

Num. 2. RESPONDET Læsius *lib. 2. de iustit. c. 21. dub. 4. num. 24.* cum Medina *de restitutione, q. 3.* in quo nihil inueni: & Caier. *2. 2. q. 77. articul. 1.* id posse, quia pretio æstimabile est, quòd curas & cogitationes suas in rebus conquirendis, conseruandis, & distrahendis assiduè impendant, aliásque multas lucrandi occasiones omittere cogantur: hinc fieri, vt pluris æstimentur res dum vendēdæ sunt à mercatore, quàm dum venduntur à milite, vel mechanico, quia fortuitò rem obtinet, & vendit: interdūque dicit Læsius paulo pluris à mercatore vendi posse; interdum multo pluris: addit etiam non ideo posse mercatorem pluris vendere quàm lege, vel cōmuni æstimatione sit præscriptū, quia in cōstitutione pretij habita est ratio officij mercādi. Secūdò addit; si ille qui vendit aliquid, ex occasione tātùm exigat quātùm solēt mercatores, nō facere iniuriam emptori, modò res sit æquè bona, quia potest eam vēdere pretio currenti, etiamsi ipse curas & impensas non habuerit quas mercator: non enim necesse est ipsum subiisse omnia incommoda, ex quibus æstimatio creuit, vt ipsam æstimationem petere possit; neque obstat quòd minoris in manibus eius æstimetur, quia non ideo minoris æstimatur, quia re vera minùs valeat suppositā voluntate eam opportunè vendendi: sed quia tales nolūt, vel nesciunt opportunitatē spectare, & vltrò seemptoribus ingerunt.

Hæc optimè Læsius. Vnde intelliges, pretium currens statutum esse pro omnibus, attendēdo vt etiā mercatores lucrum rationabile cōsequantur, quod etiam alij habere possunt, licèt minores curas & labores impenderint: sed illud sæpe non obtinent, quia non spectāt opportunitatem, & ex modo vendendi res suas vilescere faciunt.

ADDE ex Medina *de restituti. q. 32. Num. 1.*

in

in fin. mercatorem posse cariùs vendere quàm sibi constet, non solùm quando res in valore intrinsecè, vel extrinsecè mutata est, sed etiam si sit penitus immutata: idque non solùm quando fuit empta in gradu pio aut modico; sed etiam extra illum casum, quando ratione lucri cessantis, vel damni, aut grauaminis quod patitur venditor, maiori pretio quam sit summum, vendita est, aut quando minori pretio emit ratione donationis admixtę; de quo dicā *dubio sequēti*. Vnde, malè Henrriq. *quodlibet.* 1. *q.* 40. putat, per se loquendo, non esse licitum rem immutatam cariùs vendere quàm empta sit.

Num. 3. SECVNDO adde ex Mol. *disp.* 251. improbabilem esse sententiam cuiusdam qui dixit, mercatorem qui merces vendidit pretio infimo non teneri ex iustitia, & cum obligatione restituendi: sed tantùm ex fidelitate stare contractui; quòd si merces tradidit, posse occultè facere compensationē vsque ad pretium summum.

Num. 4. TERTIO adde, falsam esse quamdam regulam Scoti 4. *distinct.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *ad fin.* & Maioris *q.* 41. dicentium, iustum pretium Regni arbitrandum esse iuxta expensas factas à mercatore in emptione, asportatione, & asseruatione mercium, & iuxta industriam, labores, & pericula, quæ in iis interuenerunt. Vnde colligunt, si casu pereat nauis, licitè posse ad damnum compensandum alias merces cariùs vendere in eadem Repub. in qua erant vendendæ. Sed meritò hanc regulam cum suo corollario reiiciunt Sotus 6. *Iustitia. q.* 2. *art.* 3. Couarr. 2. *Var. c.* 3. *n.* 4. Med. *de restitut. q.* 31. Grafis *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 112. *n.* 15. & 18. Conarr. *de contractib. q.* 56. Mercado *lib.* 1. *c.* 10. Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. *controuersia* 9. *ad fin.* Petrus Ledes. 2. *part. Sum. tract.* 8. *c.* 32. *concluf.* 7. Reb. *de oblig. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 2. *sect.* 7. Læsius *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 29. & alij communiter: neque enim ex priuatis periculis fortuna flante, vel reflante, prudentia, vel ignorātia mercatoris pretia arbitranda sunt: sed ex iis quæ communiter, & per se accidunt mercatoribus; vt si communiter, & per se loquendo, oporteat magnas expensas facere, labores, & pericula subire, industriam adhibere, &c. Sic *l. pretia rerum. ff. ad legem Falcid.* dicitur, *pretia rerum non ex affectu, neque vtilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est, taxantur & definiuntur, vt exponit Læsius *illo cap.* 21. *dub.* 2. nisi fortè legendum sit *fingūntur*, vt legit Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. vbi cum Med. 5. aliam Scoti regulam reiicit, dicentis, tantùm posse mercatorē lucrari, quātùm Respub. illi decreuisset lucri, si eum cōduxisset vt merces aduehere: nam aliquando accidit, vt mercator nihil iustè possit lucrari, vt si Respub. ea re abundat; & aliquando etiam multo plus lucratur quàm Respub. ei decreuisset, propter varia quæ breui possunt euenire, & pretium augere. Idem ait Led. Mercado, & Grafis 5. Et licèt Angles eam regulam probarit *q. de empt. dub.* 2. *concluf.* 3. tamen ab ea recedere videtur *dub.* 3.

Num. 5. QVARTO adde, falsum esse quod ait Grafis 5. *n.* 16. cum Sylvest. *verb. emptio. q.* 10. posse mercatorem cariùs vendere ratione laborum, & expensarum quas subiit in rebus conquirendis, aduehendis, & conseruandis, quando eas affert ad locum, in quo antea nullum pretium habebant; quia

Digitized by Google

quia ibi non vendebantur, nisi limitetur cū Læsio ſ. ad expensas, & labores per ſe requisitos, & non ratione infortunij, vel imprudentiæ, horum enim nulla ratio habenda est.

DVBIVM XXX.

An ratione damni emergentis, vel lucri cessantis possit aliquis carius vendere rem quàm per ſe valet.

SVMMARIVM.

1. *Ratione damni emergentis potest quis carius vendere rem quàm per ſe valet.*
2. *Quid reducatur ad damnum emergens.*
3. *Ratione lucri cessantis potest aliquid exigi vltra rei valorem.*
4. *Venditor debet emptori significare causam cur tantum exigat.*
5. *Quid lucrum cessans ſit.*
6. *Non oportet vt venditor rogatus, & ad instantiam emptoris vendat.*

Num. 1. RESPONDETVR, ratione dāni emergentis omnes concedere id fieri posse, quia tūc non tantùm venditur res nuda; ſed etiam commodum venditoris, quo non tenetur gratis ſe priuare: ergo etiam huius æstimationem exigere potest, etiamſi res habeat pretium lege taxatum. D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. vbi Caiet. Bannes, & Aragon, Salon *controuersia* 18. Valen. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. §. 2. & 5. Læsius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 4. Mol. *disp.* 351. Petrus Nauarr. 3. *de restitut. c.* 2. *n.* 23. Medin. *de restitut. q.* 32. Nauarr. *c.* 23. *n.* 84. Conrr. *de contr. ſt. q.* 57. & 58. Sylueſter. *verb. emptio. q.* 6. & 7. Sotus 6. *Iust. q.* 3. *art.* 1. Grasis §. 1. *decis. lib.* 2. *c.* 112. *n.* 19.

Num. 2. AD damnum emergens reducitur ſi venditor peculiari voluptate & oblectatione ſe priuet, quam de re capiebat, propter peculiarem affectum ad illam, vt docet Nauarr. Læsius, Mol. Valen. Salon, Grasis, & alij. Sed limita, nisi affectus ille particularis imprudens esset & temerarius, vt notant Mol. Læsius, Salon, Grasis, & alij: debet enim habere fundamentum rationale, & proportionatum augmento pretij.

Num. 3. DE lucro verò cessante, licèt in venditione & mutuo, de quo eadem est ratio, videatur contradicere D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. Durand. 3. *dist.* 37. *q.* 2. tamen communis & vera doctrina est, pro illo posse aliquid exigi. Sylueſter *verb. vsura.* 1. §. 19. Nauar. *c.* 17. *n.* 21. & *c.* 23. *n.* 82. Adrianus *in* 4. *q. de vsura.* Caiet. *verb. vsura.* & 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. & 7. *art.* 2. Bartol. Med. 1. *Sum. cap.* 14. §. 25. Garsi. 1. *de contractib. cap.* 8. *n.* 216. Emanuel 2. *part. Sum. cap.* 78. *conclus.* 4. Valen. Læsius, Med. Petrus Nauarr. Salon, Grasis, & alij ſ. Conrr. *de contract. q.* 30. Med. *de rest. q.* 88. & 3. *de vsura.* Ratio est, quia cessatio lucri damnum quoddā est pretio æstimabile, quod non tenetur homo dare gratis. D. Thomam, & alios antiquos in bono ſensu explicant Valen. & Sylueſter: vnde immeritò Sotus 6. *Iust. q.* 1. *art.* 3. cum Innocent. *c. fin. de vsuris*, putat minùs probabile, & contra Doctores antiquos licitum esse aliquid exigere ratione lucri cessantis, non violenter impediti.

Num. 4. ADVERTE autem primò cum Læsio, Mol. Salone, & aliis, venditorem debere emptori significare causam

causam cur tantùm exigat, vt videat emptor an velit incommodum venditoris compensare: nam nisi compensatio deducatur in pactum, non potest exigi. Sic intellige D. Thomam *de malo q. 13. art. 4.* vbi ait, non esse attendendum damnum venditoris.

Num. 5. SECVNDO aduerte, exemplum lucri cessantis poni solere, si constitueras rem seruare in tempus, vel transferre in locum, vbi plus lucraberis; & si lucrum detractum sit certum, de illo poteris paciscì detracta æstimatione laboris, curæ, periculi, & expensarum in seruatione, vel transportatione. Si verò sit dubium, detrahi aliquid debet pro ratione dubij: vnde *c. in ciuitate, de vsuris* dicitur, cum qui rem erat seruaturus in aliud tempus, posse illam vendere illo pretio, quo plus, minúsue putabatur valitura, id est, pretio medio inter summum, & infimum. Vide Couar. *2. Var. c. 3. n. 6.* Secundò potes paciscì de pretio indetracto, id est, vt emptor soluat quātùm cuētus ostendit communiter valere eo tempore, quo statueras vendere, detracta tamen æstimatione custodiæ, & periculorum: non tamen potes paciscì vt soluat tibi summum pretiū, quod tunc valebit, quia non es certus te eo venditurum, si rem asserues & ita non cessat tibi hoc lucrum. Detrahenda est ergo æstimatio illius certitudinis, id est, quanti æstimatus esse certum de summo pretio.

Num. 6. TERTIO aduerte, non oportere vt venditor rogatus, & ad instātiam emptoris vendat, vt dixêre Sylueſten *illa q. 6.* & Grafis ſ. nihil enim refert quòd vnus, vel alter contractum inchoet, vt ait Valentia *illo §. 5.* cum Nauar. & Soto: nec vt saltem in gratiam emptoris se offerat ad vendendū: sed satis est quòd simpliciter cesset ei lucrum, quod tamen simpliciter non cessat quando indiget pretio ad vitanda maiora, vel æqualia damna: nam ea vitare lucrum etiam est, quo aliud lucrum cessans compensatur. Vide Mol. ſ. & *disp. 315.*

Ioan. de Salas.

DVBIVM XXXI.

An ratione donationis admixtæ possit res cariùs vendi quàm valeat.

SVMMARIVM.

1 Conclusio affirmatiua.

Num. 1. RESPONDETVR posse, siue pretium sit lege taxatum, siue fori vsu constitutum, vt docent. Med. *q. 31. 32. & 36. de restitutione.* Conr. *q. 57. & 58. de contractibus.* Mol. *disp. 351.* Nauar. *c. 9. de iudiciis. notab. 6. n. 61.* Salon *2. 2 q. 77. art. 1. controu. 18. & q. 78. art. 2. controuers. vlt.* Valentia *q. 22. disp. 5. q. 20. puncto 2. §. 2.* Emanuel *2. part. Summæ c. 67. n. 7. & c. 79. n. 14.* Merc. *1. de contract. c. 10.* Grafis *part. 1. lib. 2. cap. 112. n. 12.* Ledeſ. *2. part. Summæ tract. 8. cap. 32. difficult. 33. de taxa.* & res est clara. Difficultas tamen est quando præsumatur vera donatio; de quo vide citatos. Mihi verò non placet quod ait Sa *verb. venditio. n. 20. quod parum est, censetur emptor, & venditor condonare inuicem.*

AN verò venditio minori pretio facta, in eo quod pretium excedit,

Digitized by Google

censeatur donatio, vide Matienzo *l. 12. tit. 6. glossa 2. & l. 12. tit. 10. gloss. 7. lib. 5. compil.*

DVBIVM XXXII.

An si emptore inscio sciam pretium mercis meæ minuendum, possim eam vendere pretio currente.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans partem affirmatiuam esse contra iustitiam.*
2 *Probatur hæc sententia.*
3 *Vera sententia affirmans, licitum esse vendere pretio currente in casu posito.*
4 *Confirmatur hæc opinio num. seqq. 5. 6. 7.*
8 *Ad argumenta contraria respondetur.*

Num. 1. VERBI gratiâ, accepi literas, magnam copiam aliunde aduehi, vel breui in lucẽ proferendam, quæ actenus suppressa fuit, vtrùm possim id dissimulare, & vendere pretio vsitato? Disputatur hoc apud Ciceronem tertio Officiorum inter Antipatrem, & Diogenem Babylonicum. Antipater vult esse contra officium boni viri; Diogenes negat. Vtrùm autem sit cõtra iustitiam, non clarè exprimunt. Cicero verò id clarè affirmat, & Med. *de restitut. q. 35* Conrr. *de contractib. q. 62. 63. & 76.* Bart. *l. quæro. ff. de action. empti.* glossa *l. contra legem. ff. de legibus.* Romanus, & alij Iurisperiti, quos refert Couar. ℣. Emanuel 2. *part. Sum. cap.* 81. *n.* 10. male pro se citat Gabrielem, Sotum, Cordubensem, & Couar.

Pro hac sententia arguitur primò, quia merces ob proximè futuram abũdantiã decrescunt in pretio secundùm communem æstimationem, ob penuriam proximè futuram crescunt: ergo qui eas tunc venderet pretio minori cutrenti, iniuriam faceret emptori cum onere restituendi. Secundò, quia si scias internam mercis bonitatem breui minuendam, peccabis contra iustitiam vendendo illam, nisi emptorem admoneas, vel saltem quãtùm æquũ fuerit de pretio minuas, vt patet *ex l. si vina. ff. de actionib. empti*, decernente, venditorem teneri de damno emergenti, vel lucro cessante, nisi admoneat emptorem, sciens vinum quod vendit, breui duraturum. Idem est si quis vendat equum sciens breui moriturum, vel contracturum notabile aliquod vitiũ, vel infirmitatem. Ergo similiter si communem æstimationẽ, & rei valorem breui diminuẽdum præintelligas: neque enim minùs in vtroque euentu emptorem læseris. Confirmatur: nam si merces fisco obnoxiæ fuissent, venditor teneretur ad satisfactionem, nisi id emptori detegeret, vel in pretio descenderet. Idem videtur si liber aliquis periculum prohibitionis haberet, quod non detegeretur emptori, sed libero pretio currente venderetur: ergo similiter in isto casu. Tertiò, quia iustus valor nõ ex quacumque æstimatione sumitur, sed ex prudenti & discreta, qualis non est illa quæ ex ignorantia & errore ciuium procedit, cùm, si scirent proximam rerum abundantiam, non tanti æstimassent: ergo non ille qui modò currit, est verus & iustus valor, sed putatiuus. Ergo, qui Num. 2.

secundùm

secundùm illum sciens vendit, peccat, & ad restitutionem tenetur. Cõfirmatur: nam actus qui sit ex ignorantia est inuoluntarius: sed emptor tunc ex ignorantia dat tãtum pretium; si enim sciret copiã superuẽturam, non daret: ergo dat inuoluntariè; & sic non potest, à venditore retineri ille excessus. Quartò, quod parum distat, nihil distare videtur; Arist. 5. *Ethi.* Sed si merces iam essent præsentes, pretium similium decresceret: ergo similiter si breui venturæ essent. Quintò, aliàs mercator sciens eras hanc ciuitatem obsidendam, posset celeriter suas merces pretio currente diuendere, non monitis emptoribus de impendenti periculo. Item sciens aulam citò discessuram, ac proinde pretia elocationum esse minuenda, posset modò domum locare pretio currenti; item posset vendere triticum pretio currenti, etiamsi sciens citò promulgandum decretum de minuendo pretio. Item si sciret breui minuendam, vel exauctorandam pecuniam aliquam, posses hodie omnẽ illam cambire, mutuò dare, vel ex ea rem emere; quæ omnia videntur absurda: nam redunt in magnam aliorum perniciem. Ergo.

Num. 3. TENENDVM tamen est cum Diogene, licitum esse vendere pretio currenti. Ita D. Thomas 2. 2. q. 77. *ar.* 3. *ad* 4. Cajet. *ibi.* Banncz *dubio* 4. Arag. *dubio* 2. Valen. *disp.* 5. *q.* 20. *punct.* 4. *post medium*, Mol. *disp.* 354. Angles *de empt. in fin.* Tolet. *lib. de septem peccatis c.* 10. *n.* 3. Rebel. *de obligatio. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 6. Lessius 2. *Iustitia. c.* 21. *dub.* 5. Sotus 6. *Iustitia q.* 3. *ar.* 2. *ad* 5. Gabriel 4. *dist.* 15. *q.* 10. *ar.* 3. *dub.* 3. & alij referendi. Supponit autem Aragon tria, tanquam certa, quæ fatetur Emanuel 3. & partim Med. Primum est, si res statim consumenda est, integro pretio currenti vendi potest; ad illum enim vsum tãti communiter æstimatur, etiamsi communiter nota sit futura abundantia. Secundum est, si superuentura abundantia vtrique sit ignota, rem vendi posse pretio currenti sine vlla iniustitia, vel obligatione restituendi. Tertium est, si vtrique est nota, idem esse, quia scienti, & volenti non fit iniuria. Secundum, & tertium dictum expressè concedit Med. solùm ergo est controuersia quando soli venditori est nota abundantia superuentura, & in hoc euentu, licèt prima opinio sit satis probabilis, tamen secunda est probabilior.

PROBATVR primò, quia res iustè vendi potest iuxta communem æstimationem pro tempore vigentem: nam iustum pretiũ est vel quod Principis lege, vel cõmuni æstimatione constat, etiamsi in ignorantia & errore fundetur: alioqui etiam qui ignorantes futuram abundantiam, currenti pretio vendidissent, tenerentur postea restituere; quod etiam aduersarij negant. Confirmatur primò, quia non minùs valet merx scientis quàm ignorantis: ergo si merx ignorantis est digna pretio currenti, etiam merx scientis. Cõfirmatur secundò, quia scientia non minuit pretium nisi minuendo communem æstimationem, sed illa non minuit communem æstimationem: ergo nec pretium. Confirmatur tertiò, quia si circumstantia communiter ignorata minueret pretium, ergo qui venderet cariùs quando non sperabatur pluuia, si subitò superue- *Num. 4.*

niret, teneretur restituere; quod falsum est, siue ex Astrologia, siue ex agricultura, siue ex reuelatione quis sciret pluuiam futuram, & venderet pretio currente.

Num 5. SECVNDO, principaliter probatur, quia priuata scientia venditoris cõmunem æstimationem non mutat, sicut nec priuata scientia emptoris, alioqui emptor non posset pretio currenti emere, si sciret pretium esse augendum; quod tamen falsum esse constat exemplo Iosephi, *Gen.* 41. qui sciens postea futuram maximã caritatem, omne frumentum Ægypti pretio currenti comparauit: & Thales Milesius apud Aristotelem *1. Polit. c. 7.* per Astrologiam sciens futuram oliuarum sterilitatem, emit magnam copiam olei.

Num. 6. TERTIO, si sciat frumenti pretiũ auctum iri, non potest suum nunc vendere cariùs: ergo quamuis sciat minutum iri, non cogitur tunc vendere minoris.

QVARTO, aliàs qui haberet in animo post triduum vendere magnã copiam frumenti, non posset hodie vendere illud pretio currenti, quia scit post triduum minuendum esse pretium propter magnam copiam, quam venalem exponit; & mercatores initio nundinarum non possent vendere pretio currenti; quia sciunt in fine nundinarum propter paucitatem emptorum minuendum esse pretium. Consequens est falsum: ergo.

Num. 7. DENIQVE hæc opinio est in praxi apud mercatores timoratos sine vlla contradictione cõfessariorum, & eam præter citatos tenent Syluester *verb. emptio. q. 15. n. 16.* Rosel. n. 29. Armil. *n. 21.* Angelus §. 26. Tab. *q. 12. n. 13.* Lopez *1. p. negotiantium, lib. 1. c. 46. ad argumenta.* Vega *verb. compras. casu* 47. Ledes. *2. p. Sum. tract. 8. c. 32. conclus. 12. in fin. & conclus. 13. difficult. 2.* Comitolus *lib. 3. q. 32.* Ioan. Nidel. *tract. de mercatura. c. 1.* Alex. *6. dierum gentilium:* Couar. *reg. peccatum. p. 2. §. 4. n. 6.* Cordubensis *lib. 1. q. 14.* Salon *2. 2. q. 77. art. 3. contron. vlt.* Pinel. *l. 2. C. de rescind. p. 3. c. 2. n. 24.* qui adducit Bal. & Fulgosium. Couar. autem adducit Franciscum Valdunum.

Num. 8. AD primum argumentum primæ opinionis respondetur, quando proximè futura abundantia est communiter cognita, rem communiter minùs æstimari, secus quando soli venditori, vel paucis aliis est nota. Similiter penuria proximè futura solùm auget pretium cùm est communiter nota.

AD secundum respondetur, quãdo intrinseca bonitas mercis breui minuenda cognoscitur ex intrinseca dispositione ipsius, si non sit statim consumenda, minùs valere in ordine ad vsus humanos, & ideo pretiũ debere minui, etiamsi à solo venditore cognoscatur. Secus est de abundantia proximè futura: non enim reddit rem minùs aptam humanis vsibus, vel vitiosam. Vnde si communiter non sit nota, sicut non variat communem æstimationem, ita nec pretium. Quare potest venditor, licèt illam cognoscat, vendere suas merces sicut antea. Similiter ad confirmationem dico, rem confiscãdam, & librum prohibendum minùs aptã esse humanis vsibus; ideo eo ipso minoris pretij esse, & venditorem debere in pretio descendere: quod de re confiscanda Mol. & Reb. alia probant

Digitized by Google

bant ratione, nimirum quia ex vitio domini moraliter adhærere censetur vitium ipsi rei; & in casu libri prohibendi Lopez & Salon dicunt, cùm non soleat prohiberi nisi propter vitium ipsius, vel auctoris, descẽdendum esse in pretio; sicut quando aliæ res vitiosæ venduntur.

Ad tertium respondetur, æstimationem illam esse prudentem, dum sit ex circunstantiis, quæ cõmuniter sciri possunt: euẽtus enim futuri non possunt sẽper à vulgo cognosci: vnde ex illis nõ debet sumi æstimatio rei.

Ad confirmationem respondeo, quamuis ille contractus procedat ex ignorantia emptoris, & sit quodammodo inuoluntarius, validum tamen esse, quia simpliciter est voluntarius, & nulla interuenit iniustitia, sicut contractus factus metu iustè incusso, validus est, licèt admixtum habeat inuoluntarium.

Ad quartum respondetur, abundantiam præsentem, vel imminentem, si passim nota sit, minuere pretiũ: secus si cõmuniter ignoretur, vnde etiamsi merces sint in portu, vel oppido, si id vulgò ignoretur, non decrescit pretium, & potest suas vendere merces, sicut si ibi aliæ nõ essẽt, vt docent Læsius, Arag. Vega, & Sal. 3. & Nauarr. 3. *de restit. dub.* 8.

Ad quintum respondetur, illa omnia quæ absurda putat Med. meritò concedi à Reb. Læsio, Comit. Mol. Valen. P. Nauar. Bannez, Arag. Salone, Ledes. & aliis auctoribus nostræ sententiæ. Quamuis in casu de locatione domus, cognito recessu aulæ, dissentiat Valen. quadam ratione; quam non bene capio, & in casu legis de minuendo valore monetæ, vel frumenti Mol. & Reb. dicant, si occasione illius scientiæ plus tritici pretio currente vendideris, vel monetæ distraxeris, quàm esses venditurus, vel distracturus, teneri te ad restitutionem, etiamsi nec sis Rex, nec de consilio Regis, quia notitia legis, quæ omnibus debet esse communis, vteris in aliorum detrimentum. Citant Bart. & Couarr. 3. & Pinel. 3. *num.* 22. & 23. & Albarum Valas. *consilio* 184. *num.* 8. Idem tenent Baldus, & Matthæus de afflictis, citati à Pinelo: sed Fulgosus ab eisdem relatus absolutè docet, opinionem Bart. nec in iure subsistere, neque in praxi seruari: & Petrus Nauar. Cord. Salon, Bannez, Ledes. Arag. & Comitolus absolutè fatentur iniustum non esse tunc vendere pretio currenti. Idẽ ait Couar. in foro interno, licèt in externo dicat non licere.

Ego verò cum Læsio sentio, Principem, eiúsque consiliarium teneri ad restitutionem, si scientia legis promulgandæ ipsi, vel aliis ex eorum negligentia vertatur in cæterorum detrimentum: quia tenentur ex officio illud vitare, reliquos verò minimè. Ita sentire videntur Paulus, & Romanus à Pinelo citati, præterea que Læsius tribus rationibus, quas apud illum videbis. Neque oppositum tenent Bart. aut Couar. loquũtur enim de foro externo, & possũt de solis cõsiliariis explicari.

Addit bene Læsius, si consiliarium, vel Principem muneribus corruptum induxisti, vt tibi decretum ante promulgationem patefaceret, & ideo merces tuas cum graui aliorum damno, pretio currenti distraxisti, te teneri restituere.

An verò sit licitum, pecuniam quam scio breui minuendam, vel deponendam cum obligatione habendi postea eundem valorem, mutuò dare? Syluest. *verb. usura.* 1. *q.* 15. & Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 3. putant esse vsuram; sed parum consequenter, & falsò, vt docent Cord. P. Nauar. & Arag. siquidem hìc communi æstimatione, vel ex lege tantùm valorem nunc habet. Idem ait Nau. de cambio.

DVBIVM XXIII.

Quid dicendum in aliquibus difficultatibus circa præcedentem doctrinam occurrentibus.

SVMMARIVM.

1 Prima difficultas; an peccet contra charitatem qui res mox in pretio minuendas, vendit pretio currenti? conclusio negatiua.

2. 3 Secunda difficultas, vtrùm si quis rogatus an futura sit maior copia, dicat se nescire, peccet contra iustitiam, & restituere teneatur? conclusio negatiua; secus tamen si non rogatus mendacio induxit alterum ad emendum.

4 Tertia difficultas; an quando nullum est pretium currens, debeat venditor in positione pretij attendere proximam aliarum similium rerum abundantiam? conclusio negatiua.

5 Quarta difficultas; an si venditor sciat, vel putet emptorem non velle ad vendendum postea, & ideo notabile damnum passurum, teneatur ei veritatem aperire? conclusio negatiua.

PRIMA difficultas est, an iste non peccet contra iustitiam, qui merces paulo pòst minuẽdas in pretio, nunc vendit pretio currenti, peccet tamen contra charitatem, vel aliam virtutem? Couar. & Pinel. §. affirmant; imò Couar. ait, talem esse puniendum. Dico tamen regulariter, & per se loquẽdo, non esse contra charitatem, vel aliam virtutem: indicat D. Thomas *illa responsione ad* 4. dicens abundantioris fore virtutis si pretiũ minuat, & futuram copiam exponat. Ita tenent Læsius, Bãnez, Mol. Sal. & Ledesma. Ratio est, quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi inde par damnum proximo suo obueniat. Nec probo quod ait Reb. si ita vendendo non solùm indẽnis, sed etiam locupletior euadas, & notabile damnum alij inferas, fore quandam inordinatiõnẽ contra charitatem, rationem, & humanitatẽ, quia inordinatum est cum alterius notabili iactura locupletari. Fateor tamen cũ Læsio, Bannez, Arag. Sal. Reb. & Led. interdum fore contra charitatem, vt si nouerim alterum ex emptione incursurum extremã, vel grauem necessitatem: nam si tali necessitati teneor ex charitate succurrere, à fortiori in illam non inducere, nisi ego in similem necessitatẽ essem incursurus, quia non potero vendere triticum, nisi illum, vel alium in talem pauperiem iniiciendo, cùm non possim huic diuiti, vel aliis vẽdere tantam copiam frumenti. Num. 1.

SECVNDA difficultas est, an si quis rogatus an expectentur naues, vel futura sit maior copia, dicat se nescire, peccet contra iustitiam, & teneatur restituere? Læsius benè ait, non teneri Num. 2.

teneri ad restitutionem, quia non tenetur cum tanto suo incommodo veritatem aperire. Imò Arag. Bannez, & Salon putant non teneri ad restitutionem, etiamsi dicat non fore copiam, quia hoc mendacium est officiosum; cùm solùm inducat ad contractum iustum, & deseruiat ad vitandum proprium damnum; sicut si pauper astans ostio diuitis, & expectans eleemosynam, ne sibi sit minor, dicat alteri pauperi accedenti, iam esse datam, vel dominum abesse, non tenetur ad restitutionem: secus si diues, vel alius, cuius nihil interest, sic mentiretur: censetur enim causa nocendi, & perniciosè esse mendax; cùm ex eo mendacio nec bonum assequatur, nec damnum effugiat. Quam sententiam probabilem putat Læsius, si ille in hoc non esset censēdus fide dignus, qui enim credidit illi, suæ leuitati imputet, si quid inde incommodi sentiat. Et generatim Læsius, Mol. & Reb. docent, si per mendacium, fraudem, aut dolum, alterū induxerim ad emendum, vel ad plus emendū quàm aliàs esset empturus, teneri me ad restitutionem, sicut D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. docet, eos qui per vim, dolum, aut fraudem alios impediunt à consequutione boni, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem. Et Salon limitat suam sententiā, dicens; vbi emptor de superuentura copia mercis venditorem interrogat, exprimens aperte se tūc propterea ita emere, quia credit explicaturū veritatē, nec aliter empturus, teneri venditorem ad explicandam illi veritatem, aliàs venditionem fore nullam: quia conditio ista sic ab emptore posita, est honesta, & propterea ea deficiente contractus est omnino nullus. Imò Ludou. Lopez 1. de contract. c. 47. dicto 5. ait, talem venditorem interrogatum de aduentu mercium, non solùm peccare contra iustitiam cum onere restituendi, si dicat non esse venturas: sed etiam si callidè dissimulet, & quasi obsurdescens non respondeat; si emptor sciens aduentum mercium non esset præsentes pretio currenti empturus, sed viliori, vel alias expectaturus, quia licèt priuatus cui ex officio non incumbit furem manifestare, etiam extra iudicium interrogatus non teneatur de iustitia illum detegere, tamen si aliquid positiuè ageret, vnde sequeretur furtum, vt si astutè blandis sermonibus amoueret dominum à custodia domus, quomodo copia fieret latroni furandi, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem furti; ergo similiter qui ita se gerit interrogatus de aduentu mercium quia positiuè efficit aliquid, vnde damnum sequatur.

Sed certè dissimulare, & retinere responsum, non est actus positiuus: deinde iste æquiuocè & amphibologicè respondere potest, cùm veritatem detegere non teneatur, & licèt non occurrēte æquiuocatione mentiatur, mendacium non est pernicioſum, sed officiosum, quia ius habet consulendi suæ indemnitati, etiamsi inde sequatur damnum alterius: & licèt vtatur malo medio, scil. mendacio, non facit contra iustitiam, sed contra veritatem, vt tenet Ledesm. cum Orellana, & aliis Thomistis.

Fortassis tamen esset contra iustitiam, si quis non interrogatus, Num. 3.

mendacio

mendacio induceret alterũ ad emendum; in quo casu videtur loqui Mol. Reb. & Læsius, quia si interrogatus taceret, cogeretur veritatẽ silẽtio manifestare cũ proprio dãno, quod pati non tenetur: ex eo verò quòd interrogatus taceat, ad nihil cogitur. Ideo ius non habet vtendi amphibologia, vel alio medio ad occultandam veritatem.

Num. 4. SECVNDA difficultas, an quando nullum est pretium currens, quia illæ merces antea nõ vendebantur in ciuitate, debeat venditor in impositione pretij attendere proximũ aliarum aduentum? Cordubens. & Salon. affirmant; hanc sententiã subtilem esse, & forte veram ait Arag. sed casum putat rarum, & metaphysicum, vt & Petrus de Nauar. qui simpliciter docent, tunc in pretio nullam rationem habendam futuræ abundantiæ. Ego existimo, si à rectore ciuitatis sciatur illa abundãtia, debere illam manifestare, vt minuatur pretiũ ab illo, vel à venditore imponendũ, quia tenetur ex officio attendere bono communi, cui id expedit: si verò soli venditori sit nota, exigere posse pretium, acsi merces illæ venturæ non essent, quia id tunc forus iudicauit iustum, cùm de aduentu aliarum mercium nihil sciat.

Num. 5. QVARTA difficultas, an si venditor sciat, vel credat emptorẽ velle illas merces nõ ad consumendũ statim, sed ad vendendũ postea, & ideo damnum notabile passurum, teneatur ex iustitia ei manifestare veritatem, vel in pretio descendere? Respondet Valentia, teneri, vt qui vendit vinum ementi ad reuendendum postea, cùm venditor scit fore deterius. Sed P. Nauarr. Ledes. & cæteri expressè tenent, etiam in hoc casu venditionem esse iustam pretio currente. Neque est simile de vino: nam vinum non cõseruaturum suam bonitatem, si ad seruandum ematur, vitiũ habere censetur, ob quod in pretio descendendũ est: merces autẽ ex aliarum proximo adẽntu minùs valituræ nihil vitij habent, & ideo ante aliarum aduentum non oportet in pretium illarum descendere. Alias duas difficultates vide apud Comitolum 5.

DVBIVM XXXIV.

Vtrùm venditor teneatur ex iustitia, & cum onere restituendi, vitia, seu defectus mercium emptori manifestare.

SVMMARIVM.

1 *In re vendita triplex vitium; in substantia, in quantitate, in qualitate.*

2 *Iniustitia est cum onere restituendi, vendere rem vitiosam tanto pretio, quanto si vitiosa non esset.*

3 *Non tenetur venditor emptori vitia ex se manifesta aperire, si ille videre possit.*

4 *Quando vitium est occultum, non semper sufficit venditorem minuere pretium iuxta exigentiam vitij: sed debet ex iustitia vitium emptori manifestare. Tres casus afferuntur in quibus hæc doctrina locum habet.*

5 *Extra illos tres casus sufficit iuxta vitij exigentiam pretium minuere.*

6 *Quorundam circa præcedentem doctrinam moderatio.*

7 Hæc

7 *Hæc moderatio falsa est quando venditor nullo mendacio nullóue dolo vtitur. Probatur n. sequenti.*

9 *Ad contraria argumenta respondetur.*

10. 11 *Rebelli limitatio alia reiicitur, V.. lentia, & aliorum admittitur.*

Num. 1. SVPPONO primò, in re vendita triplex vitium esse posse. Primum est in substantia, vt quando aurum apparens venditur pro vero, stannum pro argento, vitrum pro gemma. Secundum est in quantitate, vt cùm venditur non libra pro libra, non modius pro modio, non centum pro centum. Tertium est in qualitate, vt dum venditur equus cæcus, monoculus, mancus, &c. pro carente iis vitiis. Ad hoc vitium Tolet. Salon, & alij pertinere putãt, quando vinũ limphatũ vẽditur pro puro. Sed meliùs cum D. Thoma *q.* 77. *art.* 2. ad primum refertur vitium, quia tũc partim venditur aqua pro vino. Potest etiam referri ad secundum: nam cùm aqua vino misceatur, minùs datur vini. Idem est quando tritico miscentur alia semina, aut quisquiliæ.

Num. 2. SVPPONO secundò, vendere rem vitiosam tanto pretio, quanto si vitiosa non esset, esse iniustitiam cum onere restituendi, & mortalem, nisi leuitas materiæ, vel ignorantia, aut inaduertẽtia excuset: & quãuis bona fide contractus fiat, debere postea vitio cognito restitui excessum pretij. In hoc conueniunt D. Thomas *q. citata. art.* 1. & 3. & omnes. Addit tamen Læsius 2. *Iustitia. c.* 21. *dub.* 11. si res ex admixtione non esset deterior alia quam alij eodem pretio venderent, licitè posse eodem pretio vendi, etiamsi merces habeant pretium lege taxatum. Idem ait Lopez 1. *part. Instr. conscientia. c.* 42. aliàs 192. & 1. *Instr. neg. c.* 19. & Salon 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *controuersia* 2. Sed iam *dub.* 12. cum aliis docui, triticum ex industria mistum non posse vendi eodem pretio lege taxato, quo venditur sic veniens ex area; bene tamen dicunt Salon, & Lopez, triticum domi repurgatum, & postea reductum ad pistrinum, statim posse vendi pretio legis: sed malè putant esse contra Med. 1. *Sum.* c. 14. §. 25. *reg.* 4.

Num 3. SVPPONO tertiò, non opus esse venditorem emptori manifestare vitia ex se manifesta, dum ipsa ille videre possit. D. Thomas *q. citata. art.* 3. *ad* 1. Nauar. *c.* 23. *n.* 89. Grafis 1. *p. decis. lib.* 2. *c.* 116. *n.* 4. Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 10. *art.* 3. *dub.* 1. Gerson *in reg. moralibus, & de auaritia, litera V.* quod putant aliqui verum esse, etiamsi ab emptore non aduertatur. Ita Sa *verb. venditio. n.* 22. & Sotus 6. *Iustitia. q.* 3. *art.* 2. Contrarium tenent Panorm. *c. iniustũ, de rerum permutatione.* Sylues. *verb. emptio. n.* 20. Armil. *n.* 19. Tab. *q.* 11. Maior 4. *dist.* 1. *q.* 40. Ioan. Med. *de restitut. q.* 34. Conr. *de contract. q.* 54. Antoninus 2. *part. tit.* 1. *c.* 17. §. 6. dicentes vitium manifestum. Probabilius tamen est quod dicunt Arag. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. & Salon *ibi. controuersia* 1. Enan. 1. *p. Summa. c.* 81. *n.* 1. Tolet. *lib. de septem peccatis. c.* 41. Palacios 2. *de contractibus. c.* 4. P. Nau. 3. *de restit. c.* 2. *dub.* 7. Ledes. 2. *part. Sum. tract.* 8. *c.* 32. *conclus.* 12. *dicto* 3. Lopez 1. *de contractibus. c.* 45. *conclus.* 2. Vega *verb. venias. casu* 44. Si emptor ex negligentia, ignorantia, aut inaduertẽtia vicibij non aduertat, sibi debere imputare, nõ venditori, qui nõ tenetur

Ioan. de Salas.

Digitized by Google

de iustitia eum monere de vitiis, quæ, si non sit negligens, ipse aduertet: secus si aduertere nequeat, quia est cæcus, vel in ea re imperitus, quãuis etiã cùm inaduertentia est crassa & culpabilis, putet Toletus esse peccatum cõtra charitatem, ipsum non monere: mortale quidem si faciat rem illi notabiliter noxiam, vel inutilem; veniale verò si secus. Imò Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 4. ait, in eo euentu ex iustitia debere moneri, si emptio sit directè contraria voluntati emptoris, quia venditor nequit punire negligentiam, & culpam emptoris, & contractus videtur nullus. Sed nos non loquimur quando emptio est directè contraria voluntati emptoris, nec dicimus venditorem posse punire incuriam emptoris; sed non teneri de iustitia eum monere quando ex sua culpa vitium non aduertat.

Num. 4. SVPPONO quartò, non semper quando vitium est occultum, satis esse venditorem minuere pretium iuxta exigentiam vitij: sed debere ex iustitia, & cum onere restituendi omnia damna, manifestare emptori vitium. Primò, si vitium sit periculosum emptori, vt si equus sit furiosus, iumentum malitiosum, domus ruinosa, vinum fugiens, seu statim periturum, cùm ematur ad seruandum in posterum. Secundò; quando ad finem ementis res est inutilis, vel parum vtilis licèt non sit noxia, vt si pharmacopola pro re vtili ad salutem det inutilem, vel si quis vendat aromata euanida pro recẽtibus, pannum adustum pro firmo, semina corrupta pro sanis. Tertiò, cùm venditor probabiliter intelligit emptorem emere ad reuendendum: tunc enim debet manifestare vitium, ne emptor reuendat rem maiori pretio, quàm cum illo vitio valeat.

DVOS priores casus ponunt omnes cum D. Thoma *quodl.* 2. *art.* 10. *&* 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. Tertium verò ponit Caiet. *ibi.* Nauarrus, Petrus Nau. Toletus, Sotus, Læsius, Salõ, & Ioan. Med. s. Vega *verb. ventas. casu* 45. Emanuel *c. citato, n.* 2. Grafis *n.* 7. Angles *q. de emptione, art. vnico. dub.* 8. *difficultate* 7. malè dicens esse contra D. Thomã: solùm enim est præter; imò fortè cùm dixit debere manifestari vitium, si sit noxium emptori, intellexit etiam de emptore remoto. Idẽ tenet Rebel. *de oblig. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 9.

SED aduerte cum Caiet. Grafis, Lopez, & Reb. in hoc euẽtu satis esse monere primum emptorem post cõtractũ; in aliis verò antea monendum. Item secũdùm Antoninum *illo* §. 6. venditorem non satis facere detegendo vitium emptori, quando res est periculosa; sed debere non vendere ei quem scit sua leuitate non curaturum de periculo, vel ex sua iniquitate iniusto pretio alteri venditurum. Sed hæc obligatio solùm est charitatis.

IN secundo casu aduerte, D. Tomam, Antoninum, & Gabrielem *locis citatis*, & Armil. *verb. emptio. n.* 17. dicere, si res non sit inutilis simpliciter: sed venditori, non opus esse vitium manifestare. Sed hoc absolutè falsum est: nam parum refert rem esse vtilem alteri, si est inutilis emptori, quia vel pretium amittet, vel aliũ emptorem quærere debet; & fortè nõ inueniet qui eodem pretio emat, vel serò, & cum labore inueniet, & interim priuabitur vsu rei: fit ergo ei iniuria, vt docet Salon *illa q.* 77. *art.*

Digitized by Google

art. 3. tota controu. 2. Possunt autem D. Thomas, & alij exponi, quando facilè, & commodè potest eadem res alij necessario vsui accommodari, vel æquali pretio vendi, & ex eo alia res emi ad finem emptoris vtilis.

Num. 5. EXTRA illos tres casus communis & vera sententia est, non opus esse vitium manifestare: sed satis esse iuxta vitij exigentiam in pretio descendere, ne fortè emptor vitij notitia insolentior factus plus velit de pretio detrahi, quàm sit detrahendum. Cùm enim seruetur æqualitas pretij, & detur emptori res innoxia, & pro quantitate pretij vtilis, nullam iniuriam pati videtur. Ita D. Thomas *locis citatis*. Antoninus *illo §. 6.* Ludouicus Vega 1. *p. respons. casu* 64. Petr. Ledes. *illa conclus.* 12 Caiet. Bannez, Aragon 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. vbi Salon *controu.* 1. Armil. *verb. emptio. n.* 17. Supplementum §. 5. Tabiena *q.* 11. Gerson, Sotus, & Læsius 5. Ludo. Lopez 1. *de contractibus. c.* 45. *conclus.* 3. Vega *verb. ventas. casu* 37. & 44. Grafis 1. *p. decis. lib.* 2. *c.* 116. *n.* 2. Mol. Valētia, & alij citandi.

Num. 6. SED hanc sententiam limitant multi, vt non procedat quando emptor, si vitium nosset, nullo modo esset rem empturus: tunc enim inuitus & inuoluntarius emit: ergo contractus est nullus, ac proinde ipsi fit iniuria, si contractui stare cogatur. Ergo debet pretium, si datum est, illi restitui, si velit, ipso dante rē vēditori. Cōfirmatur *ex l. in reb. §. sitē qui scies. ff. commodati. & l. Quero. & l. Iulianum. ff. de actionibus empti. & l.* 1. imò *toto tit. ff. de edilitio edicto.* vbi statuitur, vt venditor manifestet emptori occulta vitia, alioqui actionem redhibitoriam concedi. Vnde Ambros. 3. *de Officiis. cap.* 10. ait: *in contractibus vitia eorum quæ vaneunt, prodi iubentur, ac nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transcripserit doli actione, vacuantur.* Propter hæc istam limitationem ponunt Panor. *cap. inuictum, de rerum permutatione.* Angelus *verb. emptio.* §. 8. Sylvester §. 20. Armil. *num.* 20. Tab. *quæst.* 11. Nauarr. Petrus Nauarr. Ioan. Medina, Conradus, Angles, Maior, Gabriel, & Reb. 5. Mercado 1. *de contractibus. cap.* 8. Palacios *lib.* 2. *cap.* 4. Emanuel 2. *part. Summa. cap.* 81. *numero* 2.

Num. 7. SED existimo hanc moderationem falsam esse, quando venditor nullo mendacio, dolóue vtitur, sed merè negatiuè se habet, maximè si aliunde non possit rei suæ iustum pretium habere. Ita expesse Sotus 6. *Iustitia. quæst.* 3. *art.* 2. Aragon *illo art.* 3. *post* 5. *dictum*, asserens esse commune Theologorum. Bannez *ibi. dub.* 2. *Val n. quæst.* 20. *puncto* 4. *conclus.* 2. & 4. Mol. optimè *disput.* 352. *conclus.* 3. & *disput.* 353. *post* 7. *conclusion.* Ledes. cū Orellana, & aliis Thomistis *illa conclus.* 12. Victoria relatus à Salone 5. Grafis *cap. citato. num.* 8. *in fine.* Et videtur sententia D. Thomæ, Gersonis, Antonini, Toleti, Sa, Vegæ, Supplem. Læsij, & aliorū, qui sine hac moderatione illam sententiam docent.

Num. 8. PROBATVR primò, quia etiamsi emptor cognito vitio non esset rem eo pretio empturus, contractus est validus quoad pretium: ergo etiamsi simpliciter non esset empturus, simpliciter, & quoad substantiam erit validus: par enim ratio est. Secundò, si venditor ignorat illam emptoris dispositionem,

Digitized by Google

contractus esset validus, quia in illo nullus esset dolus: ergo & in nostro casu, cùm in eo nullus sit dolus.

TERTIO, quando vitium esset manifestum, & ex culpa sua emptor illud non aduerteret, cõtractus esset validus, & iustus, quãuis si aduertéret nó esset empturus: ergo similiter quando vitium est occultum, non tamen reddit rem noxiam, vel inutilẽ, &c. Quartò, cùm passim emptores eo animo sint, vt non essent empturi, si vitium scirent, innumeræ lites excitarentur, in quibus emptiones declararẽtur irritæ, quod esset magnũ Reipub. detrimentum. Quintò, licentiæ, & dispensationes, quæ à superioribus sine mendacio impetrantur, & absolutè, ac sine conditione conceduntur, validę sunt, licèt taceantur aliqua de iure non exprimenda, quæ si exprimerentur, non concederentur tales licentiæ, & dispensationes. Idem est in donationibus, eleemosynis, legatis, testamẽtis, electionibus, præsentationibus, matrimoniis, & aliis huiusmodi, & in venditione mercis pretio currente, quando emptori non manifestatur futura abundantia: ergo idem est in nostro casu. Confirmatur, quia, vt ait Valentia, *si nullum id esset, quod cognita aliqua circunstantia non fieret, nihil ratum esset in commerciis hominum, passim enim interuenit aliqua circunstantia, quæ si cognosceretur, res non fieret.* Sextò, quoniã si artifices, & mercatores eiusmodi defectus in dicto casu manifestare tenerentur, & aliàs cõtractus esset nullus, id sanè esset in notabile ipsorũ detrimentum, deterritis emptoribus vitiorum manifestatione: essétque illis graue admodùm iugum imponere, quod neque timorati ferre possent; essétque ipsis valde nociuum, qui detegendo vitia pauciſſimos haberent emptores, multúmque illis de iusto pretio detraheretur: cùm tamen cæteri vitia silendo multos haberent emptores. Obligatio igitur detegendi vitia suauiter accipienda est prout commercia hominum, ipsorúmque fragilitas postulat, maximè cùm emptores non possint meritò esse tunc notabiliter inuiti, cùm iusto pretio recipiant rem sibi non noxiam, nec notabiliter inutilem.

AD iura in contrarium citata respondet Sotus, D. Thomam loquiſtando in solo iure naturæ, quidquid sit de ciuili. Mol. autẽ ius ciuile non intendere omnia vitia manifestari debere, sed solùm grauia, quæ rem noxiam, vel minùs vtilem notabiliter efficiunt, & alioqui dari actionem redhibitoriam: nam de paruis non datur, vt patet *l. 1. §. proinde. & l. ob quæ vitia. & l. cui dens. ff. de ædilitio edicto.* obseruátque Greg. Lopez *ad l. 65. tit. 5. partit. 5. verb. mala enformedad*, iuxta Textum *ibi*. Læsius verò respondet, leges illas locum non habere nisi vbi sunt moribus receptæ, vel intelligendas esse, quando emptor petit vt vitia occulta, si quæ sunt, ipsi manifestentur: vel solùm dari actionem ad redhibendum, & rescindendum per sententiam Iudicis. *Num 9.*

SED hæc solutio supponit ex Lopez 1. *de contract. cap. 45. & seqq.* interrogatum debere manfestare vitia, nec satis facere minuendo pretium; quod nulli nititur fundamento, cùm interrogatio non obli-

get

Digitized by Google

get ex iustitia ad dicendam veritatem.

Num.10. ALIAM limitationem ponit Reb.cum qua sine prima, ait posse defendi D. Thomam, vt scil. venditor possit vitia rei tacere, etiã quando emptor, si illa cognosceret, non esset rem empturus, modò vendat infimo pretio iusto: nam emptor ius habet emendi infimo pretio: ergo vel eo res illi vendi debet, vel vitium manifestari, vt illo iure vti possit. Sed Mol. meliùs docet, posse tacere illa vice, & vendere pretio summo, & probat; nam etiam quando emptor ignorat pretium, potest exigi pretium summum; vt *dub.27. difficultate prima* diximus. Ergo etiam quando emptor ignorat vitium rei, potest venditor pretium summum exigere.

Num.11. ADMITTENDA tamen est alia limitatio Valentiæ, Ledesm. Otellanæ, Bannez, Arag. & Salonis, aliorúmque dicentium, si emptor explicet se nolle rem emere nisi careat vitio, venditionem esse nullam, cùm conditio non subsistat. Et hoc verum est, siue vitium sit occultum, siue manifestum, siue graue, siue leue.

DVBIVM XXXV.

Quomodo enodandæ sint aliquæ difficultates circa superiorem doctrinam emergentes.

SVMMARIVM.

1. *Prima difficultas; an contractus sit iustus, & validus, quando vna substantia æquè bona emptori pro alia datur? Conclusio affirmatiua, etiamsi res sit aliquantulum deterior; modò error non sit in substantia, nec persona.*
4. *Secũda difficultas; an sit peccatum mortale dare quantitatem minorem pro maiori, si iustum pretium seruetur? Conclusio negatiua.*
5. *Tertia difficultas; an venditio rei noxiæ vel inutilis emptori, nulla sit? Conclusio affirmatiua.*
6. *Quarta difficultas; an venditio dolosa valida sit? si dolus dat causam contractui, nullus est contractus in foro conscientiæ, secus in foro externo.*
7. *Dolus potest contingere in factis, & verbis.*
8. *Quando dolus verborum, vel factorum dat causam contractui, vel res periculosæ, aut inutiles venduntur, tenetur venditor ad omnia damna subsecuta, nisi tempestiuè emptorem admoneat.*
9. *Si res inutilis sit ad finem ementis, etiamsi ad alios vsus vtilis sit, & iusto pretio vendatur, venditor in foro conscientiæ tenetur ad reddendum pretium.*

PRIMA difficultas Num.1. est, an quando vna substantia æquè bona emptori pro alia datur, contractus sit validus, & iustus; vt si detur vinum Metinense æquè bonũ ementi pro Alaëxino vel seruus Toletanus pro Granatensi? Medina 1. *Sum. cap.*14.§.25.*reg.*2. ait, licèt pergraues

Digitized by Google

Doctores partem affirmãtem tenuerint, negantem tamen esse probabiliorem, quia emptor non vult in eo euentu rem emere, aut dominium pretij transferre. Ergo contractus est nullus, & sic tenetur venditor rẽ suã recipere, & pretiũ reddere, si emptor in velit. Cõfirmatur, quia error in substantia irritat matrimoniũ, vt si detur Anna pro Maria: ergo & in venditione.

SED contractum esse validum, & iustum tenent Toletus & Led. s. Grafis *illo c. 116. n. 12.* Lopez *2. part. Instruct. conscientia. c. 42.* aliàs *192. & 1. de contractibus. c. 47.* Valentia *2.2. disputatione 5. punct. 4. quæst. 20.* Henrriquez *2. part. Summ. lib. 11. cap. 10. §. 3. litera l.* Thom. Sanchez *tom. 2. de matrimonio. lib. 7. disput. 18. num. 13.* Salon *2.2. quæst. 77. art. 3. controu. 1.* Bannez *dub. 1.* Arag. *eodem art.* Emanuel *2. part. cap. 81. num. 6.* Vega & Sotus s. *verb. ventas. casu 43.* quia cùm res sit æquè bona, & vtilis ementi, irrationabiliter est inuitus, si contractui stare nolit. Confirmatur, quia tunc res non est vitiosa in substantia: ergo licèt contractus in quo res vitiosa in substantia, esset nullus, vt ait Angles *q. de emptione. dub. 8. difficultate 6.* tamen hic validus erit, ac proinde iustus, cùm in pretio seruetur æqualitas, & nullum damnum, vel periculum creetur emptori proximo, vel remoto. Addunt Toletus, Vega, Lopez, Ledes. & alij, etsi tunc venditor mentiatur, mẽdacium non fore pernicioſum, cùm nihil damni percipiat emptor.

Num. 2. ADDVNT præterea Mol. *disput. 353.* Ledes. Emanuel, Arag. & alij, etiamsi res sit aliquantulùm deterior, contractum fore validum: neque esse obligationem manifestandi vitium, vel redhibendi, quia dolus in re modica, & leui non irritat cõtractum, neque inducit eam obligationem, vt tenent Rebel. *2. part. de obligat. lib. 9. quæst. 9.* dicens esse omnium Doctorum, Mol. Bannez, Arag. & Eman. pro quo Greg. Lop. & iura retulimus *in calce dubij præcedentis.*

NEC putat Ledes. esse simile de matrimonio, quia matrimoniũ consistit in traditione corporum, non in vsu eorum. Ideo quilibet error in substantia, & persona, vel qui reducitur ad errorem personæ, irritat contractum: emptio autem respicit res, vt vtiles humanis vsibus. Similem rationem assignãt Thomas Sanchez, Henrriq. & Salon s. nimirum quia in matrimonio quæritur persona propter se: res autem venales quæruntur propter qualitatem, & vtilitatem. Aliam assignat Bannez, quia matrimonium est contractus amicitiæ coniugalis; amicitia autem debet esse ad singularem personam. Sed melior ratio est, quia matrimonium consistit in mutua, perpetua, & indissolubili obligatione vsus corporum, & indiuiduæ societatis, & communicationis. Ideo magis voluntarium requirit, quàm emptio, in qua parum refert distinctio numerica, vel specifica rei venalis, modò sit æqualitas in ordine ad humanos vsus. Num. 3.

IDEM dicendum de auro alchimico dato pro naturali, si eiusdem bonitatis sit ad omnes vsus humanos, vt dicunt Salon, Bannez. Arag. Lopez, & P. Nauar. s. & Conr. *de contractib. q. 54.* indicat D. Thomas *2.2. q. 77. art. 2. ad 1.* An verò arte Alchimiæ possit

possit verum aurum fieri, vide Comitol. *lib. 3. q. 53.*

SIMILITER Bannez ait, siquis pro vna ancilla aliam æquè bonam emptori det, venditionem fore validam. Hinc Aragō, Nauarra, & Emanuel excusant phormacopolas dātes vnum pro alio æquali, vel ferè æquali ad medicinam.

Num. 4. SECVNDA difficultas, an sit peccatum mortale dare quantitatem minorem pro maiori, si seruetur iustum pretium? Respondetur, non esse peccatum, saltem mortale, cum onere restituendi, præsertim si fiat ex aliqua iusta, & rationabili causa, vt si quis non possit vendere vinum suum pretio iusto, vel propter iniquitatem Iudicis malè taxātis illud, vel propter emptorum malitiam, qui conuenerunt inter se, vt pauci emerent ad remittendum pretium, aut vt nō emerent nisi minori iusto pretio, vel propter aliam rationabilem causam minueret mensuram, aut parum aquæ misceret, & venderet pro puro, ac pro mensura completa, modò non dicat mendacium; quod si dicat, non erit pernicioſum, nec mortale, neque obligans ad restitutionē. Ita Tolet. Valen. Sotus, & Vega s. Anton. *2. p. tit. 1. c. 17. §. 5.* Conrr. *de contract. q. 54. & 55.* Med. *de restitut. q. 34. §. pen.* Sylvester *verb. emptio. q. 19.* Tabiena *q. 9.* Gab. *4. dist. 15. q. 10. art. 3. dub. 1.* Vega *verb. compras. casu 46.* Lopez *1. de contract. c. 15. & 47.* Rebel. *de oblig. part. 2. lib. 9. q. 10. in fine.* Mol. *disp. 353. in fin.* Emanuel *p. 2. c. 81. n. 8.* Læsius *2. Iust. c. 2. dub. 11.* Grasis *illo c. 116. n. 12.* Bannez, Arag. & Salon *2. 2. q. 77. art. 3.* Nauar. s. *n. 53.* Aduertunt autem Mol. & Reb. in rebus taxatis per legem, non licere eodem pretio vendere mista ex industria, & absque industria, vt diximus *dub. 13. & initio dubij præcedentis.*

TERTIA difficultas, an venditio rei noxiæ, vel inutilis emptori sit nulla? Respondeo, esse nullam in fauorem emptoris, licèt dolus propriè in ea non interueniat, siue emptor in pretio descendat iuxta exigentiam vitij, siue non. Ledesma *illo cap. 32. concluſ. 11. & concluſ. 12. dicto 3.* Salon *illa controu. 1. concluſ. 1.* Med. *1. Sum. c. 14. §. 25.* Lopez *1. de cōtract. c. 43.* Pala. *2. de contract. c. 4. concluſ. 3.* Mol. *disp. 353.* P. Nau. Læsius, & Valentia s. Ratio est, quia contra finem intrinsecum emptionis, & eius naturam est, vt res sint noxiæ, vel inutiles emptori, & illum grauent, quem iuuare debuissent: & quia in ea venditione tacentur quæ iure naturæ essent ante contractum exprimenda; item quia iniustitia huius cōtractus tolli nequit, nisi venditor recipiat rem, & pretium reddat: ergo venditio est nulla, & propterea D. Thom. *quodl. 2. art. 10. & 2. 2. q. 77. art. 3.* hanc venditionem appellat dolosam, quia saltē æquiualet dolosæ ad irritandū contractum. Et aduerte cum Læsio, in hoc casu venditorem, si res sit integra, debere monere emptorem, vt si velit, contractus rescindatur: si autem res sit consumpta, nec aliquid damni inde passus sit emptor, ad nihil teneri venditorem, nisi in pretio fuerit excessus, qui si fuit, compensandus esse manifestè, vel occultè. *Num. 5.*

QVARTA difficultas, an venditio dolosa valida sit? Resp. si dolus dat causam contractui siue bonæ fidei, siue stricti iuris, contractus est nullus in foro cōscientiæ, & iure naturæ, quia lex naturæ nō patitur vt alicui *Num. 6.*

Digitized by Google

cui sit sua improbitas emolumento: esset autem, si valeret contractus qui alterius contrahentis malo dolo initur. Ita tenet Reb. *de oblig. p. 2. lib. 1. q. 6. sect. 2. conclus. 2.* Conr. *in compendio de contract. q. 57. post 14. dictum.* Comitol. *lib. 3. q. 1.* Mol. *t. 2. disp. 259. & 352.* & alij, quos sequuti sumus *1. 2. tom. 1. tract. 3. disp. 4. sect. 4.* in cuius fine etiã ostendimus cum Ioan. Med. & Conr. cõtra Læsium, & alios, quorum sentẽtiam sequuntur Reb. *q. citata. n. 11.* Mol. *disp. 352. conc. 3.* & Comitol. s. licèt dolus sit cõmissus ab aliquo tertio, non cõmunicãte in dolo ipso cõtrahente, contractum esse irritum in conscientia: in foro tamen externo conueniunt omnes contractum esse validum *ex l. & eleganter. ff. de dolo.* Omnes etiam conueniunt, contractus bonæ fidei dolo factos esse nullos in foro externo; stricti verò iuris validos esse in eodem foro, & similiter contractus, quibus dolus causam non dedit.

Dixi mvs etiã cũ multis *illa sect. 4. cõclus. n. 448.* cõtractus leui dolo factos non esse irritos, quamuis dolus illis causam dederit; vnde bene Læsius *illo dub. 11.* ait, etiamsi venditor laudet rem supra meritum, non esse irritum contractum, etiamsi emptor alioqui non fuisset empturus, quia hæc est consuetudo mercatorum, quæ passim ab emptoribus scitur, vnde imprudentes sunt si illis credunt: item quia emptor per hoc nõ incurrit aliquã notabilem læsionem, imò venditor res nimis laudat, vt ad iustum pretium veniatur: quare ille dolus non est pernicios us, sed officiosus, quo consulit homo suæ indemnitati, durúmque esset tale genus hominum de iustitia obligare, vt in laudibus suarum mercium non excederent. Consentit Mol. latè *disp. 352. in fi.* Vega *verb. emptio. casu 38.*

Nota autem ex Rebel. *illa sect. 2. in fin.* Læsio *illo dub. 11.* Mol. *disp. 352.* Anton. *2. p. tit. 1. c. 17. §. 2. & 7.* Palaeio *2. de contract. c. 4. conclus. 6.* dolum posse contingere in factis, & verbis. In factis cõtingit, quando mãgoneo & ingenio artis venditor vitium tegit, vt si in aures equi infundat guttulam argenti viui, vt excutiat segnitiem, & generositatem præ se ferat, vel si rem vitiosam ponat cum aliis vitio carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit; vel sigillum panni melioris in viliori ponat: aut sireuestiarij scalpant vestes, vt ex rasis videãtur pilosæ. In verbis autem contingit dolus, cùm venditor falsò ait rem non esse vitiosam, vel æquiuocis & amphibologicis verbis idem indicat, vt si inter multa vitia, apertè falsa numeret, occulta taceat: sic enim efficit, vt vera non credantur, vt si dicat; vendo tibi hũc equum pro cæco, claudo, mutilo, omnibúsque vitiis affecto. Ita Sũmistæ *verb. emptio.* Nauar. *c. 23. n. 89.* Maior *in 4. dist. 15. q. 40.* Mol. *disp. 353.* Palacios s. *conclus. 6.* Rebel. *illo lib. 9. q. 10. conclus. 2.* Ant. Gom. *2. Var. c. 2. n. 49.* P. Nauar. *3. de restitut. c. 2. dub. 2. n. 47.* Sotus *6. Iustitiæ. q. 3. art. 2.* Vega *verb. emptio. casu 48.* Ioan. Andreas, Panor. Aretinus, Baldus, & alij, & expressè lex *66. tit. 5. partita 5.*

Num. 7.

In iis, & similibus casibus, in quibus dolus verborum, vel factorum dat causam contractui, vel res periculosæ, aut inutiles venduntur, tenetur venditor ad omnia damna subsecuta, nisi tempestiuè emptorem admoneat; quod intelligit Læsius de dam-

Num. 8.

Digitized by Google

damnis quæ probabiliter ex tali deceptione prouideri poterant euentura, vt si oues morbidas vendidit pro sanis, quæ totum gregem infecerũt; si tigna vitiosa, vnde domus ruinam est passa. *l. Iulianus. ff. de actionib. emp.*

Num. 9. SED quid si res notabiliter sit inutilis ad finem ementis ratione vitij occulti, pretium tamen receptum sit æquale pro qualitate rei venditæ commodæ ad alium vsum, vt si vendas vaccam decem aureis, inutilem quidem ad arandum, quòd iuncta iugo se prosternit, quæ tamen ad macellum eosdem decem bene valet? Respondeo cum Reb. *q. 9. in fin.* & aliis, etiam in foro conscientia teneri ad reddendum pretium, & recipiẽdam vaccam cum fructibus ex ea perceptis, deductis tamẽ sumptibus & industria, posito quòd deceptus stare contractui velit. Idem Mol. *disp. 353. ad fin.* addens, in eo casu si res pereat, venditori perire, & nihilominus reddere teneri quod pro illa accepit, solúmque accipiet siquid ex illa supersit vnà cum emolumentis, quæ emptor ex ea percepit, deductis expensis, & valore industriæ. Alia multa præcipuè ad forum externum pertinentia vide apud Couar. *reg. possessor. p. 2. §. 11. n. 5.* Morl. *in Empori. p. 1. tit. 9. in proœmi. à n.* 41. Greg. Lopez *l. 64. 65. tit. 5. partit. 5.* Læsiũ *lib. 2. c. 17. dub. 5.* Reb. *de oblig. p. 2. lib. 9. q. 4. 8. 9. & 10.* Mol. *tom. 2. disp. 352. & 353.* Ant. Gom. *tom. 2. Var. n. 48. & 49.* Palaciũ, Pinel. & alios.

DVBIVM XXXVI.

An sicut venditor tenetur vitia mercis explicare, vel pretium minuere; ita emptor teneatur occultas virtutes exponere, vel pretium augere.

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua: si tales virtutes in communi æstimatione rerum pretium augeant.*

2. 3. 4 *Si quis sciens gemmæ valorem, illam emat à rustico, qui ignorat: etiãsi rusticus affirmet se velle, si quid amplius valeat, condonare, non potest tuta conscientia retinere: secus si vtroque inscio, & quasi fortunæ se committente, fiat contractus.*

5 *Ager, in quo emptor scit, venditor ignorat esse thesaurum, potest emi eodem pretio, ac si nihil ibi esset.*

6 *Contraria sententia improbatur.*

7. 8. 9 *Ex vera sententia tria corollaria accipies.*

RESPONDEO, teneri, si tales conditiones, vel virtutes in communi æstimatione pretium rei augẽt. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 7. art.* 2. Arag. *art. 3. dub. 11 ad vlt.* Barnez *dub. 3.* Salõ *cõmen. 3.* Valentia *disp. 5. q. 20. puncto 3. & puncto 4. in fin.* Tolet. *lib. de septem peccatis. c. 49.* Mol. *tit. 2. disp. 353. concl. 4.* Rebel. *de obligat. p. 2. lib. 9. q. 8. concl. 4.* Læsius 2. *Iustitia. c. 21. dub. 11.* P. Nau. 3. *de restitut. dub. 7. n. 51. & 52.* Mercado 1. *de contract. c. 8.* Nau. *c. 23. n. 89.* Ledes. 2. *p. Summæ, tract. 8. c. 32. conclus. 13.* Grafis 1. *p. lib. 2. c. 116. n. 14.* Emanuel 2. *p. c. 81. n. 4. 5. & 11.* Pãnor. *c. quia plerique de immunitate Ecclesiarum.* Vega 1. *p. resol. cas. 64.* Cont. *de contract. q. 54.* Probatur à paritate rationis, vnde si venditor Num. 1.

putet rem esse vitiosam, & emptor sciat esse sanam, vel venditor putet esse vitrum quod emptor scit esse gemmam, tenetur manifestare valorem venditori ignoranti, vel pretium iustum ei dare: sufficiet autem dare infimum, vt ait Mol. sicut in eodem diximus de venditore, posse supremum exigere.

Num. 2. ADDIT Caiet. *in Summa. verb. emptio.* 2. quem sequitur Armil. *eodem verb. num. 6.* siquis sciens valorem gemmæ, illam emat à rustico, qui valorem ipsius ignorat, monendo se velle eam habere tuta conscientia, ac proinde vt videat num ipsi condonare velit, siquid amplius valeat, posse tunc sana conscientia eam ab eo emere longè minori pretio quàm valeat, si rusticus respondeat se condonare: neque enim tenetur rustico veritatē explicare, quam ipse ab aliis scire potest. Quam opinionem probabilem putant Emanuel s. & Lopez 1. *de contract. c.* 48. qui malè dicunt eam opinionem videri Medinæ 1. *Summa. c.* 14. §. 34. *reg.* 5.

Num. 3. SED Caietanum meritò reiiciunt Palacios *ibi*, dicens esse parum probabilem, Bannez, Salon, P. Ledes. citans Orellanam, & Mol. s. Imò ipse Emanuel, & Lopez hanc eandem sequuntur, & Cagnolus *l.* 2. *C. de rescind. n.* 2. Pinel. 3. *part. illius leg. cap.* 2. *n.* 20. cū Paulo de Castro *l. item si pretio.* §. *fin. ff. locati.* asserens opinionem Caiet. tutam non videri: & omissis iuribus quibus hoc confirmat, ratio Mol. est, quia ea rustici palliata obtentio condonationis eius quod res plus valet, nō habet tantùm volūtarij propter rustici ignorātiā, quātùm est necessarium, vt donatio sit valida. Sed efficaciùs probatur, quia donatio illa in pactum deducitur: ergo non est gratiosa & liberalis, ac proinde nec donatio, , vt si vsurarius mutuum daret cū pacto donādi aliquid vltra sortem, illud auctarium non bene donaretur. Cùm igitur ibi non sit donatio, nec pretij æqualitas, erit iniustitia, & certè nulla est ibi causa præsumendi donationem, cùm mercator non sit amicus, nec consanguineus, &c. Sed quia non potest rusticus maius pretium obtinere, ideo rem illo pretio vendit.

Num. 4. ID tamen quod ibidem docet Caiet. si emptor, & venditor ignorent valorem rei, & quasi fortunæ se cōmittentes ita paciscantur de pretio, vt siue res plus, siue minùs valeat, firma sit venditio, validam eam fore, neutrúmque ad vllam restitutionē teneri, siue postea res comperiatur longè plus, siue longè minùs valere. Ratio est, propter periculum, cui vterque se exposuit, quod tamen debet esse æquale; alioqui qui minori periculo se exposuit, restituere alteri tenebitur quātùm valet minori periculo se exposuisse, vt latiùs docet Mol. & Reb. *illa q.* 8. *n.* 21. Med. *illo* §. 25. Lopez *illo cap.* 48.

Num. 5. ILLVD etiam obserua, agrum in quo ego scio, & venditor ignorat esse thesaurum, aut venas metalli, lapidisue pretiosi, licitè emi posse eodem pretio, quo si nihil eorum ibi fuisset, vt docet Sotus, Bart. Med. Mol. Reb. Valentia, Lopez, Toletus, Mercatus, Ledesma, Salon, Bannez, & Arag. s. Emanuel s. *n.* 13. Palacios 2. *de contract. c.* 4. *post* 5. *concluſ.* Idem docent D. Thomas 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. vbi etiam Salon, Bannez, Arag. & alij. Reb. *illo lib.* 9. *q.* 5. Sylvester *verb. inuentum. q.* 4. *in fine.* Ros. §. 1.

Moli

Digitized by Google

Molina *tit. 2. disp. 54. & 56.* Sotus 5. *Iustitiæ. q. 3. art. 3.* Nauarr. *cap. 17. n.* 175. Probant ex parabola Christi Domini *Matthæi* 13. de thesauro iuuento. vbi Lira, Abulensis, & alij. Ratio Soti, Toleti, & aliorum multorum est, quia tunc solùm æstimatur ac venditur superficies agri, vt apta ad ferendos fructus industria agricolæ, cùm de thesauro, & venis metalli nihil venditor, vel alij communiter nouerint. Potissima tamen ratio & communior est, quia licèt pretium sumatur ex communi æstimatione, communiter tamen ager ille non æstimatur ratione thesauri, vel venarum; ergo licitum est illũ emere pretio currenti, maximè cùm dominus fortasse nũquã thesaurum, aut venas ibi inueniret; sicut neq; antecessores, vnde nulla ei fit iniuria.

Num. 6. CONTRARIAM tamen sententiam tenet Armilla *verb. inuentum.* Angelus *ibi.* Tabi. *verb. restitutio. §. 26.* licèt aliquantulùm dubius. Padillan & Aluarus, Bannez apud Rebel. *illa q. 5.* Pro quibus non infirmum argumentum, quia ratione vitij mihi soli noti teneor minuere pretium: ergo ratione virtutis mihi soli notæ teneor augere. Respondet Arag. non esse simile, quia vitia in similibus rebus communiter cernuntur, & in communi æstimatione pretium minuunt; virtutes verò prædictæ communiter ignorantur, & in communi æstimatione pretium non augent. Salon verò respondet, emptorem nõ teneri manifestare suam singularem peritiam vel scientiam; sed satisfacere damno, quod periti in illa arte iustum iudicauerint; venditorem verò qui rem apud se habuit, & contrectauit, debere ex iustitia defectum quem nouit, aperire, aut iuxta eius exigentiam de pretio minuere. Sanè res est difficilis, vt ait Tolet. sed retinenda est communis sententia.

Num. 7. EX qua sequitur primò, etiamsi in fasce herbarum, olerum, vel lignorum, quæ ad cibium hominum, vel pabulum animaliũ, vel ignẽ vendũtur, inueniatur herba aliqua magnæ virtutis ibi cõmuniter ignotæ, posse emi pretio currenti; vt dicunt Mol. Læsius, Reb. P. Nau. Lopez, & Mercado 5. Sa *verb. thesaurus. n. 3.* dicens; *licitè emis domum in qua scis esse thesaurum, vel alia pretiosa, neque ideo debes augere pretium. & verb. empt. n. 1.* dicens; *licitè emis rem communi pretio, etiamsi scias in ea latere aliquid pretiosum, vt in fasce herbarum, agro, aut domo.*

Num 8. SECVNDO sequitur, si in aliqua regione res aliqua parui æstimaretur, eóq; ignorent incolæ eã alibi magni fieri, posse ibi paruo emi: & ideo olim apud Indos licitum fuisse Hispanis cõtra aurũ, aliásq; res pretiosissimas cõmutare specula, tintinabula, cultellos, aliáque crepundia: itémque si aliquæ gemmæ pretiosissimæ in aliquo loco parui æstimarentur à gemmariis illius loci, qui earũ præstãtiã nosset, paruo posset eas emere, quia eo loco non plus cẽsentur valere. Ita Læsius, Bannez, Arag. Ledes. & Salõ.

Num. 9. TERTIO sequitur, si communiter nec lapidariis esset nota virtus alicuius lapidis pretiosi, qui scit illius valorem posse communi pretio eum emere. Salon Bannez, Arag. Lopez, Ledes. Orellana, Mercado, & Emanuel. Confirmatur, quia virtus illa mihi soli nota est, quasi à me inuenta. Ergo sicut thesaurus à me inuentus in agro non postulat vt augeam agri pretium; ita neque illa virtus, vt

Digitized by Google

augeam gemmæ pretium: & alioqui etiamsi ignorarem talem virtutem, emerem gemmam communi æstimatione, postea illam sciens, tenerer supplere vēditori defectum pretij. Item ego non teneor scientiam meam detegere venditori, & tunc ea virtus esset illi inutilis: ergo nullam facio ei iniuriā, vel damnum emendo gemmam communi pretio; & hoc est manifestū discrimē inter vitia occulta, & virtutes sic occultas, quòd vitia occulta postea se prodant & noceant emptori; vnde minuunt pretium, virtutes tamen sic occultæ non se proderent venditori, nisi ego illas manifestarem, ad quod non teneor, vnde non prodessent illi, & ideo non augent pretium. Vide alia apud auctores citatos.

DVBIVM XXXVII.

An venditiones, & emptiones reciprocæ diuerso pretio, quas Hispanè, mohatras, *&* varatras *vocamus: Itali verò* stocholas, *&* varocholas *dicunt, licitæ sint.*

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans iniustum esse.*
2. 3 *Sententia tenens non esse iniustum, præfertur, modo pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo non interueniat, & modò intra limites iusti pretij consistat.*
4 *Tertia alia conditio reiicitur.*
5 *Mos Lusitaniæ aduertendus est.*

EXEMPLVM est: petit quis centum aureos mutuò à mercatore; ille non vult mutuò dare; sed paratus est merces illi vendere creditò summo pretio, vt ille eas vendat pecunia numerata cui voluerit; ille emptas offert mercatori, qui easdem emit: vel potiùs redimit pecunia numerata pretio medio, vel infimo, dubium est an hoc liceat? Quidam existimant esse iniustum, & palliatam vsuram, quando idem redimit qui vendit. Ita Med. 1. *Sum. cap.* 14. §. 23. *post medium.* & Anton. 3. *part. tit.* 8. *cap.* 4. §. 4. & 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. *quæst.* 5. Num. 1

VERIVS tamen est, non esse iniustum, etiamsi per se, vel per alium redimat ipse venditor, modò pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo non interueniat; & modò intra limites iusti pretij consistat; ita vt quando vendit creditò, non excedat pretium summum, & quando emit numerata pecunia, non excedat iustum infimum. Ita Læsius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 16. Nauar. *cap.* 23. *num.* 91. Garsia 1. *de contractibus. cap.* 22. Palacios 4. *de contract. cap.* 12. Petrus Nauarr. 3. *de restitutione. c.* 2. *n.* 170. Merc. 1. *de cōtract. c.* 26. Reb. 2. *part. de oblig. lib.* 9. *q.* 6. Toletus 5. *Sum. c.* 31. *n.* 3. Armil. *verb. vsura. n.* 19. Gutierrez *in qq. canonicis. c.* 39. *num. vlt.* Azeuedo *l.* 22. *num. vlt. tit.* 11 *lib.* 5. *compil.* Grasis *part.* 1. *decis. lib.* 2. *c.* 109. *n.* 4. Num. 2

PROBATVR hæc sententia, quia venditio, & emptio iusta est cum illis duabus conditionibus, & alius quiuis posset illo pretio emere: ergo & ipse qui vēdidit. Imò beneficiū illi Num. 3

Digitized by Google

illi in hoc præstatur, dum liberatur à quærendis aliis emptoribus, & sumptibus in proxenetas, & portatores faciendis, & à manifestanda aliis sua indigentia. Poterit tamen mercator peccare, primò contra charitatem emptoris, si posset absque magno incommodo ei pecuniam mutuare, & à magna necessitate, & dispendio eum liberare. Secundò, poterit peccare peccato scandali, aliis putantibus in pactum deduxisse, vt eidem merces reuëderentur, aut in venditione, vel emptione iustum pretium non seruasse. Cessabit tamen scandalum, vt dicunt Nauar. Merc. Reb. Palacios, Garsia, & Lopez, si res in publica subhastatione, vel in alia officina venalis exponatur, vel testes adhibeantur, quibus probare possit nullam labem fuisse in venditione, aut emptione. Tertiò, peccare poterit, se, & suos infamando, & periculo punitionis exponendo, non tamen tenetur ad restitutionē, inquit Nau. quod intelligit Læs. vt non teneatur ex iustitia: sed fieri posse, vt teneatur ex charitate, vt si alter sit pauper, & graue sit illi detrimentum; cùm enim ipse sit causa illius grauis incommodi, tenetur ex charitate illud amouere, si commodè potest: cessante tamen alterius paupertate, non tenetur, quia nec charitas, nec iustitia illum obligat.

Num. 4. ALIQVI tertiam adhibent conditionem, vt illa venditio ab iniustitia, & vsura immunis sit, nempe quòd non fiat intentione principali reemendi viliori pretio, ita vt sine spe illius lucri non esset creditò venditurus. Ita Mol. *tom. 2. disput. 310.* Caietanus *verb. vsura. cap. de vsura implicitè. casu 9. in fin.* Angelus *verb. vsura. 1. n. 60.* Rosel. *verb. vsura. 2. n. 20.* Sylvester *q. 4.* Lopez *1. de contract. cap. 34.* citans Pennam. Angles *q. de vsura in emptio. art. 1. difficultate 60.* Salon *2. 2. q. 78. art. 2. controu. 6.* qui, & Lopez malè citant Mercadum: nam expressè tenet sufficere illas duas conditiones, vt patet ex illis verbis: *si acaeciese auiendo vendido su ropa verla despues entienda o almoneda expuesta a vender ño hauiendo concierto en ello ni temiendo se de infamia bien podra comprarla como qualquera otro del pueblo per el precio que los demas la compram.* Et eodem modo loquitur Palacios; & alij citati non requirunt hanc conditionem præter Nauar. *cap. 17. num. 241.* quem sequitur Vega *verb. vsura. cap. 131. casu 62.* ad quem se remittit *verb. varias. casu 1.* Sed non requiri hanc conditionem probatur, quia vbi nihil vltra sortem deducitur in pactum, nec speratur, vt pretium, aut debitum de iustitia, pro mutuo nulla est vsura, siue auctarium principaliter, siue minùs principaliter intendatur, vt probaui cum multis in materia de vsuris.

ADVERTE tamen in Lusitania, Num. 5. *4. part. extrauag. tit. 10. l. 2.* sancitum esse, vt quicumque creditò eis merces vendiderit, quos constat eas non velle ad negotiandum, neque ad illas consumendum in sua familia: sed ad eas iterum pecunia numerata viliori pretio vendendas, amittat eo ipso actionem quam ex contractu comparare poterat ad eiusmodi debitum recuperandum tam à debitore principali, quàm à fideiussore, & insuper

Digitized by Google

mittatur in exilium per duos annos ad loca Africæ,& ſoluat 50. aureos, &c.In Caſtella autem *l. 29. tit. 4. lib. 3. compilationis* præcipitur Iudicibus, vt puniant eiuſmodi cõtractus, quatenus eos illicitos inuenerint, aut in vſurarum fraudem celebratos, alioqui ipſi puniantur:& *l. 22. tit. 11. lib. 5. compilationis*, ſub quibuſdã pœnis prohibetur mercatoribus, & artificibus per ſe, vel per alios emere viliori pretio numerato, quę maiori credito vendiderunt;eędémque pœnæ ad mediatores extenduntur. Vnde tales videntur mortaliter peccare, licèt iuſto pretio emptio, & venditio facta ſit,& ſine pacto retrouendendi viliori pretio; quod licèt verũ eſſet, adhuc eſſet dicendum non peccare contra particularem iuſtitiam, & cum onere reſtituendi, ſed contra charitatem communẽ, ſeu iuſtitiam legalem. Poſſumus tamen dictam legem interpretari cum Azeuedo *ibi, num. vlt.* vt ſolùm loquatur de emente pretio viliori quàm ſit infimum iuſto: vel cũ Palacio, quando in emptione, vel venditione non ſeruatur iuſtum pretium, aut in venditione deducitur in pactum ipſa redemptio viliori pretio.

DVBIVM XXXVIII.

An monopolia ſint licita.

1 *Quid monopolium ſit.*
2 *Primò fit monopolium, cùm quis emit, vel impetrat priuilegium à Rege, vt ſibi ſoli liceat aliquod genus mercis vendere;& licitum eſt.*
3 *Secundò fit monopolium, cùm mercatores cõſpirant, vt non vendant niſi certo pretio;& eſt iniuſtum cum onere reſtituendi.*
4 *Tertiò fit monopolium, cùm vnus, vel pauci cõemunt merces certi generis, vt poſtea ipſi ſuo arbitratu eas vendant;& hoc non eſſe contra iuſtitiam, nec obligare ad reſtitutionem aliqui affirmant.*
5 *Vera ſententia eſt, eſſe contra iuſtitiam, cum onere reſtituendi.*
6 *Dubio cuidam ex præcedenti doctrina prodeunti fit ſatis.*
7 *Quartò fit monopolium, cùm quis impedit ne maior mercium copia aliunde adueniat, vt ipſe ſuas merces cariùs vendat. Multi dicunt teneri ad reſtitutionem. Explicatur.*

MONOPOLIVM, vt ait glоſſa *in rubr. C. de monopoliis.*& Anton. *2. part. tit. 1. c. 16. verſ. 5.* Grafis *part. 1. lib. 2. c. 14. in fin.* Reb. *de oblig. part. 2. lib. 9. q. 7.* Mol. *tom. 2. diſp. 345.* & Salon *tracta. de monopoliis*, qui habetur *tomo 2. in fin.* vox Græca eſt compoſita à μόνος, quod eſt *vnus*, vel *ſolus*,& πώλιον, quod eſt *venditio*, vel πόλις, quod eſt *ciuitas*; quaſi vnius, vel ſolius in ciuitate venditio, vel vnica,& ſingularis vendicio: vnde qui exercent monopolia, monopolæ, vel ab aliis monopoli, vel monopolitæ dicuntur. Num. 1.

FIT autem monopolium variis modis. Primo, auctoritate publica, dum aliqui emunt, vel impetrant priuilegium à Principe, vt ſibi ſolis liceat aliquod genus mercis inuehere,& vẽdere. Et licèt Sotus *6. Iuſtitia. q. 3. art. 2.* Med. *1. Summa. c. 14. §. 25. reg. 5.* Grafis ſ. *n. 1.* Caiet. *2. 2. q. 77. art. 1.& verb. emptio.*& Sylueſter *ibi. q. 18.* abſolutè damnent concedentes, impetran Num. 2.

petrantes, & exercentes huiusmodi priuilegia; certa tamen sententia est, ex iusta causa & propter bonum cõmune concedi posse, vt sæpe conceduntur auctoribus, vel impressoribus librorum, & obligatis ad prouidendum ciuitati de carne, piscibus, vino, oleo, & aliis similibus. Quando autem Princeps talia priuilegia concedit in mercibus Reipub. communiter necessariis, debet simul pretium taxare, ne si id priuilegiatorum arbitrio relinquat, detur illis occasio vendendi iniquo pretio cum magno Reipubl. detrimẽto, quod ipse tenetur pro suo officio impedire: secus tamen si id concedat in mercibus quæ ad delicias, & luxum pertinent, quia cùm in iis nulli nisi fortè pauci aliqui diuites grauentur, facilè potest Princeps habere iustam causam non taxandi pretia: si verò priuilegium sine iusta causa cõcessum fuerit, iniquũ erit, fiétque iniuria vendere volentibus, qui iniustè impediuntur, & emptoribus, qui eas res meliori pretio emerent, vnde vtrisque tenentur restituere. In iis conueniunt Reb. Mol. & Sal. s. Med. *de restitut. q. 30. ad finem.* Bannez 2.2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 1. Arag. *art.* 4. *difficultate* 1. Ledes. 2. *p. Summæ. tract.* 8. *c.* 32. *ante* 7. *concl.* Nauar. *c.* 23. *n.* 92. Rosel. *verb. emptio.* §. 23. Emanuel 2. *p. c.* 82. *n.* 1. Petr. Nauar. 3. *de restitutione. cap.* 2. *dub.* 9. Palacios 2. *de contract. cap.* 3. Grafis s. *n.* 4. cum Innocentio *c. significando de pignoribus.* Lopez 1. *de contract. c.* 42. Angles *q. de emptione. art.* 1. *dub.* 7. *difficultate* 2. Læsius 2. *Iustitia. c.* 21. *dub.* 20. aduertens, quãdo priuilegium conceditur sine iusta causa, primo loco teneri ad restitutionem eos qui impetrant, cùm sint principales causæ damni: secundo loco, & in subsidium eos qui concedunt.

SECVNDO fit monopolium, dum mercatores conspirant, vt non vendant nisi certo pretio, & si maius sit summo iusto, vt regulariter contingit, manifesta est iniustitia cum onere restituendi. Ideo *l. vnica. C. de monopoliis. & l.* 7. *tit.* 7. *partita* 5. sub grauissimis pœnis huiusmodi monopolia prohibentur. Si verò conueniant de pretio iusto, etiamsi summum sit, Mol. Læsius, Bannez, & Arag. s. Emanuel *n.* 2. Vega *casu* 3. P. Nauar. *n.* 75. Angles *illa difficultate* 2. dicunt non esse peccatum contra iustitiam, & inducens restituendi obligationem. Fauet illis Anton. cum Ostiensi absolutè asserens, conuenire posse de pretio iusto. Fauet etiam ratio, quia non est contra iustitiam petere ab aliquo, vt rigoroso pretio vendat alteri, licèt esse possit contra charitatem. Sed Reb. probabilius dicit esse, peccare contra iustitiam, & cum onere restituendi: quod etiam videtur tenere Sotus, Nauar. Palac. P. Ledes. & Ioan. Med. s. Bart. Med. *illa reg.* 5. Grafis s. *n.* 1. Valentia 2.2. *disp.* 5. *q.* 20. §. *ex iis.* Armil. *verb. monopol.* Sylvester *verb. emptio. q.* 18. Garsia 1. *de contract. c.* 13. Conrr. *de contract. q.* 65. *post* 3. *conclus. & in* 4. *conclus.* Tabiena cum Ostiens. *verb. emptio. q.* 13. *& verb. ars. q.* 7. Ratio horum est, quia illi virtualiter cogunt ad emendum illo pretio, & quia ius iustitiæ videtur habere Res. ub. vt non fiant hæc monopolia in damnum, vel cum damno ipsius. Confirmatur, quia isti mutant pretium, cùm iam non maneat nisi pretium rigorosum: ergo iniuriam faciunt Reipub. ad quam per *Num.* 3.

Digitized by Google

pertinet pretia constituere. Propter hæc vtraque opinio est probabilis, & in vtraque dicendum est, si venditores faciãt monopolium, posse emptores ad redimendam vexationem, monopolium facere, ne vllus emat nisi pretio medio, vel infimo. Ita Sotus, Mol. Reb. Valen. Bannez, Ledesm. Salon, Arag. Grasis, Lop. & Garsia; quod intelligitur quãdiu durat monopolium venditorum.

HINC in auctionibus quidam putant nõ fore iniustum petere ab aliquo ne pluris licitetur, vt ipse rem infimo pretio iusto habeat. Sic tenẽt auctores primæ opinionis, Læsius, Mol. Vega, Arag. Bannez, Emanuel, & Petrus Nauar. Oppositum autem tenent Sotus, Ledesm. Grasis, Reb. Salõ, & alij auctores secundæ sententiæ; & consonat D. Thom. & Caiet. 2.2.q.77.art.1. cum Tullio 3. *de Officiis*, damnantes fraudem istam in auctionibus.

Num.4. TERTIÓ, fit monopolium cùm vnus, vel pauci coëmunt totas merces certi generis, vt põstea ipsi suo arbitratu eas vendant. Hoc non esse contra iustitiam particularem, neque obligare ad restitutionem, licèt esse possit contra charitatem, vel iustitiam legalem, quæ attendit bono cõmuni, docent Læsius, Mol. Bannez, Emanuel, Arag. & Veg. s. quibus fauet Alex. *de arrestis.* 2. *Summa. tit. de turpi lucro.* vbi cum Ant. de Butrio *cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi.* ait, si emit frumentum, aut aliam speciem ad caristiam inducendam, turpe lucrum esse, & de consilio restituendũ. Ratio est, quia non est contra iustitiam particularem emere totas merces, neque illas supprimere, aut non vendere vsque ad tempus opportunũ: imò possent eas vastare, & in flumen proiicere, vel aliò transferre. Imò dicunt Bãnez, & Arag. eiusmodi negotiationẽ publicè fieri in Repub. neque prohiberi legibus, nisi in fruméto quod in hoc Regno prohibetur emi ad vendendum: neque; moraliter loquendo, periculum fore, quòd pretium plus iusto crescat propter vnitatẽ venditoris, quia cùm habet magnam copiam merciũ, properat eas vendere populo, vel aliis negotiatoribus. Si autem ex tali modo congerendi merces ad vnicum negotiatorem, sequeretur aliquod damnum cõmunitati, Princeps posset, & teneretur illum cogere vt vendat, & taxare pretium, vt ait Merc. *lib.* 1. *c.* 14. Cordub. *in Summ. q.* 119. *puncto* 5. §. *y la racon.* & Sylvester *verb. emptio. q.* 5. quos citat & sequitur Petrus Nau. *illo dub.* 9. *n.* 77.

COMMVNIOR tamen sententia est, illos peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem. Gabriel 4. *dist.* 15. *q.* 10. *art.* 3. *dub.* 2. Maior *q.* 41. Conrr. *de contractibus. q.* 65. *post* 3. *concl. & in* 4. Angles s. *difficultate* 1. & 2. Cordub. *in Sum. q.* 85. *in fine. ad* 3. *dub.* Merc. 1. *de contractibus. c.* 14. Med. *de restitution. q.* 30. *&* 36. Nauar. *c.* 23. *n.* 92. Tolet. Sotus, Ledesm. Bart. Med. Salon, Armil. Pet. Nauar. & Reb. s. Lopez 1. *de contract. c.* 42. *& in Instruct. conse. p.* 2. *c.* 74. aliàs 224. vbi pro eadem sententia adducit Victoriam. Idem tenet Ang. *verb. negotium. & verb. restitutio.* 1. *in quadam q.* 3. *incipiente*; *quid de illis.* qui impendit Sylvest. *verb. empt. q.* 10. *&* 18. Nid. *in* 7. *præcepto.* Caiet. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. Mercatus iterum *lib. citato. c.* 8 *post medium.* Palacios 2. *de contract. c.* 3. Grasis s. *n.* 1. *&* 2. Emanuel *illo c.* 82. *n.* 3. Sotus 6. *Iustitia. q.* 2. *art.* 2. Num. 5.

post

Digitized by Google

post 5. conclusionem.

HANC sententiam valde probabilē meritò fatetur Læsius. Primum eius fundamentum est, quia cùm ex iure positiuo, & naturali ciues habeant ius, vt non fiant hæc monopolia, iniuria esse videtur illis irrogari, si fiant. Secundum, quia dum isti tantam copiam mercium emunt, supprimunt & recludunt, cogunt ciues pretium augere, quia raritate mercium, vel venditorum pretium crescit; & faciunt contra ius quod habet Respub. vt quando tanta copia est in ciuitate, pretium non augeatur: sed commodo pretio res vendantur. Tertium, quia isti eo animo emunt, vt cogant ciues postea ab illis emere, & carè, nempe pretio aucto, vel saltem summo; & ita de medio tollunt pretium currens, vel saltem medium, & infimum, & inducunt caritatem nunc, & in posterum. Si autem nullam inducerent, fas illis esset merces in magna quātitate emere, vt eas minutim cum Reipub. vtilitate, & suo lucro vēderent, vt sæpe faciunt dardānarii, de quibus latè disserunt lex 1. & 2. *tit.* 14. *lib.* 5. *compil.* vbi Matien. & Azeued. Lopez, & Salon *locis citatis.* & Sotus 6. *Iust. q.* 2. *art.* 2. *post* 5. *conclus.* Menoch. 2. *de arbitrariis. centuria* 4. *casu* 384. vbi citat alia iura, & Doctores.

Num. 6. SED in hac sententia quæres, an quando ex iis conspirationibus pretium creuit, alij qui non fuerunt eorum participes, possint eo pretio vēdere? Bart. Med. 5. ait, si ignorantes bona fide emant, non peccare, nec teneri ad restitutionem, quia vendunt pretio currenti; & non fuerunt participes monopolij: secus si id sciuerunt. Sed hæc inter se pugnare videntur: nam etiamsi quis monopolarum fraudem ignorauerit, tamen pretium monopolio constitutum iniustum est: ergo qui bona fide eo pretio suas merces vendiderunt, licèt à peccato excusentur, non tamen à restitutione, & alioqui etiam scientes monopolium excusarentur: nam scientia monopolij non facit ipsos eius participes.

GRAFFIS 5. *n.* 3. sequitur Medinam *in* 1. *dicto*, scil. quòd ignorantes monopolium, si vēdant pretio illo currente, non tenentur restituere. Alij tenent in neutro casu teneri ad restitutionem, quia illi siue conscij sint monopolij, siue inscij, vendunt pretio currenti, quod non iniquè constituerunt: ergo iusto ipsis. Item, quia non minùs valent merces scientis monopolium quàm nescientis, quem tamen ad restitutionem Med. non obligat: Reb. 5. meritò tenet in vtroque euentu esse obligationem restituendi, quia pretium eiusdem rei non potest esse simul in se iustum, & iniustum; vel igitur omnes tunc iustè eodem pretio vendunt, vel nulli. Cùm ergo auctores monopolij iniustè vendant, & ad restitutionem teneantur, idem de aliis dicendum erit, licèt eorum aliqui propter ignorantiam inuincibilem à peccato excusentur. Confirmatur, quia pretium factū cōmune per monopoliū, vel aliam iniustitiā, quæ cursum iusti pretij impedit, non est iustū: sed illud quo res distraherētur si iniuria abesset, iuxta Sylues. *verb. usura.* 2. *q.* 1. *dicto* 2. quos sequitur Lopez 1. *de contract. c.* 42.

QVARTO modo fit monopolium Num. 7. cùm quis impedit ne maior mercium copia aliunde importetur, vt ipse suas merces cariùs vendat,

Ioan. de Salas.

Digitized by Google

in quo euentu multi dicunt teneri ad restitutionem, tum Reipub. in quã caritatem induxit, tum aliis venditoribus, si quod damnũ sunt passi, vel lucrum amiserunt ex eo quòd suas merces non vendiderint in ea ciuitate. Ita Sylvest. *verb. emptio. q. 3. & verb. restitutio. 3. q. vlt. dicto* 8. Angelus *verb. restitutio. 1. in illa q. incipiente. Quid de illis qui impedium.* Et Cord. *in Summa. q. 78. §. lo segundo lesgue.* Sed Læsius, P. Nau. Arag. 5. Vega *verb. monopodios.* Eman. 2. *p. Sum. c. 82. n. 3.* dicunt id debere intelligi quando vi, vel fraude impediuit: constat enim si venditores solis precibus sine vlla fraude impediantur merces suas in ciuitatem inuehere, nihil illis damni emergentis, vel lucri cessantis restituendum esse. Quòd autem nec ciuibus restitutio facienda sit, probãt P. Nau. & Læsius, quia ciues non habent ius iustitiæ ad emendum minori pretio, nisi ex suppositione, quòd merces importentur in ciuitatem, & illis vẽdãtur; neque ad hoc vt precibus non impediantur venditores ingredi ciuitatẽ, sed vt non impediantur vi, vel fraude: ergo nulla ciuibus fit iniuria. Dici tamen posset, ciues habere ius vt non cogantur augere pretium, sicut hac via coguntur. Imò Emanuel 5. *n.* 4. Vega *casu* 3. Arag. & P. Nau. dicunt, mercatores, qui afferunt merces ad eas statim vendendum, & ad hoc eas exponunt in foro, vel propria officina, si illas abscondant, vt cariùs vendant, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionẽ excessus, quia Respub. ius acquisiuit ad eas emendum pretio tũc currente: secus si eas attulissent ad seruandum in tempus opportunum. Et Mercado 1. *de contract. c.* 14. docet, habentem plures merces ex necessariis, etiam ex suis fructibus, teneri vendere cùm primùm incipiat necessitas in Repub. Sed hoc non esse vniuersè verum ait Nau. sed cùm quis omnes merces per magnam earum quantitatem emit, secus si mediocrem, prudenter seruabit, quæ caritatem induxit. Consentit Emanuel *ille n. 3. in fine.*

DVBIVM XXXIX.

An chirographa credita seu librantiæ, seu pagæ acerbæ & viridis, debitáque immatura possint minoris emi quàm sit summa debita.

SVMMARIVM.

1 *Possunt minoris emi, si debita non sint liquida, &c. vel ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.*
2. 3 *Etiamsi nihil horum subsit, posse minoris emi, sententia affirmans refertur & probatur.*
4. 5 *Contraria & vera sententia refertur, & suadetur.*
6 *Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur.*

GAsvs est, cùm alicui debẽtur centum soluenda post annum, an possit modò aliquis pro illis dare 90. vel 95. Suppono ex omnium sententia posse minoris emi, si debita nõ sint liquida, vel eorum solutio difficilis, vel ambigua sit, aut non sine lite, expensis, laboribus, & molestiis obtinenda. Similiter ratione damni emergẽtis, vel *Num. 1.*

Digitized by Google

vel lucri cessantis ex emptione, tota difficultas est, an etiamsi nihil horum subsit, possit minoris emi?

Num. 2. CAIET. *verb. vsura, ad finem* cum Ioan. Ripa affirmat. Idem tenet Arm. *eod. verb. num.* 33. & 50. Rosel. *verb. vsura.* 2. §. 15. Salon *verb. debitum. n.* 21. Idem docuit olim doctissimus Cardinalis Bellar. Louanij, Parra Romæ, vt ait Læsius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 8. Malè tribuitur Panor. & Innocentio *c. in ciuitate de vsuris*: nam Panor. nihil dicit: Innocentius verò loquitur de debito periculoso, vt probant Salon, & Sylvester ℣. Id verò tenet Nauar. *c.* 17. *n.* 32. addens, etiam ab ipso debitore posse minoris emi, quod est contra Caiet. ℣. *casu* 3. & Armil. *n.* 13. & singulare secundùm Mol. *disp.* 361. Id verò tenet Bernardinus Bustius *sermone* 34. apud Adrianum ℣. & Toletus *lib.* 5. *c.* 31. *in fine*: & Sa ℣. ait. *Nec apparet cur non liceat idem ipsi debitori facere, quamquam certè aliquid videtur interesse, vt mirum non sit quibusdam improbatum esse: ego faciendum non probarem, factum non improbauerim.*

Num. 3. HÆC sententia suadetur, primò, quia talia iura dū proponūtur venalia, communi hominum iudicio minoris æstimantur quàm pecunia præsens: ergo minoris emi possunt, quia illud censetur cuiusque rei pretium, quod communis hominum æstimatio statuit. Secundò, minus est habere actionem quàm rem. *l. minus. ff. de reg. iur.* ad quod alia congerit Decius *l. quia act. ff. eod.* Ergo minoris emi poterit etiam ab ipso debitore: non enim est peioris conditionis in emptione illius iuris quod venale exponitur, quàm alij, nisi forte ipse difficilem se præbeat in soluendo, & ideo ius illud venale exponatur: tūc namque tenetur ex iustitia tollere illam difficultatem, qua sublata non vendetur. Tertiò, iniustæ erunt emptiones censuum personalium, quæ in plurimis locis sunt receptæ, quia in iis nihil emitur aliud quàm ius recipiēdi quotannis pensiones, quarum aggregatio tādem superat pretium, quod pro illis datum est: nihil autem refert siue diuisim quotannis, siue totam summam in fine illius tēporis accipias. Ergo etiam posset minoris emi aggregatūm illarum pensionum simul accipiendum. Idem autem est de debitis immaturis: ergo illa etiam possunt minoris emi.

SECVNDA, & verior sententia est, non posse ab eodem, neque ab alio minoris emi. Ita Læsius ℣. & Mol. oppositam opinionem Nau. dicens improbabilem. Ioan. Med. *de restitut. q.* 38. *dub. vlt. & q.* 1. *de cambiis.* Sotus 6. *Iustitia. q.* 4. *art.* 1. *ad* 3. Sylvester *verb. vsura.* 2. *q.* 14. Gabriel 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 4. Maior *q.* 40. Reb. *de oblig. p.* 2. *lib.* 9. *q.* 13. D. Thomas *opusc.* 67. *ad lectorem Florentinum. & opusc.* 73. *de vsuris. p.* 1. *c.* 8. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 8. §. 3. & 4. Angelus *verb. vsura.* 1. *n.* 63. & 64. Conr. *de contract. q.* 67. & *duabus sequentib.* Ban. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 5. Arag. *eod. art. in fin.* Salon *q.* 68. *art.* 2. *controu.* 17. Summa Corona *c.* 8. *q.* 7. Emanuel *tom.* 2. *p.* 2. *c.* 83. *n.* 7. Grafis 1. *p. lib.* 2. *c.* 112. *n.* 27. & *sequentibus.* Vega *verb. compras. casu* 9. & 10. Mercado 1. *de contract. c.* 12. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. *concluf.* 5. Cordub. *in Summa. q.* 231. Adrianus *in* 4. *de restitut. vsura.* §. *occurrit insuper dubium.* Lopez, Angles, & alij. Num. 4.

PROBATVR primò, quia sublata omni difficultate recuperandi debi- Num. 5.

tum,& omni lucro cessante,& damno emergenti, non minùs valent centum soluenda in futurum quàm centum præsentia: imò tunc tantùm valet ius ad centum, quantùm ipsa centum. Secundò, quia emptor qui ob anticipatam solutionem, quæ est mutuũ virtuale, soluit minùs quàm debet, committit vsuram; sed illa emptio est veluti anticipata solutio, in qua emptor soluit minùs quàm debet ob anticipatam solutionem: ergo est vsuraria. Tertiò, aliàs possent multæ vsuræ palliari: vsurarius enim dicere poterit se nolle mutuare: sed 40. aureis emere 50. postea soluenda, seu obligationem, quam ego mihi impono soluendi 50. Neque est vlla ratio, ob quam si potest minoris emi obligatio antiqua, non possit similiter emi obligatio noua. Quartò, si ius ad centum in fine anni recipienda minùs valet quàm centum præsentia. Ergo siquis occultè accipiat centum præsentia, tenebitur postea ad aliquam restitutionem, quia plus quàm illi deberetur, accepit. Confirmatur, quia sic qui debet cẽtũ post annum, satisfaceret dando nũc nonaginta, cùm per te nonaginta præsentia æquiualeant centum futuris.

Num. 6. Ad primum respondeo, chirographam minoris æstimari, vel propter aliquod periculum, aut difficultatem annexam, vel quia qui dat pecuniam præsentem, priuat se aliqua commoditate, quam non habet per chirographam. Ad secũdum respondeo, actionem difficilem, litigiosam, aut periculosam minùs valere quàm res ipsa valeat: secus est si omni vacat periculo, incommodo, & difficultate. Vnde Bart. *l. per diuersas. C. mandati.* & Baldus *l. 2. C. ne lis pendente*, dicunt tantùm valere actionem quantùm valet res ad quam est, deductis laboribus, & expensis. Ad tertium respondeo, in redditibus personalibus moraliter semper esse aliquod periculum, & incõmodum ob temporis diuturnitatem: ideo illud ius ad centum in multis annis soluenda, minùs æstimari quàm ipsa centum, vt docet Læsius, & nos cum aliis dicemus *tractatu de censibus.*

De hoc dubio plura dicimus *tractatu de vsuris.*

DVBIVM XL.

An si solutio debiti certa & facilis sit emptori; dubia autem & difficilis venditori, possit emi minori pretio, vt in debitis à Rege militibus, vel aliis.

SVMMARIVM.

1 *Probabilius est posse minoris emi.*
2 *Sæpe mercatores illi peccant contra charitatem.*

Num. 1. Vidam partem negatiuam tenent, quia tũc videtur cessare ex parte emptoris ratio detrahendi de pretio: sed probabilius est posse minoris emi, vt tenet Læsius *dubio 9.* & Mol. *disputatione 361. §. illud etiam.*

Ratio Læsij est, quia dum libranda, chirographa, aut debi-

ta

ta huiusmodi offeruntur venalia, eorum pretium non pendet ex commodo vnius, vel paucorum, sed ex publica æstimatione, qua æstimarentur si publicè sub voce præconis concurrente tota ciuitate proponerentur. Confirmat Læsius, quia cùm non habeant pretium lege præscriptum, illud sumendum est ex communi æstimatione. Ratio verò Mol. est, quia pretium iustum non est quantùm res valet emptori, præsertim ob suam industriam, vel fauorem apud aliquem: sed quantùm res ipsa valet in se, atque ipsi venditori: quòd verò iste facilè possit solutionem, alioqui difficilem obtinere, bonæ ipsius fortunæ deputandum est.

Num. 1. SÆPE tamen mercatores illi peccant cõtra charitatem si miseris hominibus, qui per magnam inopiam coguntur eas librantias vẽdere, non succurrant dando eis plus quàm illæ mereantur, cùm ipsi tam ingens lucrum inde reportent. Aduertit tamen Læsius integrum esse iis, qui talia chirographa habent, non æstimare difficultatem, vel incertitudinem solutionis debitæ; ac proinde nolle vendere, nisi integrè numeretur tota summa: vsu enim receptum est vt hæc vendantur quanti vendi possunt absque fraude, & ignorantia intra limites summæ contentæ. Illud etiam aduertunt Læsius & Mol. eiusmodi chirographa non posse emi tali pretio à debitore, vel eius ministris, quorum officium est ea soluere, quia ipsi, vt sic emant, sunt in causa maligna solutionis: qua in re interdum grauiter peccatur à receptoribus, & quæstoribus Principũ; secus tamen si quæstor in causa non sit, & scandalo absit. Vide Nau. c. 17. n. 145.

DVBIVM XLI.

An liceat carius vendere dilata solutione, seu creditò, quàm vendi soleat præsenti pecunia.

SVMMARIVM.

1 *Licitum est intra limites iusti pretij.*
2 *Supra pretium summum, quo res vendi poterat pecunia numerata, non licet eam vendere ob solam dilationem solutionis. Probatur n. 3.*
4 *Licitum est augere pretium ratione luri cessantis, vel damni emergentis ex concessa dilatione solutionis.*
5 *Licitum est aliquid exigere supra pretium iustum ratione periculi sortis. Probatur n. 6.*

DICO primò, intra limites iusti pretij licitum est, vt si præsenti pecunia vendebas immo, vel mediocri, possis creditò vendere pretio summo; quia omne illud pretium est iustum, & iustè exigi potest pecunia præsenti. Ita omnes. Num. 1.

DICO secundò, supra pretium summum, quo res vendi poterat pecunia numerata, non licet eam vendere ob solam dilatationem solutionis. Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 6.* Reb. 2. *part. lib. 9. q. 11.* D. Thom. *opusc. 67. & 2. 2. q. 77. art. 778. art. 2.* Caiet. Arag. Ban. Salon, Valentia, & alij *ibi.* Sotus *6. Iustitia. q. 3. art. 2.* Anton. Conrr. vterque Medina, Nauarr. & alij omnes contra Raphaelem Barnasum apud Syluest. *verb. usura. 2. §. 1.* & Salonem *illoart. 2. controu. 16.* & contra Gerardum Oldonensem apud Adrianum *q. de restitut.* quæ incipit, *occurrit insuper dubium.* Num. 2.

Digitized by Google

Num. 3. PROBATVR, quia dilatio solutionis est implicitū quoddam mutuum: dum enim creditor differt solutionem, perinde facit ac si acceptam à debitore pecuniam eidem mutuet; atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem: ergo neque vltra iustum pretium pro dilatione solutionis. Sumitur ex Innocentio III. *cap. in ciuitate. & cap. consuluit de vsuris.* Hoc verum est etiamsi tempore solutioni destinato res sit plus valitura, nisi venditor esset eam in id tempus seruaturus. Est contra Caiet. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 7. vbi docet, etiamsi non esset in id tempus seruanda, posse vendi pretio currente, tempore solutionis, quia eo tempore impletur contractus, secus si post venditionem pretium crederetur. Opinioni Caietani accedere Conrr. *de contractibus. q.* 61. ait Mol. 1. & eam videtur tenere Sa *verb. venditio. n.* 7. & Sotus censet nō esse omnino improbabilem. Nostra tamen sententia est communis; eam tenet Lesius & Reb. 3. Med. *de restitut. q.* 38. *ap.* 5. Couar. 2. *Variarum. c.* 3. *n.* 6. Sotus 6. *Iust. q.* 4. *art.* 2. Mol. *disp.* 355. Angles *q. de vsur. ratione emptionis, difficultate* 2. Tolet. *lib. de septem peccatis. cap.* 58. *in fine.* Palacios 4. *de contract. c.* 3. Lopez *in Instruct. conscientiæ, part.* 1. *c.* 216. vbi tamen ponit quinque conditiones, cum quibus opinio Caiet. defendi posset. Probatur, quia eo ipso quòd res traditur pretio credito, fit emptoris: ergo si crescit eius pretium, crescit emptori, ac proinde venditor non potest quicquam pro eo incremento exigere, nisi ipse rem esset seruaturus: tunc enim exigere posset ratione lucri cessantis.

NEC obstat *cap. in ciuitate de vsuris*, decernēs, aromata quæ ad numeratum venduntur quinque, posse vendi sex ad creditum, si plus, minúsue tempore solutionis valitura putantur, quia loquitur de eo qui rem erat seruaturus, vt exponit glossa, & communiter Doctores, & colligitur *ex c. nauiganti. eod tit.* vbi similis species facti expeditur, vt docent glossæ, & Doctores in earum capita. Mol. Læsius, Reb. Gab. Maior, Med. Sotus, & alij, quos sequitur Couar. 3. Confirmatur: nam si statim res consumantur, non crescent in valore; quo ergo titulo nisi ratione expectatæ solutionis pro eis maius quàm hîc valeant, recipi potest? Ad fundamentum Caiet. respondetur, contractum statim perfici cùm ad consumptionem & vsum res tradatur, vt colligitur *ex dicto cap. nauigami.*

DICO tertiò, licitum esse augere pretium ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex concessa dilatione solutionis, vt in mutuo exigi potest aliquid vltra sortem hoc titulo, vt omnes docent. Num. 4.

DICO quartò, etiam est licitum aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui interdum vēdens creditor exponitur, & ratione expensarum, & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte. Posteriorem huius conclusionis partem docent omnes; priorem tamen negant Sotus 6. *Iustitia. q.* 4. *art.* 1. *ad* 2. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 81. Lopez *in Instruct. conscient. part.* 2. *c.* 220. *&* 1. *de contractibus. c.* 36. *&* 37. Toletus *lib. de septem peccatis. c.* 51. Garsia 1. *de contract. c.* 23. *ad medium.* Palacios *lib.* 4. *c.* 3. *conclus.* 8. Bannez 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 6. Corradus *q.* 231. §. *hic etiam.* Num. 5.

Sed illam partem docent Med. *de*

stitut.

restitut. q. 38. §. ad 3. causam. & in 4. causa. P. Nauarr. 3. *de restitut. c. 2. part. 1. dub. 11. §. vna hæc. num. 105. & sequēti. & part. 2. dub. 10. c. 3. n. 342.* Mol. *disp. 304. & 556.* Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 6. & c. 23. dub. 4. n. 43.* Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 20. puncto 2. conclus. 4.* Arag. *q. 77. art. 4.* Salon *q. 78. art. 2. controu. 26.* citans Pennam, Sa *verb. venditio. n. 3.* Cordu. *in Sum. q. 84. § tan poco se iustifica.* Emanuel 2. *part. Sum. c. 83. n. 3.* Gab. citans Angelum 4. *dist. 15. q. 11. art. 1. §. ad idem etiam.* & D. Thomas *opusc. 73. de vsuris.*

Num. 6. PROBATVR primò, quia exponere se tali periculo est pretio æstimabile omnium iudicio: ergo pro eo potest aliquid exigi. Secundò, quia venditor potest petere fideiussorem, qui vt periculum illud in se suscipiat, potest iustum pretium stipulari: ergo, si emptor cupiat venditorem illud in se suscipere, poterit venditor iustum eius pretium exigere. Vide Læsium *dub. 13.* vbi id pluribus confirmat, & ad rationes aduersariorum respondet, vt & nos *tract. de vsuris, dub. 22.* Quanuis Reb. *de obligationibus, part. 2. lib. 9. q. 12.* contrariam opinionem teneat cum Conrrado *de contract. q. 59. corollario 1. & 2. post 3. conclus. & arg. 2. post. 4.* & Gutierrez *in quæst. canonicis. cap. 39. num. 30.*

DVBIVM XLII.

An merces pretiosæ maritimæ, quæ in magna quantitate non nisi ad creditum vendi solent, possint pluris creditò vendi quàm numerata pecunia.

SVMMARIVM.

1. 2. *Variæ auctorum rationes, quare id iniustum sit, & palliata vsura.*
3. *In quo casu possit quis carius vendere dilata solutione, quàm pecunia numerata.*

ALIQVI affirmant id esse iniustum, & vsuram palliatam, quia vendere creditò maiori pretio quàm sit summum pecunia numerata, est ob mutuum virtuale aliquid vltra sortem accipere. Ita Nauar. *c. 23. n. 82. & concisilio 32. de vsuris.* Medina *de restitut. q. 38. cap. 6.* Gutierrez *in quæstionibus canonicis. c. 39. n. 41.* Garsia 1. *de contract. c. 24.* Palacios *lib. 4. c. 13.* Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 20. puncto 2. §. 8. conclus. 6.* Angles *q. de vsura ratione empt. difficultate 1.* imò olim Sotus, vt refert Bannez. Alij verò, quia iste contractus multis in locis est vsitatus, eumiustificare contendunt. Sotus 6. *Iust. q. 4. art. 1. ad 4.* Victoria, & Canus *in scriptis. 2. 1. q. 78. art. 2.* quos referunt, & sequuntur Salon *ibi. controuersia 24.* Bannez *q. 77. art. 4. dub. 9.* Lopez 2. *part. Instruct. conscientiæ. c. 64.* aliàs 214. Toletus *lib. de septem peccatis. cap. 50. in fine.* Mol. *tom. 2. de Iust. disp. 357.* Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 6. dicto 5.* Reb. *de oblig. part. 2. q. 14. in fine.* Colligitur ex Sa *verb. empt. n. 4.* propendet Cordubensis *in Summa. q. 85. dub. 2.* tenet Mercatus 1. *de cōtract. c. 13.* defendi posse, licèt oppositum sit tutius: tradit Couar. 2. *Var. c. 3. n. 6.* citans Salicetum, & Decium. Ratio Soti, & Couar. est, quia in iis mercibus cùm non soleant, nec possint in magna Num. 1.

magna quantitate emi pecunia numerata, cùm nec colligi debeat ex eisdem mercibus minutiùs venditis ab emptoribus, valor earum ad creditum in magna quantitate non debet sumi ex pretio ad numeratum currenti; sed aliunde: idque censebitur iustũ, quod homines mercaturæ periti iudicabunt attentis omnibus circunstantiis. Cùm igitur illi iudicent iustum esse pretium ad creditum, maius quàm illud quo merces distrahuntur in parua quãtitate, annumeratum pro sumptibus faciendis in portu, illud erit iustum pretium.

Num. 2. RATIO verò Mol. & Læsij, quæ est præcedentis explicatio, est, quia cùm istæ merces nõ possint ea copia, qua Reipub. expedit, & emptores desiderant, præsenti pecunia vendi, necessarium fuit institui modũ creditò eas vendendi, qui facit vt mox plurimi emptores sese offerant, quorum copia pretium auget, & sic non vendũtur pluris quàm præsenti pecunia præcisè obligatione solutionis: sed quia iste modus vendendi per accidens facit pretium crescere alliciendo copiam emptorum. Sed ratio sic explicata difficultatem habet, quia inde fieret, omnes merces vendi posse cariùs creditò quàm pecunia præsenti, quia si creditò vendantur, plures emptores habebunt. Consequens est falsum. Ergo multitudo emptorum nata ex isto modo vendendi pretium auget; vnde aliter iustificari prædicta venditio debet, nimirum, vt ait Bannez, Salon, Reb. Mercatus, & Lopez, asserendo merces illas posse creditò vendi eodem pretio, quo vendi possent pecunia numerata, si adesset, licèt non sic vendantur de facto, quia tanta via pecuniæ non adest: sed colligenda est ex eidem mercibus paulatim venditis ab ementibus illas in magna quantitate.

IVXTA hanc doctrinam non constituuntur duo pretia de iure, vnum pro venditione ad creditum, aliud ad numeratum; & non esse constituenda colligit Reb. *exc. in ciuitate. c. consuluit. 5. nauigumi, de vsuris.* & ex vsu, quia in nulla Repub. constituuntur. Ergo ex numerato quod merces iure meretur, sumi debet iustũ pretium earũ creditò vendendarũ.

SED vrgebis, quia si pretium iustum mercium quæ creditò venduntur in magna quantitate, longè maius est quàm quo venduntur de facto in minori quantitate; hoc erit iniustum respectu ementium, maximè cùm modus vendendi minutim augeat pretium, vt superiùs diximus. Respondeo, fieri posse, vt ementes minutim pecunia numerata, nimirum quia emunt infra iustum pretium infimum, & iste est casus quem ponit Rosel. *verb. vsura. 2. q. 13.* in quo licitum sit vendere maiori pretio ad creditum, quàm pecunia numerata: fieri etiam potest vt neutri peccent, videlicet si emptores pecunia numerata emant pretio infimo, & venditores pecunia credita vendant pretio summo: & hunc casum ponit Læsius 5. addens, venditoribus illis fere semper esse incommodam illam dilationem solutionis; nam sæpe videmus postquam creditò vendiderunt, cogere cum emptoribus de anticipãdo termino remittendo 8, vel 9. in 100. per annum, vel plus, minúsue secundùm numerum mẽsium. Itaque in taxando illo pretio potuit haberi etiam ratio illius incommodi, nec refert

Num. 3.

quòd

quòd aliquis in particulari hoc incommodum non sentiat, quia non ideo cessat pretium commune. Consonat Sa *verb. venditio. num.* 7. dicens, posse quē dilata solutione cariùs vēdere certum mercium genus ob lucrum cessans, & ob laborem probabiliter subeundum in recuperando pretium, vel expensas in eo faciendas, etiamsi postea nullus labor accidat, aut expensæ. Iuxta hanc doctrinam duo sunt pretia in iis mercibus, vnum pro venditione ad creditum, aliud ad numeratum; quæ pretia seruando nec emptores, nec venditores peccant.

SIMILITER duo pretia constituunt Bannez, & Salon. Vnum, quo venduntur merces in magna quantitate ad creditum, aliud ad numeratum, quod vilius esse dicunt, quia illi venditores compulsi necessitate præsentis pecuniæ, vt sumptus faciāt in portu, vltroneas offerunt merces, & quia paucos habent emptores pecunia numerata.

DVBIVM XLIII.

An liceat minoris emere anticipata solutione, saltem cùm res illæ eo tantùm modo emi solent, vt lanæ, &c.

SVMMARIVM.

1. *Infra pretium infimum non licet emere precisè ratione anticipatæ solutionis.*
2. *Probabile est, has emptiones esse iustas.*
3. *Quibus rationibus possint huiusmodi emptiones iustificari.*

Iuan. de Salas.

RESPONDETVR, infra pretium infimum non licere emere precisè ratione anticipatæ solutionis, quia hoc esset lucrari vltra sortē ratione impliciti mutui, quod est vsura, ratione tamen lucri cessantis, vel damni emergētis licere. Item ratione periculi fraudis in venditore, quòd vel merces non tradet, vel non sinceras, vel non stato tempore: hæc enim omnia pretio æstimabilia sunt, & quando mērces sunt tales quæ emi commodè non possunt, nec solent, nisi anticipata solutione, vt lanæ in Flandriam transferendæ minoris emuntur anticipata solutione, quàm valeant tempore traditionis, quas emptiones multi damnant, vt Medina 1. *Summæ. c.* 14. §. 23. *reg.* 2. *c.* 22. Garsia 1. *de contract. c.* 24. Nauar. *c.* 23. *n.* 82. *& consilio* 32. *de vsuris.* Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *puncto* 2. §. 8. Ioan. Med. *de restitut. q.* 38. *c.* 6. Mercado *lib. de vsuris. c.* 2. Gutier. *canonicis quæstionib. c.* 39. *n.* 43. & 44. Palacios 4. *de contract. cap.* 3. §. *hoc explosō.* Reb. *de obligationib. p.* 2. *lib.* 9. *q.* 11. *n.* 9. Pedraza *ad* 7. *præceptum dicto* 13. Sarabia, Aluernoz, & alij. *Num.* 1.

PROBABILE tamen est, has emptiones iustas esse, vt docet Soto 6. *Iustit. quæst.* 4. Cordub. *in Summa. quæst.* 85. Mol. *disp.* 359. & 360. Læsius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 7. Tolet. *de septem peccatis. cap.* 50. *in fine.* Angles *quæst. de vsura ratione emption. art.* 1. *difficultate* 1. Palacios 5. Caietanus *verb. emptio* 9. *capite* 3. Sa *verb. emptio. numer.* 4. Bannez 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 4. *dubio* 10. Salon *quæst.* 78. *articul.* 2. *controuersia* 23. Emanuel 2. *parte* *Num.* 2.

Digitized by Google

*Summæ.c.83.n.2.*Lopez *1. de contractibus.c.41.& 2.p. Instr. conscientiæ. c.65.* aliàs 215.citans Victoriam, Pēnam, Canum, & Dōctores Paris. Optimè præit Læsius quinque rationibus,in quibus fere omnes citati cōueniūt.

Num.3. Ego solùm aduerto has emptiones primò iustificari posse, dicendo fieri infimo pretio iusto.Secundò, si fiant minori pretio quàm sit infimū iustum, dicendo minoris emi merces propter periculum non recipiēdi ipsas, aut non sinceras, aut non stato tempore, aut non sine lite, & expensis. Tertiò, ob lucrum cessans, & damnum emergens ex anticipata solutione : possent enim emptores per cābia, & alias negotiationes lucrari. Quartò, quia sic emendo multiplicantur venditores, & sic minuitur pretium. Quintò, quia communis indigentia & necessitas venditorum,maximè si vltrò, & rogando offerant merces, diminuit pretium. Sextò, quia si lanæ omnes emerentur numerata pecunia tempore tonsionis,seu traditionis, viliùs venderentur propter earum multitudinē, & venditorum necessitates, quæ in causa essent, vt emptores rogarētur, maximè ad euitandos sumptus in eis conseruandis.

DVBIVM XLIV.

Vtrùm, si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim iis quid nesciunt vendere illud debitum pretio ordinario.

SVMMARIVM.

1 *Id foret contra iustitiam.*

RESPONDETVR, id fore non solùm contra charitatem,sed etiam cōtra iustitiam, quia illud debitum est defectuosum,& vitiosum: iniustitia autem est, vt vidimus,vitia mercium non manifestare, aut saltem iuxta earum exigentiam in pretio non descendere. Vide Læsium *lib. 2.c.21.dubio 10.* *Num.1.*

DVBIVM XLV.

Vtrùm is, cui aliquid traditum fuit vendendum, possit sibi aliquid ex pretio retinere,si pluris vendiderit quàm ei sit à domino præscriptum.

SVMMARIVM.

1 *Tenetur excessum domino restituere, si vendidit supra summum pretium.*
2 *Si vendat pluris intra latitudinem iusti pretij,non potest excessum reseruare, si accipit mercedem pro labore:vel hoc officium suscepit vt seruus, vel gratis, vel vt amicus.*
3.4.5 *In tribus casibus potest venditor excessum sibi reseruare.*
6 *In quo casu non possit.*

DICO primò, si vēdidit supra pretiū summū, tenetur excessū emptori restituere, vt docet Angel. *verb.emptio.*§.28.Nau. *c.23.n.97.*Ledes.Eman.Tab.&alij ꝯ. *Num.1.*

DICO secundò, si vendat pluris intra latitudinem iusti pretij, non potest excessum illū sibi accipere, si vel mercedē pro suo labore accipit, vel est in famulatu,vel gratis hoc officiū præstādum suscepit vt amicus: nullum *Num.2.*

Digitized by Google

nullum enim habet titulum legitimum, quo possit aliquid ex pretio vsurpare; non enim ratione rei venditæ, cùm hæc non sit ipsius; nec ratione industriæ, vel ministerij, quia pro eo mercedem accipit, vel si non erat in ministerio, gratis onus fuscepit. Ita Læsius *lib.2.c.21.dub.18.* Mol. *disp.366.* Ledes. *2.p.Sum.tract.8.c.32. conclus.17.difficultate 2.* Emanuel *2.p.c.78.n.4.* Nau., ẽ. Ioan. Bap. Conrr. *in Sum.q.133.* Sylvest. *verb.emptio.q.24.* cũ Anton. *3. p.tit.8.c.3.§.4.* Archid. Ros. Ioan. Paulo, & Ioan. de platea. Nau. ẽ. Maior. *4. dist.15.q.41. ad 5. argumentum.* Iason. *§. act. inst. de actionibus.* Tabiena *verb. emptio. q.19.* Caiet. *verb. proxeneta.* Graf. *1.part. lib.2.c.16. n.26.*

Nec obstat id quod in cõtrarium mouit Angelum, quòd dominus minus rei vendendæ pretium determinauerit, quia ille solùm petiit ne vẽderet infra; non autem ne supra, si fortè occasio ita ferret.

Num.3. Dico tertiò, facta debita diligẽtia, vt quanti possit intra latitudinẽ iusti pretij rem venderet, posset mediator pretio quod alij obtulerunt, eam sibi vendicare, & si postea maiori pretio alteri vendat, excessum sibi retinere. Læsius, & Nauar.

Num.4. Dico quartò, si interueniat pactum tacitum, vel expressum, vt solùm redderet domino decem, & si quid vltra inueniret, id sibi vsurparet, illud ad mediatorem pertinere. Ita omnes citati. Ex sola tamen pretij designatione non censetur dominus hoc pactum facere: secus si rem proxenetæ vendendam tradidit designato illo pretio, & non promisso stipendio; quia tunc censetur excessum dare in stipendium, nisi notabiliter sit maius officio. Ledes. Grasis, Nauarr. Conrr.

Dico quintò, si ille maiorem di- *Num 5.*
ligentiam adhibuit quàm deberet, vt si iussus vendere in hac ciuitate, vbi non inuenit vltra decem, profectus est in aliam, vbi inuenit duodecim; potest duo illa sibi retinere. Mol. Led. Emanuel, Nauarr. & Graf. Gab. *4.dist.15.q.10.art.3.dub.4.* Idem est si alia industria non debita rem meliorauit. Quæ omnia his verbis complectitur Sa *verb. venditio. n.11. Si plùris vendidisti quàm rei dominus constituerat, teneris ei totum reddere, nisi taciè donauerit, vel opera tua illud quod amplius est, meruerit, vel industria partum sit.*

Dico sextò, siquis rogatus ab *Num.6.*
alio emat ei rem decem, quam potuit emere duodecim, nihil potest sibi retinere, si adhibere debuit diligentiam sufficientem ad emendum rem decem. Molina ẽ. qui etiam docet, sartores, qui pro aliis emunt, & dicunt illis mercatores, se in ipsorum gratiam minoris rem vendere quàm essent venditurí, nihil posse sibi retinere, quia mercatores falsò hæc dicere solent, vt alliciant sartores ad emendum ab illis.

DVBIVM XLVI.

Quando res in solidum ex intervallo duobus sit vendita, vtri debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Qui Doctores de hac re disputent.*
2 *Si neutri sit res tradita, debetur priori.*
3 *Si tradita est secundo emptori, primo autem tantùm vendita, debetur secundo.*
4.5.6.7.8.9 *In hac doctrina sex maxi-*

Digitized by Google

mè nota præ oculis habendæ sunt.
10. *In casu dubio res priori emptori adiudicanda est.*

Num. 1. DE hac re conformiter tractant Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 19.* Mol. *disp. 369.* Reb. *part. 2. lib. 9. q. 17. sect. 3.* Lopez *1. de contract. c. 8. pag. 24.* Morla *in Empor. part. 1. tit. 9. in proœmio. n. 48. & sequentibus.* Ant. Gomez *tom. 2. Var. c. 2.* Couar. *2. Var. c. 19.* Gutier. *de iuramen. confirmatorio. part. 1. c. 30. & repetitione legis, nemo potest de legat. 1. n. 4.* Decius *reg. cõtractus. n. 18. de reg. iur.* Tiraquel. *de retract. conuentionali. §. 3. glossa vnica. n. 5.*

Num. 2. DICO primò, si neutri sit tradita, debetur priori, quia est melioris conditionis, & iniustè vendita est posteriori. Ita omnes citati, & alij. Facit regula iuris in *6. Qui prior est tempore, potior est iure.*

Num. 3. DICO secundò, si tradita est secundo emptori, primo autem tantùm est vendita, debetur secũdo, vt docent citati, & communis *ex l. quoties. C. de rei vend. in proœmio, & fin. & l. tradit. C. de pactis. l. 50. tit. 5. partita 5. 4. Lusitanarum ordina. tit. 28.* Ratio est, quia solo contractu absque traditione nõ acquiritur dominium, exceptis quibusdam casibus, de quibus Læsius *cap. 3. dub. 3.* & nos ℣. Idem est, si postquam promisi, vel donaui rem vni, tradidi alteri, si postquam locaui vni domum, eam habitandam concessi alteri. Couar. & Læsius, imò Couar. *de sponsalibus. part. 1. c. 5. n. 9.* Reb. Gutier. & Læsius dicunt, etiamsi contractus cum priore sit firmatus iuramento, posteriorem proferendum esse cui res est tradita. Idem tenet Morla cũ Immola, & Iasone *dicta l. quoties.*

SED nota primò, hoc nõ procedere in iis euentibus, in quibus peculiari iure ex solo contractu absque alia traditione trãsfertur dominium, vt si aliquid vẽditum, aut donatum sit Ecclesiis, locis piis, aut ciuitatibus iuxta *legem fin. C. de sacr. Eccl.* tunc enim dominium transfertur per solum contractum sine traditione, vt ait glossa recepta *l. sine autem. §. si duobus. ff. de publicanis.* Vnde non poterit secundus emptor, vel donatarius per traditionem dominiũ acquirere: secus si res solũ sit promissa, quia promissio facta pio loco, & alteri non transfert dominium, nec tribuit ius in re: vnde si res Ecclesiæ promissa, alteri donatur, vel tradita fuerit, huius erit. Hoc notabile habent citati, & alij *l. quoties. C. de rescind. vend.* Num. 4.

SECVNDO nota, nõ habere etiam locum quando priori emptori in securitatem contractus res fuit hypothecata: tunc enim secundus emptor per traditionem non poterit eius dominium comparare, vt tradunt omnes citati *ex l. si creditor. §. fin. ff. de distract. pignorum.* Et ratio est, quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore. Num. 5.

TERTIO nota, si secundus emptor mala fide egit, conscius nimirũ prioris contractus, prior poterit rem ab eo euincere tamquam in fraudẽ ipsius alienatam. Ita citati ex glossa communiter recepta *c. si tibi absenti, de regulis iuris in 6.* Sponte tamen eam priori tradere non tenetur, nisi fortè induxerit emptorem vt eam sibi vẽderet; quo casu est causa in- Num. 6.

iusta

Digitized by Google

iusta damni quod prior per illam venditionem incurrit, vt docet Læsius. Si autem non sit conscius, non poterit ab eo euinci, nisi fortè prior titulum emptionis, vel alium onerosum habeat: secundus verò titulum donationis, tunc enim etsi secundus inscius fuerit prioris cõtractus, tamẽ prior poterit illam euincere, vt colligunt Doctores *ex l. ignoti. C. de reuoc. iis quæ in fraud. cred.* Ita citati. Donatarius tamen non tenetur illam sponte tradere; sed solùm si emptor illam intra tempus iure constitutum exigat. Læsius, Mol. & alij.

Num. 7. QVARTO nota, si res tradatur posteriori emptori, priorem habere actionem contra venditorem, vt soluat quantùm intererat rem sibi tradi, præter alias pœnas quæ habentur in iure ciuili, & Regio; inter quas vna est quòd vẽditor tenetur de crimine falsi, *l. qui duobus, ad leg. Corneliam de falsariis.* Iason plenissimè *dicta l. quoties.* De hoc notabili vide Reb. ẽ. & Nauar. *concl.* 12. *num.* 3. *de voto.*

Num. 8. QVINTO nota, etiãsi res sit tradita ecũdo emptori, si nõ soluit, neque obtulit pretium, nec creditum est, nec pro soluto habitum, non transferri dominum in ipsum. Ideo nõ fore præferendum probat Reb. ex legibus Castellæ, & Lusitaniæ, & Mol. *disput.* 338. & iure communi.

Num. 9. SEXTO nota ex Morla, in Regno Valentiæ, etiamsi res sit tradita secundo, & sit in possessione, præferri primum.

Num. 10. DICO tertiò, si vterque emptor affirmet rem sibi priùs traditam fuisse, nec liquere possit vtri priùs sit tradita, adiudicãda est priori, quia secluſa traditione ius prioris est potius: ergo in dubio huic fauendum, nisi fortè posterior numerauerit pretium, prior verò nihil: tunc enim præsumptio est posteriori factam traditionem. Ita Couar. Reb. & Læsius ex Bal. & aliis.

DVBIVM XLVII.

An fas sit vendere, conficere, locare, dare, aut ministrare aliis eas res, quibus ad peccatum sunt abusuri.

SVMMARIVM.

1 *Qui affirment hoc nefas esse absolutè.*
2 *Non licet illa facere, vt alij rebus illis malè vtantur.*
3 *Non curiosè examinandæ sunt ementium intentiones.*
4 *Licitum est vendere res indifferentes ad bonum, & ad malum vsum, modò adsit causa proportionata.*
5 *Occurritur obiectioni cuidam.*
6 *Ex dictis aliqua inferuntur, aliquorum limitationes improbantur; tradita explicãtur n.* 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Num. 1. IN hac re aliqui nimis strictè & scrupulosè loquũtur, vt Ioannes Med. *de restitut. q.* 30. §. *dicendum.* Sylvester *verb. has. quæst.* 3. *& sequent.* Nauarr. *c.* 17. *num.* 195. *& c.* 21. *n.* 26. *& cap.* 23. *n.* 90. absolutè dicentes nefas esse vendere, cõficere, locare, aut dare aliis res quibus scias, formides, aut formidare debeas ad peccandum abusuros. Quo etiã modo loquũtur Gab. 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *artic.* 3. *dub.* 6.

Digitized by Google

Anton. 2. *part. tit.* 1. *c.* 23. §. 13. Rosf. *verb. Iudæus.* 2. *n.* 3. Ostiensis, Archidia. Guillelmus Parisiensis, Summa Pisana, & alij. Quam sententiam eligit Palacios 2. *de contract. cap.* 9. & Conrr. *in Sum. q.* 169. licèt cõtrariam censeat probabilem.

Num. 2. Dico tamẽ primò, nullo modo licet illa facere, vt alij rebus illis malè vtantur. Conclusio est manifesta, & communis.

Num. 3. Dico secundò, non esse curiosè scrutandas, & examinandas intentiones ementium, conducentium, aut recipientium res, quibus possunt bene, aut malè vti, an ad bonum, vel ad malum vsum eas velint; quia hæc est pernicioſa curiositas, vt dicunt communiter Doctores.

Num 4. Dico tertiò, res indifferentes ad bonum, & ad malum vsum licitum esse vendere, facere, locare, aut tradere iis quos noueris illis ad peccatũ abusuros, modò adsit causa rationabilis, & proportionata, aliàs non. Ita docet expressè Sylvester *verb. infidelitas. q.* 4. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 10. *puncto* 5. Sa *verb infidelis. n.* 1. Reb. *de oblig. part.* 2. *lib.* 9. *q.* 18. *sect.* 3. Anton. 2. *part. tit.* 1. *c.* 9. §. *vlt.* Maior 4. *dist.* 15. *q.* 35. Adrianus *q.* 3. *de Baptism.* quæ incipit, *Tertiò videndum. & quodl.* 3. *art.* 2. qui citant Palud. Ricardum, Monal. & Astensem, & causam rationabilem esse putãt, necessitatem, vel vtilitatem aliquam, intellige proportionatam qualitati peccati. Maior enim causa requiritur ad excusandum à peccato eum qui tribuit materiam, instrumentum, vel occasionem maioris mali, quàm minoris, & peccati interni, seu volũtatis peccandi, quàm executionis externæ, qua ipsum peccatũ consummatur, vt cùm aliquis est paratus ad mutuandum sub vsuris, vel ad fornicandum, quia actus externus nullam malitiam addit interno; & maior causa requiritur quando peccatum est certò futurum, quàm cùm solùm est opinio, vel formido decius futuritate. Similiter, quando peccatum nocet communitati, vel tertiæ personæ, quàm cùm soli peccanti, & quando aliàs peccatum, vel damnum non fieret, quàm cùm re ipsa futurum esset, quia non deesset alius qui res illas venderet, vel daret.

Si obiicias: non excusabor à pec- Num. 5.
cato homicidij si occidam Titium, quãuis certò sciam ab alio fore occidendum: ergo neque à peccato scandali si rem vendam abusuro illa, licèt sciam non defuturum alium qui eidem vendat. Respondet bene Reb. negando consequentiam, quia homicidium est intrinsecè malum: venditio autem solùm est malum quatenus sit occasio, & causa sine qua peccatum, vel damnum non fieret, & nullus finis, nulláque ratio inueniatur quæ ipsam honestare valeat. Vnde iam probatur conclusio, quia istæ actiones non sunt intrinsecè malæ: ergo possunt honestari ex aliqua rationabili causa sine qua malę erunt: quia non est faciendum sine causa rationabili id vnde resultat peccatum, vel damnum proximi.

Ex quibus meritò infert Reb. fal- Num. 6.
sò, vel diminutè locutos fuisse aliquos, qui dictas actiones iustificant nulla facta mẽtione causę rationabilis, vt Caiet. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. §. *vlt. & q.* 147. *art.* 4. *ad finem. & q.* 169. *art.* 2. *circa respons. ad* 4. *& tom.* 1. *opusc.* 31. *respon.* 13. Nauar. *c.* 17. *n.* 195. *post medium. & c.* 19. aliàs 20. *n.* 16. *& c.* 21. *n.* 26.

Digitized by Google

n. 26. Armil. *verb. ars. n.* 4. Mol. *tom.* 2. *disput.* 500. *casu* 27. Med. 1. *Summa. c.* 14. §. 25. *in fine.* Angelus *verb. infidelitas.* §. 1. Bannez 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. *& q.* 77. *art.* 4. *dub.* 1. Aragon *eod. art.* Salon *ibi. controu.* 2. cum Victoria *in scriptis.* Cordu. Sa, Vega, Emanuel, Grafis, Lopez, Ledes. alij ꝯ. citandi.

Num. 7. SECVNDO patet, immeritò adhiberi alias limitationes. Prima est à Cordubensi *in Sum. q.* 9. & Sa *verb. venditio. n.* 24. licitè abusuris vendi indifferentia, nisi scias illos emere ad abutendum. Sed hæc limitatio falsa est: nam etiamsi quis vendat illis, quos scit velle ad abutendum, non peccat secundùm communem Doctorum, si ex necessitate, vel alia causa rationabili vendat, vt cùm quis Iudæis vendit agnos, vel ramos, quos volunt ad celebrandum festum Phase, vel Tabernaculorum, quod præcipuè procedit quando certum, vel probabile est, emptores mutaturos intentionem.

SECVNDO limitant Bart. Med. ꝯ. Vega *verb. compras. casu* 65. Emanuel 2. *part. c.* 66. *n.* 13. Lopez 1. *de contract. cap.* 8. *& in Instruct. conscientia. part.* 1. *c.* 59. Salon, & alij, nisi emptor re empta esset abusurus in iniuriam proximi, vt si lusurus sit res alienas vel cum fraudibus. Sed ista limitatio falsa est, & contra Reb. Ban. & Arag. aliósque communiter concedentes posse vendi fucos, monilia, & vestes fæminis abusuris illis ad adulteria: item posse vẽdi taxillos, aleas, latrunculos, & cartas lusorias iniustè lusuris; posséque deponi pecunias apud vsurarium, qui illis exercebit vsuras, vt tenet D. Thomas *de malo, q.* 13. *art.* 4. *ad* 18. *&* 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *ad* 3. Mol. *disp.* 331. Tab. *verb. vsura.* 8. *q.* 4. *&* 5. & alij.

SI obiicias, quia non licet arma dare abusuris illis ad iniustã occisionem, vel percussionem: ergo neque pecuniam abusuro ea ad vsurarios contractus. Respondent Bannez, & Arag. non esse simile, quia vsurarius non est iniurius cum violentia, sicut homicida, vel percussor: imò iniuria ei fiet si vsurarius per vim impediatur dare illi mutuum sub vsuris, cùm aliter dare non vult. Sed hæc differentia nullius moment videtur. Vnde respondetur secundò, ex causa etiam esse licitum vendere, vel dare arma iniustè occisuro, vel percussuro, vt ait Adrianus *locis citatis*, & Sa *verb. venditio. n.* 24. *& verb. peccatum. n.* 9. vt si mihi minitetur mortem nisi arma dedero, vel ostendero, &c. Num. 8.

TERTIO limitãt & Bart. & Med. vt non possimus vendere quæ contra diuinum cultum ordinata sunt, videlicet ex sua institutione, vt idola, & Mesquitæ Gentilium, Synagogæ Iudæorum, vestes Sacerdotales superstitiosis vsibus accommodatæ. Eandem limitationem posuêre Caiet. *opusc. citato. &* 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. Salon, Reb. & alij ꝯ. Hanc tamen limitationem impugnat Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *puncto* 5. quia etiam institutis ad malum vsum possunt homines bene vti, vt cõuertẽdo Synagogas, fana, & Mesquitas Gentilium in Ecclesias, ex vestibus Sacerdotalibus, & idolis faciendo alias vestes, vel imagines, vel certè eas comburẽdo. Et venena possunt emi, vt effundantur, vel noxia animalia interficiantur, vel aliis vsibus vtiliter accommodentur: ergo licitũ erit hæc vendere abusuris, si iusta causa venden

Digitized by Google

vendendi interueniat. Communiter autem hæc venduntur, vt alij abutantur, & ideo dixit D. Thom. venditionem esse illicitam, quia est directè cooperari peccato illorum, vt explicat Valentia: non tamen mihi placet quod absolutè ait *disp. 5. q. 20. puncto* 5. peccatum esse, vendere indiscriminatim cartas lusorias, ornamenta quædam, cibos lasciuos, arma offensiua, & similia, quanuis liceat locare domos meretricibus, & vsurariis, aliisque peccatoribus qui illis abutentur: eadem enim ratio de loco, & de materia, quidquid ille dicat. Ergo si licitum est locare domos meretricibus, & vsurariis, licitum erit vendere cartas lusorias.

Num. 9. SPECIALITER autem prohibitum est *c. 1. de vsurar. in 6.* locare domum vsurario alienigenæ, vt *ibi* notat Valentia cum Nauarr. *c. 17. num. 195.* Vega 5. cũ Rosa. *verb. restitutio. 9. §. 34.* Tab. *verb. vsura. 1. q. 5.* Franc. *verb. area. consil. 158.* qui inde colligunt licere domum locare vsurario indigenæ. Sed Læsius *lib. 2. c. 24. dub. 7.* addit, illum Textum nõ videri multis locis seruari: nã passim à Principibus, & Rebuspub. admittuntur alienigenæ vsurarij, Episcopis minimè contradicentibus.

Num. 10. VIDETVR Læsius *ibidem* indicare solùm licere locare domos meretricibus quando à Repub. permittuntur, vel non sunt defuturi alij qui domos eis elocent. Sed istæ limitationes non sunt necessariæ: ex causa enim citra hos euentus possunt illis locari. Vnde etiam fallitur Salon dicens, non licere illis domos locare, si honestas vicinas peruersuræ sunt. Falsò etiam Vega, Bãnez, Aragõ & Emanuel 5. *n. 14.* Ledes. 2. *part. tract. 8. c. 32. post 15. conclus.* aiunt, non posse vendi ornatum accommodatum ad scandalizandum honestam aliquam personam: nam hoc etiam ex causa rationabili licet. Sic etiam Caiet. 2. 2. *q. 162. art. 2. in fin.* ait, artifices qui ex causa inueniunt superflua, & curiosa, posse excusari: falsò tamen ipse Caiet. *opus. citato* affirmans licitum esse ministrare alicui cibos quibus ieiunium scio soluturum, negat posse ei ministrari vinum quo scio se inebriaturum; eadem enim ratio est. Vnde etiam malè Emanuel 5. *n. 15.* putat peccatum esse, dare vinum se inebriaturo: meliùs Ledes. docet probabile esse, non esse peccatum, si inde non sit processurum damnum tertij, quanuis ex causa etiam in hoc casu liceret. Imò Sa *verb. ieiunium. n. 15.* non solùm ait esse licitum dare cibos soluturo ieiunium, sed etiam ad cœnam inuitare vrbanitatis causâ vel hospitalitatis; supposito quòd decreuerit non ieiunare. Idem Caiet. 2. 2. *q. 147. art. 4.* Nauarr. *c. 20.* aliàs *19. n. 16.* Lopez cum Victoria.

ADVERTE autem iure positiuo *Num. 11.* prohibitum esse vendere infidelibus ferrum, galeas, naues, & similia. *c. ita quorundam de Iudæis.* vbi latè Nauarr. *& extrauagant. multa de Iudæis. & extrauagant. quod olim de immunitate Ecclesiarum, & in bulla cœnæ.* vbi Suar. & alij. Salon 2. 2. *q. 77. art. 4. controuersia 2. & c. vnico de sagittariis* prohibentur fieri sagittæ, scilicet tempore belli iniusti, vt exponunt Salon, Loan. Med. & alij.

QVÆRES, an vendere, aut dare *Num. 12.* rem alteri abusuro ea contra iustitiam, sit peccatum iniustitiæ cum onere restituendi? Læsius *lib. 2. c. 13. dub.*

Digitized by Google

dub. 3. in fin. tenet, vendentem arma tempore belli iniusti, quando peccat, agere contra iustitiam cum onere restituendi. Idem dicunt aliqui de deponente pecuniã apud vsúrarium, quem scit ea abusurum ad vsurarios contractus. Sed in casu vsuræ oppositum docet Salon 5. *controu. 6.* solùm dicens esse contra charitatem, & iustitiam legalẽ. Expressiùs idem docet Mol. *disp. 53.* Valentia *disp. 5. q. 21. puncto 4.* quia ille non consulit, petit, præcipit, aut vult vt ille vsuras exerceat, nec tenetur de iustitia impedire earum exercitium: ergo non tenetur restituere. Contrarium insinuat Sotus *6. Iustitia. q. 1. art. 4. in fine.* Salon *q.* 78. *art.* 4. *controuersia* 4. & probabile putat Bannes *eodem art. dub.* 40. licèt in oppositum inclinet.

DVBIVM XLVIII.

Vtrùm venditio rei alienæ sit valida, venditórque pretium rei venditæ retinere possit.

SVMMARIVM.

1 *Quando, si res aliena furtiua est, sit irrita venditio, quando sit valida.*
2 *Quando emptor non habet actionem ad pretium.*
3 *Qui bona fide rem furtiuam vendidit, si non fit ditior, non tenetur restituere.*
4 *Si factus est ditior, tenetur.*
5 *Qui bona fide vendidit alicui rem alienã, non tenetur postea si sciat esse alienam, monere emptorem.*
6 *Qui teneatur ad restitutionem.*
7 *Quid in casu dubio faciendum sit.*
8 *Quando res aliena pauperibus distribuenda.*
Ioan. de Salas.

RES aliena si furtiua est, irrita est venditio, siue solus emptor, siue vterque sciat esse furtiuam, solúmque est valida quando neuter, vel solus venditor scit. *l. si empt. §. item si emptor. ff. de contrahenda empt.* Si verò res non est furtiua, valida est venditio, siue solus venditor, siue vterque sciat alienam esse. *l. rem alienam. ff. de contrahenda emptione.* Nulla autem venditio rei alienæ dicitur valida quia dominium transferat: non enim transfert *l. ex empto. ff. de act. emp.* sed quia venditor tenetur de euictione, & debet seruare emptorem indemnem, & quantùm in se est, facere vt emptor eam rem legitimè habeat. *Num. 1.*

SECVNDA conclusio: si emptor rem alienam esse sciat ad pretium, actionem non habebit, nec venditor de euictione tenebitur, nisi oppositum expressè deductum fuerit in pactum. *l. si fundum. C. de euictione. l. 19. tit. 5. part. 5:* & si talis res fuerit mobilis, emptor vt fur punietur. Vide Reb. 2. *part. lib. 9. quæst. 18. sect. 1.* Mol. *tom. 2. disp. 327. &* 380. Conrr. *de contract. q.* 70. Lopez *illa lege parita.* Mozium *tract. de empt. tit. de rebus quæ emi, & vendi possunt. ex numero decimo vsque ad decimum quintum.* *Num. 2.*

TERTIA conclusio: siue res sit furtiua, siue alio modo aliena, qui bona fide eam vendidit, & non est factus ditior, non tenetur pretium restituere domino. Reb. 5. Mol. *disp.* 380. Læsius *lib. 2. c. 21. dub. 17.* Lopez *de contract. c. 47. ad fin.* Sylueſt. *verb. rest. 3. q. 7.* Caiet. *verb. restitutio. c. 1.* Ioan. Med. *de rest. q.* 10. Sotus 4. *Iustitiæ. q. 7. art. 2.* Nauarr. *cap. 17. n. 8.* Co- *Num. 3.*

M uar.

Digitized by Google

uat. *reg. peccatum. part. 3. ad initium, concluſ. 4.* Med. *1. Sum. c. 14. §. 3. reg. 2.* Pedraza *in 7. præcepto, dicto 1. fol. 21.* Probatur, quia ille non tenetur ratione rei acceptæ, cùm hæc apud ipſum non extet, nec vllum ex ea perceperit emolumentum, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cùm nullã iniuſtitiã cõmiſerit cõtra dominũ, & fur, ac poſſeſſor domino maneãt obligati.

Num. 4. QVARTA concluſio: ſi factus eſt locupletior ex venditione, tenetur illud lucrum reſtituere domino vice rei alienæ, in cuius locum ſucceſſit, & cuius eſt prouentus, & fructus: par enim non eſt, vt quis ex re aliena diteſcat abſque ſua induſtria; ſecus ſi illud lucrum ex ſua induſtria proueniat, vt ſi rem detulit in alium locum, vbi pluris vendidit: tunc enim non tenetur illud reſtituere, vt dicunt Læſius, Reb. Mol. Lopez, Pedraza & alij. Idem dicunt Med. *illa reg. 2.* & Rebel. de donante rẽ alienam: ſolùm enim tenetur reſtituere domino id in quo factus eſt ditior, vt ſi aliam rem ſuam eſſet donaturus, niſi alienam donaſſet. Addit Mol. *Similiter ſi emptor in aliquo ex re illa factus eſt ditior, deducto pretio quod pro illa dedit, deductiſque expenſis, & valore induſtriæ appoſitæ, illud tenetur reſtituere domino rei, & non amplius.*

Num 5. QVINTA concluſio: qui bona fide vendidit alicui rem alienam, licèt poſtea ſciat eſſe alienam, non tenetur emptorem monere, vt eam reſtituat, quia non tenetur cum pari ſuo damno curare, vt alteri fiat reſtitutio eius quod ſine ſua culpa periit, vel alienatum eſt. Læſius §. Tenetur tamen emptori de euictione ſi res euincatur, vel reſtituatur domino. Læſius §. Ioan. Med. Sotus, & Reb. Martinus, Ledeſ. *2. p. tract. 4. fol. 269. col. 4.* licèt oppoſitum teneant Sylueſter, Bart. Med. & Caiet. §. nempe non teneri de euictione, nec debere ſeruare indemnem emptorem. Addit Med. ſi rem alienam ſic vendidit, quæ fuerat ſibi donata, debere illum ſeruare indemnem reſtituendo illi pretium. Nau. *n. 7. & 8.* tenet, venditorem ſatisfacere ſi cedat emptori actionem de euictione, quam habet contra primum illius rei alienæ venditorem, iuxta legem, *in creditore. ff. de euict.* quod verum eſſe ait Lopez, ſi illa ceſſio prodeſſe emptori poſſet, ſecus ſi non poſſet: quia primus emptor mortuus, vel abſens eſt, vel non eſt ſoluendo; vnde æquius iudicat, ſe debere emptorem ſeruare indemnem, vel rationabilius fore, vt damnũ ex æquo inter ipſum, & venditorem diuidatur.

NOSTRA tamẽ concluſio probatur, quia vẽditor tenetur ſuũ emptorẽ indẽnẽ ſeruare, vt cùm à fure pro lapide pretioſo vitrũ emit, & alteri eodẽ pretio vẽdidit, tenetur cõtractũ reſcindere, & ſecũdũ emptorẽ indemnẽ ſeruare. Intelligit cõcluſionẽ Reb. ſi pretium extet: nam ſi bona fide eſſet conſumptum, neque inde ditior effectus eſſet, certum eſt apud omnes ex nulla reſtitutionis radice teneri. Idẽ ex Mol. retulimus. Intelligit etiã Reb. cũ omnibus, quando ſecundus emptor ex tali venditione, quæ iuſto pretio facta ſupponitur, nihil dãni pateretur, quòd, verbi gratiã, non compareat, ſed in Indiam, alióue diſceſſerit, vbi bona fide re aliena tanquam propria vtetur.

SEXTA cõcluſio: ſi quis ſciẽs rẽ eſſe alienã, poténſq; domino reſtituere, eã alienauit, cõmunis ferè omnium ſenten Num. 6.

Digitized by Google

sententia est, teste Læsio, teneri ad restitutionem pretij, quia eam alienando, ad quod ius non habebat, damnum infert, sicut si eam perimeret. Secus est dum res erepta à fure, eidem restituitur: hoc enim non est alienare, aut in alium transferre; sed contractum resoluere: quod iuxta probabilem sententiam poterat facere ad vitandum damnum pretij, si alia ratione caueri non poterat; verùm extra hunc casum tenebitur cum damno pretij rem domino restituere: vnde si non fecerit, tenebitur compensare æstimationem. Si verò rem non poterat domino restituere, & per alienationem non fecit eam recuperatu difficiliorem, non videtur domino teneri, nisi quatenus ex illa alienatione factus est ditior: quia per illam alienationem nihil damni intulit domino. Itaque non tenetur ratione acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis: suppono enim quòd ipse eam non eripuerit, neque sit causa cur ei restitui non possit. Confirmatur: ideo enim multi tradunt emptum à fure, etiam mala fide, posse eidem restitui ad pretium recuperandum, etiamsi domino restitui possit: ergo multo magis quando non potest restitui, poterit absque iniuria alteri vendi. Qua ratione multi in Anglia, & Holandia, qui bona Ecclesiastica immobilia ab aliis empta, aliis postea vendiderunt, excusari possunt à restitutione: per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona hoc statu rerum restitui non possunt, intulerunt; vnde non tenetur Ecclesiæ restituere pretium, vel æquiualens: si tamen ex fructibus, vel venditione facti sunt locupletiores, tenentur eatenus; nam fructus sunt Ecclesiæ hoc ipso quòd in re Ecclesiæ nascuntur: & lucrum ex venditione, etiamsi Ecclesiæ nō sit, est tamen ei debitum, tamquam id quod succedit in locum rei, nisi ex industria proueniret: neque etiam ij tenentur emptoribus qui ab ipsis ea bona emerunt, quia etsi contractus fuerit irritus, & consequenter non sit translatum dominium pretij; tamen quia venditor illud, volente emptore, accepit, & retinet, & emptor non vult dissoluere contractū, & restituere emptum, non tenetur venditor pretium illi restituere; sed potest retinere loco rei venditæ: si tamen emptor vellet dissoluere cōtractum, & emptum restituere, deberet ei venditor reddere pretium, quia ab initio cōtractus fuit irritus. Ita Læsius.

SEPTIMA conclusio: si post debitā diligentiam, vel impotentiam ad sciēdam veritatem, dubiū adhuc sit an res sit aliena, fas erit eā quouis titulo alienare, vel etiā recipere, modò ex parte vtriusq; adsit intētio nō prætermittendi debitam diligētiam quoties se obtulerit occasio sciendi veritatem, vt ea cōperta res suo domino restituatur: & secūdùm Sa *verb. venditio. n.* 23. dubitans rē esse furtiuā tenetur id emptori indicare. Adde vel ratione huius defectus pretiū minuere; imò si inde timeret damnū recipientis, teneretur vēditor defectum mercis manifestare, aliàs tenebitur de damnis, vt dicunt Reb. Couar. & Ioan. Med. quamuis repugnēt Ostiensis & Angelus: si tamē postea cōperiretur rē esse alienā, teneretur venditor seruare indemnem emptorem, nisi tale periculum ipse em- *Num. 7.*

Digitized by Google

ptor in se suscepisset.

Num. 8. OCTAVA conclusio: quando rem scires esse alienam, & dominus non cõparet, non est licitũ ea, vel pretio frui cum animo restituendi si comparuerit; sed res est pauperibus dãda, vel piis vsibus. Reb. s̃. Caiet. *tom. 1. opusc. 31. respons. vltim. §. penul.* quia hæc est volũtas domini præsumpta. Vide alia apud Reb. s̃. *& lib. 2. prima part. à q. 5. vsque ad 9.* Sa *verb. venditio. n. 6. verb. emptio. n. 10. & 11.* Læsium *lib. 2. c. 14. dub. 1. & 5. c. 18. dub. 3. cap. 20. dub. 18 n. 163. & c. 21. dub. 17.* Mol. *disp. 327.* Ledes. *2. part. tract. 8. cap. 32. concl. 15.* & alios *2. 2. q. 62. art. 3.*

DVBIVM XLIX.

Quæ aliàs emi, aut vendi possunt, vel non possunt.

SVMMARIVM.

1 *Variæ quæstiones in disputationem reuocantur.*

Num. 1. DE hac re si per tempus liceret, multa essent discutiẽda, vt an spiritualia, vel annexa spiritualibus emi, aut vendi possint, de quo *in tractatu de simonia.* An homo etiam inuita vxore possit se vendere in mancipium, de quo Sa *verb. venditio. num. 13.* An quis possit in mancipium, filios suos vendere, & an meretrix possit vendere vsuram sui corporis, & pretium licitè pro ea accipere. Et an mulier, aliàs bona, & honesta, possit vsuram sui corporis vendere supra communem æstimationem; de quo Læsius *lib. 2. cap. 14.* Et an liceat vendere, aut locare domum, & similia non habenti bona, nisi malè acquisita; de quo Conradus *in Summa. q. 115.* Et an officia publica à Rege, vel magnatibus vendi possint; de quo Reb. *lib. 9. q. 18. sect. 2.* Mol. *tom. 1. tractatu 2. disp. 91.* Lopez *1. de contract. cap. 6.* An aurifices possint ligam pro auro, vel argento vendere, vt bene affirmant Cord. *in Summa. casu 80.* Lopez *1. de contract. c. 19. & 63.* Sa *verb. venditio. n. 9.* Salon *2. 2. quæst. 77. art. 2. controu. 1.* Emanuel *2. p. Summa. c. 8. n. 9.* Denique de variis rebus, quæ vendi possunt, aut non possunt, agit Rebel. *illo lib. 9. q. 18. sect. 4.* Mozius *loco citato, dub. præcedenti.* Ledes. *illo c. 32. conclusione 5.* Palacios *2. de contract. cap. 8. & 9.* Lopez *1. de contract. cap. 4. & seqq.* Mol. *disput. 240.*

DVBIVM L.

Ad quem pertineat periculum, & commodum rei venditæ, & cui pereat, vel deterior fiat.

Num. 1. RESPONDEO communiter, periculum, & commodum rei etiam ante traditionem ad emptorem pertinere, & illi perire rem, aut deteriorem fieri, vt patet *ff. de peric. & commodo rei venditæ.* Doctores *ibi.* Grafis *part. 1. lib. 2. c. 116. n. 18.* Sa *verb. venditio. numer. 26. & 27.* Mol. *disp. 340.* Lopez *1. de contract. cap. 7.* Reb. Læsius, & passim alij.

* * *

DV

Digitized by Google

DVBIVM LI.

De retractu rei venditæ ratione propinquitatis, vel communionis in eadem re cum venditore.

Num. 1. DE hoc satis est videre Mol. *disp.* 370. & 371. Tiraq. *de vtroque retractu.*

DVBIVM LII.

An notarius faciens instrumentum, in quo aliquis fraudatur citra dimidium iusti pretij, teneatur restituere.

Num. 1. RESPONDEO, non teneri, quia causam damni non dedit. Sa *verb. venditio. n.* 28.

DVBIVM LIII.

An cogi aliquis possit ad vendendam rem suam.

Num 1. RESPONDEO, in multis casibus posse cogi propter bonũ cõmune. Ita Reb. *p.* 2. *lib.* 9. *q.* 18. *sect.* 4. Sa *verb. venditio. n.* 25. Couar. 2. *Var. c.* 3. *n.* 5. & *c.* 14. *n.* 3. Grans 1. *p. decis. lib.* 2. *c.* 133. *n.* 8. 9. & 12. Mol. *tom.* 2. *disp.* 341. Morl. *in Emporio. p.* 1. *tit.* 9. *q.* 1. *n.* 4. & *sequentibus.* Vega *verb. compras. casu* 50. Emanuel 2. *p. Summa. c.* 7. *n.* 2. Azeuedo *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *compil. à n.* 21. alios adducẽs.

DVBIVM LIV.

An vendita re aliqua, etiam accessoria eodem pretio censeantur vendita.

RESPONDEO affirmatiuè cum Reb. optimè explicante 1. *part. lib.* 9. *q.* 17. *sect.* 1. Vega *verb. emptio. casu* 51. & aliis. Num. 1.

DVBIVM LV.

Inter quas personas contractus emptionis, & venditionis celebrari nequeat.

RESPONDEO, inter patrem & filium non emancipatum, inter virũ & vxorem, inter tutorem & minorem, vt bene explicat Reb. *p.* 2. *lib.* 9. *q.* 19. *sect.* 3. vbi etiam exponit quando emptio, & venditio facta ab vxore, vel famulo valida sit. Num. 1.

DVBIVM LVI.

An peccent mortaliter cum onere restituendi qui triticum à Regno extrahunt.

VIDE Palacium 2. *de contract. cap.* 2. Num. 1.

DVBIVM LVII.

An liceat triticum emere ad reuendendum in hoc Regno.

RESPONDEO, non licere, vt habetur *l.* 19. *tit.* 101. *lib.* 5. *compil.* vbi Azeu. & Matien, Num. 1.

Digitized by Google

Emanuel *in Sum. p. 1. c. 82. concluſ. 5.* Ledeſ. *2. p. tract. 8. c. 32. concluſ. 14. difficult. 2.* Cord. *in Sum. q. 83.* Sed nō oritur inde obligatio reſtituendi, quia lex non irritat tranſlationem dominij.

DVBIVM LVIII.

An qui falſas literas de induſtria proiecit, vnde alius credens, emēdo læſus eſt; & qui alienas aperuit, vel conciſas collegit, & lucrum ad quod mittebantur, emēdo merces præripuit, teneatur reſtituere.

Num. 1. RESPONDEO, non teneri, vt rectè probant Sa *verb. reſtitutio. n. 41.* Lopez *1. de contract. c. 52.* Tabiena *verb. emptio. n. 13. & 14.* Anton. Roſella, Sylueſt. & Armilla, quos citat, & ſequitur Comit. *lib. 3. q. 32.*

DVBIVM LIX.

An qui vendit rem pro decem, quæ tempore traditionis creditur tantùm valitura quinque, ſi poſtea valeat quindecim, debeat quinque reſtituere.

Num. 1. SA reſpondet affirmatiuè *verb. venditio. n. 21.*

DVBIVM LX.

An emere, & vendere in aliquibus locis, vel temporibus ſit illicitum.

Num. 1. RESPONDET affirmatiuè Reb. *2. p. lib. 9. q. 19. ſect. 4. &* 5. Mol. *tom. 2. diſp. 344.* & alij, qui docēt lethale eſſe res ad locū ſacrum aſportare, ibíque tamquam in foro publico vendere: & nomine *loci ſacri* etiam cœmeterium intelligunt; dicunt tamen non eſſe lethale pacta ibi facere: item licere ibi vendere candelas ad diuinum cultum, quia id fit ſine ſtrepitu, & ferè ſine vlla negotiatione.

DVBIVM LXI.

An res vendita cū expreſſione quātitatis, ſi poſtea reperiatur maior, aut minor, tota ſolo pretio ab initio conſtituto vendita cenſeatur.

DE hoc vide Reb. *lib. 2. quæſt. 17. ſection. 2.* Graſis *1. p. deciſ. lib. 2. c. 116. n. 19. & 20.* Vbi etiam de venditione, vel alienatione ad corpus & ad menſuram diſſerunt; de quo etiam Mol. *diſp. 67.* Num. 1.

DVBIVM LXII.

An venditor teneatur emptori de euictione.

VIDE Doctores *ff. de euiction.* Mol. *tom. 2. diſp. 380.* Lopez *1. de contract. c. 47.* Fauianū de Monte *q. 6. principali de empt. circa 13.* & Gaſparum Cauallinum *tract. integro de euictione.* Num. 1.

DVBIVM LXIII.

An emptio, vel venditio metu facta ſit valida.

Digitized by Google

Num 1. VIDE Ledesf. 2.*part.tract.*8. & *c.* 32. *conclus.* 18. Ema. 2.*part.c.* 80. *n.* 2. & 3. Lopez 1. *de contract. cap.* 91. & quæ diximus 1.2.*tom.*1.*tract.*3.*disp.* 3. & *sect.* 1. vbi resoluimus, omnes contractus factos metu graui iniustè,& directè incusso ad extorquendum consensum,esse irritos iure naturæ: metu autem leui factos nullo iure.

DVBIVM LXIV.

Quæ in fraudem creditorum vendita dicantur, & an eorum venditio sit nulla.

Num.1. VIDE Molinam *disp.* 328.

DVBIVM LXV.

An scriptura sit necessaria ad valorem venditionis.

SVMMARIVM.

1 *Communiter non requiritur.*

Num.1. RESPONDEO, communiter nō requiri, vt patet *l. cùm res.C. de probationibus. l. contrahitur. ff. de pignorib.* sed tantùm quando contrahentes disertè, & expressè conueniunt, vt in scriptis contrahatur: nec aliter ratum volunt haberi contractum, nisi scriptura in mundū redacta, & subscripta.§.1.*inst.de empt. & vendit.* vbi optimè Angelus *l. contractus. C. de fide instrumentorum.* vbi Castro, & Faber *l.* 6. *tit.* 5.*partita* 5. vbi Gregor. Lopez Anton. Gomez *tom.* 2. *Var.c.* 2.*n.* 17. Mol. *disp.* 337. Lopez 1. *de contract. c.* 44. *dicto* 5. Reb.*part.*2.*lib.* 1. *q.* 3.*sect.* 1.*& lib.* 9. *q.* 9. Catelianus Cota *in memorabilibus. verb. contractus.* Læsius 2.*Inst. c.*21. *dub.* 1. Palacios 2. *de contract. c.* 4. *conclus.* 8. Vuesenbechius *l. cum instrum.* 10. *C. de fide instrumentorum.* Bene autem notant Reb. Mol. & Gomez vtrique contrahentium fas esse etiam celebrato contractu alterum compellere ad conficiendam scripturam pro maiori firmitate contractus, & faciliori probatione. Vide alia apud citatos.

DVBIVM LXVI.

Quid operetur arra in emptione, & venditione, & an data arra possit quisque contrahentium à contractu resilire.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit arra. Data arra non licet à contractu resilire.*

2 *Proponitur sententia negatiua.*

ARRA est quod datur in signum, & argumentum celebrati contractus, & quasi pignus, & interdum in partem pretij, vt patet *l.* 2. *C. quando liceat ab emptione recedere.* §. 1. *inst.de empt. l. contractus.*§.*illud. C. de fide instrum. l.* 2. *fori.lib.* 3. *tit.* 10. *l.* 7. *tit.* 5. *partita* 5.*tit.* 24. *ordin. Lusitan.* Quæ iura statuunt, vt si emptor à contractu resilire velit, arram amittat; si verò venditor, duplam restituat: imò & Num.1. quòd

Digitized by Google

quòd si arra detur in partem pretij, quia res non est integra, sed contractus cœpit exequutioni mandari, resilire non liceat. Imò existimo, etiamsi arra solùm data sit in signũ, celebrato contractu, non esse licitum, saltem in conscientia, resilire, vt habet communis opinio, quibusdam asserentibus vltra arram qui resiliit, teneri ad totale interesse: Bartolo verò, & aliis multis affirmantibus arram detrahendam esse à totali interesse; vt referũt glossa iuribus cõmunibus citatis, & Greg. Lopez *d.l.7.* Ant. Gomez *tom.2.Var.cap.2.n.18.* Villalobos *in Antinomiis, litera E. n.40.*

ALII tamen dicunt licitũ vtrique esse resilire amissa arra, vel dupla reddita. Ita habetur *l. illa 7. partita*, quæ præualet legi fori: & fuit opinio Azonis *l. quod sæpe, in proœmio. C. de contract. empt.* quam Salicetus sequutus est, dicens esse in praxi communem quamque stando in iure Lusitaniæ, & Castellæ. Sequitur Mol. *disputat. 338.* Reb. *p. 2. lib. 2. q. 1. sect. 2. in fin.* Mozius verò *tract. de actione. tit. de accidentalibus empt. n. 9.* ait, non solùm posse recedi quando contractus non fuit absolutus & perfectus, quippe solùm continens verba præparatoria: sed etiam quãdo fuit perfectus & absolutus, quãuis tunc qui recedit vltra arram, teneatur ad interesse secundùm aliquos antiquos, & modernos *dicto §. illi.* & Angelum 3. Quam opinionem cõmunem esse ait Iaf. sed certè si contractus fuit absolutus & perfectus, non licet recedere in foro interno. Dicũt tamen Lopez 1. *de contract. c.* 48. & Palacios *lib. 2. cap. 4.* quando non datur in pretium, contractum esse conditionalem; ideo in conscientia licitum esse ab illo recedere soluta arra. Imò Garsia 1. *de contract. c. 13.* ait, more iam receptum, vt arra simul in pignus & signum, & partem pretij detur, vt ait Sylvester *verb. arra. q. 2. &* Salon. *2.2. q. 77. art. 3. controu. 2. ad finem.* Addit Garsia, etiam cùm datur vtroque nomine, posse vtrũque resilire, quod est contra Sylvest. & iura citata. Si tamen consuetudo inoleuit, licitum esse ait bene Lopez à contractu recedere, quia consuetudo legem interpretari, legique derogare potest.

TRACTA

TRACTATVS

DE VSVRIS

Quæstio LXXVIII. S. Thom. 2. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accipere vsuram pro pecunia mutuata, sit peccatum? Conclusio affirmatiua.

DE hac re disputant Theologi *hîc & 4. d. 15.* Iurisperiti *in decreto d. 47. & 14. quæst. 3. & 4. & in decretalibus, & in 6. & in Clement. ff. & C. de vsuris, & lib. 8. nouæ collect. tit. 6.* Summistæ *verb. vsura.* Nauar. *cap. 17. n. 206. & comment. de vsuris.* Albornoz, Fran. Gra. Conrad. Palacios, Mercado, & alij *in lib. de contractib.* Ludouicus Lopez *2. par. de Instructorio Confessorum, à cap. 54. & in Instruct. negotiantium.* Sot. *6. de Iustitia.* Ioan. Med. *eod. de rebus per vsuram acquisitis.* Mol. *tom. 2. de iustitia. tract. 2. à disput. 303. col. 5. Summæ. à cap. 28.* Couar. *3. Var. cap. 1.* Gra. *1. p. decis. lib. 1 à c. 101. & 2. part. lib. 2. cap. 24.* Villaguta *lib. de vsuris.* Varij etiam tractatus Doctorum habentur *vol. 7.* Scripsit etiam de vsuris librum Carolus Momery, qui prohibitus est, postea tamen sub nomine Caballini Venetiis sine Typographi nomine editus fuit anno 1576. & postea Lugduni, & alibi, detractis nonnullis erroribus.

DVBIVM I.

Quid sit vsura.

SVMMARIVM.

1 *Vsuræ variæ acceptiones.*
2 *Vsura propriè sumpta quid sit.*
3 *Duo aduertenda ad doctrinam traditam.*

VSVRÆ nomine aliquando vsus cuiuscũque rei designatur. Vnde Cic. 7. in Verrem: *curiosis pi-* Num. 1.

Digitized by Google

ratis lucis vſuram tam diuturnam dediſti? & Tuſcul. 1. *dedit vſuram tanquam pecuniam.* Eodem modo loquitur pro Rabirio orat. 1. & orat. 1. in Catilinam, aliiſque locis relatis in Theſauro Cic. verb. *vſura.* Sic etiam Plautus in Amphitru. *vſuramque eius corporis accipit ſibi.* Aliquãdo verò *vſuræ* nomine id quod ex vſu alicuius rei tanquam fructus accreſcit, ſignatur. Sic Cic. de Senect. *Terra nunquam ſine vſura reddit, quod accipit.* Hinc incrementum, ſeu auctarium, quod tanquam pretium pro mutuo accipitur ſupra id quod mutuò datum eſt, appellatur vſura: & ſicut *fidei*, vel *hæreſis* nomine non ſolùm propoſitio Catholica, vel hæretica; ſed etiam actus, & habitus qui circa ipſam verſatur, appellari conſueuit; ita *vſuræ* nomine vocari ſolet non ſolùm lucrum quod pro officio mutuationis accipitur, ſed etiam actus, vel habitus quo tale lucrum accipitur, intenditur, vel in pactum deducitur: & in hac acceptione ſumitur *vſura* in præſenti, & paſſim apud Cic. 5. in Verrem, & alibi ſæpe, vt videre licet in eius Theſauro 5. & apud Varro. 3. de Lingua Latin. Gellium, & alios, licèt interdum quod accipitur medio mutuo, non vt pretium mutui, ſed quaſi debitum ex alio capite appelletur vſura, valdè extenſo nomine. Sic Ambroſ. 14. *q.* 4. *cap. vlt.* ait: *Ab illo exige vſuram, cui meritò nocere deſideras, cui meritò inferuntur arma, huic lege tunc auferuntur vſuræ: quem bello vincere non potes, ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere*, &c. Quibus verbis, vt explicat Mol. *diſp.* 303. & 304. Ambroſ. vult, quando aliquem licitè poſſumus occidere, & bona eius occupare, licitum eſſe vltra rem mutuatam aliquid ab illo accipere, non tanquam debitum ex mutuo, ſed ex alio capite, ſecluſo tamen ſcandalo: quod etiam vult Alex. Papa III. *cap.* 1. *de vſuris*, vt rectè explicat ibi gloſſa vltima. Hæc vſura appellatur compenſatoria, & licita eſt, vt notat Caballin. *tract. de vſuris. n.* 6. & alibi: illa verò qua lucrum pro mutuo accipitur, appellatur lucratoria. Vſura autem dicitur, non vt putat Grafis *p.* 2. *cap.* 24. *libri* 2. quaſi vſus æris (vt etiam Villaguta *queſt.* 1. *de vſuris. notabili* 6.) vel quaſi vrens, & conſumens; ſed, vt notat Molina. *diſp.* 303. dicitur ab vſu, vt cultura à cultu, & mercatura à mercatu. Fœnus etiam nũcupatur, quaſi fœtus, partus, ac fructus rei mutuò datæ (quãuis alij deriuent *fœnus* à *fundo*, vel à verbo *fero*, vt notat Aret. Prouerb. 28. verſ. 8.) Vnde Ariſtoteles 1. Politicorum cap. 7. *in fœnore nummum parit & tocon*, id eſt, vſum. Apud Ariſtophanem in Nub. deſcribitur bellua, quæ argentum numeroſiori fœtura ſemper generat. Quanuis *fœnerare* interdum idem ſit quod *communicare*; ſic Plinius lib. 2. cap. 6. *fœnerat Sol lumen ſuum cæteris ſyderibus*: interdum etiam eſt ſimpliciter *mutuare*; vt Lucæ 6. *Peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.* vt ibi exponunt Caiet. Eraſ. & alij. Sic etiam Ianſen. in Concor. cap. 84. exponit; *duo debitores erant cuidam fœneratori.* Fœnus etiam & vſura Græcè dicitur τόκος, quaſi *partus*, à τίκτω, id eſt, *pario*, & τοκίζειν eſt *fœnerare*. Hæbraicè autem appellatur vſura נשך *Neſek*, quaſi *morſus*, quia per eam mordetur ſubſtantia mutuatarij extrahendo aliquid ab ea vltra ſortem. Vnde Exod. 22. *Si mutuum dederis pecuniam*

Digitized by Google

*niã populo meo pauperi,nõ eris tãquã exactor,nec vsuris opprimes eum.*Hebraicè, *neque inferes ei morsum.* & Deuter. 23. *non fœnerabis fratri tuo,* &c. Hebraicè, *ne morsum inferas fratri tuo,alienum mordebis.*Vbi Caiet.optimè explicat,cur vsura morsus vocetur, & meliùs Chryſ. in id Matth. 5. *Volẽti mutuari à te,*&c. vbi ait:*Pecunia vſurarij ſimilis eſt morſui aſpidis,percuſſus ſemel ab aſpide,quaſi delectatus vadit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur, quia tunc venenum latens per omnia membra decurrit:ſic qui vſuram accipit.ſub tempore quaſi beneficium ſentit, & totum conuertit in debitum.*Pariéſque Matheualdus *vitio* 449.ius naturale *lib.* 3.ait vſurarium ſimilem eſſe vermiculo ligni, ſcil. teredini,Græcis eſt ξυλοφάγιον,quam Plinius *lib.* 17. & Hieronym. contra Iouin. delicatiſſimum cibum, & in deliciis olim fuiſſe putant;ad tactum enim lenis apparet, ſed dentibus eſt duriſſimus,quòd lignum interiùs rodit,& deuorat. Noui Iudæi vſuram vocant *Rabbid.* 1. *multiplicationẽ,* & Græcè etiã dicitur *δάνεισμα,* à *δανείζειν.* Vnde apud Italos, & interdũ apud Hiſpanos *dar a daño* eſt, *dare ad vſuram:*& Plutar. lib. de fœnore,vſurarium *δανειστὴν* vocat. De quo vide Sarmientum 17.*Select. cap.* 14. *concluſ.* 4.vbi *damniſtam* legit, & nomen interpretatur, quaſi damnũ inſtã. Luſitani vocant *onzenam,* quia vſurarius vndecim pro decem accipere ſolet contra exemplum Concilij Agath.*q.* 3. *cap. vlt.* Hiſpani communiter vocant *logeo,* & vſurarios, *logreros.*

Num. 2. VSVRA ſumpta propriè pro obiecto,ſeu materia vitij,dimiſſis multis aliis definitionibus, in quibus falſa,obſcura,vel ſuperflua miſcentur,quas partim reiicit, partim explicat, & ſequitur Villaguta *q.* 1.*de vſur. notab.* 7. rectè definitur ab Heroaldo in ſua epit. Philoſophiæ moralis,lucrum ſupra ſortem exactum tantùm propter mutuationis officium, in quo ſita ei eſt vſuræ decima. Communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam fatetur Caballinus *q.de vſur.n.*75. Sic debet intelligi definitio quã tradit Caiet. & Mol.*diſp.*303. lucrum ex mutuo: ſentiúntque Auguſt.Hieron.& Ambroſ.14.*q.*3.*cap.* 1. *& ſequentibus.* Lucrum autem hoc loco appellatur pecunia, vel quodcumque aliud pretio æſtimabile,vt tres illi Patres, & Concil. Agath. locis citatis, & Doctores communiter affirmant. Quòd autem ſit pretio æſtimabile, ex dubiis ſequentibus conſtabit. Vſura autem ſumpta pro actione, quæ dicitur peccatum vſuræ, eſt actio qua aliquid vt pretium mutui accipitur,intenditur, vel in pactum deducitur.

ADVERTE autẽ primò, id quod *Num.3.* mutuò datur, vel æquale quod ratione mutui debetur,appellari ſortem,quod nomen iuxta Sotum, & Mol. 5. ex contractu ſocietatis videtur ad alios deriuatum: in contractu namque ſocietatis vnuſquiſque ſociorum ſuam ſortem, hoc eſt, portionem ſorti & fortunæ expoſitam mittit in cõmunem aceruum; eámque tempore partitionis extrahi in tres ſi integra perſeueret:deinde verò accipit partem lucri, quæ vltra ſortem ipſam contingit. Vnde Ambroſ.*cap.plerique.*14. *q.* 3. *Quod accedit ad ſortem vſura eſt,ſors etiam appellatur capitale,& principale in contractibus ſocietatis,& vſure.*

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1905

Digitized by Google

SECVNDO aduerte, ad vsuram non requiri mutuum tale quale est, solùm propriè in rebus vsu consumptibilibus. *l. mutuum. ff. de rebus cred. si certum petatur.* quanuis latè in aliis dicatur 4. *reg.* 4. *pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua*, &c. 4. *reg.* 6. *hoc ipsum mutuò acceperam.* sed satis esse mutuum virtuale, quale est rē vendere carè, iusto pretio rigoroso propter dilatam solutionem: expectare enim solutionem est quasi mutuare pecuniam emptori; & similiter qui viliùs emit propter anticipatam solutionem, virtualiter dat mutuò pecuniam vēditori. Vnde in his euentibus si lucrum vltra sortem recipiatur, vsura committitur. Ita Molin. 3. Cùm autem hoc passim contingat, non placet quod ait Valentia *disp. 5. quæst.* 21. *puncto* 1. ideo à Doctoribus vsuram in solo mutuo constitui, quia in aliis contractibus rarò contingit.

DVBIVM II.

Quotuplex sit vsura.

SVMMARIVM.

1 *Primò, vsura diuiditur in lucratoriam, compensatoriam, & punitoriam.*
2. 3 *Secundò, in mentalem, & realem.*

Num 1. BALDVS, Salic. Paulus & alij *l. vsura. C. de vsuris.* Ancharr. *capit. peccati venia. col.* 8. *de reg. iur. in* 6. & Caballinus *quæst.* 1. *de vsuris. n.* 5. diuidunt vsuras in lucratorias, compensatorias, & punitorias. Primi generis sunt quæ tantùm propter officium mutui exiguntur. Secundi autem quæ propter aliquid aliàs debitum. Tertij autem quæ in pœnam deficienti in solutione mutui imponuntur. Sed certè solum primum genus est propriè vsura, vt ex dubio primo patet.

SECVNDO, diuiditur vsura in mentalem, & realem. Realis est, Num 2. quando interuenit pactum de lucro ex mutuo, siue expressum, siue tacitum, quod vltimum contingit quando mutuans id innuit, vt si dicat mutuatario; nosti consuetudinem, aut confido pecuniam hanc nō reuersuram ad me vacuam, aut memineris me priuari vsu meæ pecuniæ, aut habere filios, aut aliquid simile. Mentalis verò est, quādo nec expressum, nec tacitum pactum interuenit de lucro ex mutuo, intenditur tamen pro mutuo. Ita mentalem vsuram explicant Mol. *disp.* 303. Valent. *q.* 21. *punct.* 1. Tol. *lib.* 5. *cap.* 29. aliique omnes. Sed limitandū est ad intentionem lucri per modū pretij pro mutuo: si enim aliter intendatur, non erit vsura, etiamsi intendatur principaliter, & etiamsi absque spe, & intentione lucri non esset quis mutuaturus: & etiāsi mutuatarius lucrum det, quia nouit nisi lucrum debet, non fore illi dandam iterum rem mutuò: quæ omnia sunt contra aliquos dub. 5. reiiciendos.

DICITVR autem hæc vsura mentalis, quia licèt mutuatio rei, & acceptio lucri sint actiones externæ, tāmē nōmanifestāt intētionē pretij pro mutuo, quæ vsurā cōstituit, quam tamē manifestat pactum implicitum, aut explicitum: ideo quando hoc interuenit, vsura appellatur realis. Num. 3.

Porrò,

Digitized by Google

Porrò, si pactum de lucro fuerit reale, expressum, explicitum, seu manifestũ, vsura dicitur aperta, & explicita: si verò implicitum, palliata, & implicita. Tol. etiam *lib. 5. cap. 30.* & alij, quibus Mol. immeritò aduersatur, quoties mutuum est virtuale, tãtùm palliatam vsuram appellant, vt quãdo lucrum percipitur in emptione, & venditione propter dilatam, scilicet, vel anticipatam solutionem.

DVBIVM III.

An vsura realis illicita sit etiam iure naturæ?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans vsuras licitas esse, proponitur, & probatur pluribus argumentis.*
2 *Vsura prohibetur, vel prohibita declaratur in vtroque Testamento.*
3. 4 *Vsura prohibita est lege naturali.*
5 *De fide est, vsuram esse illicitam, & oppositum hæreticum est.*
6 *Ad contraria argumenta fit satis.*

Num. 1. ALBANENSES, vt refert Antoninus *4. par. Theol. tit. 11. c. 7. §. 5.* & Græci scismatici, vt refert Guido Carmelita in catalogo hæreticorũ, dixêre vsuras esse licitas: quod de moderatis, & nõ excessiuis docuit etiã Carolus Molinæus hæreticus, & Caballinus *q. 1. 2. & 74. de vsuris*: quanuis, si quis attentè legat quæ dicit *illa quæst. 2.* apertè sentiat pro ipso mutuationis officio nihil recipi posse, aut solere ab vsurariis; sed pro lucro cessante, & damno emergẽte. Et sic intelligit leges quæ moderatas vsuras concedunt, quas leges censet nõ esse permissiuas tãtùm, sed dispositiuas, concederéque semper vsuram moderatam propter lucrum communiter cessans, damnúmque communiter emergens: nam leges respiciunt ea, quæ communiter accidũt. Quæ sententia non errat in eo, quòd asserit pro lucro cessante, & damno emergente aliquid recipi vltra sortem posse: nam hoc licitum esse postea videbimus; sed in eo quòd asserit sẽper recipi posse, quod leges permittunt, cùm non semper cesset lucrũ, vel damnum emergat præter terminum tanti valoris. Vnde hæc sententia cogitur asserere recipi aliquid posse propter solum mutuationis officium. Molinæo cõsentit Esmidelinus, qui, vt refert Valẽt. supra quosdam alios sectarios Ratisbona expellitur, alij eo quòd prædicassent vsuram esse illicitam, & contra charitatem.

PRO hoc errore arguitur primò, quia vsura aliqua permittebatur filiis Israël. Deuteron. 23. *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.* Secundò, Deuter. 28. in præmium promittitur; *fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* Tertiò, quia Lucæ 19. dicitur: *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum vsuris exegissem illam:* & Matth. 25. *oportuit te committere pecuniam numulariis, & ego veniens recepissem vtique quod meum est cum vsura.* Quartò, quia ciuiles leges moderatas vsuras permittunt, vt patet *ex ff. & Codice de vsuris.* Quintò, quia licet in veteri Testamen-

to vsura aliqua fuerit prohibita, tamen vetus Testamentum non obligat nisi quantùm ad præcepta naturalia: vsura autem non videtur prohibita iure naturæ, vt statim ostendetur. Neque verò est prohibita in nouo Testamento; maximè in illis verbis Lucæ *6. mutuum date nihil inde sperantes*; in quibus tamen non videtur prohibita: ibi enim tantùm continetur consilium mutuandi, etiam quando nulla spes est recipiendi capitale; vel consilium mutuandi nihil recipiendo vltra sortem, sicut in eodem cap. multa alia consilia continentur, qualia sunt: *qui te percutit in maxillam, præbe ei alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni petenti te, tribue: & qui auferi quæ tua sunt ne repetas.* Vbi ergo vsuræ non fuerint prohibitæ iure positiuo, licitæ omnino erunt. Sextò, quia *in cap. conqueſt. de vsuris. & cap. 1. de feud.* datur facultas domino directo fœnori percipiendi filios feudatarij, quod habet loco pignoris à feudatario, non computatis illis in sortem, quod omnino videtur vsura. *& c. 1. de vsur.* fit facultas Clerico recipiendi fructus beneficij, quod loco pignoris à laico mutuatario accipit, non computando illos in sortem, quod etiam videtur vsura. *& 6. Salubriter. de vsur.* facultas fit genero percipiendi fructus pignoris, quod recepit à socero pro expectatione solutionis dotis, nõ cõputatis illis in sortem, quod similiter videtur vsura. Ergo etiam iure Ecclesiastico licita est vsura. Septimò, quòd saltem stando in solo iure naturæ licita sit, probatur, quia mutuans priuatur vsu pecuniæ suæ: ergo pro tali priuatione potest aliquid vltra sortem accipere; nam ea priuatio est pretio æstimabilis. Confirmatur primò, quia pro omni beneficio quod non teneor ex iustitia impendere, possum aliquid accipere; sed non teneor ex iustitia mutuò dare: ergo. Confirmatur secundò, nam qui dat alteri pecuniam, præbet illi instrumentum lucrandi, & promouendi, ac tuendi res suas: ergo non erit iniustum si obligetur ad dandam aliquam lucri partem vltra sortem. Confirmatur tertiò, nam si mutuarius cogatur ante debitum tempus soluere, potest huius anticipationis compensationem exigere, quia priuatur capitali ad quod retinendum habebat ius: ergo etiam qui per mutuum se priuat ad tempus vsu rei suæ, potest huius incommoditatis compẽsationem aliquam petere. Confirmatur quartò, quia licitum est locare alteri pecuniam ad sustentationem, vel medicinam pro aliquo iusto pretio: ergo & mutuò dare pro illo. Confirmatur quintò, quia mutuum est necessarium in Republica, sed rarò fiet nisi sub vsuris: ergo vsuræ sunt necessariæ, atque adeò licitæ iure naturæ. Vltimò confirmatur, quia quod non est contra charitatem, non est peccatum mortale: sed vsura moderata non lædit charitatem, sæpe enim est vtile proximo accipere mutuum sub illa: ergo.

Dico primò, vsura prohibetur, vel prohibita declaratur in nouo & veteri Testamento. Ita docent Alex. III. *cap. quia in omnibus. & cap. super eo. de vsuris.* & Vrbanus III. *cap. consuluit. eod. tit. & l. 1. tit. 6. lib. 8. noua collect.* & communiter Doctores ex Ezech. 18. *qui ad vsuram non accommodauerit, & amplius non acceperit, hic iustus est, vitam* Num. 2.

vi-

Digitized by Google

viuet, ait Dominus. & ℣. *ad vſuram dantem, & amplius accipientem nunquid viuet? non viuet: cum vniuerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.* & ℣. *vſuram & ſuperabundantiam non acceperit*, &c. Pſal. 14. *Quis aſcenderit in montem Domini?* &c. *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* Quem locum perpendens Concilium Nicen. can. 18. ait: *multi (crede ei) turpia lucra ſectantes obliti ſunt diuini præcepti.* Quod dicitur, *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*; refertur *cap. multi. d.* 47. Eodem modo intellectus eſt hic locus à Conc. Romano, & Mart. V. *cap. non quis oblitus.* 14. q. 4. Item Pſal. 54. *Vidi iniquitatem, & contradictionem*, &c. *non defecit de plateis eius vſura & dolus.* & Pſal. 71. de Meſſia dicitur, *ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Deuteron. 23. *non fœnerabis fratri tuo.* Prou. 28. *Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas; oratio eius erit execrabilis.* Quem locum malè legit, & intelligit Lyra iungens *liberali* cum *fœnore*, vt ſenſus ſit; peccare eum qui fœnore liberali, id eſt, lucro liberali dato à mutuatario, & intéto à mutuante diteſcit. Quæ doctrina falſa eſt, vt dubio 4. oſtendemus: & rectè Ianſenius eo cap. exponit, eum qui vſuris diuitias comparat quia peccat, in eo puniendum eſſe, adeò quòd diuitiis malè partis non fruatur: ſed Deus eas det homini liberali, à quo inter pauperes, à quibus malè acceptæ ſunt, diſtribuantur. Græca enim & Hebræa habent: *Qui multiplicat diuitias cum vſuris*, & multiplicationem eſſe, *qui miſeretur pauperum congregat eas.* Et Aretin. eod. cap. licèt *liberali* cum *fœnore* iungat, tamen explicat, *congregare in pauperes*, id eſt, ad largiendum pauperibus; vel quia hæredes ad paupertatem deueniant, vel quia obnoxias reſtitutioni, & pauperibus à quibus fœneratur, diſtribuendas relinquat. Vnde Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde ſperantes*; quo teſtimonio vſuras eſſe prohibitas probat Vrbanus III. *cap. conſuluit. de vſuris.* & Leo X. cum Concil. Later. *ſeſſ.* 10. non longè ab initio ait: *Dominus noſter (Luca Euang. atteſtante) aperto nos præcepto obſtrinxit, ne ex dato mutuo quicquam vltra ſortem ſperare debeamus.* Et in Bulla Leonis X. quæ approbat montem pietatis, dicitur, vſuram eſſe illicitam, & iniquam. Et Alex. III. in Conc. Later. *cap.* 25. & refertur *cap. quia in omnibus de vſur.* ait, vtriuſque Teſtamenti pagina cõdemnari. Eas etiam damnat Concil. Lugdunen. & Gregor. X. *cap.* 1. *de vſuris. in* 6. & alij PP. *d.* 47. *&* 14. *quæſt.* 3. *&* 4. *& in decretalib. tit. de vſuris.* Baſil. in id Pſalm. 14. *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuras.* Nyſſenus tom. 4. in Eccleſiaſt. Aug. Pſal. 36. Hieronymus in id Pſal. 14. *non deficit de plateis eius vſura.* Et latiſſimè Ambroſius lib. de Tobia cap. 2. & ſequentibus. & S. Antiochus tota hom. 12. Vide Sarmientum 7. *Selectarum. c.* 2. *n.* 15. *ſeu finali. & c.* 14. *n.* 4.

Num. 2. DICO ſecundò, vſuram eſſe prohibitam iure naturali. Eſt contra Amachan. qui tenet vſuram non eſſe prohibitam iure naturæ, vt refert Val. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *dub.* 1. *punct.* 1. & 2. Ancharran. qui, vt refert Sotus, & Salon, idem ſenſit. Malè autem Salon idem tribuit nonnullis Iuriſperitis citatis à Couarr. 3. *Var. cap.* 1. *n.* 6. Expreſsè autem tenuit Abul. Matth. 25. *quæſt.* 171. 172. Sed noſtram concluſionem docet Mol. *tit.* 2. *de iuſt. diſput.* 304. Aragon, Bannez,

Va

Digitized by Google

Valentia, Salon, & alij *cap.* 1. Ioan. Med. *de rebus per vſuram acquiſitis. quæſt.* 2. Couar. §. *n.* 5. Conradus *de contractib. quæſt.* 22. & 23. Gab. 3. *d.* 15. *quæſt.* 11. Maior *quæſt.* 29. aliàs 23. Scotus *q.* 2. Grafis *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 102. & *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 24. Palacios *de contract. lib.* 4. *cap.* 2. Lopez 2. *par. de Inſtruct. negotiant. cap.* 34. Nauar. *cap.* 17. *n.* 207. Conrad. *quæſt.* 219. Emanuel *verb. vſura. cap.* 101. *n.* 3. Vega *verb. vſura. caſu.* 1. & alij communiter.

Num. 4. PROBATVR primò, & rectè à Salone, quia illud eſt contra ius naturæ, ex quo per ſe multa mala & incommoda ſequuntur, vt patet in ſimplici fornicatione, ex qua per ſe ſequitur mala educatio prolis: ſed vſura infert multa & magna incommoda, nam per illam ditiſſimi ſpoliãtur, pauperes maximè grauantur, & opprimuntur: ergo. Confirmatur, quia recipere aliquid ex vi pacti inualidi, eſt contra ius naturæ; ſed vſurarius ex vi pacti inualidi accipit aliquid vltra ſortem: ergo. Minor probatur, quia pactum quod ex natura rei habet magna incommoda & damna, eſt irritum iure naturæ, & poteſt in contractu matrimonij inter cõſanguineos, vel affines in primo gradu, & in contractu de vſu proprietatis ad tempus, vel cum conditione, aliqua ex cauſa reuocari, & diſſolui, & in matrimonio facto per errorem perſonæ, & in quolibet contractu facto per rerum gradum, & in emptione rei pretio inæquali, qui contractus, quoad exceſſum non valet; ſed contractus vſurarius quoad ſolutionem vſuræ habet per ſe multa incommoda: ergo eſt irritus iure naturæ. Hac ratione moti videntur, qui vſuram damnant, eo quòd pauperem occidit: ſic enim Cato apud Ciceron. 2. de Officiis ad fin. ait, dare ſub vſuris nihil aliud eſſe quàm hominem interficere. Et initio lib. de re Ruſtica dixit: *Maiores noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnare, fœneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem exiſtimauerunt fœneratorem, quàm furem, hinc licet exiſtimare.* Et Auguſt. Epiſt. 54. ad Macedr. relatum *cap. quod dicam.* 14. *quæſt.* 4. ait, fœnore trucidari pauperem. Et Auſonius lib. 15.

——— *Turpia lucra*
Fœnoris, & velox inopes vſura trucidat.

Greg. X. in Conc. Lugdun. *cap.* 1. *de vſur. in* 6. *vſurarum voraginem, quæ animam deuorat, & facultatem exhaurit.* Similia multa Ambr. lib. de Tobia à cap. 2. & Tit. Liu. lib. 2. ait, apud Rom. ab vrbe condita fuiſſe ſemper vſuras in odio, portámque eſſe magnę diſcordiæ inter Patres conſcriptos ex oppreſſione plebis per vſuras. Appianus 1. de bello ciuili, ait, fuiſſe olim apud Prætores grauem curam de tollendo fœnore, & Aſelium Prætorem id aſſerentem, à fœneratoribus occiſum fuiſſe. Plutarc. in Lucul. & latiùs lib. de fœnore, vſuras damnat, vt naturali legi contrarias, ſicut & Ariſtot. 1. Polit. cap. 6. & 7. & 4. Ethic. cap. 1. §. Concilia, & Sancti de illis loquuntur, vt ſecundùm ſe malis, non nouum ius ſtatuendo, ſed naturalem earum malitiam declarando. Et ſanè ſi ſolùm eſſent prohibitæ iure poſitiuo ante legem veterem, licitæ fuiſſent Iudæis, & ſub illa Gentibus, & nunc omnibus non baptizatis, quia nulli obligantur ad legem veterem niſi quoad præcepta naturalia. Lex verò noua

ſolos

solos baptizatos ligat, & in ea non est satis apertum præceptum prohibens vsuras, vt Sotus, Molin. & Bannez adquertunt, & in ea nulla sunt præcepta positiua nisi spectantia ad fidem, vel Sacramenta, vt D. Thom. aliquique Theologi passim docent, inductionéque constat. Ergo, secluso præcepto huiusmodi eas prohibente, vsuræ erunt licitæ, si non sunt prohibitæ iure naturali, quo tamen modo esse prohibitas mihi persuadeo argumento facto ab eius confirmatione cum Salone, & Bannez.

SECVNDO, id aliqui probant, quia contra naturam mutui est recipere aliquid vltra sortem; sed hæc ratio nullius momenti est, vt probat Mol. quia natura commodati est accipere aliquid pro vsu rei commodatæ; tamen non inde sequitur illicitum esse id accipere, sed destrui, nam commodatur, & transire in cõtractum locati: deinde, quia mutuũ vsurarium rationem mutui retinet, eo quòd mutui ratio in eo est posita, vt detur aliquid vsu consumptibile, quod statim fiat accipientis reddituri postea tantundem in specie, & bonitate: hoc verò manet etiamsi simul pactum fiat recipiendi aliquid vltra sortem; quanuis Caballinus *q. 2. de vsur.* dicat destrui: nam mutui est transire in contractum fœnoris.

TERTIO, probat Mol. quia exigere aliquid vltra valorem rei iniustitia est; sed exigere aliquid vltra sortem, est exigere vltra valorem rei, quia tanti valoris est pecunia quæ postea redditur, quanti quæ accepta est. ergo. Sed respondeti potest: licèt in ordinatione ad commercia humana tanti valoris sit summa reddita, quanti accepta, tamen in ratione beneficij minoris etiam est valoris, eo quòd mutuans prius dat, & sine obligatione dandi, & imponit sibi obligationem non exigẽdi illam certo tempore, in quo fortassis ea indigebit; alteri verò cõfert libertatem vtendi illa eo tempore, & non illam restituendi, quod peculiare eius beneficium est: nam si statim esset soluturus, esset æqualitas inter datum, & acceptum; libertas autem non soluendi illam per annum, est aliquod peculiare pretio æstimabile: ergo pro illa potest aliquid vltra sortem exigi.

QVARTO, probant omnes iuniores hìc cum D. Thom. *art. 1. & de malo. q. 13. art. 4.* Sotus s. Dur. *3. d. 37. q. 2.* Araxiodorensis *tract. 27. q. 1.* Nauarr. *3. de restitut. cap. 1. n. 180.* Lopez, & alij, quia illicitum est pro eadem re duplicem compensationẽ accipere; sed vsurarius accipit vnã, & æqualem compensationem pro re mutuata, & alteram pro eius vsu, qui tamen includitur in ipsa re mutuata. ergo. Sed dici potest, vsuariũ pro vsu actuali rei mutuatæ nihil accipere; non enim curat an mutuatarius vtatur, vel non vtatur pecunia, nec pro vsu aptitudinali præcisè sumpto, hoc est idem cum dominio; sed pro expectatione solutionis, seu obligatione ad expectandam solutionem, quæ videtur alio pretio æstimabilis.

QVINTO ergo melius probari potest cum Valent. Ioanne. Medin. & aliis; quoniam non potest exigi pro ipsa re mutuata præcisè: nam hæc æqualis summa compensatur, nec pro vsu illius: nam hic includitur in dominio rei mutuatæ, nec pro

fructu resultante ex vsu pecuniæ; nam res domino suo, id est, mutuatario fructificat, neque pro vtilitate quam ex re mutuata recipit mutuatarius, eo quòd illa indiget ad sui sustentationem, &c. hæc enim vtilitas accedit ex propria mutuati conditione, opera, vel opportunitate: vnde pro ea nihil potest exigi, sicut nec potest venditor vtilitatem, vel necessitatem emptoris vendere; vt docet D. Thom. *q. 77. art. 1.* nec potest auctirium exigi, eo quòd expectans aliquo tempore, priuat se vtilitate, quam posset ex pecunia percipere; nam si erat probabilis opportunitas lucrandi, vel timor incurrendi damnum, nõ erit vsura exigere auctirium ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: si verò non erat probabilis spes lucri, nec timor damni, nullius est æstimationis moralis, ideo auctirium exigi non poterit, maximè cùm hæc incommoditas, si quæ est, compensetur alia commoditate mutuantis: non enim poterit inutiliter expendere pecuniam, neque suscipiet eius periculum, sed si furto, infortunio, vel alia ratione perierit, mutuatario peribit, & fortè quando pecunia ipsi fuerit restituta, maiora lucra faciet. Eisdémque rationibus ostenditur, pro obligatione expectantis solutionem aliquo tẽpore, nihil vltra sortem exigi posse, quando ex tali obligatione, nec lucrum cessat, nec damnum emergit. Nec verò exigi potest pro affectu beneuolentiæ mutuantis: nam sine affectu beneuolentiæ mutuum dari potest, præsertim quando maius beneficium esset non mutuare, & affectus beneuolentiæ non est compensandus de iustitia, quæ solum respicit æqualitatem dati, & accepti; sed de gratitudine. Et licèt acceptũ hîc & nunc sit maximè necessarium accipienti, non inde augetur pretiũ, vt patet cùm vendo alteri aliquid necessarium ad vitam tuendam. Nec verò auctirium exigi potest pro periculo cui capitale exponitur, nisi sit morale, seu probabile, quando non erit vsura auctirium exigere, vt docet Val. & Mol. addens, id à nemine negari. Exigi etiam potest pro labore numerandi pecuniam quando datur, & recipitur, aut metiendi, vel ponderandi, aut tradendi, vel recipiendi res alias quæ mutuò dantur, & restituuntur: itémque pro sumptibus si qui sunt in rebus recuperandis, scripturis conficiendis, in quibus euentibus exigi posse docent Mol. 5. Nauarr. *cap. 17. n. 209.* & Comit. *de vsuris. 14. q. 3. cap. 1. n. 25.* Maior *4. d. 15. q. 31. casu 11.* Syluester *verb. vsura. 1. q. 32.* Medina *de cambiis. q. 2.* quia hæc omnia sunt pretio æstimabilia.

Num. 5. DICO tertiò, de fide est vsuram esse illicitam, & oppositum esse hæreticum. Castro, Emanuel, Vega, Bãnez, Aragon, Salon, Sotus, Lopez, Nauarr. & alij 5. ex adductis *conclus. 1.* & ex Clemente V. & Concil. Vienens. Clement. vnica de vsurariis, dicente: *Sanè si quis in illum errorem inciderit, & pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras, non esse peccatum, decernimus, vel vt hæreticum puniendum,* &c. Asserere autem non esse prohibitas iure naturæ, non est hæreticum (quanuis id probabilius censeat Bannez *art. 1. dub. 1.*) cùm nullibi sit expressè definitum oppositum; sed tantùm est temerarium, periculosũ, erroneum, vel errori proximum.

Quam

Quam censuram præbet Salon *art.* 10. *controuersia* 1. Sotus 6. *Iustitia. q.* 1. *art.* 1. & probabilem putat Bannez.

PROBATVR: nam vsuram esse prohibitam iure naturæ præter citatos *conclus.* 2. docent Villaguta *quæst.* 2. & 3. *de vsuris.* Araxiodorensis *lib.* 3. *tract.* 26. *q.* 1. Gerson *in tebus moralibus, alpha* 24. *lit. S.* Angles *quæst. de contractu mutui. art.* 1. *conclus.* 1. Innocent. Ioan. Andr. Ant. Panormitanus, Ioan. de anima, & omnes ferè Canonistæ *rubric. de vsuris.* Ioan. Altestarg. *in suo Lexico. verb. vsura.* Anton. de Rosel. *tract. de vsuris.* Baptist. Lupus *n.* 31. Item de fide videtur modò omnibus illicitas esse vsuras, quod verũ nõ esset, nisi esset prohibitę iure naturæ, cùm nemo ligetur legibus positiuis veteris Testamenti & legibus noui Testamenti, soli baptizati ligentur. Item Ecclesia cogit Iudæos restituere vsuras *cap. post miserabilem. & cap. quanto amplius, de vsuris.* quod non faceret nisi essent prohibitæ iure naturæ. Item PP. ad damnandas modò vsuras adducunt vetus Testamentum, quod tamen modò quoad solas naturales leges vim habet. ergo.

Num. 6. AD primum argumentum, omissa expositione quorundam explicantium, *non fœnerabis fratri*; sed si quis fuerit alienus, qualis tamen nullus est, quia omnes sunt fratres, huic fœnerabis: omissa etiam sententia asserentium in textu vero, & correctis Bibliis Hebraicis non haberi *sed alieno*, idque additum fuisse à S. Edrin. I. Concilio 7. seniorum, de de quo *num.* 11. vel à glossa, vt ait Hierony. de Luca *tract. de cambiis. cap. restat videre. n.* 15. nam has sententias meritò reiicit Villaguta *q.* 4. *de vsuris*; respondetur cum D. Thom. *de malo. q.* 13. *art.* 4. *ad* 1. & *hic art.* 1. *ad* 2. Caiet. Molin. Valent. Soto, Araxiodorensi, Eman. Vega, Lopez, Bãnez, Arag. Sal. Angles, Gers. Villaguta 5. Castro *verb. vsura.* Innocent. & Panormit. *rubr. de vsuris.* Anton. de Rosel. *tract. de vsuris. n.* 82. Bapt. Lupo *n.* 31. Alens. 3. *p. q.* 36. Mend. & aliis relatis à Couarru. 3. *Variar. c.* 1. *n.* 7. vsuram non fuisse licitam Iudæis, sed impunè permissam: nec ex auaritia ad quam populus ille valdè propensus erat, fratres suos vsuris opprimere; sicut ex multorum sententia libellus repudij non erat illis licitus, sed impunè permissus, vt inter nos permittitur meretricium. Sic eodem capite dicitur, *non erit meretrix de filiabus Israël*, permittendo esse meretricem ex aliis. Alij dicunt, Iudæis erga extraneos licitam fuisse vsuram non veram, & propriè dictã sed similitudinariam, eo quòd Deus illis concessit vt ab alienis auctarium reciperent, sicut concessit quando egressi sunt ex Ægypto, vt vasa Ægyptiorum sibi acciperent. Ita Conrad. *de contract. q.* 24. Med. *q.* 2. *de vsuris.* Differunt tamen, quia Medin. nomine *alienorum* videtur intelligere omnes Gentiles: Conradus verò eos tantùm intelligit, qui habitabant terram promissionis, seu alios contra quos bellum iustum habebant, & quos deprædari, & occidere iustè poterant. Hanc sententiam primo modo expositam probabilem putat Valentia. Molin. autem secundo modo addítque ad eam accedere Gabrielem *illa q.* 11. *art.* 1. *ad fin.* Maior. ibi, & alios, quos citat Couarru. neutram

Digitized by Google

sententiam reprobans. Pro hac etiã Villaguta *q. 4. de vsur.* citat multos Iurisperitos, & est expressa Ambros. lib. de Tobia *cap. 15. partim relatus. 14. q. 4. c. vlt.* quod caput non esse D. Ambros. malè putat probabile Conrrad. *de contractib. q. 42. conclus. 3.* Alensis *3. p. q. 66.* Gab. 5. quos meritò cum multis Canonistis reiicit Villaguta 5. Et quidem ex concessione diuina, aut ratione belli iusti, & ad recuperandum debitum, licitum esse aliquid accipere vltra sortem, patet ex Alexandro tertio, & Concilio Turonensi c. 1. *de vsuris.* & glos. vlt. ibi. & Ambr. 14. *quest. 4. cap. vlt.* malè intellecta à glos. 1. ibi. & Soto 5. quasi Ambrosius voluerit, sicut nulli est nocendum, sic à nullo exigendas esse vsuras; hoc enim pugnat cum textu, & mente Ambros. vt rectè probat Mol. & Villaguta *quest. 6.* Sed addit Molin. opinionem Conrradi, & aliorum esse intelligendam cessante scandalo, quod profectò non maius eo tempore erat in eo quòd filij Israël ab illis vsuras modo explicato acciperent, quàm quòd terras, & eorum bona vsurparent, præsertim cùm vsuras ex ipsa rei natura illicitas esse non sit adeò perspicuum, vt ignorari tunc ab omnibus fetè populis non posset.

HÆc solutio mihi non satisfacit, quia ille sermo est de omnibus alienis: Deus autem non concessit filiis Israël ius occidendi, vel deprædandi omnes Gentiles: ergo nec accipiendi ab illis vsuras modo explicato. Retinenda est ergo prima solutio, qualem etiam assignant Medin. & Gabriel.

AD secundum respondetur cum Molin. Villaguta, & Aragone, illis verbis tãtùm promitti bonorũ abundantiam, vt ipsi dare possint mutuò cæteris populis, & accipere ab eis non indigeant: nam *fœnerare*, vt notaui dubio 1. aliquando significat mutuum dare etiam sine vsuris; vt eodem cap. Deutet. 28. *non fœnerabis fratri tuo ad vsuram*; alioquin superfluè adderetur, *ad vsuram.* & cap. 15. *Fœneraberis gentibus multis, & tu à nullo mutuum accipies.* & Prouerb. 22. *Qui accipit mutuum, seruus est fœneratis.* & Ecclesiastici 29. *Fœnerare proximo tuo tempore necessitatis eius.*

AD tertium respondet Molin. vsuram ibi sumi metaphoricè, metaphorámque propriè duci ab vsura impropriè dicta, quæ est incrementum licitè proueniens ratione contractus cambij, vel societatis.

AD quartum respondet Soto *illo art. 1.* Valent. *illo 1. art.* Araxiodorens. 5. *quest. 3.* Villaguta *quest. 7. de vsur.* iure Cæsareo permissas fuisse aliquas vsuras propriè dictas, quantùm ad impunitionem tantùm, ad euitanda maiora mala. Sed melius Mol. putat, vsuras propriè dictas concessas fuisse vt licitas, quia *l. 1. C. de vsur.* dicitur, iure optimo deberi. *& l. eos qui. §. super vsurarium.* conceduntur vt licitæ. *& l. 2. C. de nautico fœnore.* Tales tamen leges abrogatæ sunt in Concil. Vien. Clem. vnica de vsuris: simúlque sancitum est, vt si quæ potestas publica iudicare præsumpserit, vt soluantur vsuræ, aut solutæ cùm repetuntur, non restituantur, sit ipso iure excommunicata potestas publica: quò fit, vt nunc actio in foro externo ad repetendas vsuras concedatur *l. 8. nouæ collect. tit. 6. per totum.* Imò vsuras olim fuisse à

Iusti

Digitized by Google

Iustiniano implicitè prohibitas tenet Nauarr. *cap.* 17. *n.* 208. Val. ꝛ. gloss. *cap. quod dicas.* 14. *q.* 4. *& cap.* 92. *morbus. de vsuris.* & Auth. *de Ecclesiasticicis titulis. verb. obseruamus.* Baptista Lupus, & alii: quia Iustinianus *Auth. de Ecclesiast. titul. in princip.* iussit seruari decreta Concilij Nicæni, in quo vsurę prohibebātur *can.* 18. *refert. c. quoniā. dist.* 47. & quia *in l. cunctos populos. C. de summ. Trinitat.* iussit obedientiam præstari Ecclesiæ Romanæ. *& Auth. Ne Clerici apud proprios Episcopos. in fin. colla.* 6. dixit, *non dedignentur leges sacros canones imitari.* Ergo cùm vsuræ sint prohibitæ ab Ecclesia Romana, & sacris canonibus, etiam sunt prohibitæ à Iustiniano.

CONTRARIVM autem cum multis docet Villaguta *quæst.* 7. *de vsur.* & ꝛ. probatur à Conrrad. *quæst.* 22. *de contractib. conclus.* 10. *& sequentibus.* & à Couarru. 3. *Variar. cap.* 1. *n.* 6. eiusdémque sententiæ fuisse Panormitan. affirmat Molin. ꝛ. Fauet Aug. Epist. 54. ad Macedonium, vbi ait, leges & Iudices debere iubere reddi vsuras, scilicet à mutuatario. In quā expositionem magis inclinat gloss. *d. cap. quid dicas.* & Pala. *tract. de contractib.* 4. *cap.* 3. ait, iure Cæsareo concessas fuisse vt licitas.

AD quintū respōdetur, vsuras fuisse prohibitas iure naturali contento in veteri, & nouo Testamento, & ideo illicitas esse, & fuisse omnibus, omnique tempore. Ad argumentum primum, quo probatur non fuisse prohibitas in nouo Testamento, respondetur; sicut in illis verbis, *diligite inimicos vestros*, consilia continentur, & præceptum respectu diuersorum euentuum, ita in illis verbis, *mutuum date nihil inde sperantes*; contineri præceptum dandi mutuum in necessitate, etiam sine spe recuperandi capitale. Item præceptum non dandi mutuum sub vsuris, simúlque consilium mutuandi extra necessitatem, & non recipiendi aliquid vltra sortem, etiam gratis concessum, & quidem illis verbis prohiberi vsuram, quanuis negauerint Mol. Cabal. *quæst.* 1. 2. *&* 74. *de vsuris.* Sot. 6. *Iustitiæ. quæst.* 1. *art.* 1. Aragon *hic art.* 1. *conclus.* 4.

TAMEN, vt certum tenendum est cum Palac. *cap.* 2. Villaguta *quæst.* 5. Couarru. Nauar. Conrrad. Ioan. Med. Gab. Sal. Bannez, Cast. *verb. vsura.* Araxiodorens. *q.* 1. Innocent. Panormit. Mol. Valent. & aliis *quæst.* 2. *vers.* 3. *cap. consuluit. de vsuris.* & Leo X. in Laterensi Concil. *sessione* 10. dixit eo loco manifestè vsuram prohiberi; & sic exponunt Beda, & alij Lucæ 6. Basil. Psal. 14. Nyssen. hom. 4. in Ecclesiasten, & alij, quos partim refert D. Thom. in Cathe. idémque apertè significat Alex. III. in Lateranensi Concil. *quæst.* 2. *de vsuris.* vbi ait, vtriusque Testamenti pagina prohibitas esse vsuras. & *cap. super eo. eod. tit.* vbi ait, vtrumque Testamentū vsuram detestari. Quod malè explicat Sot. quia vtroque Testamento prohibetur; nam Pontifex vult explicitè, & in particulari prohibitam esse in vtroque Testamento, & colligitur ex D. Thom. *art.* 1. *ad* 4. & oppositum non esse tutum ait Bannez *art.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 3.

AD sextum respondetur, quantùm attinet ad *cap. conquestus. de vsuris. & cap.* 1. *de feudis.* cum Soto *lib.* 6. *Iustitiæ. art.* 1. *ad* 2. *quæst.* 1. Medin. & Val. Villaguta *quæst.* 6. Panormit. *d. cap. conquestus.* Zabarella *cap. in ciuitate. de*

vſuris. oppoſitione 6. Graſ. *p. 2. n. 26. cap.* 24. hanc eſſe naturam feudi, vt ſi loco pignoris ad directum dominum fructus pertineant, interim feudatarius ſit liber à conſueto ſeruitio, quia dominium vtile feudi ea conditione & lege vaſallo confertur. Quantùm verò pertinet ad *cap. 1. de vſur.* reſpondeo cum Val. Med. Molin. gloſſ. vlt. illius cap. Immol. & Panor. ibi. Villaguta *quæſt. 6.* Graſ. *illo cap. 24. n.* 27. Ricard. 4. *d.* 15. *art. vlt. quæſt.* 5. intelligendum eſſe, quando beneficium iure pertinet ad Clericum, & iniquè eſt vſurpatum à laico. Tunc enim cùm fructus illos recipiat Clericus ex re propoſita & ad redimendum, vt textus inquit, beneficium de manu laici, nulla vſura committitur. Sic etiam Mol. Val. & Med. ex Ambroſ. 14. *queſt. 4. cap. vlt.* colligunt licitum eſſe vſuris impropriè dictis hoſtes premere, contra quos bellum eſt iuſtum. Quam ſententiam communem fatetur Sot. ſed ſine firmatione reiicit.

Ad *cap. Salubriter.* variæ ſunt ſolutiones, quas dubio de fructibus pignoris examinabimus; nunc ſatis ſit pro dilata ſolutione dotis præcisè nihil vltra ſortem exigi poſſe, bene tamen ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ex donatione ſoceri, vel ex conceſſione Pontificia in fauorem matrimonij, & poenam moræ ſoluendi dotem, vel ratione onerum matrimonij, ad quæ ſuſtinēda gens ſe obligat pro dote ſtatim ſoluēda, vel fructibus talis pignoris percipiendis dum dos non ſoluitur.

Ad. ſeptimum reſpondetur, eam priuationem includi intrinſecè in mutuo, nec per ſe eſſe alio pretio æſtimabilē quàm ipſa pecunia mutuata, quæ æquali ſumma compenſabitur, qua æquè cōmodè, vel commodiùs vti potero alio tempore. Vnde vſus tum ſummæ non omnino tollitur, ſed differtur, & in aliud tempus fortè commodius reſeruatur ſine damno emergente, aut lucro ceſſante, aut morali periculo, & cum aliqua commoditate, quia interim non potero inutiliter pecuniam expendere, neque illam amittere; nam ſi fortè, vel alia ratione pereat, mutuatario peribit.

Ad primam confirmationem reſpōdetur, pro beneficio mutui nihil poſſe exigi vltra ſummam æqualem pecuniæ mutuatæ, quia mutuatio non eſt vtilis mutuatario, niſi ratione ipſius pecuniæ mutuatæ, quæ æqualis ſumma compenſatione ſiue ſtatim reddatur, ſiue poſt aliquod tempus: nam expectatio, vel obligatio expectandi non eſt aliquo alio pretio compenſabilis, vt ſuperiùs oſtendimus, & ſimile eſt in emptione: quamuis enim ſine obligatione iuſtitiæ alicui impendam emptionis beneficium, tamen quia emptio ſolùm eſt vtilis alteri ratione rei emptæ, eo tradito ſufficienter emptio compenſatur.

Ad ſecundam confirmationem, negatur conſequentia, quia præter vtilitatem ſpecialem quam alius habet ex re empta, vel mutuata, non poſſum aliquid exigere, alioquin ſi maxima ei prouenerit vtilitas, vt conſeruatio vitæ, magnum auctirium poſſum ab eo exigere.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur cum Valentia, mutuatarium, vel alium debitorem pro ſolutione quam nemine cogente anticipat, nihil exigere poſſe, quin vſu-

ræ

ræ vitium incurrat, vt dicit Caiet. *verb. vsura. notab.* 2. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. §. 3. & 4. Graf. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 112. *n.* 27. & 29. Sot. 6. *Iustitiæ. quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 3. Sylu. *verb. vsura.* 2. *quæst.* 14. *vers.* 3. Gabr. 4. *d.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *dub.* 4. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 231. licèt *n.* 232. in oppositum inclinet, quod singulare, & improbabile putat Mol. *tract.* 2. *de iustitia. disp.* 381. Neque fundamentum Nauarr. verum est primò pro debitis in futurum soluendis, quæ dicuntur debita acerba, seu viridia, absque iniustitia, & damno vsuræ pretium minui posse, ita vt actio quam aliquis habet ad decem aureos post annum sibi soluendos, emi nonaginta possit: quod quidem speciali dubio latè cõfutabimus. Addit autem Val. mutuatarium, si cogatur ante tempus soluere, pro actu iniuriæ compensationem accipere posse. Sed certè si ex illa anticipatione nullum aliud damnum, aut carentiam lucri patiatur; credo nullam compensationem accipere posse, vel exigere, vt colligitur ex Sylu. *illa quæst.* 14. *vers.* 2. & 3. & Graf. *illo cap.* 112. *n.* 28. quia coactio & alia huiusmodi iniuria non sunt pecunia compensabiles, vt patet in iniuria adulterij, & quando quilis cogitur iurare, vouere, copulam habere, vel certo aliquo loco consistere.

AD quartam confirmationem, concedo consequens cum Val. Albornoz. *de contract. tit.* 6. Caiet. *verb. vsura. tot.* 2. Nauarr. *c.* 17. *num.* 226. & aliis: sed nego consequentiam, quia in eo euentu dominium manet apud mutuantem; in mutuo verò transit ad mutuatarium.

AD quintam confirmationem respondetur, propter hominum malitiam, & charitatis ac misericordiæ defectum negari solet mutuum sine vsuris in casibus necessitatis: sed vsuræ maiora damna afferunt, ideo prohibitæ sunt iure naturæ, idque etiamsi sint moderatæ, quia hæc sæpiùs dabuntur, & difficile esset intelligere, quænã sint moderatæ: vsurarius enim quamlibet moderatam esse putaret.

AD vltimam confirmationem respondetur, licèt in aliquo euentu accipere vsuram sit vtile proximo accipienti, tamen per se & communiter loquendo, est ei valdè noxium: nam contractum vsurarium non tantùm prohibuit, sed irritauit, quãtùm ad lucrum vltra sortem, quare iniustũ est, & restitutioni obnoxiũ, ex vi talis contractus aliquid vltra sortem exigere.

ALIA, quæ circa hoc dubium dici possunt, lege apud Salonem *art.* 1. *tenr. uers.* 2. & 3. & Villagut. *q.* 8. & 9. *de vsuris.*

DVBIVM IV.

An licitum sit vsuras impunè permittere?

SVMMARIVM.

1 *Per se loquendo, licitè permitti vsuras non possunt stando in iure naturæ.*

2 *Multo minùs licitè permitti possunt stando in iure Ecclesiastico.*

3 *Potest summus Pontifex permittere vsuram ad vitanda maiora damna.*

DI-

Num. 1. DIco primò, per se loquendo licitè permitti non possunt etiam stando in solo iure naturæ. Sic intelligitur Molin. *tract. 2. de iustitia. disput. 304.* dicens: *cùm vsuræ iure naturali sint prohibitæ, cedámque in Reipublicæ, & partiũ eius detrimentum, publicæ potestates tenentur illas prohibere non solum Christianis, sed etiam infidelibus sibi subditis, lethaliterque peccant permittendo illas Iudæis, aut aliis infidelibus pro tributis, aut quouis alio commodo. Similitérque lethaliter peccant admittendo Iudæos, aut alios infideles ad habitandum in eorum terris cum pacto vt illis vsuræ permittantur, esto pro huiusmodi habitatione pinguia tributa promittant: potéstque Summus Pontifex censuris, aliisque viis id prohibere, atque impedire.*

Num. 2. DIco secundò, multo minùs licitum esse vsuram permittere stando in iure Ecclesiastico. Ita Couaruu. *3. Var. cap. 1. n. 8.* Villaguta *q. 10. & 11. de vsuris.* Driedo *2. de libertate Christiana. cap. 1. propos. 1.* & alij; quia expresse prohibetur à Gregor. X. in Concil. Lugdun. *cap. 1. de vsuris in 6.* & à Clem. vnica de vsuris: imò Innocent. III. *cap. quanto. de vsuris.* præcipit Principibus Christianis, vt compellãt Iudæos restituere vsuras immoderatas, quas à Christianis exegerunt, & per immoderatas fortè intelligit omnes propriè dictas; quia omnes tales immoderatę sunt. Et *cap. post miserabilem. de vsuris.* præcipit Principibus Christianis & potestatibus, vt compellant Iudæos ad remittendum vsuras Christianis, & præcipit Christianis sub excõmunicatione, vt cũ Iudæis vsuras exigentibus commercium non habeãt, donec Iudæi vsuras restituant. Sine fundamento autem Panorm. *dicto c. quãto. & d. cap. post miserabilem.* & Villaguta *illa q. 11.* & Conrrad. *q. 25. de contractib.* dicunt, Iudæos ratione vsurariæ prauitatis fortiri forum Ecclesiasticum, & directè compelli posse à Iudice Ecclesiastico, licèt non per excommunicationem, ad restitutionem vsurarum: hoc enim aduersatur Textui *in d. cap. post miserabilem.* vbi limitatè dicitur, Iudæos esse compellendos per Iudices seculares.

ADVERSATVR etiam rationi: nam soli baptizati subduntur legibus, & iudicio Ecclesiæ, iuxta id 1. Corinth. cap. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* & habetur *cap. multi. 2. quæst. 1.* Vnde etiam falsum est, quod ait Innoc. IV. super *cap. quod super. de voto. n. 4. & 5.* id est, Iudæos, aut Gẽtiles si pro transgressione legis naturalis non puniantur à Principibus secularibus, quibus subiecti sunt, posse puniri à Papa, quia etiam sunt oues Christi: nam certè soli baptizati sunt oues Christi à Petro pascente, & alioquin Papa posset punire non baptizatos, etiamsi non sint subiecti Principibus secularibus Christianis, vel isti non sint in eorum punitione negligentes.

Num. 3. DIco tertiò, licèt Summus Pontifex in vsura dispensare nequeat, definit Alex. III. *cap. super eo. de vsuris.* docétque Mol. 3. & Villaguta *quæst. 9.* & Couaruu. cum multis *illo n. 8.* & Conrrad. *quæst. 28. de contractib.* quia est contra ius naturæ, in quo Pontifex dispensare nequit: potest tamen illam permittere etiam fidelibus ad vitanda maiora damna vel scandala, quæ orirentur si Iudices eam impedire tentarent: nam peccatum etiam hæresis tolerari potest ad maiora damna vitanda. Idémque possunt,

Digitized by Google

possunt, secluso in contrarium præcepto, permittere in eo eventu Principes seculares. Molin. s. Sa *verb. Iudæi. n.* 5. Caiet. *hîc art.* 1. *ad* 2. Conrad. *q.* 26. 27. *&* 28. *de contractib.* Villaguta *q.* 13. *de vsur.* Vnde malè Couaruu. s. censet omnino falsam esse sententiam Ancharrani, Alex. Pauli Castrens. Roqui, Curt. & aliorum asserentium posse Romani Pontificis priuilegio Iudæis permitti vsurarū exercitium erga Christianos. An verò liceat consulere alicui, vt potiùs peccatum vsuræ, quàm aliud maius committat, Villaguta *q.* 12. & Conrad. *quæst.* 26. *conclus.* 2. *corol.* 2. negant esse licitum: oppositum tamen verum est, & commune inter Doctores generatim asserentes licitum esse consulere minus malum. De quo vide Med. 1. 2. *q.* 14. *art.* 6.

DVBIVM V.

An dare mutuò cum spe, vel intentione recipiendi aliquid vltra sortem, nullo interueniente pacto implicito, aut explicito, sit peccatum vsuræ?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio asserens vsuram esse si lucrum sit causa finalis, siue principalis: secus si sit tantùm causa motiua.*

2 *Secunda opinio asserens mutuationem esse vsuram, quando lucrum principaliter intenditur: secus si minùs principaliter.*

3 *Tertia opinio parum dissimilis refertur, & probatur.*

4 *Quarta opinio affirmat licitum esse desiderare, sperare, & intendere mutuum tanquam dandum à mutuatario ex amicitia, beneuolentia, vel liberalitate.*

5. 6 *Spes, ac intentio comparandi aliquid vltra sortem, quod ex beneuolentia, gratitudine, aut liberalitate mutuatarij proueniat, nō constituit mutuātem vsurarium mentalem. Hæc conclusio probatur pluribus argumentis.*

7. 8 *Intendere auctirium non ex mutuatarij liberalitate, sed tanquam pretium, & compensationem debitam ex iustitia, est vsura mentalis. Probatur.*

9 *Ad argumenta prima, secunda, & tertiæ opinionis fit satis.*

PRIMA opinio, si lucrum sit intentum, ac proinde causa finalis, siue principalis sit, siue minùs principalis, siue totalis, siue particularis, vsuram esse; si autem non sit causa finalis, sed tantùm motiua, & impulsiua ad mutuandum, etiamsi sit causa sine qua nō, id est, sine cuius spe non mutuaret, nullum esse peccatum. Ita Medin. *de rebus per vsuram acquisitis. q.* 1. Cuius ratio est, quia quomodocumque lucrum ex mutuo intendatur, est vsura. Num. 1.

CONFIRMATVR, quia Lucæ 6. dicitur, *mutuum date nihil inde sperantes*; ex quo colligitur esse peccatum vsuræ mutuò dare cum spe lucri, quod non est verum de spe minùs principali. Ergo intelligendum est de principali, scilicet habente adiunctam intētionem lucri. Hæc sententia videtur Iacob. de Grafis 2. *p. cap.* 24. *lib.* 2. *n.* 21. *&* 22. & clariùs *p.* 1 *lib.* 2. *c.* 107. vbi ait, vsuram esse, si lucrum sit principalis causa, id est,

Digitized by Google

finalis, & non tantùm motiua, aut impulsiua, quanuis *eod. cap.* 107. hanc opinionem cum omnibus sequentibus videatur confundere. Hãc etiam sententiam tenet Couaruu. 1. *Var. cap. vlt. n.* 4. *& lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 2. *& regula peccatum. p.* 1. *in princip. n.* 8. *& vlt.* Contrad. *de contract. q.* 29. *conclus.* 2. vbi affirmat peccatum vsuræ mentalis esse, intendere ex mutuo beneuolentiam non sistendo in illa, sed referendo eam vlteriùs ad temporale, ita vt ex mutuatarij beneuolentia aliquid vltra sortem quæratur.

Num. 2. SECVNDA opinio, quando lucrum principaliter intenditur, vel speratur, mutuat onem esse vsurariam, secus si minùs principaliter intendatur. Ita gloss. & Innoc. IV. *cap. consuluit. de vsuris.* Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 1. *not.* 1. Emanuel *verb. vsura, cap.* 101. *n.* 2. Vega *verb. vsura. casu* 1. *ad finem.* Sylvest. *verb. vsura. in princip. & q.* 1. vbi pro hac opinione citat multos Iurisperitos, explicátque intentionem, seu spem principalem esse, quando si non speraret lucrum, non esset mutuaturus: minùs principalem autem, quando etiam sine spe lucri mutuaturus esset. Addítque cum nonnullis, intentionem, vel spem istam principalem, etiamsi adueniat post mutuationem, vsurariam esse, redderéque lucrum vsurarium, & restitutioni obnoxium.

HÆC sententia suadetur primò, quia illud dictum Christi intelligendum videtur de spe principali: spes autem principalis est sine qua mutuum non daretur: ergo.

SECVNDO, quia Vrbanus III. *cap. consuluit. de vsur.* sic ait: *qui mutuat, aliàs non mutuò daturus, eo proposito, vt licèt omni commentitio cessante, plus tamen forte recipiat, pro huiusmodi lucri intentione quam habet, iudicandus est male agere.*

TERTIA opinio Nauarr. *c.* 17. *n.* 207. 208. 209. & Comit. *de vsuris.* 14. *q.* 3. *ꝛ.* 1. *n.* 13. *& sequentib.* præsertim 20. asserit vsuram esse intentione principali quærere, intendere, vel sperare lucrum pecuniariũ ex mutuo, non tamen intentione minùs principali, neque principali intentione quærere, sperare, vel intendere amicitiam, & gratitudinem ex mutuo. Explicat autem intentionẽ non dici principalem eo quòd absque spe, vel intentione, talis finis non fieret actus, sed eo quòd pluris, vel tanti æstimetur, ac alius finis præter quem actus fiat. Vnde colligit non esse vsurarium, qui cum spe lucri mutuat, sine qua non mutuaret, quia potest eius principalis finis esse amicitia, vel amor Dei, vel virtutis: lucrũ autẽ minùs principalis. Num. 3.

PROBATQVE suam sententiam primò, quia vsuram esse principaliter mutuare ob lucrum pecuniariũ, tenet glos. & Innoc. *c. cõsuluit. de vsur.* communiter recepti à Theolog. & Iurisperitis.

SECVNDO, quia cap. *si officia.* 54. *d.* & cap. *quod proderit.* 61. *dist.* cum suis glossis probant, licitum esse Ecclesiæ, & Prælatis seruire cum spe secundaria, licèt non principali, aliquod beneficium obtinendi.

TERTIO, quia multa sunt, in quæ quanuis non liceat intendere principaliter, licet tamen minùs principaliter. Verbi gratiã, non licet dicere Missam, vel audire diuina officia principaliter propter distributiones quotidianas, secus autẽ minùs principaliter iuxta glossam singularẽ & receptã. *c.* 1. *de Clerico non residẽte. lib.* 6.

Simi

Similiter non licet principaliter amare Deum propter alium, iuxta D.Thom.2.2.*q.*27.*art.*1.neque principaliter seruire Deo intuitu retributionis terrenæ:minùs principaliter autem sic,iuxta Psal.118.*Inclina-ui cor meum ad constituendas*,&c. *propter retributionem*.& Trident.*sessio*n. 6. *can.* 31.vbi oppositum censetur hæreticum.

QVARTO, secundùm Adrianum *quodlib.* 10. *col.* 4. omnis actus cuius finis totalis ,& principalis est bonum temporale, vitiosus est.

*Num.*4. QVARTA opinio,licitum est desiderare,sperare, & intendere lucrũ per mutuum, tanquam dandum à mutuatario ex amicitia, beneuolentia,gratitudine,vel liberalitate, ortum ex mutuo, non tamen vt alius illud lucrum det propter mutuum, quinimò hoc esse vsuram mẽtalem, obligaréque ad lucri restitutionem. Ita Tol. 5.*Summa.c.*29.idémque insinuat Graf.*illo cap.*107.*n.*1.parúmque differt Caiet.*hic art.*1.*circa. ad* 4. vbi ait,intendere lucrum principaliter, vt dandum ex amicitia, vel minùs principaliter, vt dandum propter mutuum,nõ esse vsuram:secus principaliter, vt dandum propter mutuum;& explicat,non esse principalem intentionem quando aliàs non esset mutuaturus, sed quando finis ille magis mouet Addítque se idem, licèt aliis minùs aptis verbis, alibi docuisse *to* . 2. *opusc.* 8. *cap.* 2.*&* 3. *in Summa. verb.vsura. cap. de vsura mentali.*

*Num.*5. DICO primò,spes,ae intentio cõparandi aliquid vltra sortem, quod ex beneuolentia,gratitudine,aut liberalitate mutuatarij proueniat, nõ constituit mutuantem vsurarium mentalem:esto intendatur tanquam principalis,primarius;aut totalis finis mutuationis, & esto mutuãs non esset mutuaturus nisi tale lucrum, aut commodum speraret. Mol.*tit.* 2. *de iustitia.disput.*305.Val. 2.2. *disp.*5.*q.* 21.*p.*1. Sot. 6.*Iustitia. quæst.* 1.*art.*2.*&* *art.*4.*vers.restat autem.* Almainus 4.*d.* 18.*quæst.* 2. innuit D. Thom. *de malo. quæst.*13.*art.*4.*ad* 5.*&* *opusc.*73.*de vsuris. cap.*3.*&* *hic art.* 2. vbi idem tenet Salon *controuersia* 1.Bannez 1.*artic.*1. *dub.vltim.* Aragon *dub. vlt. & penult.* Caiet.locis citatis. Lopez 2.*p.de Instructione conscientiæ.cap.*94. Ioan.Bapt. Conrrad.*quæst.* 281. Nauarr.3. *de restitut.cap.*1. *dub.* 2. *n.* 190. *&* *sequentib.* citans Mercadum *tract. de vsuris.cap.* 10. *in princip. vers. digo lo tercero.* Idem tenet Villaguta *quæst.*1. *de vsur.not.*7. *in fine.*& latiùs *quæst.* 17. Tol.& Graf. 5.Armilla *de vsura.n.*34.& multi,vt Nauarr. & Molin. idem tribuũt Nauarro;sed malè.Et quidem licitũ esse mutuare cum spe recipiendi aliquid vltra sortem, si aliàs etiã eram mutuaturus (quam spem aliqui appellant concomitãtem, sicut ignorantia dicitur concomitans, quando etiam sine illa opus fieret) nemo est qui ambigat,vnde in eius probatione non morabor: licitum autem esse mutuare cum spe recipiendi aliquid vltra sortem, etiam sine tali spe(quã multi appellãt antecedentem, quia sine illa non fieret opus, non essem mutuaturus) probandum est, quod negatur à secunda opinione, quam præter ibi citatos tenent Angel. & Tabiena *verb. vsura.* 1. *in principio.* & *q.*1.Ricar.4.*d.*15.*ar.*5.*q.* 5. Antonin. 2.*p.tit.*1. *q.* 5. §. 5. *&* 31. Summa Pisani,Rosella,Alex.Scot.& alij relati à Tabiena, & Angelo ibi.Nobiscum

Digitized by Google

autē in hac re ſētiūt omnes auctores primæ, tertiæ, & quartæ opinionis.

PROBATVRQVE primò: nam in tali mutuatione nullus interuenit affectus recipiendi aliquid vt pretium mutuationis, ſeu tanquam reddendum pro mutuo ex obligatione iuſtitiæ: ergo nulla interuenit vſura mentalis, hæc enim conſiſtit in affectu recipiendi aliquid tanquam pretium mutui, ſeu tanquam debitum pro mutuo ex iuſtitia.

SECVNDO, vſura mentalis eſt affectus contra iuſtitiam: in tali autem euentu nullus eſt affectus contra iuſtitiam, quia nihil volo accipere inuito domino, quanuis ſperē aliquid ex gratitudine, & mera liberalitate illius; nemo enim patitur iniuſtum volens. Ergo in illo euentu nulla eſt mentalis vſura. Taceo, ſi ex aliis beneficiis ſperarem gratuitam, debitam, vel decentem compēſationem, aliàs non collaturus talia beneficia, nullam iniquitatem incurrerem. Ergo nec ſic ſperādo gratuitam compenſationem ex beneficio mutui.

TERTIO, qui gratis mutuat, non eſt vſurarius, ſed qui mutuat cum tali ſpe; nihil enim in pactum deducit, nihil vltra ſortem recipere vult quaſi debitum ex iuſtitia. Ergo non eſt vſurarius.

QVARTO, mutuare cum ſpe etiā antecedenti quòd mutuatarius ſuæ obligationi ſatisfaciet, non eſt vſura: ſed mutuatarius, & quilibet beneficiū recipiens tenetur ad antidora, id eſt, tenetur ex gratitudine cōpēſare beneficiū. *c. cū officiis. de teſt. & l. ſi lege. §. conſuluit. ff. de pet. hæred.* Ergo mutuare cū ſpe antecedenti gratuitæ cōpenſationis non erit vſura. Confirmatur, quia vnicuique licet nō conferre beneficium, niſi ſperet ſolutionē debiti ex eo manantis: ſed ex mutuo manat debitum gratitudinis ad cōpenſationem. Ergo licitum eſt non mutuare niſi cum ſpe illius. Et ſanè ſi duo mutuò à me peterent aliquid, & ab vno ſperarem gratuitam compenſationem, ab alio non; ſi huic negarem, & illi darem, quando non poſſem vtrique, & cætera eſſent paria, nemo me damnaret vt iniquum, ſed laudaret vt prudentē. Ergo licitum eſt mutuare cum ſpe illa antecedenti, quam ſecunda opinio principalem appellat. Quod denique probatur, quia ſpes antecedens; & concomitans interdum, & per ſe non differunt ex parte affectus actualis, ſed ex diſpoſitione habituali ad mutuandum, vel non mutuandū ſine ſpe auctirij. Diſpoſitio autē habitualis ad peccatum nihil refert. Ergo ſi licitum eſt mutuare cum ſpe comitante, licitum quoque erit mutuare cum ſpe antecedente, & alioquin multi emergent ſcrupuli, cùm non ſit facile cognoſcere quādo ſpes ſit comitans, vel antecedens.

QVOD verò non ſit vſuriū, ſed licitum potiùs intendere auctirium vt gratis, & liberaliter concedendū, probatur contra primam opinionē. Primò, quia eiuſmodi intentio non eſt vſuraria, vel vitioſa ex fine intēto, neque ex medio, quo illud aſſequi intendo. Ergo nullo modo eſt vitioſa. Conſequentia eſt nota, quia ſuppono nullam eſſe aliam circunſtantiā, ex qua vitiari poſſit. Antecedens probatur, quia mediū, nēpe mutuū, per quod intendo auctiriū aſſequi, nō eſt ex ſe malū, ſed bonū: accipere verò illud gratis, & liberaliter

à mu

à mutuatario, non est malum de se, sed potiùs bonum ex fine honesto ad quem dirigitur. Ergo illa intentio non est vsuraria, vel vitiosa.

SECVNDO probatur, quia intētio sumit spē ab obiecto malo & formali; hîc autem neutrum reperitur in iustitia. Ergo intētio non est iniusta, ac proinde nec vsuraria. Confirmatur primò, quia accipere alienū ex libera volūtate domini nō est iniustitia, quia nemo patitur iniustū volens, & scienti, ac volēti nō fit iniuria. Ergo neque affectus sic accipiendi est iniustus, vel vsurarius. Conf. secūdò, nā quod licet desiderare, licet intēdere per media aliàs nō prohibita: sed licet desiderare auctirium. Ergo & intendere per mutuum, quod de se nō est prohibitū. Conf. tertiò, quia beneficiis aliū prouocare, & obligare velle ad benefaciēdū, licitū est, etiāsi fiat propter propriā cōmoditatem. Ergo mutuo prouocare, & obligare velle ad auctiriū, non est illicitum, etiamsi fiat propter propriam commoditatem. Quartò, in eo euētu nihil intendo quod sit mutuatario inuoluntarium mistè: ergo nullam intendo irrogare iniuriam; lucrum enim ex mutuo tantùm est iniustum ratione inuolūtarij immistè. Ergo nō habeo affectū iniustitiæ, ac proinde nec vsurarium. Quintò, nā intēdere beneuolentiam, amicitiam, & gratitudinē, & intendere donationē gratuitam & liberalem inde manantē, pro eodem reputātur; sed primum licet, ergo & secundum.

QVIBVS etiā rationibus cōtra tertiam oppositionē probatur licitū esse auctiriū liberaliter dandū intēdere, etiā intentione principali, aut totali: nam prædictæ rationes in tali quoq; intētione militāt, & cōfirmantur, quia quicquid licitū est intēdere intētione particulari, vel min⁹ principali, licitum est intēdere intētione principali, vel totali: nemo enim tenetur operi suo principalē finē imponere, vel principaliorē intēsiùs velle, sed licitè potest propter solū finem minùs principalem agere, vel æquè agere propter vtrumq;: vel potiùs operari propter finē minùs principalē, vel nolle operari nisi illo, vel vtroque fine concurrente. Conf. secūdò, alioqui infiniti scrupuli pululārēt, cùm nō sit facile intellectu, quādo intentio sit, vel nō sit principalis eo modo quem statuit tertia opinio.

EX quibus manet probata tota cōclusio, quā etiā tenet Palac. 4. *de contractibus. c.* 3. Angles *q. de contractibus mutui. art.* 2. Maior 4. *d.* 15. *q.* 23. aliàs 29. *ad* 1. Quam etiam totā confirmamus à simili de simonia: non enim est simonia dare aliquid alicui spe antecedenti, & intentione principali, vel totali obtinendi ab eo Ecclesiasticum beneficium: ergo neque vsura tali spe, vel intētione mutuare.

EX quibus rectè inferunt Molin. Angles, & alij; si quis pecuniam mutuò daret Regi, sperans, & intendens ex gratitudine, & liberalitate Regis aliquid vltra sortem accipere, non peccaret, nec teneretur ad restitutionem, siue id sit pecunia, siue officiū, commenda, dignitas, &c. licèt spes esset antecedens, & intentio principalis, vel totalis.

EX quibus etiam infertur, tali spe, & intentione intendere, & postea recipere auctirium, licitum esse, quanuis à mutuatario detur propter mutuum: nam ex gratitudine, & liberalitate dari potest propter mu-

Digitized by Google

tuum, vsurarium tamen erit si detur propter mutuum; quasi propter titulum iustitiæ, etiam fortè. Quarta opinio, quam etiam tenet Armil. §. solùm vult non esse licitum sperare, & intendere illud vt dandum propter mutuum, seu titulo mutui, tanquam titulo iustitiæ: sed si ita est, malè Caietanus distinguit de intentione principali, & minùs principali; nam intendere auctirium, vt debitum ex iustitia, etiam intentione minùs principali, vsura est, vt statim ostendam.

Num. 7. SECVNDA conclusio, intendere auctirium non ex mutuatarij liberalitate, sed tanquam pretium, & compensationem debitam ex iustitia, est vsura mentalis, siue ea intentio principalis sit, siue minùs principalis: siue quis esset mutuaturus sine spe lucri, siue non. Mol. Sot. Salon, Lopez, Angles, Palac. Valent. Bannez, Aragon, & alij omnes.

Num. 8. PROBATVR, quia talis intentio habet pro obiecto actionem externam, vsurariam scilicet receptionem alicuius rei vltra sortem per modum pretij mutuationis. Ergo est intentio vsuraria; sicut intentio furti semper habet iniustitiam furti, siue furtum principaliter, siue minùs principaliter intendatur. Similitérque intentio recipiendi aliquid spirituale, vt principale pro re temporali, simonia est, siue illud principaliter intendatur, siue non. Et hactenus nomine *intentionis principalis* eam intelleximus quæ interior est, vel qua lucrum ita intenditur, vt nisi spes eius consequendi esset, non mutuarem. Si verò intentio principalis dicatur ea, qua lucrum intenditur vt pretium, & quasi debitum ex iustitia, fatendum est, intentionem principalem lucri sufficiétem, & necessariam esse ad vsuram métalem, quo pacto Bannez, & Bapt. Conrrad. dicũt exponi posse secundam opinionem Sylvest. Sed certè, vt notat Salon, Sylvest. & alij, auctores illius opinionis intentionem principalem appellant quando sine spe lucri non esset quis mutuaturus, licèt Sylvest. *verb. vsura.* 1. *q.* 5 *in fin.* dicat, principalem intentionem ideo vsurariã esse, quia in ea implicitè pactum, & obligatio continetur. Malè autem Salon, Aragon, & alij nituntur opinionem Nauar. cum nostra conciliare, dicentes, intentionem principalẽ vocasse quando aliquid intenditur vt. pretiũ mutui: constat enim Nauarr. intentionem principalem aliter intellexisse.

Num. 9. AD argumentum primæ opinionis, negatur antecedens. Ad confirmationem respondetur cum Molin. Bannez, & aliis, Christum loqui de spe lucri habente adiunctam intentionem illius per modum pretij, & quasi debiti de iustitia: ex quo patet ad primum secundæ opinionis. Ad secundum verò respondetur, licèt casus propositus Pontifici fuerit de eo qui sine spe lucri non erat mutuaturus, tamen ipse Pontifex absolutè definit, eum qui cum spe, & intentione lucri mutuauit, vsurarium esse, quod (vt dicunt Mol. Bannes, & alij) intelligendum est de eo qui lucrum tãquam mutui pretium sperabit, & intẽdet. Ad primum tertiæ opinionis respondetur, illã doctrinam glosæ, & Innoc. IV. non esse veram, nec receptam ab omnibus Theologis & Canonistis, sed à multis, & non in sensu quem Nauar.

Digitized by Google

uar. intendit. Ad secundum respondetur, quicquid sit de glossis, textus illos non probare esse peccatum simoniæ, Ecclesiæ, vel Prælato seruire intentione principali consequendi. Ecclesiasticum beneficium, secluso omni pacto, & intentione recipiendi illud in pretium temporalis obsequij, vt tenet Sot. Aragon, Salon, Bannez 2. Conrad. *quæst.* 221. aliique Theologi communiter. Ad tertium, negatur multa esse quæ non licet intendere principaliter, quanuis liceat minùs principaliter: & ad exemplum de distributionibus respondetur, licitè intendi à Canonico principaliter, imò & totaliter, ita vt actus, quo nullum aliũ finem immediatè intendit, sit licitus, modò illas velit ad vitæ sustentationem, vel ad alium honestum finẽ. Quanuis fortè sit peccatum veniale omissionis, nunquam velle interesse diuinis officiis ob aliquem altiorem finem. Quãdo verò D. Thom. *eod. lib.* 8. *art.* 11. dicit esse simoniam, intentione principali ire ad Ecclesiã propter distributiones, intentionem principalem vocat, qua intendũtur, vt pretium diuini officij, in quo sensu illum explicant, & sequuntur Bannez *hîc art.* 1. *dub. vltim.* Conrad. *q.* 218. Ad exemplũ verò de dilectione Dei, dico licitum esse principaliter, imò etiã totaliter per aliquem actum amare Deum propter aliud; neque hoc esse contra D. Thom. 2. 2. *quæst.* 27. *art.* 3. Peccatum tamen esset mortale nũquam amare Deum propter se, aut velle illum non esse, aut præcepta eius non seruare, nisi quando id vtile esset ad bonum aliquod temporale, vel æternum consequendum.

DVBIVM VI.

An sit vsura mentalis auctirium velle recipere ab eo quem scio non daturum, nisi timore ne iterum negetur ei mutuum, aut ne videatur, vel vocetur ingratus?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans id esse vsuram mentalem.*

2 *Quando nullus est animus extorquendi auctirium, vt debitum ex iustitia, seu ex vi pacti, nulla est vsura: secus si quanuis non interceserit pactum, mutuans exigit illud quasi debitum. Probatur n. 3.*

MOLI N. *disp.* 303. & 301. ait esse vsuram mentalẽ, etiamsi nullum pactum accipiendi auctirium interueniat, quia tunc mutuatarius non dat illud mera liberalitate, vel gratitudine, sed metu, & necessitate iterum recipiendi mutuum coactus. Quam opinionem tenent etiam Caiet. *hîs art.* 1. *respons. ad* 4. Nauarr. 3. *de restitution. cap.* 2. *n.* 211. 214. 215. Villaguta *q.* 17. *de vsuris. conclus.* 3. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 219. Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 6. citant Laurentiũ de Rodulfis. Graf. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 107. *n.* 6. Tabien. *verb. vsura. q.* 1. Ricard. 4. *d.* 15. *art.* 5. *q.* 5. Angl. *q. de contractib. mutui. q.* 1. *definit.* 1. Caball. *q.* 1. *de vsuris. n.* 8. Num. 1.

SED existimo, quando nullus est animus extorquendi auctirium, vel recipiendi illud vt debitum ex iustitia, Num. 2.

Digitized by Google

tia, seu ex vi pacti, nullam esse vsuram, licèt ex illo timore dandum intelligatur, & sic datum recipiatur: secus si quanuis nullum pactum interceſſerit, tamen mutuans exigit, vel vult exigere, aut recipere illud quasi debitum ex iustitia, seu ex vi pacti, siue mutuatarius credat ei debitum ex pacto, siue non: & sic fortè intelligunt aliqui, vel omnes auctores citati.

Num. 3. IN primo autem euentu vsuram non esse probatur primò simili de simonia: si quis enim beneficium spirituale recipiat ab Episcopo dãte illud ex timore ne ab eius obsequio recedat, non est simoniacus, etiamsi intelligat ita sibi dari beneficium. Ergo similiter, &c.

SECVNDO, quia quando nihil exigitur ex vi pacti, vel recipitur, nec vt pretium mutui, aut quasi debitum ex iustitia, nulla est vsura, vt docet D. Thom. *hîc art.* 1. *ad* 2. Aragon, Salon, Bannez, Val. & alij eodem in loco. Sot. 6. *iustitia. q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. insinuátque Alensis 3. *p. q.* 19. aliàs 66. *memb.* 4. *art.* 2. Sed ita est in prædicto euentu: ergo in eo nulla est vsura.

TERTIO, si quis aliquid mihi det, vt me alliciat ad mutuandum, vel aliud beneficium ei conferendum, aliàs non daturus, ego licitè possum illud recipere, & retinere, licèt nouerim animum dantis, quia donatio illa valida est. Sed sic est in prædicto euentu: ergo.

QVARTO, licitè possum velle non mutuare ei, quem scio fore, vel fuisse ingratum. Ergo si ille timeat negandum sibi esse mutuũ nisi gratus fuerit prioris beneficij, timet ne faciam quod iustè facere possum: timor autem iustus ex parte obiecti præsertim non incussus à me directè, vel indirectè ad extorquendum donatum, non irritat ipsum. Ergo talis donatio valida est, ac proinde donatum licitè recipitur, & retinetur.

QVINTO, ille dat gratis materialiter, id est, non quasi ex debito iustitiæ, vel pacto. Ergo licitè possum datum accipere, & retinere, etsi non sit datum affectu gratitudinis, amicitiæ, beneuolentiæ, vel liberalitatis: nam ad valorem donationis non est necessarium fieri huiusmodi affectibus, sed sat est materialiter pertinere ad gratitudinem, amicitiam, & liberalitatem, hoc est, fieri non quasi ex obligatione iustitiæ. Si tamen quis daret auctirium ea conditione, lege & pacto vt illi iterum mutuarem, nõ possem auctirium recipere, aut retinere, quia daretur vt pretium sequentis mutuationis, licèt non præcedentis. Idem est si aliquid vt debitũ ex iustitia exigo, vel intendo pro differenda vel expectanda mutui præcedentis solutione.

DVBIVM VII.

An si mutuans excitet mutuatarium ad mutui beneficium remunerandum, & mutuatarius sic excitatus aliquid vltra sortem mittat, accipiens sit vsurarius, restituerèque acceptum teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans proponitur cum suis fundamentis.*

2 *Si mutuans solùm intendat lucrum ex libe*

liberalitate mutuatarij, ac sine vlla obligatione iustitiæ, si conferat accipiens, non est vsurarius. Suadetur num. 3.

4 *Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur.*

5 *Obiectioni cuidam occurritur.*

6 *Occurrenti quæstioni fit satis.*

Num. 1. QVIDAM affirmant, vt Caiet. *tom. 2. opuscul. 8. de vsura. quæst. 3.* Ioan. Medina *C. de vsuris. q. 4. ad 2. principal.* asserens opinionem esse communem. Ricard. *4. d. 15. art. 5. q. 5.* Scot. *q. 2.* Angles *q. de contract. mutui. art. 2. defin. 5. conclus. 1.* quorum aliqui probant: quia talis insinuatio est quoddam pactum implicitum. Alij verò, vt Angles, quia is qui dat, postquam præcessit talis insinuatio tempore mutuationis, non dat liberaliter, sed rubore, vel necessitate compulsus. Ergo tunc datum recipere, & retinere vsura est. Fauet Greg. à contrario sensu. 1. *q. 1. cap. sicut.* vbi ait: *obligatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.* Ergo si ex petitione processit, illicitè recipitur.

Num. 2. RESPONDETVR tamen, si mutuans solùm intendat lucrum ex liberalitate, & gratitudine mutuatarij, ac sine vlla obligatione iustitiæ, & ita conferatur, accipiens non est vsurarius, nec tenetur lucrum restituere. Molin. *tract. 2. de iustit. disput. 305.* Conrrad. *q. 218.* Caiet. *hîc art. 1.* vbi Bannez *dub. vlt. conclus. 3.* Salon *art. 2. controuers. 2. conclus. 2.* dicens esse communem recentiorum. Aragon *art. 2. dub. 1. corol. 1. post 2. conclus. & conclus. 3.*

Num. 3. PROBATVR, quia si intentio est licita (quod iam ostendimus) per hoc quòd verbis explicetur, secluso scandalo, nequaquam fiet illicitat.

CONFIRMATVR, quia post solutionem, vel in solutione sortis posset licitè excitari mutuatarius ad donandũ auctiriũ. Ergo similiter ante solutionẽ in cõtractu, vel post cõtractum mutui, quanuis cautè id faciendum sit, exprimendo clarè nullam esse intentionem recipiendi auctirium quasi debitum ex iustitia, alioquin suspicio erit vsuræ, vt bene aduertunt Caiet. Aragon, Salon, Bannez, & Conrrad.

Num. 4. NEQVE argumenta in contrarium vrgent: nego enim in tali euentu esse aliquem contractum implicitum recipiendi auctirium, vel à mutuatario non conferri liberaliter; & argumentum illud à contrario sensu nihil valet, præsertim cùm Greg. exponi possit de petente lucrum vt pretium mutuationis. Sic etiam *in cap. de vsura. 14. q. 3.* dicitur: *vsura est vbi amplius requiritur, quàm datur,* scilicet ex iustitia. Vnde statim subiungit, *si super aliquid ex cæteris exactio enim quæ petitur quasi debiti, ex iustitia sonat.* Vnde malè propter hunc tex. Laurent. de Rodulfis *tract. de vsuris,* quem citat, & videtur sequi Antonin. *2. p. tit. 1. c. 7. §. 6.* videtur primam opinionem amplecti, dicens; si mutuans dixit aliqua verba ad inducendũm, debere restituere quod vltra sortem propter inductionem illam ei datum est. Malè etiam Nauarr. *3. de restitut. c. 2. n. 211.* priorem opinionem sequi videtur, eo quòd si præcessit insinuatio, auctiriũ nõ datur liberaliter; fatetur tamen, si constiterit liberaliter dedisse, tuta conscientia retineri posse, quanuis

Q insinua-

Digitized by Google

insinuatio præcesserit; quod etiam docet Ioan.Medin. *q.4.de vsuris.ad 2. principale.* & Sot. *6.de iustitia. q. 1. art. 4. §. restat.*

Num 5. SI obiicias: qui confert beneficium aliquod alicui spirituale, explicans se confidere recepturum pro eo ex gratitudine aliquod temporale, censetur simoniacus ex motu quodam proprio Pij V. Ergo similiter qui mutuat explicans confidere se de auctirio ex gratitudine dando, vsurarius est. Respondet Bannez; & Conrrad. illum non esse simoniacum iure naturæ, sed positiuo. Veritas tamen est, nec iure positiuo esse verè simoniacum, sed præsumi in exteriori foro: solent enim à Clericis pacta in beneficiis fieri, & ne puniantur, dicere se ex gratitudine dare, vel recipere. In vsura autem non est hæc præsumptio, quando mutuatarius fatetur se gratis dedisse, cùm hoc non dicat ad vitandam pœnam: nullam enim incurrit, licèt dicat se non gratis dedisse.

Num 6. ROGAS, an licitũ sit nõ mutuare, donec mutuatarius à me excitatus dicat se daturum auctirium ex gratitudine, ac proinde ex veracitate & fidelitate, licèt nõ ex iustitia maneat obligatus? Respondeo, ea re nullam interuenire vsurã, quia neque effectu, neq; affectu recipitur aliquid in pretium, vel exigitur, & quasi debitum de iustitia, sed sola expectatio interuenit, qua mutuans expectat expressam, rectámque voluntatem mutuatarij de dando auctirio antequam mutuum recipiat.

DVBIVM VIII.

An mentalis vsura obliget ad restitutionem?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio asserens non obligare ad restitutionem, etiamsi in illa intentione peccatum interueniat, cum suis fundamentis.*
2 *Secunda opinio tenens obligare, cum suis fundamentis.*
3 *Vera sententia affirmat, quando vsuraria intentione mutuatum est, eandémque auctirium receptum, si postea datum esse gratis constiterit, nulli esse restituendum: secus verò si oppositum constiterit. Prima & secunda pars conclusionis probatur n. 4.*
5 *Ad argumenta contraria respondetur.*
6 *Quidam dubio occurrenti fit satis.*

PRIMA opinio Ricard. 4. *dist. 5. art. 5. quæst. 5.* eum qui accipit aliquid vltra sortem sine pacto, & sine insinuatione intentionis corruptæ (qualis secundùm illum est si mutuabitur principaliter in spe lucri) peccasse quidem si habuit talem intentionem, non tamen teneri ad restitutionem. Ratio eius secundùm Molin. *disp. 306.* est, quia tunc præsumendum est mutuatarium liberaliter dare: qua ratione ait idem tenere Scot. *ead. d. q. 2.* Pro hac etiam opinione Alex. Lõbard. citant Tabiena *verb. vsura. 1. quæst. 1.* Sylvest. *verb. vsura. 6. quæst. 3.* qui addit Cardin. *cap. consuluit.* & Clement. *ex graui. de vsuris.* Hanc opinionem reiicit Tabiena, quia est contra omnes Doctores. Mol. 5. cum Sot. *6. iustitia. q. 1. art. 4. §. resto.* quia sic vsura mentalis nunquam obligaret ad restitutionem contra *cap. consuluit. de vsuris*: quando enim intentio vsuraria manifestatur, non est vsura

Num. 1.

Digitized by Google

vsura mentalis, sed realis. Dices id etiã esse verũ quando manifestatur per pactum, secus si sine pacto: contrà, quia si manifestatur vsuraria intentio, cùm ea consistat in voluntate accipiendi auctirium quasi debitum ex iustitia, in ea manifestatione implicitè continetur pactum. Ergo vsura illa est realis, & nõ mentalis. Sed potissima ratio est, qua vtitur Ioan. Medin. *q. 4. de vsuris. ad 2. principale.* quia insinuatio intentionis vsurariæ per se est impertinens ad restitutionem, ad quam tamen attendi debet, an mutuatarius vltra sortem dederit, vel non dederit liberaliter, quanuis insinuatio intentionis sæpe sit signum dationis non liberalis: nam qui lucrũ petit mutuãdo, videtur illud in pactũ deducere, ac proinde mutuatarius postea videtur nõ liberaliter, sed quasi ex pacto dare.

Num. 2. SECVNDA opinio est, quoties aliquid vltra sortem acceptum est intentione vsuraria, esto mutuatarius liberaliter illud dederit, idque postea mutuanti constet, esse necessariò restituendum.

SVADETVR primò *ex d. cap. consuluit.* vbi dicitur, vsurarium mentalẽ in iudicio animæ efficaciter inducendum ab restitutionem. Secundò, quia ille iniustè accepit: ergo tenetur ad restitutionem. Tertiò, qui donatio nonnisi acceptatione donatarij fit; qui autem vsuraria intentione aliquid accipit, non acceptat donationem; quia non accipit illud vt donatum, sed vt debitum: ergo tenetur illud restituere, quia donatio fuit nulla. Hanc opinionem tenet Tabiena s. Panorm. Innocent. & alij *d. cap. consuluit.* Almainus *4. distinct. 15. quæstione 2.* Caietanus *hîc art. 1. respons. ad 4.* (qui malè à multis pro tertia opinione hoc loco citatur.) Pro hac etiam opinione citari solent Ioann. Andr. Cardinalis, & glos. *reg. peccatum. de regul. iur. in 6.* Adrian. *in 4. dub. 8. de vsuris.* Enrrichus *c. in ciuitate. de vsuris. col. vlt.* glos. *cap. final. de sent. excõmunicat.* Anchar. *reg. peccati venia. quæst. 1. col. 6. de regulis iuris in 6.* Alex. *cons. 93 lib. 6.* Card. Clement. vnica. *de vsuris. quæst. 24. & d. cap. consuluit.* Anani *d. cap. consuluit.* Bar. Med. *1. Summæ. c. 14. §. 21.* Mercado *tract. de vsuris. cap. 10. n princip. vers. digo lo tercero. verb. requiere esse tanto.* Laur. de Rodulfis *quæst. 3. de vsuris.* Sed quidam ex istis malè referuntur: nam Medin. solùm ait, vsuram mẽtalem obligare ad restitutionem; & Cardinal. *illa quæstione 24.* ait, vsurarium mentalem in foro animæ inducendum, sed non compellendum ad restitutionem. & Innoc. solùm ait, hanc opinionem esse mitiorem. & Laur. de Rodulf. expresè tenet oppositam *quæst. 7.* & Ioan. Andr. solùm ait, donationem mutuatarij non liberare ab onere restituendi, quando mutuans eo est animo, vt etiansi lucrum ei non donaretur, illud acciperet, ac retineret.

INTER auctores autem huius opinionis quidam existimant sic donatum non esse restituendum donanti, sed pauperibus, vt Almainus, & Caiet. & Guido Pap. *tract. de contract. illicitis. n. 15.* Raynerius *in Summa. tit. de vsuris. vers. sed nunc quod voluntas.* Gofred. *eod. tit.* Alij verò tenent, vel non esse restituendum, vel etiam restituendum donanti. Tabiena s. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 7. §. 26.*

TERTIA tamen veráque opinio Num. 3. est, quando vsuraria intentione mu-

Digitized by Google

tuatum est, eadémque auctirium receptum, si postea constiterit datum esse gratis, & liberaliter, nulli esse necessariò restituendum; secus verò si oppositum constiterit. Mol. Ioan. Medin. & Sot. in prima opinione citati. Couaruu. *regula peccatum. p. 2. initio. n. 4.* Caballin. *quæst. 1. de vsuris. à n. 6.* Paulus, Clem. 1. *de vsuris.* Butrius *conſ. 17.* Cardinalis Florentinus *cap. conſuluit. de vsuris.* Vega *verb. vsura. caſu 42.* Emanuel *cap. 106. n. 12.* Toletus *lib. 5. cap. 29.* Palac. *4. de contractib. cap. 3.* Et in hac re idem tenent Ricard. Scot. & Alex. Lombardus citati ab opinione prima. Idem tenet Angel. *verb. reſtitutio. quæſt. 18.* Antonin. ſ. §. 35. & 36. Contrad. *quæſt. 224.* Gabr. *4. d. 15. quæſt. 11. dub. penult. ſeu 17.* Armil. *verb. vsura. n. 34.* Sylueſt. *verb. vsura. 6. q. 3.* Bald. *l. penul. ff. de conditionib. ob turpem.* Alex. *l. ſi non ſortem. §. 1 ff. de conditio. indebiti.* Graf. *p. 1. lib. 2. cap. 107. art. 10.* Nauarr. *3. de reſtitutione. cap. 2. dub. 3. à n. 208.* Caiet. *tom. 2. opuſcul. 8. de vsuris. q. 3.* Lopez *2. p. de Inſtructione conſcientiæ. cap. 55.* Angles *quæſt. de contract. mutui. art. 2. difficult. 1.* Villaguta *q. 14. de vsuris. cõcluſ. 4.*

Num. 4. Et quidem ſecunda pars noſtræ ſententiæ certa apud omnes eſt, eámque definire intẽdit Põtifex *c. conſuluit. de vsuris.* Prior verò pars probatur primò; liberalis donatio mutuatarij ſufficiens fuit ad transferendum dominium, ſaltem accedente acceptatione eius cui facta eſt; eam autem acceptationem videtur ſufficere habuiſſe (vt ait Mol.) ſi non formaliter, certè virtute, eo ipſo quòd illud accepit, quandoquidem comparare intẽdit dominium illius meliori modo quo potuit, & eſto virtualis illa acceptatio inſufficiens eſſet ad comparandum dominium rei ita acceptæ, vt tenet Ioan. Med. formalis tamen acceptatio quam elicit eo ipſo quòd intelligit donatam ſibi eſſe liberaliter, ſatis eſt, vt ipſe Medin. fatetur, ad conſtituendum eum dominũ illuis rei, eo quod nõdum reuocata eſt donatio ei facta; quare illum liberat ab onere reſtituendi.

Secvndo probatur, quia in vſura omnis obligatio oritur ex iniuſta læſione mutuatarij; ſed in prædicto euentu nulla eſt læſio iniuſta, quia mutuatarius merè gratis & liberalitater dat: ergo mutuans non tenetur ad reſtitutionem; quanuis cùm auctirium accepit, putauerit inuoluntariè datum. Sed quando ego animo furandi pallium accepi, quod poſtea comperi eſſe meum, non teneor reſtituere, quia verè non intuli iniuriam, ſed inferre putaui. Imò, licèt quando noluit mutuatarius liberaliter dare, vel dediſſe lucrum, eo eſſem animo, vt etiamſi non daret liberaliter, illud acciperem, vel retinerem, tuta conſcentia accipio, & retineo; ſicut qui omnino liberalem debiti remiſſionem obtinuit, quanuis eo eſſet animo, vt etiam ſine liberali remiſſione retineret, tenetur ad reſtitutionem. Nauarr. ſ. *n. 216. & 217.* cum Sylueſt. & Couarr. Vnde malè oppoſitũ docuit Ioan. Andr. *regula peccatum.* relatus à Laurentio de Rodulfis ſ. *tract. de vſura. quæſt. 3. & 6.* & latè impugnatus *quæſt. 7.* cum Federico de Senis *conſ. 18* & gloſ. & Franc. *regula peccatum.* Hoſtienſ. *in Summa. tit. de vſuris. §. quæ pœna. verb. quid ſit fœnerator, & verb. dicendum eſt igitur.* Grafis ſ. & *2. p. lib. 2. cap. 24. num. 47.*

Tertio probatur *ex l. inter omnes. §. rectè.*

Digitized by Google

§. *rectè. ff. de furtis.* vbi dicitur; *contrectans rem credens inuitum dominum, committit furtum., sed furto non est obligatus, si dominus erat volens. & Inst. de obligationib. quæ ex quasi delicto nascuntur.* §. *sed etsi credat.* vbi dicitur: *sed etsi credat aliquis inuito domino se rem commodatam sibi contrectare, domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri.*

QVARTO probãt Cabal. Nauarr. Couarr. & alij ex *c. fin. de simon.* vbi dicitur, accepta per simoniã mẽtalem nõ esse necessariò restituẽda: cuius ratio est secundùm Nauarr. quoniã alter voluntariè pecuniam dedit, atque ita non fit ei iniuria: ergo similiter in vsura mentali, quando alter liberaliter auctirium dedit: sed certè *eo cap.* non est sermo de restitutione pecuniæ, sed beneficij per mẽtalem simoniam resignati, quod non est restituendum: quia tũc resignatio fuit valida, vt definit Pontifex: ratio autẽ esse videtur, quia Ecclesia noluit eam resignationem vetitã esse; sed quando fit per simoniam realem. Cui expositioni fauet Adrianus §. dicens, non esse simile de simonia, & vsura mentalibus, quia restitutio simoniacè acquisitorum debet Ecclesiæ fieri, quæ facultatem habet ius suum remittendi, vt facilem. *Dicto cap.* restitutio primò vsurarum fieri debet danti; non tamen omnia quæ in hac Adriani solutione continentur, vera sunt, vnde meritò impugnatur à Nauarr. §. qui etiã alias explicationes illius capituli assignatas à Ioan. & Bar. Medin. & ab aliis reiicit. Vincẽtius etiam, Hosti. Ioan. Andr. & Panorm. *c. consuluit. de vsuris.* Enrrichus *c. in ciuitate. eodem.* glos. & Cardin. *c. fin. de simonia.* Philip. Franc. *c. peccatũ. de regulis iuris. in 6.* Ancharr. *c. peccati venia. q. 1. eod. tit.* Laurent. de Rodulf. *de vsura. p. 2. q. 3.* Cardi. *Clem. vnica de vsur. in princip. q. 25.* Alex. *illo cons. q. 3.* Palud. *3. d. 37. q. 2. art. 2. concluf. 9.* Anton. *illo* §. *35.* Guido Pap. *illo n. 15.* varias assignãt rationes discriminis inter simoniam mentalem, & vsuram mentalem; sed eas omitto, quia multa miscuerũt, quæ intelligi non possunt nisi ex materia de simonia.

QVINTO probat Nauarr. §. *n. 220.* ex Greg. *c. sicut. 1. q. 2.* asserente: *is qui ordinatus fuerit, si non ex pacto, nec exactus, nec petitus post acceptas cartas, vel palliũ aliquod cuilibet ex Clero gratia tãtummodo causâ dare voluero; hac accipi nullo modo prohibemus, quia eius obligatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.* Sed textus iste nõ est ad rem, vt notat Ioan. Medin. quia in hoc euentu nihil est acceptum per simoniam mentalem: ergo inde non probatur acceptum per vsuram mentalem non esse obnoxium restitutioni, etiamsi liberaliter datum fuerit.

SEXTO Caballin. *q. 1. citata. n. 8.* & Couarru. §. *5.* probant, quia vsura realis non obligat ad restitutionem secuta liberali donatione, vel remissione: ergo multo minùs vsura mẽtalis. Antecedens docẽt glos. & Ancharr. *d. c. peccatum.* Host. *in Summa.* §. *fin. verb. quid sit fœnerator. tit. de vsuris.* Laurent. §. *q. 7.* Tiraquell. *2. de retractu. q. 18.* Alex. *consil. 91. lib. 2.* Calderin. *cons. 10.* Federicus *cons. 18.* Ioan. Med. *q. 3. de vsuris.* Grafis *p. 2. lib. 2. cap. 24. n. 46. & 47.* & alij communiter.

AD primum argumentum secũdæ opinionis respondetur primò cum Molin. & Nauarr. textum loqui quando collatio mutuatarij nõ fuit

Digitized by Google

liberalis, vt videtur cõtingere quãdo aliàs non esset mutuandum, in quo solo casu loquitur Pontifex secundùm Nauarr. Secundò respondetur cum Cardin. *Clem. citata. quæst.* 24. & Nauarr. *in eo cap.* Pontificem non dicere esse illos compellendos ad restitutionem, sed inducẽdos, & hoc in foro animæ, quod non explicat obligationem restituendi.

AD secundum respondetur cum Molin. Nauarr. & Angel. quando contractus factus fuit intentione vsuraria, atque adeò iniusta, acceptationem postea posse esse iustam, vt si constat mutuatarium dare gratis, & licèt sit formaliter iniusta, modò sit iusta materialiter, quia mutuatarius dat gratis, mutuantem posse datum retinere, si constiterit gratis datum fuisse, vt quando accepi aliquid putans esse alienum, & postea sciui esse proprium.

AD tertium respondetur, ibi virtualiter inueniri acceptationem rei vt donatæ, aut certè postea formalem sequi, & alterutrã sufficere ad transferendum dominium, vt cum Mol. dixi contra Ioan. Medin. asserente ante formalem acceptationem, quæ cognita mutuatarij liberalitate fit, non trãsferri dominium in mutuantem, ideo vel auctirium restituendum, vel formaliter donationem eius acceptandam.

ILLVD etiam contra Almain. & alios rectè docẽt Molin. & Couaruu. *n.* 6. Nauarr. *n.* 232. si vsuraria intentio, & acceptatio sufficeret, vt accipiens restituere teneretur, restitutionem faciendam esse ei qui dedit, & non pauperibus, quia mutuatarius in solum mutuantem vuult transferri dominium, præsumptámque & quasi habitualẽ voluntatem habet, quòd si dominium in mutuãtem non transeat, maneat apud se: quòd si abdicasset à se dominium (vt aduersarij existimant) instar eorum qui rem habent pro derelicta, vtique fuerit primi occupantis, ac proinde mentalis hic vsurarius licitè posset eã sibi retinere, vt ait Molin. rectè addens, pauperes non succedere nisi in defectum veri domini, cui res restitui non potest, aut nisi ius humanum id in aliquo euentu statuat: nullum autem esse ius humanum præcipiens eo modo acceptum pauperibus restitui.

ADDE quoque cum Molin. *ead. disp.* 305. §. *tertius.* Caiet. *hîc art.* 1. *respons. ad* 4. Lopez 2. *p. Instructor. c.* 55. §. *insuper.* Nauarr. *c.* 17. *n.* 209. Sot. 6. *iustit. q.* 1. *art.* 4. §. *restat.* Nauarr. s̃. *n.* 215. Conrrad. *q.* 234. Vega *verb. vsura. cas.* 42. Emanuele *illo n.* 12. si mutuans bona fide auctirium accepit, putans à mutuatario gratis dari, & postea comperiat non datum fuisse liberaliter, restituendum est. Hoc est contra Antoni. 2. *p. tit.* 1. *c.* 7. §. 6. cũ Laurentio de Rodulfis asserentem, si bona fide recepit, probabiliter credẽs sibi dari liberaliter, licèt postea comperiat non datum liberaliter, non teneri ad restitutionem; quod falsum esse probatur: quia ibi nulla fuit donatio vera, neque alius titulus, ratione cuius mutuatarius comparet dominium auctirij, & bona fides non sufficit ad transferendum dominium, & liberandum ab onere restituendi, nisi secuta legitima præscriptione, vel vsucapione, quam in hoc casu possibilem esse negat Emanuel s̃. Sed meliùs Grafis 1. *p. lib.* 2. *c.* 107. *n.* 10. quãuis res si bona fide

Digitized by Google

fide accepta, & consumpta fuit, solùm teneatur is, qui accepit, restituere id in quo factus fuerit ditior, eo quòd obligatio restituendi tunc non prouenit ex parte iniustæ acceptationis, bona fide excusante accipiétem à peccato vsuræ, sed solùm ex parte rei acceptæ. Ita Mol. Sot. Nauarr. Toletus, & Grafis ẽ. Caietanus *hîc art. 1. ad 4. & verb. vsura.* Quod primò pro se adducunt Antoninus & Laurentius, factum legitimũ retractari non debet, licèt casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari *cap. 73. de regul. iuris in 6.* non est ad rem, quia donatio illa non fuit legitima in re, sed in falsa apparitione. Vnde nisi duret toto tempore bona fides requisito ad præscriptionem, vel vsucapionem, auctiriũ restituendum est.

SED quid si dubia fide accepi, vel postquam bona fide accepi, incipio dubitare, tenebórne statim restituere? Molin. affirmare videtur: sed credo acceptum retineri posse interim dum animum mutuatarij examino, si ipse illo tempore damnum nullum patitur; eo tamẽ examinato si dubium manet, teneor statim restituere: sicut qui aliquid accepit dubitans, an esset proprium, vel alienum, & post examen manet in eadem dubitatione. Sic potest intelligi Molin. cui consonat Tolet. 5. *Summa. cap. 29.* Grafis *illo cap. 107. num. 12.* Quando verò mutuatarius non explicuit an daret gratis, vel vt debitũ ex iustitia, aliqui præsumendum putant non dare liberaliter, vt Couar. ẽ. *num. 4.* & Syluester *illa quæst. 3.* alii verò dare liberaliter, vt Caiet. locis nuper citatis, & opusculo superiùs citato *q. 3.* & Ang. quem citat, & sequitur Nauarr. ẽ. *n. 231.* & alij apud Lop. *illo cap. 55.* qui id verisimile existimat, licèt tutius putet interrogationem mutuatarij, & considerationem aliarum circunstantiarum explorandam esse; quod ego necessarium puto cum Nauar. *c. 17. num. 209. & comment. de vsuris. n. 24.* imò & ipse Nauarr. ẽ. *n. 230.* Manẽte autem dubio, restitutio, vt diximus, facienda est. Malè ergo Caiet. locis citatis absolutè dixit, eum qui dubitat an datio fuerit liberalis, nõ teneri ad restitutionem: & licèt Couarru. *illo n. 4.* eum non intelligens, excusset, tamen meritò illum reprehendit Grafis *illo n. 12.* & Caterinus *lib. 6.* contra Caiet. Si enim mala vel dubia fide accepit quis auctirium, manente post examen dubio, & non secuta præscriptione, vel vsucapione, necessariò restituendum est.

DVBIVM IX.

Vtrùm dare mutuum cum pacto, vt mutuatarius in posterum tantundem mutuò det, vel vt in posterum iusto pretio aliquid emat, vendat, locet, conducat, vel faciat, &c. vsura sit?

SVMMARIVM.

1 *Prima sententia affirmans hoc licitum esse, nullámque in illo vsuram inueniri, proponitur.*

2 *Secunda, & vera sententia tenens illud vsuram esse, exponitur, & confirmatur.*

3 *Ex maioritria inferuntur.*

4 *Ad argumenta contraria respondetur.*

5. Difficul

5 *Difficultas occurrens dissoluitur, quomodo agrorum domini licitè contrahere possint cum colonis mutuo indigentibus, & variis respondetur modis.*

6 *Secunda difficultas, an licitum sit prefigere terminum mutui apponendo huiusmodi limitationem, mutuo tibi interim dum meum officium frequentaueris.*

7 *Tertia, an vsura sit pretio aliquo emere à pistore, vt meum molendinum frequentet.*

8 *Aliis quinque difficultatibus, quæ proponuntur obuiet, sit satis num. 9. 10. 11. 12.*

Num. 1. ADRIANVS *in 4. materia de restitutione, quæst. de vsura. §. sed contra.* ait, mutuanti licitum esse in pactum deducere, vt alter mutuet quando aliàs tenebitur ex gratitudine, vel charitate, quia licitè deduci in pactum potest solutio debiti. Imò licitum videtur deducere in pactū, vt alter mutuet, etiā quādo aliàs tenetur: quia licitū est deducere in pactum, vt alter iusto pretio aliquid à me emat, vel mihi vendat, vel pro me faciat, vt agrum colere, domum ædificare, &c. Talē autem pactum licitum esse probat primò Almain. 4. *d.* 15. *quæst.* 2. cum Grego. Armil. *quæst. de monte pietatis*; quia talis non consequitur lucrum ex mutuo, cùm det æquiualens proprij coloni, vel artificis: ergo non est vsurarius. Confirmat Almain. nam si ille priùs locasset operas coloni, dedissétque ipsi pecuniam, & colonus nollet operari, liceret mutuare illi, vt operaretur pro pecuniis acceptis: ergo etiam erit licitum mutuare cum pacto, vt operetur pro pecuniis acipiendis.

SECVNDO probatur: nam si mutuans ille committit vsuram accipiendo operas coloni, vel artificis, tenebitur ad restitutionē, quia omnis vsurarius accipiēs vltra sortem, tenetur ad restitutionem: ergo tenebitur bis soluere iustum pretiū proprij coloni, vel artificis. Consequens est falsum: ergo licitum est mutuare istis cum pacto operandi pretio condigno. Quod etiam tenet Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 10. pro qua opinione Gabr. Ang. Salic. Nauarr. & alij ꝑ. referunt Rosell. Cui sententiæ fauet etiam quod ait Almain. cum Aug. de Ancona, licitum esse dare mutuò pecuniam alteri cum pacto, vt det mihi panem quo indigeo, quémque ipse mihi dare tenetur ex charitate: non enim deduco in pactum aliàs aliquid indebitum. Fauet etiam quòd ait licitum esse in pactum deducere, vt aliàs vadat ad meum molendinum; scholam, vel apotecham iusto pretio recepturus molituram, institutionem, vel rem aliam. Similiter ergo licebit in pactum deducere, quòd alter mutuet; & omnes ij casu confirmari possunt, quia licitum est in pactum deducere id quod non est pretio æstimabile, iuxta D. Thom. *art.* 2: sed mutuatio, emptio, &c. non sunt alio pretio æstimabiles, quàm quod dandum est pro re mutuata, empta, vendita, &c. ergo licitum est huiusmodi actiones in pactum deducere. Dices: quanuis istæ actiones non sint alio pretio æstimabiles, tamen obligatio ad illas est alio pretio æstimabilis; ideo deducere eam in pactum vsura erit. Contrà ergo licitè poterūt negotia-

tores

tores cum petentibus mutuum ita paciſci; ego me obligo ad mutuandum tibi ſtatim centum pro decem mihi reddendis vltra ſortem, quod abſurdum eſt: quia ex eo ea incommoda ſequerentur quæ ex contractibus, in quibus pro mutuo aliquid vltra ſortē exigitur. Ergo hæc obligatio non eſt pretio æſtimabilis, & ita non erit vſura eam in pactum deducere Confirmatur, quòd alter ſe obliget ad mutuandum, vel vendendū abſolutè, aut potiùs mihi quàm alteri, quando ex hoc nullum patiatur incommodum, non videtur prætio æſtimabile: ergo in pactum deduci poteſt. Confirmatur ſecūdò: nā Maior 4. *d.* 15. *q.* 23. aliàs 29. *ad* 1. ait, licitum eſſe in pactum deducere remunerationem faciendam in caſu neceſſitatis, licèt non extra talem caſum. *&* *ad* 3. fatetur poſſe præfigi terminum mutui, donec alter frequentet meum molendinum, vel ſcholam, &c. Imò interdum indicat poſſe in pactum deduci eam frequētationem, licèt interdum indicet oppoſitum, obſcurè non loquitur. Medin. etiam *q.* 1. *de vſuris.* & latiùs *q.* 4. *ad* 1. *principale* ait, quanuis non ſit licitum deducere in pactum aliquid ad quod determinatè alter nō tenetur, vt ad remutuandum, vel colendum agrum, &c. quia alio modo poteſt obligationi gratitudinis ſatisfacere: ſecus tamen id ad quod determinatè, & in particulari tenetur ex iuſtitia, vel charitate, vt in medico ad medendum mihi, quando alius non fuerit qui mihi medeatur.

Ex quo colligitur poſſe aliquem obligari ad mutuandum, vel donandum pecuniam cùm ea mihi neceſſaria ſit, quia tunc alter ad hoc diſiunctum tenetur lege charitatis, vel etiam gratitudinis. Et licèt Nauarr. *c.* 17. *n.* 120. 123. doceat, vſuram eſſe mutuare cum pacto eundi ad ſuum molendinum, vel ſcholas, &c. vel rem utuare cum pacto emendi, vel vendendi, & in medico ipſum curandi, etiam cùm alius medicus defuerit, quicquid dicat Ioan. Medin. tamen certè in eius opinionem relabitur *illo n.* 223. *in fin.* dicens; *niſi quando ſolùm obligat per pactum ad id ad quod iure naturalis gratitudinis obligatur ſecundùm gloſ. l. c. ſi fœneraberis. in fin.* 14. *q.* 3. & Angel. *verb. vſura.* 1. *q.* 4. ait; *licèt non ſit licitum in pactum deducere quòd ſimpliciter alter mutuet, bene tamen quod mutuet quando tenetur ex gratitudine, & commodè mutuare poſſit, & ego indiguero.* Pro hac ſententia citat Hoſtienſ. & pro ea eſſe ait *c. ſignificaſti. de electione. & q.* 5. licitum eſſe putat in pactum deducere quòd alius iuſto pretio agrum colat, &c. apothecam, ſeu molendinum, vel ſcholas meas frequētet, ſi inde nullum damnum incurrat, & ita bene ac facilè ipſi ſatisfiat à me ſicut ab aliis: ſecus quando propter hoc magis grauaretur, vel nonita bene ei ſatisfaciam. Additur cum D. Bernardino licitum eſſe præfigere terminum mutui, donec alter veniat ad meum molendinum, &c. nam mutuans poteſt tempus ſui mutui limitare. *l. vinum. ff. ſi certum petat.* & ſi non liceret ſic mutuare, omnis mutuatio eſſet vſuraria. cùm nō poſſint fundi ſine mutuo locari colonis. Adrianus etiam s. §. *iuxta prædicta, & ſequentibus*, tenet nō ſolùm ei licitū præfigere terminū mutui modo explicato, ſed etiā deducere in pactū, vt alius iuſto pretio molendinū frequētet, &c. & Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 7.

Digitized by Google

§.8.oppositũ asserẽtem redarguit:nã §.10.cõcedit quòd si quis mutuat colono triticum, grana, vel pecunias, vt colat terras suas iusto pretio, non erit vsurarius, nec restitutioni obnoxius; & cũ Ariminensi cõcedit licitum esse mutuare colono obligato ad colendum agrum, vt possit satisfacere suæ obligationi. Ergo etiam licebit mutuare à principio cum cõditione, vt agrum iusto pretio colat.

Num.2. His non obstantibus secunda & vera opinio est, vsuram esse, prædicta vt in posterum facienda, in pactum deducere. D. Thom. *art. 2. ad 2. & 4.* Caiet. & Aragon ibi. Salon *controu. 2. & 3.* Bannez *art. 1. & 2.* Mol. *tract. 2. de iustitia. disput. 308. 309. 310.* Nauarr. *3. de restit. c. 2. dub. 4. à n. 239.* Conrrad. *de contracti .q. 36.* Sylu. *verb. vsura. 1. q. 2.* Medin. *1. Summa. c. 14. §. 23.* Caiet. *verb. vsura. casu 6. & 7.* Palac. *4. de contract. c. 3.* Gabr. *4. d. 15. q. 11. art. 1. dub. 1.* Couarr. *3. Variar. c. 1. n. 2.* Conrrad. *in Summa. q. 225.* Sot. *6. iustitiæ. q. 1. art. 2.* glos. *2.* & Archidiacon. *c. si fœneraberis. in fin. 14. q. 3.* Gofred. *c. cõsuluit. de vsuris.* Panorm. & Calderin. *c. fin. eod. tit.* Ioan. Andr. *regula peccatum. de regulis iuris. in 6.* Laurentius de Rodulfis *de vsura. p. 2. q. 38.* Ioan. de lynan. Rodẽsis, & alij Iurisperiti. Tol. *5. Summa. c. 29.* Lopez *2. p. Instructorij conscientia. c. 55. & 56.* Grasis *1. p. c. 104. n. 3. 4. 5. 6. 7. & n. 18.* Phriuurgus *2. Sum. tit. 7. q. 10.* Tabien. *verb. vsura. q. 1. & 2.* Armil. *n. 4.* D. Thom. *de malo. q. 13. art. 4. ad 5:* Ratio est, & omnium est, quia obligatio ciuilis, seu ex iustitia ad tales actus est pretio æstimabilis: nã per eã mutuatarius amittit aliquam libertatẽ, & subiicitur mutuãti; intendere autẽ ex vi pacti, seu cõtractus mutui aliquid pretio æstimabile, vsura est.

Ex maiori huius rationis infero primò cum Molin. *disput. illa 308.* Salone *5. controuers. 3.* Soto, Bannez, & aliis, posse quemquam licitè certam mercedem recipere à Republica, vel mutuatariis, vt se astringant ad mutuò dandũ quibuscũque qui mutuũ accipere velint, præstita cautione debita quòd mutuũ restituent: talis enim obligatio est pretio æstimabilis. *Num.3.*

Secvndo infero ex Mol. Bãnes, Conrrado, Lopes, & aliis, astringere quempiã alium ad sibi in futurum mutuandũ decem, verbi gratiã, mẽsuras tritici, vt vicissim alter obligetur ad mutuandum tantundem in vino, & oleo, non esse vsuram, neque iniustitiam, modò onera sint æqualia: quia quando reciproca est obligatio ad mutuandum res diuersi generis, nihil pro mutuo recipitur, sed vna obligatio per aliam compensatur, & est æqualis contractus vtrinque: & idem esset, si ego me obligarem ad mutuandam pecuniam vna die anni, & tu te obligares ad mutuãdam eandem alia die.

Tertio, hunc contractum esse licitum, ego pro decem aureis me obligo ad mutuandum tibi centum per quatuor menses die anni quam elegeris: nam talis obligatio est pretio æstimabilis, & quando quis obligat se ad mutuãdum maiorẽ summã, vel pro pluribus diebꝰ ad libitũ mutuatarij, maiꝰ pretiũ potest recipere.

Ad argumentum ergo, quo Adrianus probabat licitum esse in pactum deducere remutuationẽ eo tempore faciendam, quo mutuatarius ex gratitudine, vel charitate aliàs tenetur; respõdetur ex D. Thom. & omnibus auctoribus secundæ opinionis, *Num. 4.*

&

Digitized by Google

& aliquibus primæ, nõ esse licitũ, id quod est debitum ex gratitudine in pactũ deducere, secus si sit debitum ex iustitia, quia ciuilis obligatio seu ex iustitia lõgè maior, & strictior est quàm obligatio naturalis ad gratidinẽ spectans, cuius adimpletio sæpe absque vlla culpa, etiam veniali, permitti potest: cùm tamẽ ciuilis ex genere suo sub mortali obliget, & in foro externo astringat. Subire verò hoc tantum obligationis incrementum, pretio æstimabile est, præsertim quãdo fit circa obiectum difficile ac molestum. Idémque dicendum est quando in pactũ deducitur id quod aliàs est debitũ ex charitate; in quo euẽtu iidẽ auctores idẽ sentiũt, præter Mol. *disp.* 309. qui cum Ioan. Medi. docet id, quoniam est simpliciter debitum, deduci in pactum posse, vt quòd medicus curet, vel aduocatus patrocinetur in necessitate, & quando nõ est alius; ad quod ciuilis potestas obligare potest. Sed hæc opinio reiicitur, quia debitũ ex gratitudine, vel saltẽ ex voto, est simpliciter debitũ, tamẽ deducere id in pactũ, esset vsura: ergo similiter deducere in pactũ id quod est debitũ ex charitate.

CONFIRMATVR, quia obligatio ciuilis adiecta obligationi charitatis est pretio æstimabilis; habere autem ex vi pacti aliquid pretio æstimabile, vsura est. ergo. Adde, id falsò Nauarr. *illo numer.* 223. & Couaruu. locis citatis, qui alios refert, docuisse licitum esse in pactum deducere, vt alius mutuet, quando tenetur ex charitate, vel gratitudine, modò explicet nullam intendi obligationem præter eam quæ sine tali pacto esset: nã hoc est implicitè in adiecto, quòd obligatio ex vi pacti orta nõ sit diuersa ab ea quę pertinet ad charitatem, vel gratitudinẽ.

AD primum verò argumentum Almaini respondetur; si pactũ illud validum esset, mutuatarium aliquid damni, mutuantem verò aliquid lucri ex vi pacti accipere: nam mutuãs accipit ius aliquod contra mutuatarium, & mutuatarius amittit libertatem, manétque subiectus mutuanti, ideo in eo euentu vsuram committit. Ad cõfirmationem verò eiusdem argumenti, negatur consequẽtia: quia quando deducit in pactũ, vt laboret alter pro pecuniis acceptis, exigit id quod aliàs erat sibi debitũ de iustitia ex vi cõtractus præcedentis, non verò cùm in pactũ deducit, vt laboret pro pecuniis accipiendis.

AD secundum Ioan. Andr. *regula peccatum. de regul. iur. in* 6. ait, eum qui in pactum deduxit, vt alius suo vteretur molendino, non teneri ad restitutionem totius quod pro vsu molendini à mutuatario accepit; sed quantùm reputat sibi valuisse illud commodũ quod recepit ex eo quòd mutuatarius vsus est molendino ipsius; & exponens ait: *intelligo autem per illud commodum, concursum gentium, & notitiam ac famam quam consequitur eius molendinum, & ideo tãtùm debet restituere, quantùm ipsi hoc valet, & quanta pecunia debuisset hoc emere.* Addit autem; *si ex frequentatione molendini aliquod dãmnum patitur mutuatarius; quia scilicet adire posset molendinum propinquius, aut in quo minorem solueret pensionem, illi deberet fieri restitutio, sin minùs verò, pauperibus.* Idem in frequentatione molẽdini, gymnasij, vel officinæ, & similibus euẽtibus tenet Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 7. §. 8. Ioan. de lynan. Calder. & Panor. *c. fin. de vsur.* Tabien. *verb. vsura. q.*

Digitized by Google

2. Grafis *1.p.decis.lib.2.cap.104.n.13.* aliíque nonnulli. Sed meritò reiicitur à Mol. *illa disp. 309.* Adriano 5. & aliis, quia in vsura tota obligatio restituendi oritur ex damno iniustè illato ipsi mutuatario: ergo pro ratione illius facienda est restitutio, & non pro ratione lucri quod cum nullo, vel modico damno mutuatarij ex eius opere prouenit mutuanti, Confirmatur, quia etiamsi mutuans nullum reportaret lucrum, restituere deberet damnum mutuatarij, vt non in pactum deduxisset, vt mutuatarius proprias segetes combureret, itáque fieret. Ergo non est attendendum per se ad lucrum mutuantis, sed ad damnum mutuatarij, & alioquin mutuans sæpe teneretur restituere plus quàm à mutuatario accepit.

PRÆTEREA quod dicitur de restitutione facienda pauperibus, ridiculum videtur, quia nullum ius habent. Vnde Sylvest. *verb. vsura. 1.q.* 7. ait, quod quidam dicunt restitutionem faciendam pauperibus, intelligi debere de consilio, non de præcepto. Alij probabiliùs ad argumẽtum respondent, in eo euentu restituendum esse mutuatario, quantùm valet obligatio remutuandi, vel aliud faciendi, & insuper restituendam eidem æstimationem aliorum damnorum, si quæ ex tali pacto incurrit. Ita Mol. *disp. 308. & 389.* Conrad. *q.* 220. Sot. Armil. Ioan. Medin. Lopez, Nauarr. Aragon, & Tolet. 5. & alij, quibus consonat Phriurgus, licèt ad priorem dicendi modum possit accommodari. Couaruu. verò nihil de restitutione dicit, licèt Mol. pro se illũ citet, sed nec iste modus dicendi mihi placet, quia tunc licèt mutuans fortè intẽderit imponere mutuatario obligationem iustitiæ, eandémque suscipere voluerit mutuatarius, tamen reuerà non habet obligationem ex vi iustitiæ. Ergo in hoc reuerà nullum patitur damnum, ac proinde pro hoc nulla restitutio ei est facienda.

CONFIRMATVR primò, quia si id ad quod mutuatarius se astringit, factum non fuerit, pro ea obligatione nihil est restituendum: ergo nec si factum fuerit; nam hoc est impertinẽs antecedens *illa disp. 309.* his verbis, vt docet Molina. Caiet. Ioan. Medin. Couaruui. & alij locis citatis rectè dicunt in his omnibus pactis in quibus dictum est interuenire vsuram, quando nihil ex parte mutuatarij executioni mandatũ est, teneri mutuantem liberare illum ab onere, ratione mutui ei iuncto, rescindendo quoad id contractum; nec ad aliam tunc restitutionem teneri, ad ídque in exteriori foro cogendum esse: si verò mutuatarius ex parte onus executioni mandauit, & adhuc aliquid oneris subeundum superfit, liberandum esse à parte illa, restituẽdúmque ei solùm esse quantùm onus quod subiuit, æstimabitur.

CONFIRMATVR secundò, quia idem Mol. eadem *disp. 309.* ait, quãdo re ipsa id (id est, obligari ad aliquid iusto pretio faciẽdum, vel emẽdum, &c.) nullũ esset grauamen, quia mutuatarij liberaliter suã operã pro illo pretio impendũt, ad nullã restitutionem mutuanté teneri. Ergo præcisè pro obligatione imposita à mutuãte nulla restitutio debetur, quia nullũ est grauamen, quando mutuatario nullum damnum ex ea prouenire potest. Pro quo etiã facit, quod ait Salon *hîc art. 2. controuers. 3.* obligationem

gationem ad remutuandum, quando ſine vlla incommoditate fieri poteſt, non eſſe pretio æſtimabilem, & ideo ſi à mutuante in pactum deducatur, non eſſe vſuram. Quò etiam ſpectat quod ait Bannez *art. 1. dub. 1. Quando obligatio ad mutuandum, vel emendum, nulli prorſus periculo exponit mutuaturum, vel empturum: & reuerà nullam incommoditatem poteſt illi afferre, non eſt pretio æſtimabilis, aliàs petenti mutuum poſſit quis dicere: Nolo mutuare hodie; ſed hodie me obligabo ad mutuãdũ cras, vel poſt menſẽ, & ratione huius obligationis etiam quando nullum incommodum ei afferri poteſt, pretium petere aquiualens vſuris: in quo euentu nemo* (inquit Bannez) *negabit tale pactum vſurarium eſſe.* Eò etiam ſpectat, quod ait Sa *verb. mutuum. n. 2.* referens eam opinionem quæ aſſerit licere aliquid accipere pro obligatione mutuandi, non auſus fuit eam approbare, quia videlicet quando ea obligatio nullum damnum mutuatario afferre poteſt, non eſt pretio æſtimabilis. Ex quo infero eam in pactum deducere, vſuram non eſſe, ac proinde in illo euentu nullam mutuatario eſſe reſtitutionem faciendam.

CONFIRMATVR tertiò: nam deducere in pactum emptionem, vẽditionem, locationem, cõductionem, ac ſimilia, ſine vllo damno mutuatarij, nõ inducere obligationem reſtituendi apertè tenet Sa *verb. mutuum. n. 3.* Supplementum Confeſſorum, Roſella, Angel. Adrian. Almain. Gabr. Antonin. Greg. Arim. Maior, & Sylueſt. ſupracitati à nobis, & ab ipſo Sylueſt. *illa q. 7.* & à Lopez *illo cap. 56.* qui eandem ſententiam probabilem putat; tum propter horum auctoritatem, tum quia ſecundùm Sot. & alios, ſi quis vim inferat fœminæ ad peccatum, ex quo nullum damnum incurrat, ad nullam reſtitutionem tenetur. Ergo ſimiliter ſi quis ex vi mutui cogat ad prædicta, & inde nullum damnum proueniat mutuario, ad nullam reſtitutionem tenebitur. Fauet Laurẽt. de Rodulf. nam licèt *quæſt. 35. de vſu.* dicat vſuram eſſe, in pactũ deducere remutuationem. & *quæſt. 38. vſque ad 40.* in pactum deducere frequentationem molendini, vel ſcholæ, & reſtitutionem faciendam eſſe non mutuatario, ſed pauperibus, vt tenent Panorm. & alij relati, quibus aſſentiri videtur Gab. s. tamen *q. 42.* cum Arimin. docet, eum qui in pactum deduxit cultum agri iuſto pretio faciẽdum, non teneri ad reſtitutionem, nec eſſe vſuariũ, quia ipſe nihil lucratur: quod ſecutus eſt Antonin. s. §. 10. quod malè explicat Sylueſt. *verb. vſura. 1. quæſt. 8.* tenens in eo euentu vſuram committi; quod licèt concederemus, non ſequeretur ſic mutuantem teneri ad reſtitutionem: nam ſicut in vſura mentali, qui nihil à mutuatario accepit, nihil reſtituere tenetur, vt docet Aragon *hîc art. 1. §. ſuppoſito iam.* Sot. *6 iuſtitiæ. quæſt. 1. art. 4. §. reſtat autem.* Nauarr. *3. de reſtitutione. cap. 2. dub. 3.* Molin. *tract. 2. diſput. 306. in principio*, dicens eſſe notiſſimum. Ita in vſura conditionali, ſeu reali dicendum eſt, quando mutuatario nullum damnum affert.

AD confirmationes autem quas argumentis Almaini adiecimus, reſpondetur. Ad primam, licèt mutuum ipſũ pretio à ſorte diſtincto non ſit æſtimabile, ſecus tamen obligatio ad mutuandum: ideo contractu mutui obligare ad mutuandum,

Digitized by Google

vsura est. Ad replicam respondetur ex paulo antè dictis cum Salone, Bannez, & Sa, obligationem mutuandi pro eo tempore quo nullum damnum tunc pati mutuans potest, non esse pretio æstimabilem, ideo nihil pro illa licitè recipi posse; secus pro obligatione ad mutuandum simpliciter, seu in eo etiam euentu quo mutuans damnum pati potest. Ad secundam confirmationem, concedo in eo euentu obligationē mutuandi non esse pretio æstimabilem, ideo in pactum licitè deduci posse. Ad tertiam confirmationem respondetur, auctores ibi citatos, quatenus superiori doctrinæ aduersātur, audiendos nō esse. In eaverò cōfirmatione duæ graues difficultates insinuātur.

§ PRIMA est, quomodo agrorum domini licitè cōtrahere possint cum colonis mutuo indigētibus? Respondetur variis modis. Primus est, vt domini anticipata pecunia emant coloni operas: hoc enim licitum est, vt latè, & egregiè probant Bannez *hîc art. 2. casu 1.* Salon *eod. art. controuers. 5.* dicens esse communem recentiorum. Grafis *p. 1. lib. 2. cap. 104.* Mol. *s. disput. 309.* contra Sot. *6. iustitiæ. quæst. 1. art. 2.* qui putat in eo cōtractu committi vsuram, quoniam anticipata solutio mutuū quoddam est virtuale; quare obligatio ratione illius vsuraria inducitur. Sed hæc ratio friuola est: nam quando ratione anticipatæ solutionis nihil minuitur de pretio iusto, nihil recipitur vt pretium mutui virtualis, ideo nulla vsura committitur, tametsi res ematur infimo pretio. Secundò, quando in contractu mutui non deducitur in pactū, vt colonus agrum conducat, aut colat, sed mutuum gratis ac liberaliter fit precedente, aut sequēte pacto, quo colonus operas suas locat, aut si in pactum deducitur, vt agrum colat, iam id erat debitum ex præcedētis locationis contractu. Tertiò, quando obligatio est reciproca, ita vt, sicut colonus obligatur ad conducendum, vel colendum iusto pretio agrum; ita dominus agri ad mutuandum pecuniam, vel triticum, &c. nam in hoc contractu nec vsura interuenit, nec iniustitia, modò onera sint æqualia. Quartò, quando obligatio tantùm se tenet ex parte coloni, dominus autem agri propter obligationem, quam colono imponit, minuit aliquid de pretio in contractu locationis, ita vt minùs fructuum agri exigat à colono: quos tres casus vltimos ponunt Salon s. & Bannez *casu 2.* Quintò, quando dominus per mutuum non inducit colonum ad conductionem agri, sed acceptat mutuum tanquam conditionem quam exigit colonus, vt se obliget ad colendum agrum. Ita Sylvest. *verb. vsura. 1. quæst. 8.* Secundùm quem id verum est, siue colonus illā cōditionē exposcat, quia nō potest aliter agrū colere, siue quia nō vult.

CONTRA hunc casum nonn. hil obmurmurare videtur Sot. *dict. art. 2.* sed prorsus sine fundamento. Sextò, quia colonus reuerà conducere vult agrum, quia tamen illud opere præstare non potest nisi in mutuum eidē daretur ad sumptus in agro colendo necessarios, vt ad semina, & boues emendos, &c. tūc enim vsura nō esset mutuò illi dare, cū pacto vt mutuans agrū conducat, quia tunc cōditio non est quasi in pactū mutui, sed potiùs ipsum mutuū & medium ordinatum, vt ille conducere possit agrum,

agrum, vt optat.

QVARE si tunc pretium locationis non excederet iustũ rigorosum, vtique nec vsura, neque iniustitia interueniret: licèt ergo vsura sit cùm pecuniæ, vel alterius rei indigentia premitur, nulláque ratione conducere agrum vellet, obligare mutuo, vt illum inuoluntariè mixtè conducat, non tamen si ille volens agrum conduceret, quia vtile sibi esse existimat mutuo ad conductionẽ obligari, quæ mutuanti quoque vtilis est. Ita sentit Mol. *disp.* 350. quod illustratur simili quodam: nam si timore cadente in constantem virũ inducitur aliquis ad matrimoniũ maximè vtile, contractus erit validus, quia timor nõ est propria causa illius, nam absq; illo fieret. Ergo similiter si quis per mutuũ obligatur ad contractum, quẽ optat tanquã sibi vtilẽ, verè manebit obligatus, & nulla erit vsura.

DENIQVE ratione dãni emergẽtis, & lucri cessãtis potest mutuans exigere à colono vltra sortem, conductionẽ sui agri, vel aliud pretio æstimabile, vt patebit in sequentibus. Per se autẽ loquẽdo deducere in pactum, vt mutuatarius se obliget ad conductionem agri cum detrimento quod aliàs nõ esset passur⁹, vsura est.

Num. 6. SECVNDA difficultas est, an licitum sit præfigere terminum mutui, apponẽdo huiusmodi limitationem: mutuo tibi interim, dum meum molendinum, gymnasium, vel officium frequẽtaueris? Respõdetur, in rigore hunc contractũ non esse vsurarium, neque illicitum. Adria. Maior, Ang. & D. Bernard. citati in illa confirmatione. Gab. 4. *d.* 15. *q.* 11. *dub.* 1. *art.* 3. Caiet. *hîc art.* 1. Mol. *tit.* 2. *de iustitia. disp.* 309. *in fin.* cuius hæc sunt verba, *si animus dantis mutuum non sit accipere auctirium tanquam pretium mutui, sed solùm non velle perseuerare in beneficio mutui cum eo qui rependere non velit illud, alius beneficium vteretur, nulla videtur vsura.* Vt tamen Caiet. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. ait, periculosa est appositio limitationis illius, quippe qua intendi videtur ex mutuo grauamen illud ac incõmodum, atque ideo erit diuadenda. Quòd si mutuans intelligat mutuatarium non ex gratitudine, atque liberalitate continuare gymnasium, aut molendinum, sed tanquam onus, & pretium ob mutuum, tunc vsura erit id vi mutui recipere cum onere restituendi, quantùm id æstimabitur, sicut vsura est accipere à mutuatario vi mutui quidpiã aliud pretio æstimabile: quòd si bona fide mutuans recepisset illũ in suo gymnasio, aut molendino, putans grato, ac liberali animo id efficere, tũc isti postea constaret de illiberali animo illius, ad nullam restitutionem mutuãs tenetur: quia nõ ad restitutionẽ pretij quod iustè pro tritico molẽdo accepisset, neq; ad restitutionẽ grauaminis, quandoquidẽ neq; ex parte iniustæ acceptionis, neq; ex parte rei acceptæ, quæ apud ipsũ nõ perseueraret, ad id tenetur. Mol. cui fauet *l. vino. ff. si certũ petatur.* vbi asseritur cuiuis licere prẽfigere terminũ mutui, & quidẽ si hoc faciat, vt seruet se indẽnẽ, quia scilicet nisi eo tẽpore mutuũ ei redderetur, damnũ incurret, certissimũ est; id quoque verũ est quando quod mutuatarius facturus est, vt mutuũ retineat, sine vllo suo detrimẽto facere potest, quãdo verò non posset sine detrimẽto, & solutio adueniẽte illo termino nõ esset necessaria ad indemnitatẽ mutuantis, vsuræ

speciem

Digitized by Google

ſpem habet,quia ex vi pacti, & non ex damno emergente, vel lucro ceſſante mutuans indirectè cogit mutuatarium,vt aliquid præter ſortem cum ſuo detrimento faciat. Vnde Sot.*6.iuſtitiæ.q.*1.*art.*2.§.*ſed pro contrariis*.putat in hoc euentu vſuram cõmitti,quia perinde eſt,ac ſi in pactũ deduceretur frequentatio molendini.Sed etiam in hoc caſu credo licitam eſſe illam præfixionem termini, quia ex vi pacti nulla libertas tollitur mutuatario:poterit enim mutuũ reddere,quãdo voluerit, & ita nullum lucrum cum ſuo detrimẽto mutuãti dare, quòd ſi illud dare voluerit ad vitandum aliud maius detrimentum,non faciet quaſi obligatus de iuſtitia, vel coactus pacto, ſed propria neceſſitate, ſicut quando ad obtinendum mutuum,vel eius prorogationem qua indiget, cõfert munuſcula, vel lucra aliqua mutuanti, quæ aliàs non conferret.

SED dices; ergo mutuare licebit ad tempus quo vltra ſortem mutuatarius qualibet hebdomada, vel mẽſe aliquid dederit.Reſpondeo, conſequenter eſſe concedendum: & in re idem erit mutuare cum pacto, vt reddere mutuum teneatur, quando mutuans illud petierit; ipſe autem petat cum viderit vltra ſortem nihil ſibi dari ex liberalitate, vel gratitudine;hoc autem licitum eſt: ergo & illud.

Num.7. EX his ſoluuntur aliæ difficultates.Sit ergo tertia in ordine;an vſura ſit,pretio aliquo emere à piſtore, vt meum molendinum frequentet? Reſpondeo negatiuè,quia ibi nullũ interuenit mutuum, ſed emptio iuſta.Sot.ꝫ.Anto.2.*p.tit.*1.*c.*7.§.8.Laurentius de Rodulfis *tract. de vſuris. q.* 41.Ioan.Andr.*regula peccatum.de regulis iuris. in* 6.§. *ad vndecim quæro.* Sylueſt.*verb.vſura.*1.*q.*7.*in fin.*Lopez *illo c.*56.*in fin.*Grafis *illo c.* 104. *n.* 5.*in fin.* Conrrad.*q.*36.*de contractib.*

QVARTA difficultas eſt de illis Num.8. qui veniente termino ſolutionis nolũt dare termini prorogationem debitori qui eſt iuramento aſtrictus ad ſolutionem,niſi data eis pecunia, vel aliquo æquiualẽte. Phriuurg. 2. *Summæ. lib.* 2. *tit. de vſuris. q.* 11.cum Reimund.*eodem tit.*§.4.Sed nũc quod ait illos eſſe vſurarios, teneríque ad reſtitutionem, licèt expreſsè non exigant,probat ex *c.conſuluit. de vſur.* & verũ eſt ſi illud recipiatur in pretium mutui, non verò ſi recipiatur, vel etiam petatur vt dandũ ex gratitudine,vel liberalitate, etiamſi eo nõ dato terminus ſolutionis prorogandus non eſſet.

QVINTA difficultas;an ſit vſura, Num.9. ſi mercator vendat ad terminum, ſeu credito per aliquod tempus pretio,vt plures emptores ad ſe trahat? Sylueſt. *verb. vſura.* 1.*quæſtione* 7. *& verb. vſura.* 2. *quæſtione* 1. cum Antonin. & Laurent. de Rodulfis, ait vſuram eſſe.Sed oppoſitum tenendũ eſt cum Molin.*diſput.*309.§.*Hinc facilè.*quia lucri intentio etiam principalis in mutuo formali,vel virtuali, quod in dicto caſu interuenit, vſura non eſt, quando nec in pactum deducitur,nec vt principale mutui intenditur,& recipitur.

SEXTA difficultas;vtrùm fas ſit Num.10. nulla alia ratione velle dare pecuniam mutuò,aut quoduis aliud, niſi mutuatarius in præſenti mutuet triticum, vel quidpiam aliud? Reſpondet Mol.*diſput.* 309. ſi id exigatur tanquam conditio ſine qua mutuans

Digitized by Google

tuans non vult mutuare, quia indignus est mutuatarius qui in præsenti non vult concedere mutuũ aliud quod ab eo exigitur, cui concedatur quod ipse petit, nullam interuenire vsuram, sicut licitum est tibi desistere è mutuo illi concedendo quẽ intelligeres animum habere non mutuandi vicissim in futurum: longè enim diuersa sũt exigere obligationem mutui in futurum, vt concedatur mutuum in præsenti, & exigere mutuum in præsenti tanquam conditionem sine qua non vult concedere mutuum, quod ab eo petitur: in illo enim primo ciuilis obligatio pretio æstimabilis postulatur tanquam mutuum, cuius obligatio cõmutari licitè non possit pro aliquo vltra sortem: quando autem mutuũ in præsenti exigitur, nulla exigitur obligatio; sed solùm mutuum, pro quo mutuans nihil potest vltra sortem accipere: & esto mutuantes sibi inuicem hoc modo de præsenti onus aliquod pecunia æstimabile sibi inuicem imponerent, quod falsum est, si tamen ea onera essent æqualia, fieret compensatio vnius oneris pro alio, ac proinde neque vlla in eo inueniretur iniustitia, neque vlla inde consurgeret obligatio restituendi. Hæc Molin. cui consonat D. Thom. & alij *art.* 2. ad quem Grafis 1. *p. lib.* 2. *c.* 104. *n.* 18. & alij dubio sequenti referendi.

Ex quibus etiã rectè colligit Molin. quãdo alicui duo mille aurei debebantur soluendi post duos annos, nullã interuenire vsurã, si debitor in fine primi anni cũ creditore paciscatur; soluam tibi mille statim, dummodò concedas, vt mille alij soluantur vno anno post terminũ præfixum, aut si è contrario creditor idem petat, & obtineat à debitore. Ratio est, quoniã id solùm est concessio de præsenti mutui vnius virtualis pro alio etiam virtuali de præsenti sine vlla obligatione mutuãdi iniuncta in futurum, etenim debitorẽ soluere mille aureos vno anno ante terminum præfixum est virtute mutuò illos dare creditori in totum illum annum.

Sed quid si cõtractus fieret hoc modo; nũc (scilicet in fine primi anni) soluo tibi mille, vt pro aliis mille expectes vsque ad finem tertij anni? Arag. *art.* 2. & Nauarr. *3. de restitut. c.* 2. *dub.* 4. dicunt contractũ esse vsurarium, quia mutuans virtualiter deducit in pactum quòd alius etiam virtualiter remutuet, & illũ obligat ad remutuandũ. Sed certè iste cõtractus communi omnium cõsensu iustus videtur, & ratio est, quia qui se obligat ad expectandã solutionẽ, nõ se obligat ad mutuãdum; sed statim mutuat, quia prorogat terminũ solutionis, quod est virtualiter mutuare; vnde in hoc cõtractu vnũ mutuũ datur pro alio, sicut in præcedenti, quẽ approbauit Mol. imò reuerà iste cõtractus ab illo nõ differt. Deinde, quòd Aragon, & Nauarr. dicunt hoc modo fieri posse, vt cõtrahẽtes quod intendunt, assequantur, videlicet si contractus ex quo debitum resultauit, rescindatur, & cũ nouis solutionis terminis renouetur, locũ nõ habet, quando debitum non resultauit ex cõtractu, vel cõtractus renouari nõ potest, vt si res empta iã esset cõsũpta, vel in dominiũ tertij trãslata. Periculosũ itẽ esse potest vni parti, quia altera fortè postea nollet renouare cõtractũ nisi cũ pacto renouatio

tionis reſciſſus ſit; ſine dubio autem ſi in eo contractu obligatio ſit reciproca, & æqualis ad mutuum virtuale, nulla erit vſura, vel iniuſtitia.

Num. 11. SEPTIMA difficultas eſt, quòd ſi mutuãs deducat in pactũ, vt mutuatarius iuſto pretio, infimo tamẽ, ſuas operas illi locet, aut vendat? Molin. *diſp.* 309. ait, ſi ille alium inuenire poterat, cui cariùs ſuas operas locaret, mutuãtẽ teneri ad reſtitutionẽ pro illo grauamine ampliùs, quàm ſi tantùm obligaſſet mutuatarium ad locandum ſuas operas abſolutè: ſupponit enim Molin. etiam in hoc ſecundo caſu, obligationem reſtituẽdi interuenire; quod iã diximus falſum eſſe, ſi nullũ dãnũ ex eo cõtractu mutuatarius incurrat. Certum tamen videtur, & Mol. conſonũ, quãdo mutuatarius nullũ inuenturus eſſet, cui cariùs ſuas operas locaret, non eſſe plus reſtituẽdũ, quàm ſi ad abſolutè locandũ duntaxat obligatus fuiſſet.

Num. 12. OCTAVA difficultas, cùm dixerimus obligationem ad mutuandum, vel vẽdẽdũ, &c. eſſe pretio æſtimabilẽ, ſequi videtur, vt qui mutuat centum per annũ cum obligatione non repetẽdi illa intra tale tẽpus, poſſit iniũgere grauamẽ, vt mutuatarius in futurum teneatur ad annum, aut ad breuius tẽpus tantũdem mutuare; & ſimiliter, vt qui formaliter, aut virtualiter mutuat cẽtũ per annũ, poſſit grauamen imponere, vt vltra pecuniã illam aliquid illi reddat, &c. Patet, quia obligatio nõ petẽdi mutuũ intra annũ eſt pretio æſtimabilis: cõſequẽs autẽ videtur abſurdũ. ergo. Aliqui concedunt ſequelã, negántque abſurditatẽ cõſequẽtis: ſed Mol. *diſp.* 108. *in fin.* ait hãc opinionẽ non ſolùm eſſe nouã, & inauditã, ſed etiã periculoſam ſatis, & quæ viã aperit vſuris: quid enim hoc aliud eſt quàm pro omni mutuo quod precariò non conceditur, vt ſcilicet ad concedẽtis libitum poſſit quocumque tempore reuocari, poſſe aliquid accipi vltra ſortem, atque adeò licitè accipi poſſe vſuram pro tali mutuo formali, vel virtuali? quid item id aliud eſt quàm pro extenſione maiori, vel minori temporis quo eiuſmodi mutuũ cõceditur, etiamſi nullum lucrũ ceſſet, vel damnum emergat, poſſe licitè accipi plus, vel minùs, atque adeò licitam eſſe vſuram pro quocumque mutuo, quod non conceditur precariò, quod tamen Scriptura, Cõcilia, Pontifices, & communis Doctorum ſententia damnat? Eſt igitur opinio hæc periculoſa valdè in fide, ne quid ampliùs dicatur. Addit Mol. apertè falſum eſſe fundamentum, cui nititur, nempe mutuare ad annum, eſſe mutuantem inducere ſuper ſe obligationem in futurum, quæ duret à principio mutui vſque ad annũ expletum; non enim hoc eſt inducere ſuper ſe obligationem aliquam, ſed ſolùm ex ſua liberalitate concedere beneficium mutui in totum id tempus; ſicut enim qui donat, traditque rem donatam, nullam inducit ſuper ſe obligationem in futurũ, eſto traditione eius rei à ſe abdicet poteſtatem ea re deinceps vtendi, aut fruẽdi; ita qui ad annum mutuat, nullam in ſe inducit obligationem conceſſione beneficij in totum id tempus, eſto inde ſequatur toto eo tempore neque vti poſſe re quam mutuat, neque poſſe illam repetere. Sed ſolutio hæc inſufficiens videtur, quia negari non poteſt ex vi illius contractus mutuantem manere obligatum ad

non

Digitized by Google

non repetendam pecuniam mutuatam toto eo tempore, siquidem peccauit repetens,& similiter in donatione.Explicandum est ergo cur pro hac obligatione nihil vltra sortem exigi possit, cùm non sit de essentia mutui,siquidem in mutuo precario non inuenitur. Respondetur ergo, ideo pro illa obligatione nihil exigi posse, quia ex eo sequerentur incõmoda, quæ ex vsura sequi diximus: nã pro mutuo precario nihil daret, sed pro mutuo acceptum tempus. Deinde, quia obligatio illa sufficiẽter compensatur obligatione reddẽdi mutuum,etiamsi res mutuata furto,vel infortunio pereat: nã mutuatario,& non mutuanti peribit. Item quia obligatio quæ non est incommoda mutuanti, non est pretio æstimabilis.

DVBIVM X.

An mutuanti vnum liceat in pactum deducere, vt mutuatarius statim aliud mutuet, emat, vendat, &c.

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio asserens hoc non esse illicitum, probatur n. 2.*

3 *Secunda, & vera opinio in tali euentu vsuram committi, nisi reciproca sit obligatio.*

4 *Ad argumenta in contrarium respondetur.*

Num. 2. PRIMA opinio est Victoriæ *hic art. 2.* qui, vt referũt Lopez,& Salon ẽ. docuit hoc non esse illicitum, eo quòd obligatio ad statim mutuandum, emendũ, &c. non est onerosa, nec pretio æstimabilis, cùm moraliter nihil duret, mutuatariúsque statim ab ea obligatione liberetur, atque obligationem ad mutuandum intra hebdomadam moraliter, esse ad mutuandum statim, ideo sine vsura posse in pactũ deduci. Quam sententiam tenet etiã Nauarr. *3. de restit. c. 2. dub. 4. illatione 2.* putátque esse D. Thom. *hic art. 2. ad 4.* vbi sic ait. *Repugnat mutuationi obligatio ad mutuum faciendum in posterum, quia etiam talis obligatio pecunia æstimari posset, & ideo licet simul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum faciendum in posterum.* Hanc opinionem esse verisimilem, & valdè probabilem tenet Bannez *art. 2. §. sed est specialis difficultas.* Conrrad. *in Summ. quæst. 225.* nonnullíque alij recentiores, qui suam sentẽtiam iis rebus cõfirmant.

Num. 2. PRIMA, non est simonia obligare alterum ad audiendam meam confessionem, vel celebrandum pro me, si vult me eius confessionem audire, vel pro eo celebrare. Ergo nec vsura obligare alterum ad mutuandũ vnũ, si vult me ipsi mutuare aliud.

SECVNDA, licitum est non vendere rem vnam nisi emptor se obliget ad vendendum aliam. Ergo & nolle mutuare rem vnã nisi mutuatarius se obliget ad mutuandum aliam.

TERTIA, quia obligatio ad continuò audiendam confessionem, vel Missam celebrandam, non est pretio æstimabilis, alioquin nõ esset simonia pro ea pecuniam accipere. Ergo neque obligatio ad cõtinuo mutuãdum.

QVARTA, si talis obligatio esset

Digitized by Google

pretio æstimabilis, posset dines aliquis petenti mutuum sub vsuris dicere; nolo mutuare sub vsuris, sed obligabo me ad mutuandum statim pro tali, vel tali pretio. Consequens est absurdum: ergo.

QVINTA, si obligatio ad statim mutuandum esset pretio æstimabilis, ergo ad statim vendendum, & sic posset quis vltra sũmum pretium rei venditæ aliquid exigere pro tali obligatione. Consequens est falsum: ergo.

Num 3. SECVNDA opinio & vera, in tali euentu vsuram committi nisi obligatio sit reciproca. Mol. *tract. 2. de iustitia. disput. 310. in princip.* Lopez *2. p. Instructorij conscientiæ. cap. 56. §. super hæc.* Salon *hîc art. 2. contro. 3.* Aragon *eodem art. dub. 1. casu 3.* Med. *quæst. 4. de vsuris. §. inde.* Sot. *6. iustitiæ. quæst. 1. art. 2. ad 1.* Idem insinuat Grasis *1. p. lib. 2. cap. 104. n. 18.* Imò Bannez, & Conrad. s̃. fatentur talem contractum suspectum de vsura esse. Ratio omnium est, quia obligatio ad statim mutuandum, emendum, &c. potest esse non minùs grauis, & molesta mutuatario, & vtilis mutuanti, quàm obligatio ad mutuandum, vel emendum, &c. In futurum ergo potest esse æqualiter pretio æstimabilis, ac proinde sicut est vsura ex pacto mutui obligare ad hæc in posterum facienda, ita ad statim. Neque oppositum docet D. Thom. s̃. sed potiùs hoc innuit: non enim ait licere mutuanti obligare alium ad statim mutuandum, sed simul posse ab eo aliquid aliud mutuò accipere. Præterea D. Thom. damnat omnem obligationem in posterum; reuerà autem omnis obligatio est in posterum aliquo modo. Ergo etiam damnat obligationem ad statim mutuandum.

CONFIRMATVR, quia sæpe magis onerosum est obligare se ad aliquid mutuandum, vel vendendum statim, quàm ad dandam illi postea aliquam pecuniam supra sortem: sed hoc est vsura; ergo & illud.

AD primum argumentum respondetur, licèt non sit simonia facere sacrum pro alio, vel audire eius confessionem, vt ille faciat sacrum pro me, vel audiat meam confessionem, quando nulla imponitur obligatio, vel est reciproca: tamen si sit obligatio non reciproca, simonia erit, siue sit obligatio ad rem in posterum faciendam, siue ad statim, quia datur, & recipitur temporale pro spirituali.

AD secundum, negatur consequentia: nam pro mutuo nihil potest accipi pretio æstimabile, secus pro re vendita, & pars pretij esse potest, vt alter obligetur ad quidpiam aliud vendendum.

AD tertium, negatur antecedens, & ad eius probationem respondetur, pro illa obligatione dicendi statim Missam pro alio posse recipi aliquid pretio æstimabile, iuxta quantitatem oneris quod suscipitur.

AD quartum, negatur sequela, quia in tali huiusmodi obligatio ad statim mutuandum, nullam affert incommoditatem: quando verò obligatio ad mutuandum non est incommoda mutuatario, non est pretio æstimabilis, vt docet Salon s̃. *conclus. 3.* Bannez *art. 1. dub. 1.* Emanuel *in Suma. p. 1. verb. empreſtito. cap. 111. n. 2.* quod etiam indicat Sa *verb. mutuum. n. 2.* Et hoc sæpiùs contingere

gere potest in obligatione ad statim mutuandum, quia facilius cernitur, an sit, vel non sit incommoda, ideo tunc pro obligatione ad mutuandum scilicet de præsenti, sæpius nihil recipi potest: idémque dicendum est de obligatione ad statim vendendum, emendum, &c. ex quo patet ad quintum.

DVBIVM XL.

An vsura sit in pactum deducere, vt mutuatarius pro me fideiussor existat?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*
2 *Explicatur doctrina conclusionis.*
3 *Aliis difficultatibus respondetur.*

Num. 1. RESPONDET affirmatiuè Salon *art. 2. controuers. 4.* Aragon *dub. 1. cas. 2.* Sotus *6. institit. quæst. 1. art. 2. ad 1.* Molin. *tract. de iustitia. disp. 319.* Nauarr. *5. de restit. cap. 2. dub. 4. illatione 3.* Grafis *lib. 2. cap. 104. n. 25. & 26.* Probatur, quia obligatio ad fideiubendum, vel in fideiussione inclusa est pretio æstimabilis: ergo vsura est vi mutui mutuatario eam imponere. Antecedens patet, quia talis obligatio maximis incommodis fideiussorem afficit, vt experientia constat, & propterea licitè vendi potest, & similiter licitè potest creditor pretiũ à fideiussore accipere, vt illum liberet à tali obligatione, vt cum multis docet Couarruu. *3. Variar. c. 2. n. 6. & 7.* Vega *verb. vsura. casu 13. & verb. fiadores. casu. 1.* vbi Emanuel *n. 4.* Lopez *in Instructorio negotiantium. cap. 34. ad fin.* Bapt. Cõrrad. *quæst. 226.* Conrad. *de contract. quæst. 40.* Nauarr. Angel. Sylvest. Armil. Anton. Laurent. de Rodulfis, Ioan Medi. statim citandi, & colligitur ex *l. hoc iure. §. 1. ff. de donation.* vbi Bart. communiter receptus, eã tenet Caiet. *hic art. 2. ad 4.*

SED conclusio, quam etiam tenet Num. 2. Tol. *5. Sum. cap. 29.* intelligenda est de periculosa fideiussione, seu obligatione ad fideiubendum, qualis moraliter, & vt plurimùm esse solet: si enim nullum prorsus habeat periculum, non erit vsura in pactum illam deducere, quia non est pretio æstimabilis, nec licitè vendi potest, vt expressè docent Couarruu. Contra. & Grafis ꝛ. & Lametinus Dauriæ *ad cap. nauiganti. de vsuris. pag. 18.* Salon *controuers. citata. in fine.* Sylvest. *verb. vsura. 7. quæst. 6. & verb. fideiussor. q. vlt.* vbi Armil. *n. 15.* Tabiena *num. 16.* Ang. *n. 20.* In idem inclinat Antonin. *2. par. tit. 1. cap. 7. §. 45.* cum Laurent. de Rodulf. inter quos tamen discrimen aliquod est: nam Angel. Sylvest. Tab. Armil. Antonin. & Laurentius putant in venditione fideiussionis non periculosa interuenire quidé iniustitiam, quia venditur obligatio, quæ nullius est valoris; non verò vsura, quia nihil accipitur pro mutuo, sed pro obligatione ad virtualiter mutuandum: nam fideiussio est obligatio ad soluẽdum pro alio, soluere autem pro debitore est virtualiter illi mutuare, & quòd debitor tenetur postea reddere quod à fideiussore pro illo solutum est. Couaruu. tamen, cui videtur consentire Salon, putat in

eo euentu vsuram committi, quia perinde est pretium accipere pro mutuatione, ac pro obligatione ad mutuandum non periculosa: & sic videtur intelligendum quod dixit D. Bernardin. *tract. de restitution.* relatus ab Antonin. 3. & à Ioan. Medin. 7. illicitũ, & vsurarium esse pro fideiussione pretium accipere; quod etiam ait Caballinus *q.* 31. *de vsuris. n.* 251. Quod verò ait *q.* 34. *n.* 257. creditorem posse pretium à fideiussore accipere, vt illum liberet à vinculo fideiussionis, de periculosa fideiussione intelligendum est. Pro qua Salon, Grasis, & omnes docent pretium accipi posse à fideiubente, & pro libertate concedenda fideiussori pretium accipi posse à creditore, imò fideiussionem, & obligationem fideiubendi, etiamsi periculosa non sit, pretio æstimabilem esse, & ideo vsurariè in pactum deduci tenet Molin. Arag. & Petrus Nauarr. 3. & Ioan. Medin. *q.* 4. *de vsuris. ad* 1 *principale.* §. *sequitur amplius.* Vega *verb. fiadores. casu* 1. & Emanuel *n.* 4. quorum aliqui malè id tribuunt Caiet. Sot. & Nauarr. Quorumcumque autẽ ea sit opinio, reiicitur ex dictis dubio 9. & 10. nam obligatio ad mutuandũ, vẽdendum, &c. quando non est alteri periculosa, aut incommoda, non est pretio æstimabilis, ideóque licitè potest in pactum deduci: ergo idem de fideiussione non incommoda, neque periculosa dicendum est. Et licèt talis esset etiam pretio æstimabilis, tamen rectè fatetur Molin. modico pretio æstimalem esse, ideo modicam iniustitiam esse, si in pactum deducatur. Id etiam certum est, fideiussorẽ vsurarium esse si pro solutione aliquid accipiat vltra sortẽ: nam solutio illa est mutuũ quoddam virtuale. Ita Nauarr. Mol. Arag. Salon, & Ioan. Med.

SED quid si aliquis est fideiussor fictus, & in veritate mutuator; fingit enim mutuum dare alij, & ipse fideiubet, vt pro fideiussione aliquid à mutuatario accipiat? Sylvest. *illa q.* 6. cum Anton. & Laurẽt. putat vsuram committi, quia accipit pro mutuo quod verum est, non pro fideiussione quæ ficta est. Idẽ signat Molin. 3. Existimo tamẽ, licèt in eo euentu sit iniustitia, vt etiã docet Saló, vsurã tamẽ nõ esse, quia nihil pro mutuo accipitur, sed pro fideiussione ficta, quæ nullius valoris est: & in hoc inclinat Nauarr. *cap.* 17. *n.* 285. & comment. de cãbiis *super c. fin de vsuris. n.* 7. licèt probabile putet vsurã esse. *Num.* 3.

SED quid si Petrus paratus est vendere, vel locare Ioanni aliquid sine fideiussione, ego verò suadeo Petro vt id non faciat nisi Ioan. me offerat in fideiussorem, vt necessitate cõpulsus det mihi aliquid pro fideiussione, quod inter me, & Petrũ diuidendũ est, vel Petro dãdum, vt me à fideiussione liberet? Salon, & Nauarr. id iniquum putant, & videndum est, quando fideiussio vel non est vera, vel non est periculosa, si tamen vera est, & periculosa mihi, quanuis Petrus me tacente esset sine fideiussore mutuaturus, vel venditurus, nulla interueniret iniustitia, & quãuis fideiussio esset ficta, nulla interueniret vsura; sed sola iniustitia: in quod magis inclinat Nauarr. licèt probabile putet, vsuram quoque interuenire; similiter, quãdo fideiussio non est periculosa, probabilius existimo in eius vẽditione interuenire quidẽ iniustitiam, nõ tamen vsuram, quia fideiussio nõ est mutuatio verè, sed

sed obligatio mutuandi. Vsura autē in mutuatione tantùm inuenitur.

SECVNDO, dico deducere in pactum, vt mutuatarius fideiussoré adhibeat, quando necessarius est ad debiti assecurationem, licitū esse, quia mutuāti licitum est se indemnē seruare exigendo pignus, scripturā, iuramentum, fideiussoré, &c. Aragon *art. 2. dub. 1. cas. 3.* Ioan. Medin. *q. 1. de vsuris. ante §. lucrū.* Quādo verò non est necessarius, inquiunt, & vsurariū est exigere illud à mutuatario, quia ex vi mutui iniustè vexatur. Salon *controuers. citata in fin.*

IVXTA hæc mutuare decem ei qui debebat alia decem, sed negabat eo pacto, vt syngrapham faciat pro 20. non est vsurarium, quia nihil lucri ex mutuo accrescit, sed debitum recuperatur. Sylvest. *verb. vsura. 1. q. 10.* Grafis *p. 1. lib. 2. c. 104. n. 20.* Nauar. *c. 27. n. 209.* Maior *4. d. 15. q. 23.* aliàs *29. initio.* Med. *1. Sū. c. 14. §. 23.*

DVBIVM XII.

An pactum vt mutuatarius liti cedat, à debito petendo desistat, iniuriam remittat. &c. vsurarium sit?

SVMMARIVM.

1 *Si alter me iniustè in iudicium vocat, ledit, &c. licitum est ei mutuum dare, vt liti cedat.*

2 *Quod pactum vsurarium non sit.*

3 *Pactum, vt mutuatarius in honore læsus iustam vindictam in iudicio non petat, vsurarium est.*

4 *Non erit vsura in pactum deducere, vt mutuatarius non exigat pecuniariam satisfactionem, quando iniuria illata fuit in solo corpore, honore, vel fama.*

5 *Aliud pactum licitum.*

DICO primò, si alter iniustè me in iudicium vocat, persequitur, lædit, aut vexat, licitum erit ei mutuum dare, vt liti cedat, à vexatione, vel debito petendo desistat. Aragon *art. 2. dub. 2. circa 3. resolutionem.* Salon eod. *art. controuers. 2. in fin.* Sot. *6. iustitiæ. q. 1. art. 2.* Medina *1. Summæ. cap. 14. §. 13.* Ioan. Med. *quæst. 1. de vsuris. §. lucrum.* Bapt. Conrrad. *q. 222.* Caiet. *verb. vsura exterior.* Antisiodorens. *3. Summæ. tract. 26. c. 1. ad fin.* Vega *verb. vsura. c. 1. cas. 5.* Armil. *n. 2.* & alij, quia tunc mutuans nihil pretio æstimabile accipit, sed suam iustam redimit vexationem, quod cuique licet. *cap. dilatus. 2. de simo.* Imò rectè addunt Vega, & Armil. mutuo redimi etiam posse vexationem proximi, vt cùm vexatur propter debitum quod reuerà nō debet. Si verò quis paciscatur, vt mutuatarius debitū, vel partē debiti liquidi, vel dubij à iudice non petat, vsura erit, vt docēt Sot. Salon, Ioan. Medin. Cōrrad. Vega, Armil. & alij. *Num. 1.*

DICO secundò, pactum, vt mutuatarius offensus desistat ab iniusta vindicta, quam propria auctoritate sumere vult à mutuante, vel ab aliis damnis, quæ iniustè ei infert, non est vsurarium. Patet ratione præcedentis conclusionis, id quod docet Molin. *tract. 2. de iustit. disput. 307.* Vega *verb. vsura. casu 6.* Emanuel *part. 1. cap. 111. n. 4.* vterque Medin. s. Nauarr. *3. de restitut. cap. 2. dub. 13.* & alij. *Num. 2.*

DICO tertiò, pactum, vt mutuatarius in honore, aut fama læsus iustam vindictam in iudicio nō petat, vel si iam eam litem mouit, ab ea desistat, vsurarium est. Hoc est contra Sotum s. qui ait, cessationem ab actione *Num. 3.*

Digitized by Google

actione iusta, quam mutuatarius aduersùs mutuantem habebat, in pactum deducere, vsuram nõ esse: quoniam, licèt iactura honoris, & famæ pecunia compensari possit, solet tamen per amicitiam condonari. Idem docet Sylvest. *verb. vsura.* 1. *q.* 11. cum Antonin. & Laurent. de Rodulfis, qui tamen minùs clarè loquuntur. Idem tenet Nauarr. *c.* 17. *n.* 237. dicés, si pactum sit de remissione iniuriæ quoad pœnam quam mutuatarius iustè potest exigere, vsurarium non esse, quia pœna ante latam sententiam non debetur; si tamen sit de remissione iniuriæ quoad compensationem damni illati, vsurarium esse, eo quòd cõpensatio illa ante omnem sententiam debetur. Cõclusionem tamen nostram tenent Molin. Aragõ, Conrrad. Ioan. Medin. Emanuel s. Vega *casu* 6. Conrrad. *de contract. q.* 37. Nauarr. & Salon s. Bannez *hic art.* 2. Angles *q. de contractu mutui. art.* 1. Lopez 2. *p. Instructo conscientiæ. c.* 56. Angelus *verb. vsura.* 1 *n.* 3.

PROBATVR, quia licèt pœna ante datam sententiam nõ debeatur, ius tamen ad illam exigendam est aliquo pretio æstimabile, cuius cessio non erat debita de iustitia: ergo si in pactum deducatur, vsura committetur. Quòd autem iniuria interdum soleat per beneuolentiam cõdonari, impertinens est, vt quando in pactum condonatio deducitur, vsura non sit: etenim pecuniæ, & res aliæ pretio æstimabiles solent aliquando per beneuolentiam condonari; tamen id non obstat quominùs quando in pactum earum condonatio deducitur, vsura non sit. Nec verò refert quod Antoni. & Laurent. s. dicũt, alterum vindictam petẽdo peccare, non enim semper peccat, & licèt interdum peccet contra charitatem, quia vindictam appetit, non vt iustam, sed vt hosti noxiam, tamẽ vsura est in pactum deducere, vt alter omittat, quod non ex iustitia, sed ex charitate tantùm committere tenetur.

IOAN. Medin. s. generatim ait, vsuram esse si quis mutuet deducendo in pactum, vt mutuatarius cesset à iusta persecutione qua mutuantẽ persequitur in iudicio, vel extra. Sed fortè quando ex illa iusta persecutione nihil commodi reportat ipse, neque amicus, neque cõsanguineus, nec affinis, nec Respub. cessatio illa quanuis mutuanti vtilis, posset sine vsura in pactum deduci, quia non videtur pretio æstimabilis. Verius tamen puto etiam in hoc euentu vsuram committi, quia in qualibet punitione iusta, qui iniuria affectus fuit, bonum iustæ vindictæ reportat: cedere autem iuri benefaciẽdi cuicumque proximo, videtur pretio æstimabile.

DICO quartò, quando iniuria illata fuit in solo corpore, honore, vel fama, non erit vsura in pactum deducere, vt mutuatarius non exigat pecuniariam satisfactionem. Videtur contra Nauarr. Lopez, Arag. Molin. & alios s. qui quoniam putant, quando hæc in proprio genere compensari non possunt, obligationem esse ad compensandum in pecunia, consequenter vsuram esse eorum remissionem in pactum deducere. Ego verò, quia cum multis aliis in materia de restitutione docui, quando hæc non possunt in proprio genere compensari, non esse obligationem compensandi in pecunia, censeo

Num. 4.

cesso non esse vsuram in pactum deducere, vt alius non petat pecuniam compensationem per modum compensationis, secus in iudicio petendum pœnæ, quia compensatio, vt sit, non est illi debita de iustitia, quamuis forte mutuatarius oppositū opinetur. Idem est de iniustitia adulterij, incarcerationis, detentionis coactæ ad ludendum, formicandum, &c. quando non habent alia damna coniuncta, in quibus clara res est. Nā licèt Sotus, Lopez, nonnulliq; alij dicant læsionē corporis, famæ, & honoris, quando proprio genere compensari nequit, in pecunia cōpensandā esse, de præfatis iniustis oppositum censeo.

Num. 5. QVINTO dico, quando propter dubietatem causæ certum esset mutuatarium maiores ipso debito expensas in lite facturum, non esse iniustitiā in pactum deducere, vt à lite desisteret, quia talis cessatio non esset pretio æstimabilis, eo quòd non esset illi incōmoda, sed potius vtilis, quamuis etiam esset mutuanti vtilis.

restituere præcise pro obligatione mutuæ mutuatario.

5 Quandoquis ex pacto mutuauit Regi, vel magistratui non tenetur officium resignare.

6 Quidam obiectioni respondetur.

DIVVS Thom. opusc. 21. ad Num. 1. Ducissam Brabantiæ sic arguit: *si hoc pacto mutuum dans, vt officium accipiat, absque dubio pactum est vsurarium, quia pro mutuo accipiunt officij potestatem. Vnde in hoc datur ei occasio peccandi, & ipsi etiam tunc tenetur resignare officium taliter acquisitum.*

ADRIAN. tamen in 4. tract. de vsuris, ex his subiungit nam industria, labores, & expensæ officialis exaquent, vel excedant stipendium, & alias eius vtilitates, ait non esse vsuram in pactum deducere officium, sicut neque in pactum deducere, vt mutuatarius iusto pretio aliquid emat, vendat, loceț, &c. Si verò stipendium, & vtilitates officij excedant industriam, labores, & expensas officialis, pactum ait esse vsurarium quoad illū excessum, qui quidem restituendus est, sed officium non esse abdicandum; sicut quando aliquis vendit excedens in pretio, licèt teneatur excessum restituere, non tamen inualidus est contractus venditionis, aitque D. Thom. 2. 2. loqui quando valor officij industriam, &c. excedit, quia loquitur de officiis venalibus, qualia nō sunt, quæ nō valent plus quàm industria, labores, & expensæ officialis. Itaque quātùm attinet ad peccatū vsuræ, existimat se nō sentire cōtra D. Thom. secus quātùm attinet ad officij resignationem.

ARAGON autem hic art. 2. dub. 2. circa 1. concl. 1. tenet vsuram esse cum pacto, vt Rex officium

DVBIVM XIII.

An sit vsura cum obligatione restituendi, si quis mutuet, cum pacto vt mutuatarius ei conferat temporale officium?

SVMMARIVM.

1 Variæ sententiæ Doctorum referuntur.

2 Qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius conferat temporale officium, committit vsurā, etiamsi labor aut opera impendenda superet officij valorem.

3 Quædam cōclusionis prædictæ limitatio.

4 Mutuans cum tali pacto, nihil tenetur Ioan. de Salas.

cõferat, siue iusto pretio, siue gratis, hoc est, nullo adhibito pretio præter industriam, labores, & expensas officialis. Probat, quia tunc mutuans ex pacto aliquid accipit vltra sortẽ, scilicet ius ad tale officium. Réxque dat illi obligationem pretio æstimabilem, & amittit libertatem, & ius ad dandum, vel non dandum gratis, vel pro pretio alteri ad libitum. Dubitat autem vlteriùs Aragon, an tale officium resignandum sit; & pro parte affirmatiua argumẽtatur, quia vsurariè acceptum relinquendum, & restituẽdum est; sed tale officium est vsurariè acceptum: ergo, ité, quia simoniacè accepta sunt restituenda, & relinquenda: ergo & vsurariè accepta. Cùm ergo tale officium vsurariè acceptum sit, relinquendum, & restituendum est. Quibus tamen nõ obstantibus, quem omnino sequitur Cõrrad. *in Summa q.* 220. affirmat nullam esse obligationem resignãdi officium, sed tantùm restituẽdi aliquid ad arbitrium boni viri pro grauamine obligationis, quod vltra sortem accepit. Probat, quia vbi est rerum æqualitas, locum non habet obligatio restitutionis; sed in casu posito siue officium detur pro iusto pretio, siue gratis, vt alteri dandum erat, est rerũ æqualitas quãtùm attinet ad ipsum officium: ergo qui illud accepit nõ tenetur ad ipsius restitutionẽ. Confirmat; nam vsurarius tantùm tenetur ad restitutionem eius quod vltra sortem accepit. Sed in casu posito tantùm accepit vltra sortem ius ad officium: ergo pro illo solo iure tenebitur restituere. Ex quibus solutum putat primum argumentum.

Ad secundum verò ipse, & Conrad. respondent, non esse simile: nam demonis (scilicet realis) est lex cõstituta, quæ obligat ad restitutionem cuiuscumque beneficij Ecclesiastici per simoniã acquisiti. Ecclesia enim quæ est domina seu administratrix beneficiorum, non vult simoniacum realem comparare beneficiorũ dominium. De vsura verò tantùm est lex, quæ obligat ad damni restitutionem. Cùm igitur in eo euentu mutuatarius nullum patiatur damnum, non est ei restituendum, neque officium resignandum.

PRIMA conclusio; qui mutuat eũ pacto, vt mutuatarius conferat temporale officium, vsuram committit, etiamsi labor, & operæ imponendæ æquent, vel superent valorem officij. Ita Aragon, & Conrad. 5. Mol. *disput.* 310. *in fine*. Caiet. *verb. vsura, cap.* 2. *casu* 8. Armil. *n.* 4. Syluest. *q.* 5. Sot. 6. *iustitia. quæst.* 1, *art.* 2. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 223. Calderin. *cap. fina. de vsuris*. Medin. 1. *Sũme. c.* 14. §. 13. *casu* 8. Ioan. Medin. *quæst.* 4. *de vsur.* § *inde sequitur*. Salon *hic art.* 2. *controuers.* 2. Grasis *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 104. *n.* 8. & 9. Nauarr. 3. *de restitution. cap.* 2. *dub.* 6. Lopez 2. *p. Instruct. cap.* 56. *in princip.* Angles *quæst. de mutuo. art.* 1. *ad* 2. Patet, quia ex vi mutui imponere mutuatario obligationem pretio æstimabilem, vsura est; sed in hoc euẽtu ita contingit, præsertim quando mutuatarius esset ipse officialis, qui ex officio magnum emolumentum esset percepturus, vel esset fortè venditurus officium, aut quia iam ad id facultatem habebat, aut quia iam ipsam facilè obtinere poterat. In quibus casibus magnum patitur detrimẽtũ, ideo manifestissima est vsura, & obligatio restituendi damna, vt notant Molin. & Nauar. Cõfirmatur Num. 2.

conclu

conclusio, quia vi mutui obligare ad mutuandū, emendū, &c. vsura est, vt dubio 9. vidimus: ergo ad conferendum temporale officium.

Num. 3. Hæc tamen conclusio limitanda est iuxta dicta dubiis præcedētibus, vt quando obligatio non est periculosa, aut incommoda mutuatario, illam in pactum deducere vsura nō sit. Secundò limitat Nauarr. dicens, si pactum esset, vt statim fieret collatio officij non excedentis operas, nō esse vsurarium, iuxta ea quæ superiùs dixerat ipse Nauarr. obligare ad statim mutuandū, emendum, &c. non esse vsuram. Sed iam dubio 10. ostendimus obligare ad statim mutuandum, &c. vsuram esse posse, licèt vsura non sit quando ea obligatio non esset periculosa, aut incommoda mutuatario; quam exceptionem ipse Nauarr. facit illo dubio cum Angel. *verb. vsura. q. 5.* dicēs, quoties mutuatarius nō grauatur occasione mutui, vel alterius contractus, vsuram non esse illud in pactum deducere, quia vsura est essentialiter iniustitia, & quasi furtum: vbi autē in nullo lædit tur, vel grauatur proximus, nulla est iniustitia, aut quasi furtum; ergo neque vsura. Item, quia si esset vsura, restituendū esset nō pauperibus, sed mutuatario, vt rectè Couarru. *regul. peccatum. p. 2. in princ. n. 4.* Sed quando mutuatarius nullum damnum passus est, nihil est ei restituendum: ergo. Quæ Nauarr. rationes eodem modo procedunt, siue obligatio ad mutuandum, emendum, conferendum officium, &c. sit ad statim, siue in posterum: ergo idem in vtroque euentu dicere debuisset.

Num. 4. Dico secundò, mutuans cum tali pacto nihil restituere tenetur præcisè pro obligatione imposita mutuatario. Est contra Mol. Caiet. Asmil. Nauarr. Arag. Conrad. Barthol. Medin. & Grafis; aliósque qui in hos, vel similibus euentibus pro obligatione vsurariè imposita, mutuatario aliquid restituendum censent, quos iā dubio 9. ad argumenta reiecimus.

Num. 5. Dico tertiò, quādo quis eo pacto mutuauit Regi, vel magnati, non tenetur officium resignare. Est Adriani, Aragonis & Conrad. contra D. Thom. Molin. Ioan. Medin. Lopez, & Grafis oppositum docentes, eo quòd tūc collatio officij à mutuatario facta, inualida fuit propter inuoluntarium admixtum; ac proinde insufficiens ad trāsferendum dominium officij in mutuantem, sicut quando quis ex pacto mutui vltra sortē accipit equum, non cōparat eius dominium: sed certè non est eadem ratio, nam licèt contractus merè gratuiti, ad quos ex vi mutui vltra sortem mutuatarius obligatur, cuiusmodi sunt donatio, institutio in hæredem, vel legatarium, resignatio officij in fauorem alicuius, inualidi sint, ideó. que mutuans accepta ex vi eorum, vel æquiualentia restituere mutuatario teneatur: tamen si contractus sint onerosi, cuiusmodi sunt emptio, venditio, locatio, cōductio, & contractus innominati, do vt des, facio vt facias, do vt facias, facio vt des, validi sunt, ideóque accepta à mutuante ex vi illorum restituenda sunt, nisi fortè mutuatarius plus dederit, quàm receperit; in quo euentu excessus solùm restituēdus est, iuxta doctrinam omnium Doctorum, eorū præsertim quos dubio 9. retulimus, & Foan. Medi. Adria. Nauar. & Grafis ā. Cùm ergo officij collatio-

onerosa sit, quia recipiés officiũ, ad eius administrationem, & interdum ad expensas aliquas tenetur, valida erit, etiamsi non nihil inuoluntarij, ex parte mutuatarij, & non nihil iniustitiæ ex parte mutuantis habeat, sicut quidam dicunt contractus factos metu graui directè, & iniustè incusso, si gratibi sint, inualidos esse: si onerosi, validos, tamen si auctoritate iudicis, rescindendos, quia ad gratiosos plus volũtarij ex parte coacti, vel minùs iniustitiæ ex parte cogentis requiritur. Hinc Nauarr. Caiet. Nauarra, Bart. Medina, Armil. Sot. Sylu. & Calder. s. de resignatione officij per vsuram extorti à Rege nullam mentionem faciunt:

Num. 6. DICES, saltem si officij valor industriam, laborem, ac expensas officialis excedat, ille excessus mutuatario restituendus erit, vt si rem ex vi pacti vsurariè emisset pluris quàm valeret, excessus restituendus esset, ita in præsenti casu concedunt Ioan. Med. Petr. Nauarr. Adrian. & Grasis s. Sed existimo ex fructibus officij nihil restituendum esse, quod videtur de mente Mol. Nauarr. Caiet. Armil. & Lopez absolutè negantium officij fructus restituendos esse, licèt Lopez dicat hoc in parte nõ carere difficultate, videtur esse de mente D. Thom. & cæterorum quos suprà retuli, qui de restitutione fructuũ officij nihil prorsus dicũt. Probatur autem, quia id tantùm restituendũ est mutuatario in quo damnum passus est; sed in his fructibus nullũ damnũ passus est, neque enim illos, neque aliquid pro illis erat habituros, vt suppono, quoniam vel non poterat, vel certè si maluerat statuerat officium non vendere ergo nihil tenetur restituere; & hoc intendunt, rectéque probant Aragon, & Conradus, si tamen quis vi mutui cogeret aliquem, vt quod decreuerat in vita, vel morte dare pauperibus, ipsi daret, teneretur mutuatario restituere. Et similiter si vi mutui cogeret, vt quod decreuerat dare Petro, daret Paulo: nã hi contractus gratiosi sũt, ideo si ex vi mutui fiant, erunt inualidi. Tunc autem pauperibus restituendum non esset, quia nullum habebant ius ad rem, neque iniustitia vsuræ contra illos directè fuit. Si verò per vim, aut fraudem, vel iniustum metum cadentem in constantem virum directè fuisset aliquis coactus ad non donandum, quibus donare decreuerat, violentiæ, metúsue, aut fraudis illator ad restituendum illis teneretur, quia per iniustitiam directè in illos commissam damnum passi sunt. Ita omnes in materia de restitutione. Similiter si officialis, vel qui erat officiũ venditurus, coactus fuit per vsurarium contractum resignare officium in fauorem mutuantis, vel ipsi illud conferre, mutuans tenetur damnum totum resarcire; quia omne damnũ vsurariè illatum mutuatario, restituendum illi est. Imò quanuis in eo euentu, quo ipse mutuatarius collator est, non sit ei resignandum officium, quia collatio fuit valida, eo quòd est contractus onerosus, tamen in eo euentu, quo mutuatarius erat officialis, ipse tenebitur mutuãs, si potest ei officium reddere, quia eius resignatio tanquã contractus merè gratiosus per vsurã extorta nulla fuit: ac proinde etiã collatio quæ tali resignationi nitebatur. Præterea certum est, & à Ioan. Medin. Grasis, Molin. omnibusque concessum,

concessum, si quis vi mutui aliquem obligauit, vt vltra sortem contractum aliquē iniret, ante initū contractum deberē mutuatariū suæ libertati relinquere, explicādo se iam nolle ex vi mutui illum cogere ad contractum celebrandum. Denique, vt rectè ait Mol. quòd mutuans indignus esset officio, teneretur restituere Reipublicæ, aut partibus quibuscum agit administrando tale officium, damna omnia quæ ex insufficientia ipsius illis proueniunt, nihil verò collatori, qui solùm est dispensator, seu distributor publici illius muneris.

DVBIVM XIV.

An mutuare cum pacto, vt mutuatarius conferat Ecclesiasticum beneficium, vsura, vel simonia sit?

SVMMARIVM.

1 *Propriè dictum vsura est.*
2 *Et propriè est simonia.*
3 *Quædam obseruatio.*

Num. 1. NAVARRVS *c.* 17. *n.* 207. existimat non esse propriè vsuram; quia nihil temporale per mutuum acquiritur, sed spirituale, esse tamen simoniam. Dico tamen primò esse propriè vsuram. Aragon *hîc art.* 2. *dubio* 2. *circa primam conclusionem.* Emanuel 2. *p. cap.* 59. *n.* 3. Ioan. Medin. *q.* 4. *de vsuris.* §. *inde sequitur.* Mercad. *tract. de vsuris. c.* 7. Bart. Medin. 1. *Summa. cap.* 14. §. 23. Lopez 2. *p. Instructor. c.* 56. §. *adde.* Grafis 1. *p. cap.* 104. *n.* 8. Nauarr. 3. *de restitut. cap.* 2. *p.* 2. *dub.* 6. Angles *q. de contract. mutui. art.* 1. imò & ipse Nauarr. *in Sum. cap.* 17. *n.* 210. Probatur, quia illa obligatio adimit libertatem præsentanti, vel collatori, ac proinde est pretio æstimabilis: ergo eam habere ex vi mutui est vsura. Item, quia ipsum beneficium habet aliquid tēporale annexum, nimirum prouentus, & reditus, ratione cuius expetitur: ergo vsura est illud in pactum deducere. Confirmatur, quia beneficium est ius percipiendi reditus; ergo est aliquid temporale, quapropter eius venditio non est simonia de iure naturæ, sed tātùm de iure positiuo: ergo illud deducere in pactū est vera vsura, quod apertè significat Sot. 6. *iustit. q.* 1. *art.* 2. Conrrad. *in Sum. quæst.* 220.

Num 2. DICO secūdò, esse etiā simoniam. Ita Petrus de Nauarra, Nauarrus, & Aragon sup. Bannez *hîc art.* 1. *ad.* 2. Lopez, & communiter recentiores hîc, & in materia de simonia; quod apertè etiā indicat Sot. & Conrrad. 3. Probatur, quia licèt mutuum non sit æstimabile pretio, quia tamen est contractus temporalis, temporalia afferēs emoluměta, nō solùm autem est simonia commutare res spirituales pro pecunia, vel aliquid quod sit pecunia mensurabile, sed etiam pro quolibet tēporali cōmodo, & emolumento, irrogatur tamē iniuria rebus spiritualibus, quoties pro tēporalibus cōmodis accipiūtur, & ideo Christus dixit, *gratis accepistis, gratis date.* Et licèt Petrus Nauar. loco citato docuerit, deducere in pactum collationem, vel præsentationem beneficij statim faciendam, non esse vsuram, quia obligatio ad statim cū modico tēpore duret, nec propriè sit obligatio, eo quòd omnis obligatio propriè dicta in posterū est, non est pretio æstimabilis: tamen hæc limitatio non est admittenda, vt patet ex dubio 10. & sequentibus.

Num. 3. OBSERVANDVM tamen est, fructus beneficij sic accepti restituendos esse; quia collatio fuit nulla, vt docet Ioan. Medin. ẽ. Arag. & Conrrad. citati dubio præcedenti: demptis tamen laboribus, & expensis, quæ semper defalcanda erunt, vt ait Ioan. Medin. ẽ. & Grafis ẽ. *n.* 9. & omnes in materia de simonia.

DVBIVM XV.

Vtrùm mutuanti liceat in pactum deducere amicitiam, beneuolentiam, vrbanitatem, & earum signa, & effectus?

SVMMARIVM.

1 *Quid sentiat D. Thomas.*
2 *Actus interni amicitiæ, & beneuolentiæ non possunt per se cadere sub obligatione ciuili orta ex pacto.*
3 *Si possemus ad prædictos actus internos ex pacto obligare, vsura esset in pactum illos deducere.*

Num. 1. QVOD attinet ad amicitiam, & beneuolentiam, pars affirmatiua videtur D. Thom. *hîc art.* 2. vbi postquam dixit, *si quis accipiat aliquid pecuniæ mensurabile, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione & pacto tacito, vel expresso, sed sicut gratuitum donum, non peccat*, &c. subiungit, *recompensationem verò eorum quæ pecuniæ non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta beneuolentiam, vel amorem eius cui mutuauit, vel aliquid huiusmodi.* Vbi si verbũ *exigere* non significat petere quasi debitum ex pacto tacito, vel expresso, sed vt donum gratuitum, non potest constare discrimen positum à D. Thom. inter res pecuniæ, & non pecuniæ æstimabiles. Eodem ferè modo loquitur *tract. 2. de iustit. disp.* 303. Bannez *hîc art.* 2. *in princip.* Calderin. *cap. fin. de vsuris.* Sylvest. *verb. vsura. 1. q. 5.* imò Sot. 6. *de iustitia. q.* 1. *art.* 2. quem imitatur Arag. *hîc art.* 2. *dub.* 1. *circa 3. conclusionem in fine.* & expressiùs Conrrad. *q.* 220. & 221. At impossibile esse verum amorem in pactum deducere, licitum tamen esse in pactũ deducere amicitię signa, vt putà quòd mutuatarius non tibi noceat, affabilem, ac vrbanum se præbeat. Consonat Lopez 2. *p. c.* 56. §. *hinc sequitur.* asserens, non esse vsuram mutuare hac conditione, vt nunquam mutuatarius ab amicitia mutuantis recedat (quia amicitia non est æstimabilis pretio) nisi aliquam obligationem ciuilem aliquo actu amicitiæ ratione mutui velit superinducere. Et §. *adde*, ait amorem, & amicitiam inappretiabilem esse.

Dico tamen primò, actus internos amicitiæ, & beneuolentiæ non posse per se cadere sub obligatione ciuili orta ex pacto. Ita Sot. Bannez, Aragon, Mol. & Conrrad. ẽ. Salon *art. 2. controu. 2. conclus. 1. & 4.* Val. *disput. 5. q. 21. p. 2. §. circa 3.* Probatur primò; sicut actus interni non possunt per se cadere sub præcepto humano, ita nec sub contractu humano, & obligatione ciuili orta ex illo. Secundò, quia id solùm cadit per se sub obligatione ciuili, ad quod per se potest iudex compellere; sed ad actus internos non potest sic compellere, ergo non cadit sub obligatione ciuili. Quod etiam tenet Villalpanda *q. 2 5. de vsur. in fine.* Abulensis Matth. Num. 2.

Matth. 25. q. 184. Caiet. *verb. vsura. c. 2. casu 1.* Et fortasse id volunt D. Thom. & reliqui supracitati, cùm aiunt amicitiam, & beneuolentiam non esse pecunia æstimabilem: quod etiam docet Medin. 1. *Summa. c.* 14. §. 13. *cas.* 1. & Ioan. Medin. *quæst.* 1. *de vsuris.* Nauarr. *c.* 17. *n.* 207. Gab. 4. *d.* 15. *q.* 11. *art.* 1. Phriuurgus 2. *Summa. tit.* 7. *q.* 2. aliique communiter.

Num. 3. Dico secundò, si ad prædictos actus internos possumus ciuiliter & ex pacto obligare, vsura est in pactum illos deducere. Ita Val. & Abulen. 3. Probatur, quia omnis obligatio ciuilis est pretio æstimabilis; ex pacto autem mutui accipere, vel intendere aliquid pretio æstimabile, vsura est. Confirmatur primò, quia licèt beneficia Ecclesiastica, & alia spiritualia nó sint pecunia æstimabilia, tamen quia obligatio ad illa est pecunia æstimabilis, deducere ea in pactum est vsura. Ergo similiter licèt interim actus amicitiæ, & beneuolentiæ non sint pecunia æstimabiles, tamen quia obligatio ad illos est pecunia æstimabilis, vsura erit in pactum illos deducere. Confirmatur secundò, vera amicitia, & beneuolentia efficax est vtilis: ergo si potest in pactum deduci, consequenter potest in pactum deduci eius effectus, vt quòd quis cedat actioni iniuriarum, &c. quod est absurdum, cùm non solùm obligatio ad illos, sed etiam ipsimet sint pretio æstimabiles. Quo argumento rectè Bannez, Val. Lopez 3. Salon *illa controuers. 2. conclus. 3. & 4.* contra Sot. Conrad. Arag. docent effectus externos, & signa amicitiæ, & beneuolentiæ vsurariè in pactū deduci: & Angles *q. de contract. mutui. art.* 1. ait: *mutuans alteri pecuniam hoc pacto, & lege, vt nunquam ab eius amicitia recedat, quia ex illa aliquod temporale commodum, beneficium scilicet, vel suffragium sperat, vsurarius est, quoniam non tam amicitiam, quàm temporale beneficium exigit.* Tamen non probo quod ait 8a *verb. mutuum, n.* 3. tunc mutuare cum pacto remittendi iniuriam, si non pro iniuria debeatur aliquid pretio æstimabile, licitum esse: nam licèt pro iniuria nihil debeatur, cedere tamen actioni iniuriarum est aliquid pecunia æstimabile, ideo non potest in pactum deduci, vt latè dubio 12.

Num. 4. Dico tertiò, tamen si obligatio ciuilis absoluta, seu illimitata ad amicitiam, vel beneuolentiam, vel ad eius signa, & effectus, vsurariè deducatur in pactum, secus tamen conditionalis seu limitata ad prædicta, quando sine periculo, incommodo, cura, vel molestia mutuatarij præstari possint: nam talis obligatio non est pretio æstimabilis, sicut neque obligatio ad mutuādum, emendum, &c. quando id sine periculo, & incommodo mutuatarij fieri possit, vt patet ex dubio 9. & sequentibus. Idem est de effectibus pertinentibus ad vrbanitatem, comitatem, affabilitatē, dignationem, &c. quos inter ea quæ non sunt pecunia æstimabilia numerant Sot. Bannez, & Conrad. indicátque D. Thom. asserens, amicitiam, & beneuolentiam, & alia eiusmodi non esse pecunia æstimabilia.

Num. 5. Ad testimonium D. Thom. quod secundæ conclusioni aduersari videtur, respondetur primò, solùm velle vsuram esse pretio æstimabilia petere, vt debita ex pacto tacito, vel expresso, non verò petere beneuolentiam,

Digitized by Google

lentiam, & quodcumque, vt ex benevolentia conferendum. Ita interpretatur Caiet. hic. Respondetur secundò, velle vsuram esse, absolutè petere, & exigere pretio æstimabilia, quia cùm illa possint, & soleant in pactum deduci; quando absolutè exiguntur, in pactum deduci videntur, secus quæ nō sunt pecunia æstimabilia. Ita interpretatur Val. & ait ita indicare Sot. nec immeritò, quia Sotus nunquam dixit in pactum deduci posse amicitiam, & benevolentiam, licèt id concedat de eius effectibus. Respondetur tertiò, velle amicitiam, & benevolentiam, & eius signa, & effectus in pactum deduci posse, quando obligatio esset ita stricta, & limitata, vt nullū posset incommodum mutuatario afferre. Vtcumque sit, rectè Val. docet non esse mētem D. Thom. quòd amicitia, & benevolentia possit simpliciter in pactum deduci: tum quia superflua esset eius doctrina; cùm vulgò non soleamus sic exigere: tamen si res externas, quæ solent facilè ab alio in alium transferri, & in quibus facilè apparet æqualitas, iustitiæ, tū quia iniusta esset talis petitio, eo quòd mutuans vellet quantùm in se est, imponere obligationem pretio æstimabilē. Quod verò Ioan. Medin. & Nauarr. ſ. & alij dicunt, pecunia æstimabilia non posse intēdi ex mutuo, alia verò posse, falsū est: iā enim superiùs ostendimus licitum esse pecunia æstimabilia sperare, & intendere ex mutuo etiam spe, & intentione principali.

DVBIVM XVI.

An pactum, vt mutuatarius comitetur vxorem mutuātis, vel vt mulier copiam sui faciat, vsurarium sit? & quid de nonnullis aliis pactis.

SVMMARIVM.

1. *Quoduis obsequium intendere vt pretium mutui, vsura est cum obligatione restituendi obsequij æstimationē.*
2. *In pactum deducere, vt mulier copiam sui faciat, vel oscula, & amplexus turpes admittat, vsura est.*
3. *Deducere in pactum, vt mutuatarius aliquid det pauperibus, vsura est.*
4. *Ne licet deducere in pactum, vt mutuatarius cantet coram mutuante, aut negotia eius gerat.*

5. 6. 7. 8 *Circa varios casus varia notanda.*

Dico primò; non solùm mutuum cum pacto, vt mutuatarius vxorē mutuantis ad Ecclesiam comitetur, vel quoduis aliud obsequiū præstet, sed etiam sine pacto commodi, tanquam pretium mutui intendere, vsura est cum obligatione restituendi æstimationem obsequij, quod fuerit ea ratione præstitum: nam obsequia sunt pretio æstimabilia, quæ tamen licet essent in pretium mutui exhibita, si postea qui illa præstiterunt, recompensationem æstimationis illorum nollent, non essent necessariò compensanda ob expressam, vel tacitam ipsorum remissionem: obsequia verò ex liberali Num. 1.

Digitized by Google

ralitate, & gratitudine pro mutuo exhibita restitutioni obnoxia non sunt, quin potiùs licitè accipiuntur. Hæc omnia Mol. *disput.* 37.

Num. 2. Dico secundò, in pactum à mutuante deduci, vt mulier copiam sui faciat, vel oscula, & amplexus turpes admittat, vsura est. Arag. *art.* 2. *dub.* 2. *circa* 3. *conclus.* Sot. 6. *iustitiæ. q.* 1. *art.* 2. Lopez 2. *p. Instructorij. c.* 56. *q.* 3. Vega *verb. vsura. casu* 8. Mol. *disput.* 310. & 307. addens primò, si ea ratione mulier sui copiam fecerit pro obsequio, restituendum esse, nisi postea intelligatur illam nullum velle pretium. Secundò addit, si mutuans id ab illa non peteret, vt pretiũ mutui, sed ex gratitudine & liberalitate, qui tamen non esset mutuaturus nisi eam liberalitatem, & gratitudinem speraret, ad nullam fortè restitutionem teneri, esto illa non consentiret, nisi & mutuum obtineret, & esto talis esset, quæ libèter acciperet obsequij pretiũ, si offerretur. Sed potuisset Molin. sine formidatione id dicere, quia copia illa tunc nó deducitur in pactum, nec petitur, aut accipitur vt pretium. Ergo nulla interuenit vsura iuxta superiùs dicta.

Num. 3. Dico tertiò, deducere in pactũ, vt mutuatarius aliquid det pauperibus, vsura est; nihil enim refert si in pactum deducam lucrum meum, vel amici, vel consanguinei, vel alterius proximi, modò sit cum detrimento mutuatarij. Ita Antisiodorens. *lib.* 3. *tract.* 26. *c.* 1. *ad finẽ.* Sylvest. *verb. vsura.* 1. *q.* 3. Vega *verb. vsura. casu* 7. Conrr. *q.* 223. Sot. *illo art.* 2. Angles *q. de contractu mutui. art.* 1 Alensis, & alij. Confirmatur ex *c. super eo. de vsuris.* vbi dicitur, neque pro redimẽdis captiuis licitũ esse aliquid vltra sortem exigere. Sic etiam vsura est in pactum deducere, vt mutuatarius non mihi, sed alteri mutuet. Emanuel *p.* 1 *c.* 111. *n.* 5. vbi etiã rectè docet, quod dub. 10. docuimus, vsurã esse in pactũ deducere, vt mutuatarius statim aliud remutuet, vendat, &c.

Num. 4. Dico quartò, nõ licet in pactum deducere, vt mutuatarius coram te cantet, aut psallat, aut negotia tua gerat, aut pro te oret Principẽ. Arag. *art.* 2. *dub.* 2. *circa tertiam conclus.* Molin. *disp.* 310. Conrr. *q.* 223. quia hæc obligatio est pretio æstimabilis. Limitãt Sot. 5. & Vega *verb. vsura. casu* 11. nisi res essent tã exiguæ, pro quibus non consueuit pretium repẽdi. Sed limitatio est nulla, quia ad vsurã satis est obligare ad rem pretio æstimabilẽ. Melius limitaretur, nisi talis obligatio nullam molestiam, laborem, curam, periculum, vel incõmodũ afferret mutuatario, quia tunc licèt esset vtilis mutuãti, nullo pretio æstimabilis esset, vt dubio 9. & 10. docuimus cũ Bannez & Sa, quibus adiicio nũc Emanuelẽ 1. *p. c.* 111. *n.* 2. Vegã *verb. vsura. casu* 76. Arag. *hac q.* 78. *art.* 1. *ad* 3. *arg. pag.* 668. Eadẽ ratione nó licet in pactum deducere, vt mutuatarius sit meus scriba, aduocatus, vel medicus, vt Rex, vel Respub. me liberet à iustis tributis, collectis, vel impositionib. (secus ab iniustis) nec mutuare centũ ea lege, vt mutuatarius illa, vel alia teneatur exigere à debitore mutuantis, à quo nó facilè extorquebũtur: nec mutuare frumẽtũ, quod ab hoc loco lõgè distat, ea lege, vt mihi in hac ciuitate reddatur, quia omnes istæ cõditiones sũt onerosæ, & pretio æstimabiles. Arag. *illo art.* 2. Sot. 5. Vega *verb. vsura. casu* 9. & 10. Lopez *illo cap.* 56. Caiet. *verb. vsura. cap.* 2. Tol. *lib.* 5. *cap.* 30. Salon *art.* 2. *controuers.* 2. *in fin.* Conrrad. *illa*

Digitized by Google

q.223.Molin.*disp.*310.Nauarr.*c.*17. *n.*223.Angles ſ.

Num 5. SED circa hos caſus aliqua notãda ſunt.Primum, circa caſum illum de mutuãte Regi, vel communitati ſub conditione,vt quandiu mutuum non ſoluitur,ipſe non ſoluat collectas, vel alias impoſitiones, malè Guillerm.tamen Specul.*tit. de vſuris. verb.finali*, abſolutè docuiſſe,pactum illud non eſſe vſurarium, quia mutuans non agit de lucro captãdo,ſed de damno vitando, quod vitare poterat:malè etiam Abulenſ.Matth. 5. q.229.& Angel.*verb.vſura.*1.*n.*8.diſtinguere, vt ſi collectæ ſint certæ, pactum ſit vſurarium,ſecus ſi dubiæ: nam vitare damnum,etiam dubium, lucrum quoddam eſt: ergo in pactũ deducere eius vitationẽ, vſura erit, quando tale damnum ſecundùm iuſtitiam inferendum eſſet. Vnde melius dicunt,ſi onera illa ſint iuſta,deducere in pactum liberationem ab illis,vſuram eſſe,ſecus ſi iniuſta. Ita Armil. *verb. vſura. n.*5.Caiet.*c.*2.*caſu* 9. Vega *caſu* 11. Lopez *illo c.* 56. Sotus,& Aragon *illo art.*2.*dub.*2.*circa* 3. *conduſ.*Med.1.*Summ.c.*14.§.23.*caſu* 9. Emanuel *p.*1.*c.*111.*n.*8.Grafis *p.*1.*lib.* 2.*c.*104.*n.*10.Sylueſt.*verb.vſura.* 1.*q.* 9.Tol. Molin. Salon ſ. Angles *q. de mutuo.art.*1.Caiet.*hîc art.*2.*ad* 1. Non autem eſſet vſura mutuare præfigẽdo terminum mutui,donec nõ exigãtur gabellæ,&c.iuxta dicta dubio 9. ad arguméta,*difficultate* 2.quia in hoc euentu nulla imponitur obligatio præter redditum mutui præfixo tẽpore, quod etiamſi tunc non reddatur,ad nihil per ſe loquẽdo,& ex vi pacti tenetur mutuatarius. In priori autẽ euẽtu ex vi pacti tenetur gabellas remittere dum mutuum non ſoluit.Sed quid ſi in aliqua ciuitate ſtatutum fuiſſet, vt mutuanti certã pecuniam gabellæ remitterentur, aut aliquod munus daretur, eſſẽtne vſura mutuare ad illud conſequẽdum? Angles *illo art.*1. ait, tale ſtatutũ eſſe iniuſtum,quia crimen eſt vſurariũ; ſed fallitur vehementer, quia mutuans non ex pacto mutui, ſed ex liberalitate Reipub. auctirium recipit; quod meritò Reſpublica offert, vt ad officium mutuationis incitet.

SECVNDO, circa illum caſum de *Num. 6.* mutuante centum ſub conditione quòd mutuatarius illa, vel alia teneatur exigere à debitore mutuãtis, à quo non poſſunt facilè extorqueri, Mol.*illa diſp.*310.*caſu* 3. obſeruat, ſi mutuatarius non inuoluntariè miſtè, ſed ſua ſponte ſuſcipiat mutuũ, in eiuſmodi debito, vel quia ipſe facilè illud recuperabit, vel quia ex gratitudine, & libera libertate vult onus illud ſuſcipere ob mutui beneficium,tunc neque vſuram eſſe, neque iniuſtitiam, eſto mutuãs offerat genus tale mutui, cedátque in ipſius commodum.

IN dubio autem, an plena libertate acceptetur,peccatum eſſe putat mutuare cum intẽtione illud auctirium recipiendi,& poſtquam fuerit datum,reſtitui debere:quod intellige,ſi poſt inquiſitum dubium adhuc manet de mutuatarij libertate, vt 8.dubio dictum eſt.

TERTIO,circa illum caſum de *Num. 7.* mutuante triticum quod eſt in loco diſtanti,ſub conditione, vt detur in hac ciuitate,vel in aliã cum maioribus laboribus,& expenſis deferẽdũ eſt, vel plus valebit, obſeruat Mol. reſtituendum eſſe pro grauamine,& valoris incremento.Itẽ, quòd ſi mutua

Digitized by Google

tuatarius indigeret tritico in alio loco, quod facilè hîc persolueret, vbi tantundem valoris habet, non erit vsura mutuare in alio loco cum pacto, vt hîc solueretur, quoniã id reuerà non tã esset mutuũ, quàm iusta cõmutatio tritici in vno loco, pro tritico in alio cum beneficio expectandi solutionem, & cederet cõtractus in commodũ vtriusque; & quãuis cederet in cõmodũ solius mutuãtis, si non redũdaret in detrimẽtum, & grauamẽ mutuatarij, satis id esset, vt neque contractus iniustus esset, neque ad restitutionem obligaret. Ego credo, quanuis ille esset verus contractus mutui, & non commutationis, vt certè non est, quia triticum reddẽdum à mutuatario reuerà manet sub eius dominio, & si pereat, illi est periturum, non esse vsurariũ; quia illa obligatio cùm non sit incõmoda mutuatario; sine vsura potest in pactũ à mutuante deduci, iuxta dicta dubio 9. & sequentibus.

De mutuo verò tritici in vno tẽpore, vt soluatur in alio in quo plus valebit, postea dicemus.

Num. 8. Quarto nota, si quis ita præfigat terminum mutui, vt ante tale tẽpus non possit à mutuatario reddi, vsuram esse; quia grauamen hoc est pretio æstimabile: potest enim esse valdè noxium mutuatario.

DVBIVM XVI.

An vsura sit mutuare cum pacto, vt mutuatarius partem mutui quod pecunia petit, recipiat, vel reddat in mercibus, & an vsura sit viliori pretio merces emere pecunia numerata ab eo cui iam creditо maiori pretio venditæ sunt, qui cõtractus ipse dicitur Mohatras.

SVMMARIVM.

1 *Mutuò petẽti viginti dare decẽ cũ pacto, vt alia recipiat in mercibus, vsura est.*
2. 3 *Quædam ab auctoribus inferuntur, quædam disputantur, & varia quæstiones dissoluuntur.*
4 *Secunda conclusio.*

Prima conclusio: mutuò petẽti viginti dare decem cũ pacto, vt alia recipiat in mercibus, vsura est. Sot. *6. iustitiæ. q.* 1. *art.* 2. *col.* 5. Bannez *hic art.* 2. *casu* 6. Salon *controuersia* 6. idem indicat Caiet. *eod. art.* & clariùs *verb. vsura. c.* 2. *casu* 10. Vega expressè *eod. verb. casu* 12. & 13. Medin. 1. *Summæ. c.* 14. §. 23. *cas.* 10. Molin. *tract.* 2. *de iustitia. disp.* 310. *casu* 2. Conrrad. *q.* 223. Grasis 1. *p. lib.* 2. *c.* 104. *n.* 13. 14. 15. Lopez 2. *p. Instructor. conscientiæ. c.* 57. & *lib.* 1. *Instructo. negotiantium. c.* 34. Tol. *lib.* 5. *c.* 30. Patet, quia mutuare cum pacto, vt mutuatarius aliquid emat, vsura est, vt dubio 9. diximus; sed recipere partem mutui quod petitur, in mercibus, est eas emere; ergo hoc deducere in pactum, vsura est. Conclusionem bene limitat Vega, vt quando mutuatarius mercibus indiget, non sit vsura deducere in pactum, vt eas emat, scilicet iusto illo pretio, quo eas esset ab alio empturus: tunc enim cùm obligatio nõ sit mutuatario incommoda, deducere eam in pactũ, vsura non erit, iuxta dicta dubio 9. & sequentibus. Si verò incõmoda esset mutuatario, vsurariè in pactũ deduceretur, mutuánsque teneretur ad restituẽda damna sequẽtia; pro ipsa tamẽ obligatione precisè nihil restituere teneretur, quicquid dicat Mol. Num. 1.

Digitized by Google

vt patet ex dubio 9. ad argumenta.

Ex hac conclusione inferunt Sot. Mol. Grafis, Vega, Bannez, Lopez, & Salon, vsurarios esse mercatores qui mutuò dant Regi ad soluenda stipendia militibus, ea lege, vt aliquam partem mutui accipiat in mercibus, quia vi mutui grauant Regé accipere eas merces, quibus non indiget, quásque nó esset aliàs empturus. Prę terquàm quòd aliæ iniquitates vsurariæ in hoc contractu interuenire solét. Prima, quòd propter expectatã solutionem cariùs multo eas merces Regi vẽdunt, seu eius vice militibus, quàm si pecunia numerata eas aliis vẽderent, ita vt latitudiné iusti pretij excedant; & interdũ merces tradunt diminutas, vitiosas, aut corruptas, & interdũ illas simul, & in magna copia vẽdũt, ac proinde liberantur à labore vendendi minutim, nec propterea minus pretiũ exigũt, quàm si integras, sanas, incorruptas, atque minutim, & diuisim vẽderét. Secunda, quia exigũt aliquid ratione lucri cessantis, cùm tamẽ nullũ, vel minus lucrũ cesset, quàm quod illi exigunt. Tertia, quia cùm Rex eodem pretio merces illas militibus tradat quo ipse à mercatoribus accepit, redundat eorum iniquitas in magnũ militum detrimentũ, qui cogũtur viliùs merces vẽdere, vt sibi necessaria cõparẽt, aut certè ipsiusmet Regis, qui, si nouerit merces nõ iusto pretio vendi militibus, tenebitur illis damnũ resarcire, imò etiam tenebitur resarcire damnũ quod patiuntur recipiendo stipendiũ in mercibus iusto pretio venditis, quòd vel viliori pretio eas emerent, vel quia eis non indigent, coguntur eas distrahere viliori pretio, quàm emerunt, sine diligentia Regis hoc damnum patiuntur, secus si absque Regis culpa contingat, vt non recipiant stipendium in pecunia, quia non potest Rex in pecunia tunc soluere, & ipsi nolunt expectare quousque illam habeat, eligúntque potiùs statim stipẽdium recipere in mercibus iusto pretio venditis, quod si mercatores excedunt, damna militum non Regi, sed mercatoribus imputabuntur. Sic etiam non semper peccant nobiles qui famulis salarium soluunt in mercibus sumptis à mercatore, vel in aliis rebus quibus non indigent, & quas viliùs venditurí sunt, vt comparent sibi necessaria, quanuis eos nobiles peccare cum onere restituendi absolutè dicant Vega *verb. vsura. casu* 13. Emanuel *p.* 2. *cap.* 48. *n.* 10. Angles *quæst. de vsura ratione emptionis. art.* 1. *difficult.* 1. *in fin.* addentes etiam mercatores qui hæc vendunt nobilibus, peccare cum onere restituẽdi famulis. Sed si mercatores iustum pretium seruent, non video qua ratione teneantur famulis restituere, etiam cùm dicendum restituere tenentur. Si verò mercatores ipsi manualibus soluant in mercibus quas non facilè, vel minori pretio venderent, restituere illis tenerentur, vt docet Conrad. *q.* 223. quia possunt, & debent si aliter pactum non fuisset, in pecunia soluere.

Referunt tamen Salon, & Lopez, illum mercatorum cum Rege contractum iustum à Nauarr. existimatum fuisse; & certè dupliciter iustè cum Rege, vel quouis alio contrahere possent. Primò, non dando beneficium mutui, nisi ei qui priùs sine vllo mutuantis pacto cõtuliſſet, vel conferre proposuisset beneficiũ emendi

emendi ipsorum merces, iuxta dicta in fine dubij 7. & dub. 9. ad argumenta *difficultate* 7. Secundò, vt inquiunt Salon, Bannez, & Lopez, Penna, & Molin. hunc in modum; petit aliquis mutuò centum à mercatoribus, dicunt ipsi, non possumus, vel nolumus mutuò dare tantam pecuniam, sed mutuabimus 50. sine vlla obligatione emendi merces, & si volueris totidem, dabimus in mercibus, vel totum quod mutuò petis, dabimus in mercibus pro summo pretio ad creditum venditis, non vitiosis, vel corruptis: in quo contractu nihil vltra sortem exigitur ratione mutui formalis, aut virtualis, interuenítque vsura, vel iniustitia; idémque erit si simul lucrum verè cessans, vel damnum verè emergens in pactum deducant, licèt contingere possit, vt peccent contra charitatem non subueniendo per mutuum proximo, vel Reip. extremè, aut grauiter indigenti, sed per venditionem mercium, quæ illi est maximè noxia, quia multo viliori pretio merces sunt vendendæ, vt optimè notarunt Salon, Bannez, Lopez, Penna, qui etiam rectè dicunt, tunc nullam interuenire vsuram, licèt mercatores videant merces multo viliùs aliis vendendas: quia ad hoc non cogunt pacto, sed cogit necessitas ementis. Idem docet Mol. Caiet. *verb. vsura. c. 3. casu* 10. Angel. *verb. vsura. 1. n.* 60. Conrad. *quæst.* 157. Nauarr. *cap.* 7. *n.* 241. Nauarr. Marcado, Palacios, Sylvest. Garsia, & Angles statim referendi.

Num. 2. An verò iidem mercatores possent illas merces emere viliori pretio ab eo cui illas vendiderunt? Quidam emptionem istam absolutè damnant, vt vsurariam. Mercado 2. *de contractibus. cap. vlt.* Medin. 1. *Summ. cap.* 14. §. 23. Tol. *lib.* 5. *cap.* 31. quibus nonnihil fauet Cord. *in Summa. quæstione* 79. *dicto* 2. *in fine.*

Svadent primò, quia vendere centum vlnas panni ad creditum pretio summo, & iterum numerata pecunia eas emere pretio infimo, perinde est ac si mercatores mutuarent minus, exacturi amplius: ergo vsuram committunt. Secundò, quia communis populi opinio est, hos malè agere, præsertim si merces nondum traditas emptori infimo pretio redimunt.

Tenendvm tamen est stando in iure naturæ, eiusmodi emptionem vsurariam, aut iniustam, aut illicitam non esse. Nauarr. *c.* 17. *n.* 241. & *cap.* 23. *n.* 91. Lopez, Bannez, Salon, Molin. & Angel. ẽ. Sylvest. *verb. vsura. 2. q.* 4. Nauarr. *3. de restitut. cap. 2. p. 1. dub. vlt.* Pala. 4. *de contractib. cap.* 12. *ad medium.* Franciscus Garsia *p. 1. de contract. cap.* 22. Angles *q. de vsura ratione emptionis. art. 1. diffic. 6.* Emanuel *p. 2. cap.* 85. *n.* 9. *concl.* 5. Probatur, quia si alter easdem merces emeret infimo pretio pecunia numerata, nullam committeret iniustitiam: ergo neque ipse mercator qui priùs eas vendidit; non enim factus est deterioris conditionis ad emendum per hoc quòd vendiderit iusto, imò etiam iniusto pretio.

Respondet Tolet. argumẽtum nihil valere: nam mercator obligat emẽtem vt ipsi vendat, neque aliter ei venderet vlnas panni, nisi essent ipsi mercatori reuendendæ. Sed hæc solutio nõ satisfacit: pono enim mercatorẽ in pactũ nõ deduxisse, vt em-

Digitized by Google

ptor eidē, vel ſociis, vel aliis merces reuenderet, & eſſe eodem pretio venditurum, etiamſi ſciret non fore ipſi, vel ſociis, vel aliis reuendendas.

CONFIRMATVR, in eo euentu duplex tantùm eſt contractus, ſcilicet venditio, & emptio, & vterque omnino iuſtus, quia in vtroque ſeruatur iuſtitia pretij, in neutróque aliquid pro mutuo vltra ſortem exigitur: ergo nulla interuenit vſura, aut iniuſtitia, licèt aliquando per accidens interueniat peccatum contra charitatem, vt Nauarrus, Nauar, Salon, Lopez, aliique notarunt.

QVIDAM hanc ſententiam limitant, vt, ſi mercator merces ad creditum vendit, animo iterum eas ab eodem emendi viliori pretio pecunia numerata, vſuram palliatā committat; quoniam eo ipſo animus illius eſt mutuum pecuniæ ea via palliare, ex quo incrementum vltra ſortem accipit, ſecus ſi ſimpliciter venderet non cogitans emere, & emptor non inueniens alium emptorem, venit eidem vendere. Ita Mol. Sylueſt. Ang. Lopez, Emanuel, Garſia, Bannez, & Salon. Sed facilè reiiciuntur, quia quod licitum eſt facere, licitum eſt intendere, vt dubio 5. cum multis oſtendimus: ſed licitum eſt ſic emere; ergo & id intendere. Alio modo limitat Nauarr. *illo n.* 241. vt vſura ſit ſi mercator principaliter intendat merces emere, & fortè intētionē principalē vocat quādo ſine ſpe emptionis non eſſet ad creditum venditurus, in quo euentu vſuram eſſe etiam docet Angles, & ſaltem hoc vult Toletus. Sed facilè ij etiam reiiciuntur: nam, vt eodem dubio 5. oſtendimus, quod licet intendere minùs principaliter, licet etiam principaliùs intendere. Vnde nec Nauarr. nec Palacios, nec Conrad. ſ. nec ipſe Nauarr. poſtea *cap.* 23. *n.* 81. ſuperiùs ſententiæ illam limitationem appoſuit.

NEQVE refert intentionem fuiſſe, aut non fuiſſe à mercatore manifeſtatam: nam ſi intentio eſt iuſta, non reddetur iniuſta per hoc quòd manifeſtetur: & patet ex dictis dubio 7. & 8. quanuis cautè manifeſtanda ſit, ne vſura præſupponatur vbi non eſt, & ſcandalum, aut ſupplicium ſequatur. Omnes tamen concedunt, ſi mercator ad creditum vendat pretio exceſſiuo, vel ſummo cum pacto retrouendendi ipſi, vel ſociis, vel aliis infimo pretio, aut pro pecunia numerata, vſuram eſſe. Quod etiam docent Armil. *verb. uſura n.* 19. Cajet. *ibi. cap.* 3. *caſu* 5. Item ſi mercator, poſtquam merces vendidit, inueniat eas in aliqua officina, vel foro venales, ſeu venditioni expoſitas, poſſe eas emere numerata pecunia viliori pretio, ingenuè fatentur Mercado, Garſia, & Lopez.

ET ſtando tamen in iure poſitiuo huius Regni, damnari videtur mercator qui ad creditum vendit, ſi iterum emat pecunia numerata quocumque pretio, quia *l.* 22. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua collectionis* dicitur: *mandamos que los dichos mercaderes y plateros por ſi, ni por otras interpoſitas perſonas para ello directè, nec indirectè no torné à recobrar loque aſſi dierem en fiado ſo pena que lo ayan perdido, y demas deſto incurran en perdimiēto de ſus officios y mas cada vno en* 50000 mis, &c. Quibus verbis, vt ait Mol. mercatores prohibentur emere per ſe, vel alios pecunia numerata, quæ credito maiori pretio vendiderunt: & Matienzo ad *eandem l. gloſ.* 20. Num. 4

ſatis

Digitized by Google

satis indicat huiusmodi retractum esse vsurarium; & communiter ita est, quia non seruatur iustitia pretij in venditione ad creditum, vel ratione mutui virtualis in ea inclusi, si exigitur obligatio reuendendi. Ideóque generaliter prohibetur, licèt nó semper vsurarius sit, vt notat Palacios §. addens, quando ipsis mercatoribus non procurantibus, res est vendita tertiæ personæ, posse illos eandem iterum emere.

QVID verò in hac re Lusitaniæ leges disponant, videre licet apud Nauarr. *c.* 17. *n.* 141. & melius apud Mol. §. Sed, vt ad leges nostri Regni reuertamur, quando in huiusmodi contractibus vsura interuenit, non solùm prædictis pœnis, sed etiam vsuriariorum puniendi contrahentes sunt, vt patet *l.* 29. *tit.* 4. *lib.* 3. *noua collectionis.* vbi præcipitur iudicibus, vt puniant eiusmodi contractus, quatenus eos illicitos inuenerint, vel in vsurarum fraudem celebratos, alioqui ipsi punientur.

QVANDO autem vsura interueniente contractus fit, si proxeneta, seu mediator (Hispanè *corredor*) se tenet ex parte vsurarij, peccat, teneturque ad restitutionem in solidum, vt latè Caballin. *de vsura. n.* 14.

SI verò ex parte primi emptoris, non tenetur ad restitutionem, nec peccat, imò beneficium illi præstat: nam precibus eius adductus industriam adhibet. Ita Nauarr. §. & Conradus citans Anton. 3. *part. tit.* 8. *cap.* 4.

SED quòd in hoc euentu emit proxeneta à mercatore centum vlnas pāni ad creditum centū aureis, ea lege, vt si intra mensem, verbi gratia, offerat aliud, qui se in ea quantitate debitorem efficiat, ipse liber sit à debito. Tum quærit egentes, qui *Mohatras*, eis oblaturus cum iactura viginti pro centum, ea lege, vt obligentur præfato mercatori ad solutionem. Tunc igitur ipse mediator quærit emptores ad statim, venditque prædictas merces cum iactura decē, aut quindecim pro centum, lucratúrque ipse quinque, aut decem vltra id quod accipit pro mercede mediationis. Hunc ait Mercat. nō posse quicquam pro mercede accipere, quia reuerà nō est mediator, sed principalis venditor: nec posse lucrum accipere, quia ob plura inconuenientia prohibitus est emere, & vendere ea de quibus agit inter partes, vt patet *l.* 14. *tit.* 12. *lib.* 5. *noua collectionis.* Nauarr. verò ait, nisi latitudo iusti pretij in venditione excedatur, non teneri illum ad restitutionem, cùm sit principalis venditor; si autem non excedatur, peccare contra legem sui officij, sed non teneri ad restitutionem, quia vendit iusto pretio, sicut venderet mercator; mercedem tamen sui officij recipere non posse, quia non est mediato verus, sed fictus.

MIHI magis placet opinio Mercati, quæ etiam videtur Garsiæ, & Salonis, quia ille reuerà est venditor principalis, & sic non potest mercedem officij accipere, vt fatetur ipse Nauarr. Deinde ipse egentibus vendit cum pacto, vt amittant 20. pro 100. & ex vi huius pacti lucratur quinque, vel decem: ergo hoc lucrum est vsurarium, ac proinde restituendum. Secus esset, si non deduxisset in pactum iacturam illam, in quo euentu vera esset opinio Nauarr. scilicet non teneri ad restitutionem

Digitized by Google

tionem lucri, si in vēditione iustum pretium seruatum est. Quod etiam docere videtur Palacio 5.

Num. 5. SECVNDA conclusio: esto non sit licitum mutuare cum pacto, vt mutuatarius totidem alia in mercibus reddat, quia hoc est in pactum deducere, vt alius vendat, quæ obligatio est pretio æstimabilis, scilicet cōmuniter, quia communiter est incommoda mutuatario: tamen licitum est petenti mutuum dicere; nolo eam summam mutuare, sed totam, vel partē eius dabo pro mercibus, quod est illas emere anticipata solutione. Ita sentiunt Salon, & Molin. 5. & patet ex priori conclusione.

DVBIVM XVIII.

An vsura sit damnum emergens in pactum deducere?

SVMMARIVM.

1 *Quædam obseruanda.*
2 *Licitum est pactum de competenti pretio vltra sortem pro damno emergente. Suadetur n. 3.*
4 *Si damnum emergens ex mutuo antequam mutuatarius in mora sit soluēdi, non deducatur in pactum, mutuatarius non tenetur ex iustitia illud soluere. Probatur n. 5.*
6 *Cuidam difficultati occurritur.*
7 *Quiddam obseruandum.*
8 *Decisio illius quæstionis, an qui mutuum sub vsuris accepit, possit ipsum, vel eius partem in alium transferre cum onere soluendi vsuras, vel partem earum pro rata?*

OBSERVANDVM est, lucrum cessans, & damnum emergens, si latè accipiantur, idē esse; nam cessatio lucri damnū quoddam est, & vitatio damni lucrū; per se tamen sumpta differre; vt docet Molin. 2. *de iustit. disp.* 314. Salon *hic art.* 2. *controu.* 8. cæterique Theologi. Bart. *l. omnes populi. post n.* 55. *ff. de iust. & iure.* Alex. *cons.* 101. *n.* 15. & 17. *vol.* 3. vbi opinionem istam receptam affirmat; & *cons.* 111. *n.* 3. *volum.* 7. & communiter Iurisperiti *l. prospexit. ff. qui, & à quibus.* & colligitur planè ex *l. si fraudatum. in princip. ff. quæ in fraudē credit. & l. si is cui. §. eius rei. ff. de furtis. & l. iuris ignorantia. ff. de iuris & facti ignor. l. quanuis. & l. fin. C. eod. tit. l. sciendum. ff. ex quibus causis maior.* Si enim iactura sit in bonis acquisitis, vel alia via acquirendis, dicitur damnum per se emergens: si verò sit iactura in eo quod ex pecunia, si non mutuaretur, proueniret, dicitur per se lucrū cessans. Exemplis res illustratur. Si quis pecunias habeat ad reficiendam domum, & quòd mutuò illas det, passura est ruinam, aliúdue detrimentū, iactura hæc nuncupatur damnum emergēs: & similiter si pecunias habeat ad triticum messis tempore emendum, & quòd illas mutuò det, emptur us est illud postea longè maiori pretio: si verò pecunias habeat ad eis negotiandum, & quòd det illas mutuò, impediatur ab acquirendo per negotiationem incremento, dicitur lucrum cessans: de quo agemus dubio sequenti; nūc de solo dāno emergenti per se sumpto.

Num. 1.

SCOTVS 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 3. expressè videtur docere, non esse licitū dānū emergens, etiam per se sumptū, in pactum deducere. Cùm enim propo-

fuis-

Digitized by Google

fuiſſet argumentum, quia vnicuique licet in cõtractibus ſe ſeruare indẽnem, vt dictũ eſt priùs (ſcilicet *art.* 2.) quòd vendens poteſt cariùs vendere attendens damnum ſuum in vendendo, maximè ſi inducatur ab illo cui vendit. Ergo eodem modo ſi quis inducatur ab alio, vt ſibi mutuet, licet illi ſe ſeruare indemnem, quod non poteſt, niſi accipiendo aliquid vltra ſortem, & hoc ex pacto, aliàs eſt incertum. Reſpondetur, ſi non vult damnificari, pecuniam ſibi neceſſariam reſeruet, quia nullus eum neceſſitat ad faciendum miſericordiam proximo; ſed ſi vult miſericordiam facere, neceſſitatur ex lege diuina, vt non faciat eam vitiatam.

Num. 2. SIT tamen prima concluſio: pactum de competẽti pretio vltra ſortem pro damno emergente licitum eſt. Mol. & Salon ſ. Sot. *6. iuſtitia. q. 1. art. 3. concluſ. 3.* (quanuis id non adeò certũ putet D. Thom. *hîc art. 2. ad 1.*) vbi Caiet. Bannez & Arag. Idem Caiet. *in Summ. verb. vſura. c. 2. caſu 4.* Armil. *verb. vſura. n. 3.* Tabiena *verb. vſura. 2. in princip.* Ang. *verb. vſura. 1. n. 16.* Sylueſt. *q. 19.* Anton. *2. p. tit. 1. cap. 7. §. 14. 15. 18. 19.* Conrad. *de contract. q. 30.* Adrian. *in 4. tract. de vſuris.* Phriurg. *2. Sum. tit. 7. q. 16.* Grafis *p. 1. lib. 2. c. 105. n. 6.* Emanuel *p. 1. c. 111. n. 7.* Angles *q. de mutuo. ar. 2. difficult. 3.* Tol. *lib. 5. c. 32.* Conrr. *q. 227.* Villag. *q. 19. de vſuris.* referens multos alios. Duran. *4. d. 15. q. 3.* Gabr. *q. 11. art. 1. notab. 2.* Nauarr. *c. 17. n. 111. & comm. de vſuris. n. 44.* Palacios *de contractib. c. 4. Sa verb. mutuum. n. 4.* Valent. *hîc diſp. 5. q. 20. p. 2.* & alij referendi.

Num. 3. PROBATVR primò damnũ emergens pecunia eſt æſtimabile, nec æquitas patitur, vt qui mutui beneficium alteri confert, teneatur gratis hoc diſpendium pati: ergo licitè de eius compenſatione paciſci poteſt. Confirmatur; quia tunc pro mutuo nihil recipit, ſed pro aliquo alio pecunia æſtimabili: ergo nullam vſuram, vel iniuſtitiam committit. Confirmatur ſecundò, quoniam euenire poterit, vt longè maius damnum ſit, quod proximus ea pecunia euitat, aut longè maius lucrum, quod illa ſperat, quàm ſit damnum quod mutuans mutuando incurrit. Ergo charitas tunc ac æquitas poſtulat, vt qui eam ad damna ſua vitanda paratam habet, mutuò eam concedat plus ea indigenti, & vt viciſſim mutuatarius damnum reſarciat, quod mutuans idcirco incurrit, quò fit, vt licitum ſit pactum de pretio competenti pro damno emergente.

SECVNDO probatur: nam quod ex mutuo damnum emergit, pecunia plus valet mutuanti, quia per eam damnum vitaret: ergo licet plus pro illa petere.

TERTIO, quia vẽdens poteſt damni emergentis ratione cariùs vendere, vt Scotus fatetur: ergo etiã mutuans poteſt ratione damni emergẽtis aliquid vltra ſortem petere: par enim ratio eſt; diſcrimen tantùm quod indicat Scot. ſ. hoc ſecundum prohibitum eſſe illa lege Chriſti, *mutuum date nihil inde ſperantes*; primum verò nulla lege prohibitum eſſe, nullius momenti eſt: nam lex Chriſti non addit aliquam obligationem legi naturæ: ſtando autem in lege naturæ, par ratio eſt in vtroque euentu. ergo.

Digitized by Google

QVARTO, quia damna quæ fideiussor incurrit soluens pro debitore, tenetur debitor rependere,& resarcire, vt patet ex *c.2. & 3. de fideiussoribus.* Ergo similiter mutuatarius resarcire tenetur damna quæ mutuãs ex mutuo incurrit.

QVINTO, nemo tenetur cũ proprio damno subuenire socio. *c.si non licet.24.q.5.*Item nemo tenetur contra propriam vtilitatem de proprio facere beneficium.*c.precarij. 14. q. 5.* Item probari potest ex *l.Lucius Titius. ff. de actione empti.* Sed, vt bene notat Adrianus, ex legibus hac in re non possumus commodè argumentari, quia vsuras etiam propriè dictas cõcessisse videntur:amplius autem corroborabitur conclusio ex his quæ de lucro cessãte dicentur dubio sequẽti.Præter citatos videri possunt Hostiens.*c.Salub.de vsuris.*Panorm. *ibi. n. 3.* Ananias *c. conquestus. eod. tit.n.16.* Nauarr. *3.de restitut.c.2.p.2. dub. 7. &* 8.Archid. *c. vsura. 14. q. 3.* Alex.*cons. 221. vol. 2.* Dec. *c. cùm venerabilis.de exceptionib.n.14.*Pal.Rub.*c.per vestras. de donatio. inter vir. & vxor. not. 4. n.6.* Couaruu. *3. Variar. c. 4. n. 5.*Hieron. Curiel.*tit.de vsura.q. 3. p. 1.*Francisc. Garsia *de contractib.p.1.c. 9.* Abulen. Matth. *25. q. 217.* imò Conrrad.*q. 219.*& Arag.*hic art.1. pag. 668. in fin.* Bannez *art. 1.dub. 1. ad fin. pag. 584.* existimant non tantùm ratione dãni emergẽtis,& lucri cessantis, sed etiã ratione alterius incommoditatis, quam mutuans subit, posse aliquid vltra sortem accipere, vt quia non potest exercere actum liberalitatis, vel magnificentiæ, quam decebat ipsum exercere, aut aliam operationem necessariam, vel conuenientem. Sed ego existimo hanc incommoditatem,si pro illa aliquid pretio æstimabile exigi potest, ad damnum emergens reducendam esse.

SECVNDA conclusio: si damnum emergens ex mutuo antequam mutuatarius in mora sit soluendi, non deducatur in pactum, mutuatarius non tenetur ex iustitia illud soluere. Oppositum signat Io. Medin. s. & Maior *4.d.15.q. 23. ad confirmationem 1.argumenti.* Imò in alia editione *q. 30.* vt refert Molin.dixit,quanuis in exteriori foro cogi ad solutionem non possit, in foro tamen conscientiæ soluere id teneri, eo quòd gratiã ipsius id incurrerit mutuans, occasióque ipsius fuerit mutuum exigẽdo,& accipiendo. Sed certè non loquitur consequenter: nam quod in foro interno ex iustitia restituendum est, etiam restituendum & in foro externo, nisi probatio actori desit.Eandem verò sententiam cum quadam limitatione docet Tol.*lib. 5. c.32.in fin.*dicens, cùm quis vi, vel fraude,vel metu cogitur ad mutuãdum,licitè posse damna emergentia recipere,quãuis nullum fecerit pactum,vel conditionem. Item, cùm quis sponte mutuauit, licitè potest exigere damna quæ acciderunt, si quando mutuauit, erant antè formidata,& mutuatario ea manifestauit,quanuis nullum fecerit pactum, & mutuatarius tenetur reparare. *Num.4.*

CONCLVSIONEM tamen nostram absolutè docent Emanuel s. *& cap. 110. n. 11.* cum Victoria, & Mercado,scilicet *de contractib. cap. 12.*Molin.Abulens.Sot.Val.Angles, & Couaruu.s.D.Thom.*de malo.quæst. 13.art. 4.ad 14.* quam idem insinuat *hîc art. 2. ad 1.* dum ait, posse in pactum deduci compensationem damni,

Digitized by Google

ri, quasi debeat à principio conueniri. Idem tenet Conrrad. *illa quæst.* 227. Nauar. *c.* 17. *n.* 211. *& comm. de vsuris. n.* 46. Grasis *illo cap.* 105. *n.* 17. Bannez *art.* 2. *pag.* 595. Salon *eod. art. controuers. citata. conclus.* 2. Villaguta *s. concl.* 8. Petrus Nauarr. *s. dub.* 7. *&* 9. Franciſc. Garſia, & alij communiter.

PROBATVR, quia licèt mutuatarius tacitè ex mutui contractu teneatur ad damnum quod ex mora ipſius in ſoluendo tempore præfixo mutuanti obuenit, vt in ſequentibus videbimus, quia tale damnum iniuſtè capit, non tamen tenetur ad damnum quod intra terminum præfixum, atque adeò nulla interueniẽte ipſius mora, vel iniuſtitia, mutuãti obuenit, ſibique mutuans imputet, quòd de eo non cauerit, idque in pactum non deduxerit. Confirmatur primò: nam fortaſſe mutuatarius nolet cum eo onere mutuum accipere, neque id fortè illi expediret: quare ſi mutuans intendebat, vt mutuatarius de damno, ſi quod fortè emergeret, teneretur, debebat illa de re illum admonere, deduceréque in pactum. Confirmatur ſecundò: nam ſi abſque pacto eſſet debitum, fruſtra deduceretur in pactum. Tertiò confirmatur, quia nulla eſt obligatio reſarciendi damna ex venditione emergentia venditori, niſi illa in pactum deducat: ergo nec reſtituendi emergentia ex mutuo. Quartò confirmatur, quia hæc obligatio non oritur ex iure, nec ex pacto: ergo nulla eſt.

Num 5. SED cõtrà, quia damna emergẽtia ex fideiuſſione ſemper ſunt reſtituẽda ex *c.* 1. *&* 2. *de fideiuſſorib.* ergo & emergẽtia ex mutuo. Reſpondet Salon, non eſſe ſimile; quia mutuãs gratis, ac liberè mutuat, fideiuſſor verò ſoluit coactus à iudice propter moram, & culpam debitoris: qui autem culpa ſua alteri damna infert, tenetur illa compenſare, etiamſi de hoc nullum pactum præceſſerit. Sed non placet, quia coactio illa iudicis iuſta eſt, etiamſi nulla præceſſerit culpa debitoris. Ergo debitor nõ tenetur de damnis propter culpã ſuã, ſed ex pacto implicito, vel explicito incluſo in fideiuſſione: nam eo ipſo quòd aliquis fideiubet pro altero, intelligitur alterum obligare ad ſeruandum illum indemnem circa capitale, & reliqua. Adde, quòd etiamſi debitor in culpa ſit, tamen cùm ea non ſit directè contra fideiuſſorem, ſed contra creditorem, obligatio reſtituendi non poteſt oriri ex illa, ſed ex pacto. Quod quidem cùm in mutuo non interuenerit, non debetur damnum emergens; quod limita, niſi per vim, metum, vel fraudem iniuſtè coactus ſit homo ad mutuandum: nam in eo euentu damnum emergens ex mutuo reſtituendum eſt, licèt pactum non præceſſerit. Ita Sot. s. Sal. & Arag. *art.* 2. Palac. & Garſia *s. ex l. ciem quidam. ff. de vſuris. & l. vſuras. eodem tit.* vbi emptor qui fuit in mora ſoluendi pretium, cogitur vſuras ſoluere venditori, non alia ratione niſi quia vẽditor iniuſtè dãnum patitur. Sed ſimiliter patitur in noſtro caſu. ergo. Ad idem eſt regula iuris in 6. *Si tua culpa datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, iure ſuper his ſatisfacere te oportet.* Ad idem Salon *citato c.* 2. *&* 3. *de fideiuſſoribus.* Sed non ſunt ad rem, quia is pro quo aliquis fideiubet, non tenetur de damnis niſi ratione pacti, & non iniu-

Digitized by Google

riæ, vt diximus. Malè etiam ait Salon, certum esse apud omnes pro ipsa iniustitia coactionis aliquid restituendum esse: nam restitui non potest in proprio genere; in alia verò nulla est obligatio restituendi, vt dictū in materia de restitutione; bene tamen ait Salon, Regem, licèt iustè interdum pro bono communi compellat aliquos ad mutuandum, teneri ad resarcienda damna, quia pro bono communi non sunt hi specialiter grauandi, sed inter omnes subditos distribuendum est onus, sicut regula iuris in 6. ait; *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Idem in lucro cessante tenet Bannez *art.* 2. *dub.* 1. *circa.nd* 1. *concluſ.* 3. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 211. Sot. *illo art.* 3.

IVXTA hanc secundam conclusionem intelligi fortè possunt Iurisperiti dicentes, mutuatarium, si non est in mora, non teneri de damnis, quos citant Salon, & Couaruu. ſ. & in sensu huius conclusionis sequitur Tabiena, licèt alij dicant, ipsos docuisse lucrum cessans (quod latè est damnum emergens) non posse in pactum deduci, vt sequenti dubio referemus.

Num. 6. SED circa hanc eandem conclusionem obseruat Nauarr. *dub. illo.* 9. *n.* 313. quanuis mutuatarius auctirium non debeat ratione dāni emergentis, vel lucri cessantis, nisi deducatur in pactum, non tamen opus esse, vt mutuans mutuatario explicet ea ratione auctiriū exigi, secus quando damnū emergeret, vel lucrū cessaret ex vēditione ad creditum: nam tunc tenetur venditor de lucro cessante, vel damno emergēte monere, & alioquin nihil posset pro ipso recipere vltra sortē, etiāsi plus quā res valeret, in pactum deduxisset. Rationē discriminis assignat, quia licèt in mutuo formali teneatur mutuās ad vitāda scādala admonere de lucro cessāte, vel dāno emergēte, non tamen tenetur per se loquendo, & secūdùm leges iustitiæ: nam cùm mutuatarius sciat se recipere viginti, & à se exigi triginta, iam consentit in excessū, & cùm aliàs iustus sit cōtractus ex parte mutuantis, licèt causa sit ignota mutuatario, nulla ei fit iniuria: si enim ipse sine obligatione ad auctiriū vellet mutuū accipere, nō se obligaret ad auctiriū; cùm igitur se obliget, iam consentit in ipsū, & quia iustè petitur, debet illud reddere; secus in emptione, quia exactus cùm omnino non intelligat punctim rei valorē, putat illud, quod alter plus exigit, esse in rei valorem. Existimo tamen idē dicendū in mutuo formali, quod in veditione siue ad creditum, siue numerata pecunia: nā si alter nō moneatur de ratione recipiēdi auctiriū; licèt verè in ipsū nō cōsentiat, tamē præcisè consentit ratione mutui formalis, vel virtualis, quo indiget, vel ratione fraudis factæ in valore: huiusmodi autem cōsensus non sufficit ad valorē contractus quoad excessum. Et ita auctores secūdæ opinionis absolutè docent non deberi, nisi tempore contractus mutuatarius admoneatur de lucro cessante, vel damno emergente.

EX dictis sequitur decisio illius quæstionis, an qui mutuū sub vsuris accepit, possit ipsū, vel eius partē in aliū trāsferre cū onere soluēndi vsuras, vel partē earū pro rata? Quidam absolutè negant, vt Almain. 4. *d.* 15. *q.* 2. Monald. apud Tabien. Ang. & Syluest. ſ. Tancredus apud Abulē. ſ.

Alij

Alij verò absolutè affirmant, vt Archidiaconus *cap. vsura.* 14. *q.* 3. & Bart. Brienſienſis apud Abulenſ. Molin. autem 5. ita diſtinguendum arbitratur; ſi perſeueret adhuc cauſa, ob quã mutuatarius ſub vſuris mutuum accepit, & nondum ipſum pœnituerit, ſic mutuũ accepiſſe, poterit cum onere ſoluendi vſuras, vel earũ partẽ pro rata mutuũ, vel eius partẽ alteri dare. Nec enim vſura cernitur ex parte huius mutuantis, ſed ſolùm ſeruare ſe indemnẽ admittendo oneris cõparticipẽ cõparatione vſurarij, atq; ſe ipsũ priuãdo mutuo, aut parte mutui, nõ obſtãte cauſa, ob quã illud accepit, quæ adhuc perſeuerat. Quare eſt quaſi vẽdere damnũ ſibi ex mutuo dãdo emerſurũ: quòd ſi cauſa ſolùm ex parte perſeueret, vel minùs vtilem eã cõperiat, ita vt ipſum pœniteat, mutuum ſub vſuris ſumpſiſſe, tunc pro quantitate cauſæ perſeuerantis, & emolumenti, aut lucri, quo ſe illam pecuniam mutuẽdo priuat, poterit reiicere partẽ oneris ſoluendi pro rata vſuram, non verò totam. Si denique ea omnino ceſſauit, quia omnino non indiget ea pecunia, aut quia ad rem vanam mutuò illam accepit, pœnitétque accipiſſe, tũc vſura eſt cum eo onere mutuò illam dare. Hoc, & præcedens aſſertum probatur ſimul, quoniã pecunia illa non eſt iam vſurarij, ſed huius qui mutuò illam ab eo accepit. Nec ex parte huius eſt iam cauſa vlla, ob quam iuſtè imponere poſſit onus illud humeris alterius, & ob quam licitè illi quaſi vendat, onus illud in eum reiiciendo; vt in primo euentu eſt priuare ſe mutuo, ad finem adhuc integrè perſeuerantem, & in ſecundo, priuare ſe eodem mutuo, ad eundem finem adhuc ex parte perſeuerantem, ratione cuius ex parte ſolùm, & non integrè poteſt reiicere onus illud in nouũ mutuatarium. Ergo vſura eſt in tertio euentu aliquid oneris reiicere in nouum mutuatarium, & in ſecundo plus quàm pro quãtitate cauſæ adhuc perſeuerãtis, aut lucri quod ex tali ſecũda mutuatione ipſi ceſſat. Hæc Mol.

ALITER diſtinguunt Abulenſ. Matth. 25. *q.* 218. Sylueſt. *verb. vſura.* 1. *q.* 10. Angel. *n.* 22. Ancharran. poſt Ioan. And. *c.* 1. *de vſuris. n.* 6. Calderin. *cap. nauigant. de vſuris.* Grafis 2. *p. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 34. Aut enim tranferens mutuum cum illo onere intendebat tunc de illa pecunia ſatisfacere creditori ſuo vſurario, vt deinde liber maneret ab vſuris, aut non. Si primum, non peccat, quia ſolùm paciſcitur de dãno vitando, nullúmque reportat lucrum, & hoc non eſt vſura, vt colligitur ex *c. ſi quis obliti.* 14. *quæſt.* 4. Si verò ſecundum, vſurarius eſt, & ad reſtitutionem tenetur, quia vltra ſortem recipit ratione mutui, & non ratione damni emergentis. Idem cum Laurent. de Rodulf. docent Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 14. & Tabien. *verb. vſura.* 2. *n.* 1. adhibentes tamen hanc limitationem, vt in primo caſu vſura non ſit, ſi vſurarius creditor erat recepturus debitũ ſine vſuris reſpõdẽtibus tempori ſequenti, ſecus ſi nõ erat recepturus ſine huiuſmodi vſuris, quia nolebat mutuum recipere ante terminũ prefixum, niſi illi ſoluerentur vſuræ, toti illi tẽpori reſpõdentes. Tunc enim trãsferens mutuum, ex tranſlatione non incurrit damnum: ergo nihil poteſt vltra ſortem recipere. Addit Tabien. quæſtionẽ iſtã tractari à Roſel. *verb.*

Digitized by Google

vsura. 1. §. 14. sed non explicat, quid sentiat.

Hi duo distinguendi modi veritatem continét; sed breuiùs, & clariùs sic distinguo. Aut transferenti mutuum ex ea translatione damnum emergit, lucrum verò cessat, quia iterum sumpturus est mutuum sub æqualibus, vel maioribus vsuris; vel non inueniens aliam pecuniam non poterit reficere domũ, patitúrque eius ruinam, vel non poterit lucrari, & sic licitum erit cũ eo onere mutuum transferre: aut nullũ damnum illi emergit, lucrum verò cessat, & sic vsura erit cum eo onere mutuum trãsferre. Ita docent Conrad. *de contract. q.* 41. & Maior 4. *d.* 15. *q.* 9. *art.* 7. Nauarr. *c.* 17. *n.* 233. Lopez 2. *p. Instruct. cap.* 78. *q.* 4. Vega *verb. vsura. casu* 18. qui tamen duo limitant cum Angles *q. de mutuo. art.* 2. *difficult.* 2. vt si non habeat animum ad aliam pecuniam mutuò dandam, nisi quam accepit, & nondum consumpsit, non sit vsurarius, quia solùm se indemnem seruat, & mutuum nondum consumptum trãsfert in alium, secus si aliam pecuniam mutuat. Quæ distinctio nullius momenti est, quia cùm per mutuum factus fuerit dominus pecuniæ, quam mutuò accepit, idem est mutuare illam, vel aliam. Plura de damno emergente dicentur duobus dubiis sequentibus.

DVBIVM XIX.

An mutuanti licitum sit lucrum cessans in pactum deducere?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans, non esse licitum pro lucro cessante aliquid exigere pacto præcedente, vel non præcedente, nisi mutuatarius fuerit in mora soluendi, cum suis fundamentis.*

2 *Vera opinio tenens pactum illud licitum esse seruatis quibusdam conditionibus. Suadetur n. 3 nouem argumẽtis.*

4 *Ad argumenta contraria respondetur.*

5 *Cuidam obiectioni satisfit.*

6 *Qui per vim, metum, vel fraudem ad mutuandum inductus est, posset lucro cessante pacisci, imò etiam nullo præcedente pacto, restituendum esse illi.*

7 *Is qui sua sponte mutuat ad certum terminum, licitè potest pacisci de damno emergente, vel lucro cessante, ex eo quòd mutuatarius in termino præfixo mutuum non soluat.*

8 *An mutuatarius teneatur ad compensanda damna emergentia, & lucra cessantia ex mora inculpabili? Respondetur n. 9.*

10 *An si mutuans ante præfixum tempus pecuniam petat, teneatur mutuatarius illam reddere, & si non reddat, teneatur de damnis?*

11 *An, si nullus fuit dies solutioni mutui designatus, & mutuans petat pecuniam, teneatur de damnis, si non statim reddat cum commodè poterit mutuatarius?*

QVIDAM dicunt non esse licitum pro lucro cessante aliquid exigere pacto præcedente, vel non præcedente, nisi mutuatarius fuerit in mora soluendi. Ita Ioã. And. & Innocenc. *c. nauiganti. de vsuris.* Anton. de But. *c. salubr. eodem tit.* Sot. 6. *iustitiæ. q.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 4. docens, non posse in pactum deduci lucrum cessans, nisi cùm quis vi, metu, aut fraude ad mutuandum inducitur (licèt oppositum censeat probabile.) Videtur sententia D. Thom. *hac quæst.* 78. *art.* Num. 1.

Digitized by Google

art. 2. ad 1. vbi ait; *recompensationem damni quod consideratur per hoc quòd pecunia non lucratur, non potest homo in pactum deducere, quia non potest vendere id quod non habet, & potest multipliciter impediri ab habendo.* Eodem prorsus modo loquitur Dur. *3. dist. 37. q. 2. ad 1.* Abulens. Matth. *25. q. 184. ad 1.* & expressè *q. 227.* sequitur opinionem Innocentij. Scot. etiam *4. d. 15. q. 2. art. 3.* expressè docet, damnum emergens non posse in pactum deduci, vt retulimus dubio præcedenti; & saltem vult lucrum cessans, quod latè est damnum emergens, non posse in pactum deduci: & ita hanc opinionem tribuunt ei Adrianus, Petrus Nauarr. Couaruu. Tol. Salon, & alij, quanuis Molin. Villaguta, & alij contrariam sententiam ei tribuant. Pro hac etiam Couarruu. citat Ancharr. *cons. 376.* Aimon. *cons. 389.* malè verò ipse, & Salon citant Calder. & Laurent. de Rodulfis, cùm expressè doceant oppositum; & fortassis malè etiam Salon citat Salic. *Auth. ad hæc. collat. 5. C. de vsuris.*

CVIVSCVMQVE autem hæc sit sententia, suadetur primò, quoniam cessare lucrum, non est aliud quàm mutuantem à lucro cohibere: qui autem sponte mutuat, non dicitur à lucro cohiberi: ergo nihil poterit accipere pro lucro, cùm verè, & propriè ei non cesset. Secundò, quia cõtraria sententia ostium magnũ aperit vsuris; quiuis enim facilè finget lucrum sibi cessare ex mutuo, eóque veluti pallio vsuras exercebit. Tertiò, quia mutuum ex natura rei, & præcepto Christi gratis est dandum. Quartò, quia neque in iure Canonico, neque in Ciuili significatur pro lucro cessante ante moram posse aliquid exigi, præcedente, vel non præcedente pacto. Alia argumenta sine causa multiplicat Salon.

SECVNDA, & vera opinio est, pactum illud licitum esse seruatis conditionibus, de quibus agemus dubio 20. Ita Adrian. Bart. Med. Angles, Palacios, Valen. locis citatis dubio præcedenti. Nauarr. *3. restit. cap. 2. p. 2. dub. 9.* Pedraca *præcept. 7. §. 24.* Turrecremata *cap. si res. 14. quæst. 6.* Mercad. *lib. de vsuris.* seu *5. de contract. c. 20. §. istos titulos.* Cordouensis *in Sum. q. 105.* Caiet. *verb. vsura. cap. 2. casu 5.* & latè *hac q. 78. art. 2. ad 1.* vbi Aragon, Bannez, Victoria, aliique recentiores, & Salon *controuers. 9.* Felin. *c. 1. §. eundem filium. de off. c. deleg. & c. cùm venerabilis. de exceptionib.* Iason *§. fuerat. Instit. de actionib.* Palacios Rubeus *c. per vestras. de donationib. inter vir. & vxor. notab. 2. q. 5.* Panormit. *c. conquestus. de vsuris.* Archidiaconus *c. vsura. 14. q. 3.* Alex. *cons. 228. volum. 2.* Laurent. de Rodulf. *q. 24. de vsura.* Host. *c. Salubriter. eodem tit. & in Summa de pœnis. §. fin. vers. quid si paratus.* Calderin. *c. fin. de vsuris. q. 3.* (quanuis dicat communiter teneri cum Innocentio) Ioan. de lignano *eod. c.* Mol. *tit. de iustitia. 2. disp. 315.* Sa *verb. mutuum. 4.* Tol. *lib. 5. cap. 302. & 303.* Gabr. *4. d. 15. quæst. 11. art. 1. notab. 2.* Maior *q. 30.* Almainus *q. 2.* Ioan. Med. *q. 3. de vsuris. casu 2.* Conrrad. *de contract. lib. q. 30.* Ang. *verb. vsura. 1. à n. 15.* Sylvest. *quæst. 19.* Armil. *n. 3.* Tab. *verb. vsura. 2. n. 1.* Nauarr. *c. 17. n. 211. & com. de vsuris à n. 40.* Couaruu. *3. Variar. c. 4. n. 5.* Anton. *2 p. tit. 1. cap. 7. §. 15.* Caballin. *de vsuris. n. 34. & 500.* Philip. Beroaldus *in Epitome Philosophiæ Moralis.* Villaguta *q. 18. de vsuris.* Vega *verb. vsura. casu 26*

Num. 2.

Emanuel

Digitized by Google

Emanuel 1.*p.c.*111.*n.*10.Conrrad. *q.* 229.Grafis *p.*1.*lib.*2.*c.*105.*à n.*7. Lopez *p.*2.*c.*61.Franciſc. Garſia *de contractib.p.*1.*c.* 10.*&* 11.

Num.3. PROBATVR primò, quia lucrum ratione mutui ceſſans non eſt minùs pecunia æſtimabile,quàm damnum ex mutuo emergés;neque enim prouidens mercator,qui ad negotiandũ paratam habet aliquam pecuniam, ex qua ſperat lucrari centum,minus æſtimabit lucrum illud ita in ſpe, quàm pati iacturam viginti cum æquali probabilitate;imò longè plus. Ergo ſicut fas illi eſt paciſci de damno illo emergente,ratioéque illius accipere aliquid vltra ſortem;ita paciſci de lucro ceſſante,& pro illo aliquid accipere.

NEQVE ſatisfacit ſolutio Soti,ſcilicet lucrum ceſſans pẽdere ex mutuãtis induſtria:damnum verò emergens eſſe meram paſſionem, imprimis,quoniam ex mutuãtis induſtria pendet etiam vitare damnum emergens,reficiendo domum ea pecunia quam mutuò dat,aut emendo triticum,quod poſtea cariùs eſſet empturus.Deinde,quoniam tam voluntariè ſubit damnum emergens, quàm voluntariè amittit lucum ceſſans. Ergo ſicut poteſt paciſci de damno emergente,ita de lucro ceſſante.

SECVNDO probatur, quia quando inuitus quis mutuat,eáque de cauſa lucrum ipſi ceſſat, vel poteſt licitè paciſci de lucro ceſſante ratione ſolius iniuriæ,quæ illi fit in eo quod mutuò dare cogitur, & conſequẽter cogitur lucro carere; vel ſimul etiã, quia lucrum ceſſans eſt pecunia æſtimabile,ideóque aliquidpoteſt pro illo petere.Si Sotus det primũ,ergo malè addit,ſi Rex,poſtulante id bono publico,licitè cogat mercatores ad mutuandum,poſſe illos licitè paciſci de lucro ceſſante. Si verò det ſecundum; ergo pro lucro ceſſante aliquid poteſt peti, etiam dum quis cogitur ad mutuandum. Tertiò,pecunia,vt ſubeſt induſtriæ mercatoris, qui eam negotiationi deſtinauit,ex eáque lucrum ſperat,plus illi valet,quàm ſi ex ea nullum lucrum poſſet ſperare; atque hac ratione ſi quis eam furetur mercatori, tenetur ei de lucro ceſſante, vt ait D. Thom.2.2.*q.*62.*art.*4.*ad* 2. quia non ſolùm intulit illi damnum in pecunia ipſa; ſed etiam in lucro quod ex ipſa ſperabat. Ergo mutuans licitè poteſt pro lucro ceſſante aliquid vltra ſortem petere. Patet conſequẽtia,quia pro eo quod plus valet,plus peti poteſt. Confirmatur, quia ille iacturam facit vltra ſortem lucri illius in bonum mutuantis,vt per mutuum illi ſubueniat: ergo vltra ſortem poteſt aliquid petere. Cõfirmatur etiam, quia omnes concedunt, quando id quod venditur,plus valebat vendenti quàm cæteris, venditorem pro eo petere aliquid poſſe vltra communem æſtimationem, vt ſi quis triticum habebat ad ſeminãdum, poteſt pro eo plus accipere, quàm ſi non haberet ad ſeminandũ, quia amittit fructum quem ex eo ſato perciperet.

QVARTO,ſi quis ab operario petat, vt non locet operas ſuas aliis, ſed ipſum comitetur ad recreationẽ aliquam, poteſt licitè operarius ab eo exigere lucri ceſſantis pretiũ. Si quis itẽ mutuò petat ab opifice inſtrumẽta artis, idque in cauſa ſit, vt ille laborare omittat,vtque lucrum illi ceſſet,licitè poteſt exigere non ſolùm

ſolùm quàtùm valet vſus inſtrumẽtorum, ſed inſuper quantùm ſuo labore erat lucraturus. Ergo pari ratione mercator, qui deſtinatam habebat pecuniã ad negotiãdũ, ex eáque tanquã ex inſtrumẽto ſuæ induſtriæ ſubiecto ſperabat certũ lucrũ, poterit exigere eius æſtimationẽ.

QVINTO, piſcator licitè poteſt vẽdere piſces quos iactu retis capere ſperabat, vt conſtat ex *l. ſi iactum. ff. de actionib. empti.* Ergo ſimiliter mercator vendere poterit mutuatario lucrum, quod ſperat ex pecunia negotiationi deſtinata. Eſtque huiuſmodi contractus innominatus; faciam, ſeu potiùs deſiſtam ab hac negotiatione in tuum commodum, ſi mihi tantum, vt deſiſtam, des. Sicut etiam piſcator non ſolùm poterit vẽdere piſces incerto quos iactu retis capere ſperat, ſed etiam aliquid exigere, vt deſiſtat à iaciendo rete in gratiam alicuius qui id ab eo petat.

SEXTO, quia nemo tenetur cõtra propriam vtilitatem de proprio facere beneficium. *c. precarie.* 10. *q.* 2. ergo qui contra propriam vtilitatem, & lucro ſibi ceſſante mutuat, poteſt pro eo aliquid exigere. Idque cõfirmãt omnes rationes adductæ ſuperiori dubio pro dãno emergẽte: nam etiam lucrum ceſſans eſt damnum quoddã emergẽs, vt docet D. Thom. *q.* 62. *art.* 4. *ad* 1. *& q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Et certè ſi ex damno emergẽte ceſſent deinde lucra, mutuatarius poteſt obligari ad ea ſoluenda: ergo & ad lucra quæ immediatè ceſſant ex quo mutuo, nihil enim refert, quòd ceſſent mediatè, vel immediatè.

SEPTIMO, poteſt aliquis ſine mutuo recipere aliquid, vt deſiſtat à negotiatione in gratiam alterius: ergo & cum mutuo; & ita poteſt paciſci de lucro ceſſante ex mutuo.

OCTAVO, ſeruaturus ſuas merces in tempus quoddam plus valituras, ſi in gratiam alterius nunc eas vendat, poteſt aliquid exigere ratione illius lucri ceſſantis (vt omnes docẽt ex Greg. IX. *c. nauigãti. de vſur.*) ergo ſimiliter in mutuo aliquid poteſt exigi ratione lucri ceſſantis. Cõfirmatur, quando merces deferendæ erant in alium locum, vbi plus valerent, qui nunc eas vendit in gratiam alterius, poteſt paciſci de lucro ceſſante. ergo ſimiliter in mutuo. Confirmatur ſecundò, quia ratione partus futuri licitum eſt rem pluris vẽdere, quàm ſi non eſſet paritura. *l. nec emptio. ff. de contrah. empt.* ergo ſimiliter ratione lucri futuri licitum mutuãti erit aliquid vltra ſortem exigere.

NONO, is pro quo aliquis fideiubet, tenetur fideiuſſori ſoluere capitale, & omnia damna emergẽtia, & lucra ceſſantia ratione fideiuſſionis, ex *c. peruen. de fideiuſſ.* vbi textus rationem reddit, quia nõ eſt iuſtum, vt fideiuſſor inde patiatur diſpendiũ, vnde meretur præmium. Ergo eadẽ ratione mutuatarius tenetur mutuãti de lucro ceſſante, ſi pactũ interuenit, vt interuenit in fideiuſſione. Ad id adducitur *l. atqui nam. §. non tantùm. in princip. ff. de negot. geſt.* vbi negotiorum alienorũ geſtor tenetur de lucro ceſſante. Sed hæc lex nõ eſt ad rẽ, quia intelligitur de lucro ceſſante ex culpa, & negligẽtia eius qui aliena negotia gerebat. Similiter, vt notat Nauarr. nõ eſt ad rẽ quod adducunt Ioan. Med. Salõ, & Arag. ex *Clem. religioſi. de priuileg.* vbi Religioſi retrahẽtes à legatis faciẽdis cogũtur ſatisfacere læſis: nã hoc tãtũ eſt verũ, quãdo

Digitized by Google

iniustè per vim, vel fraudem retrahunt. Magis est ad rem (quicquid dicat Nauarr.) quod adducit idem Medin. ex *c. Salubriter. de vsur.* vbi gener nō tenetur fructus pignoris accepti pro solutione dotis computare in sortem, quia scilicet ei debentur ex pacto ratione lucri cessantis. Sed alij aliter hunc textum interpretantur, vt inferiùs videbimus.

PROPTER hæc existimo bene Molin. & Nauarr. dixisse, hanc sententiam proculdubio esse veram, licèt Aragon oppositam probabilem putet. Intelligitur autem hæc sentētia de lucris iustis, secus de iniustis, qualia essent habenda per iniquos, & vsurarios cōtractus: ad hæc enim soluenda non potest mutuatarius obligari. Ita Salon *illa controuers. 9. cōdit. 4.* Nec mirum, quia lucra quæ nō possumus iure habere, non dicuntur simpliciter possibilia, imò nec verè sunt lucra, cùm sint restituēda. Præterea in *l. itaque fullo. ff. de furt.* dicitur actum furti ad interesse recipiēdum non dari possessori malæ fidei; quia ille reuerà de suo nihil amisit. Ergo similiter cùm amittens lucrum iniustum nihil de suo amittat, non debet ei restitui, siue sequatur ante morā mutuatarij, siue postea.

Num. 4. AD primum argumentum primæ opinionis, negatur maior, si sermo sit de coacta, vel iniusta: si verò de iusta, & non coacta, negatur minor; nā qui precibus à me impetrat mutuum, vel ex charitate à me oblatum acceptat, verè impedit lucrum, quod ex ea pecunia, si non daretur mutuò, essem habiturus.

AD secundū respondetur imprimis, nō propterea veritatē esse celādā quòd sua culpa, eo quasi pallio, aliquis sua scelera occultare velit, fingēs lucrū cessare, quādo reuerà nō cessat. Deinde eo argumento solùm probari cautos debere esse Cōfessarios, & qui de rebus conscientiæ cōsuluntur, vt diligenter examinent, num verè lucrum cessauerit, & quousque cessauerit, aut non cessauerit, ne eiusmodi veluti pallio vsuræ tegātur. Probari itē, cautas esse debere potestates publicas, vt vbi lucrū cessare non intellexerint, aut non tātum, quantum obtendunt mutuātes, non propterea pronunciare omittāt contractus esse vsurarios. Probari item, quando apertè non constat de lucro cessante, aut non de tanto, quātum obtenditur, dissuadendos esse huiusmodi cōtractus antequā fiant. Hæc tamē non tollunt expedientissimum esse sciri, ac manifestari veritatem hac in re, tum ne condemnētur peccati, aut restituere iubeātur qui licitè tales contractus celebrarunt, iustéque pretiū veri lucri cessantis acceperūt: tum etiam vt iusti, atque vtrique contrahentium expedientes contractus neque prohibeātur, neque damnentur.

AD tertiū respondetur, mutuū ex natura rei, & præcepto Christi debere fieri gratis, id est, nihil exigēdo pro ipso mutuo, secus pro damno emergente, vel lucro cessante.

AD quartū respōdetur, licèt in iure positiuo expressū omnino nō sit, posse lucrū cessans in pactū deduci, tamē ex eo, & manifesta ratione colligi, quinimò ius Ciuile cōcedere, vt vltra sortē pro ipso mutuo aliquid exigi possit. Quæ leges secūdùm aliquos sunt permissiuæ, secundùm alios verò concessiuæ rei tanquā licitæ, vt superiùs vidimus.

AD testimonium D. Thom. respondent primò Caiet. & Val. tātùm velle,

Digitized by Google

velle, illicitum esse cõmuniter pacisci de lucro cessante, quanuis cõmuniter sit licitũ de damno emergẽte. Sed nõ placet, quia, vt obiicit Salon *controu. 9.* rationes superiùs allatæ ostendunt communiter licitum esse de lucro cessante pacisci. Secundò, respondent Caiet. Bannez, Valẽt. Villaguta, Garsia *1. p. de contractib. c.* 10. D. Thom. solùm velle, non posse in pactum deduci integrum lucrum cessans, quia deducendæ sunt expensæ, & pericula, & secundùm aliquos etiam labor, qui in negotiatione esset ponendus ad lucrandum; & sic exponi posse D. Thom. admittit Sot. *illo art. 3. in fine.* Sed non placet, quia D. Thom. absolutè negat de lucro cessante pacisci posse, eo quòd non possit quis vendere quod non habet, & quod multipliciter impediri potest. Tertiò, respondet Gabr. *4. d. 15. q. 11. n. 2.* D. Thom. velle, non posse exigi lucrum cessans, nisi cum quinque conditionibus, quas ibi ponit, de quibus postea. Sed contrà, quia D. Thom. simpliciter negat licere pacisci de lucro cessante: si autem licitũ per se esset secundùm D. Thom. id ipse docuisset adhibitis illis conditionibus. Quartò, respõdet Molin. *disp. 315. & 316. in principio.* Corad. 3. Sylvest. *verb. restit. 3. quæstio. 9. ad fin. & verb. vsura. 1. quæst. 19.* cum Nicolao de Ausmo, D. Thom. velle non posse pacisci de lucro cessante, quando non fuerit certum, vel probabile, quia pecunia non erat negotiationi destinata, vel alia de causa. Sed contrà, quia D. Thom. absolutè negat, licitum esse pacisci de lucro cessante: ergo videtur existimasse esse vniuersaliter illicitum, & alioquin cur constitueret discrimen inter lucrum cessans, & damnũ emergens? nam neque hoc in pactum deduci potest nisi sit certum, vel probabile. Item, quando pecunia non erat destinata negotiationi, lucrum non dicitur cessare ex mutuo. D. Thom. autem loquitur de lucro cessante ex mutuo: ergo non loquitur de eo euẽtu. Vnde Adrian. Sot. Couarru. Angles, Aragon, & Lopez existimant D. Thom. in prima fuisse sententia.

OBIICIES *l. cùm quidam ff. de vsur.* Num 5. vbi dicitur; *vsuræ non propter lucra petentium, sed more causâ soluentium infliguntur.* Ergo non potest exigi lucrum cessans. Respondetur, ea lege solùm probari lucrum cessans non deberi sine pacto nisi in mora soluendi.

VT verò hoc dubium magis illu- Num. 6. stretur, addenda duo sunt. Primum est, qui per vim, metum, vel fraudem ad mutuandum inductus est, posset lucro cessante pacisci, imò etiã nullo præcedẽte pacto, restituendũ esse sibi. Ita Molin. *disp. 325.* dicens, in eo cõmuniter Doctores cõuenire. Ponit exempla; si quis mortem, aut graue aliud malũ mercatori qui pecuniam ad negotiandũ habet paratã minetur, nisi eam mutuò det. Probatur, quoniã qui eo pacto mutuò dat, inuitus reuerà damnũ patitur: iniustè ergo qui est causa illius, tenetur restituere: nam si tua culpa datũ est dãnũ, vel iniuria illata, *c. fin. de iniuriis, & damno dato*, teneris restituere: sic qui mercatori furatur pecuniam, qua lucraturus erat, tenetur non solùm pecuniam, sed lucrũ etiã restituere. Cõsentiũt D. Thom. *2. 2. q. 62. art. 4. in corpore, & ad 1. & 2.* Sot. *illo art. 3.* Grasis *1. p. c. 105. n. 24. & seqq.* Lopez *2. p. Instructor. c. 61.* Ang. *q. de mutuo. art. 2. difficult. 3.* Garsia *illo c. 10.* Emanuel *1. p. c. 111. n. 7.* Tol. *lib. 5. c. 32. & 33.* Nau. 3. Nauarra *illo dub. 9.* Salõ *art. 2.*

Digitized by Google

controu. 8. & 9. Arag. Bannez, & alij: & confirmatur ex *Clem. Religiosi. de priuilegiis.* vbi retrahētes quempiam, scilicet per vim, vel fraudem, à faciendo aliquo legato, compelluntur satisfacere læsis. Meritò etiam Sot. Molin. Bānez, Nauarr. Lopez, Arag. & Salon ꝛ. doctrinam veram existimant non solùm quādo iniustè quis cogitur ad mutuandum, sed etiam interdum quando iustè, vt si Rex, postulāte id bono publico, sumeret mutuò pecunias à mercatoribus inuitis: tunc enim tenetur lucrum cessans mercatoribus restituere ex propria pecunia, aut cæterarum Reip. partium, inter quas proportione quadam posset onus distribuere, vt ex dubio præcedenti notauimus.

Num. 7. SECVNDA est, eum qui sua spōte fine vi, metu, vel fraude mutuat ad certū terminū, licitè posse paciscī de dāmno emergente, & lucro cessante, ex eo quòd mutuatarius in termino præfixo mutuū nō soluat. In hoc cōueniūt omnes auctores primæ, & secundæ opinionis, nominatim Caiet. Sot. Bānez, Aragō, Couaruu. Villaguta, Val. Nauarr. Salon ꝛ. Mol. *disput.* 299. & 315. Ioan. Med. *q.* 3. & 4. *de vsur.* Garsia *p.* 1. *de contract. c.* 10. Grafis 1. *p. c.* 106. *n.* 5. & *sequēt.* Conrr. *de contract. q.* 30. Palac. *lib.* 4. *c.* 4. Ang. *verb. vsur.* 1. *q.* 16. & *verb. mora. n.* 1. Armil. *n.* 2. Tab. *in princip.* Adrian. *q. de vsuris. §. quia tactum est.* & Scotus, & Tartaretus 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 2. Gabr. *q.* 11. *notab.* 2. Nauarra *de rest.* ꝛ. *dub.* 7. *in fin.* D. Thom. *de malo. q.* 13. *art.* 4. *ad* 14. & 4. *d.* 15. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 4. & 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *ad* 2. glos. *c. cōquest. de vsur.* Panor. *ibi. & c.* 1. *de vsur. n.* 6. Sylvest. *verb. vsur.* 1. *q.* 26. & *verb. mora. q.* 4. Probat Sot. quia mutuans significare potest mutuatario se inuitū esse quòd mutuum vltra terminū retineat. Quare cùm vltra eum terminū patiatur inuitus detrimētū dāni emergētis, vel lucri cessantis, licitè potest illud exigere. Videtur autē innuere necessariū esse pactū antecedēs, vt de illo interesse teneatur, quod tamē necessariū non esse docēt Mol. & ferè omnes: nō tamē rectè probāt Mol. & Sylvest. *ex c. per vim. de fideiussoribus.* vbi is pro quo aliquis fideiubet, tenetur de damnis ortis ex fideiussione: nā hoc prouenit ex pacto incluso in fideiussione. Meliùs probatur ex *c. fin. de iniuriis, & dāno dato.* vbi dicitur: *si tua culpa datū est dānum.* & ex aperta difficultate *l.* 2. *§. fin. & l.* 4. *& l. fina. ff. de eo quod certo loco. & l. quidam. & l. vsuras. ff. de vsur. & l. nummis.* iuncta glos. *ff. de in lit. iurād. & l. vlt. tit.* 1. *p.* 5. vbi Greg. Lopez ait, si mutuū sit alterius rei quàm pecuniæ, solùm teneri mutuatariū de interesse intrinseco; nō verò de extrinseco lucro, quod negotiando re illa cōparari poterat, iuxta *l. sterilis. §. si per venditorē. ff. de actionib. empti.* Et ratio esse videtur, quia pecunia negotiari mos est, nō verò aliis rebus. Neq; obstat quod ait Mol. locis citatis, legē loqui de solo debito ex emptione: nā eadē ratio est de debito ex mutuo. Rectè autem Greg. Lop. limitat suū dictū cū Bart. *l.* 2. *§. nō vtique. ff. de eo quod certo loco.* quādo res alia à pecunia non debetur mercatori qui per illā soleat negotiari. Neque obstat quod ait Molin. legem de mercatore loqui; hoc enim ex ea non colligitur.

SED quæres primò, an mutuatarius *Num.* 8. teneatur ad cōpensanda dāna emergētia, & lucra cessātia ex mora inculpabili, vt quādo mutuatarius ex egestate, vel ratione nō potuit soluere in termino præfixo? Adrianus *illo §. quia tactum est* refert Bernardinum de bu-

sti:

ſtis *ſerm.* 42. dicentem tunc non teneri: ipſe verò ait teneri, niſi tempore mutui in ea eſſet neceſſitate, vt alter ex charitate teneretur ei mutuare: nam à fortiori tunc teneretur intereſſe non exigere. Si verò mutuatarius nõ ſit in ea neceſſitate, tenebitur de dãnis emergẽtibus, & lucris ceſſantibus ex mora etiam inculpabili, quia potior eſt mutuantis conditio. Palacios verò *illo c.* 4. *condit.* 3. *& dub.* 4. ſic diſtinguit; vel mutuatarius cõſtitutus in neceſſitate, nec quando mutuũ petiit, nec poſtea poterat mutuũ ſoluere, & tunc alter tenebatur ei ex charitate ſortẽ donare, & conſequenter nõ petere intereſſe ratione moræ, etiã nulla cõuentione præcedente, licèt mora ſit inculpabilis: Salon verò *hîc art.* 2. *controuerſ.* 8. *&* 9. duo dicit. Primũ eſt, quãdo mutuatarius grauiter, vel extremè indiget, & nec tunc, nec poſtea habebit vnde ſoluat, tenetur ei alter ſubuenire per donationẽ: nec ſatisfacit mutuãdo, & ita non poterit paciſci de intereſſe, nec propter moram illud exigere. Si verò alibi, vel alio tẽpore habeat vndè ſoluat, poterit ad id obligari. Secundum eſt, ſi mutuatarius potens credebatur ad ſoluendã ſortẽ tẽpore præfixo; ſed morbo vel alio caſu reipſa factus eſt impotens, nõ tenetur de dãnis ortis ex mora, niſi à principio cõtractus ita cõuenerit, quia nõ poteſt teneri niſi ex cõtractu, vel culpa, quorũ neutrũ nũc interuenit; ſed ſi promiſit, tenebitur cũ cõmodè poterit, quia pacto aſtrigitur. Mol. autẽ *illa diſp.* 315. abſolutè ait, etiãſi mora ſit inculpabilis, mutuatarium teneri ad cõpẽſanda dãna emergẽtia, & lucra ceſſãtia, ſi mora ex parte mutuãtis causã nõ habeat. In quã opinionẽ inclinat Sa *verb. mora. n.* 2. dicẽs; *obligatus ex delicto ſemper eſt in mora; qui autem ſine delicto, & non poteſt, aut difficilè, aut alioqui cauſa iuſta excuſatur, putãt quidã non eſſe in mora, ideóque nõ teneri ad intereſſe ratione moræ, niſi ex pacto, vel appoſitione pœnæ conuentionalis, ſi tali tẽpore non reſtituerit: aut eius culpa impotẽtia accidiſſet. Alij putãt, qui non ſoluit tẽpore debito, etiã ſine culpa, in mora eſſe. Quæ mihi opinio videtur mercatorũ vſu recepta:* Hęc Sa.

Ego verò exiſtimo, ſi mora fuit inculpabilis, & non præceſſit pactũ deſoluendo intereſſe procedẽte etiã ex mora inculpabili, debitorẽ nõ teneri de dãnis, quia nõ poteſt obligari niſi ex culpa, vel pacto, quorũ neutrũ interuenit. Et hoc apertè videtur docere Sylu. *verb. mora. q.* 1. Armil. *n.* 2. Tab. *in princip.* Ex regulis iuris in 6. nõ eſt in mora qui poteſt exceptione legitima ſe tueri; idq; verũ eſt etiãſi tẽpore mutuationis mutuans ſubuenire teneretur p donationẽ, & nõ p ſolũ mutuũ, licèt peccauerit cõtra charitatẽ, nõ tamẽ cõtra iuſtitiã; & ſecundũ leges iuſtitię potuit mutuare cũ onere, vt ſibi dãna emergẽtia, & lucra ceſſãtia cõpẽſarẽtur: licèt Palac. 4. *d.* 15. dicat, etiãſi in eo cœtu mutuatarius ſe obliget ad ſoluẽdã ſortem, & lucra cũ venerit ad pinguiorẽ fortunã, nõ tenori, quia pactũ fecit, vt vexationẽ redimeret; q̃ verè eſſet in extrema neceſſitate, ſi, vt multi cẽſent, eſſet tũc obligatio iuſtitiæ ad donãdũ. De qua re vide Vegã *verb. eleemoſ. caſu* 10. Eman. *eod. verb. c.* 181. *n.* 1. Nau. 3. *de reſt. c.* 1. *à n.* 365. Exiſtimo etiã probabile eſſe, nũq̃ eſſe obligationẽ ſubueniẽdi p donationẽ, cùm ſatis ſẽper ſit ſubuenire p vẽditionẽ, vel p mutuũ cõditionale, videlicet, vt ſoluat ſi quãdo cõmodè poſſit. Ita tenet Nauarr. *cõ. de vſur. n.* 54. *& c.* 17. *n.* 61. *& c.* 14. *n.* 5. Adrian. *quodlib.* 1. *art.* 2. *& in* 4. *q.* 33. *Num.* 9.

Digitized by Google

de restitut. quæ incipit, *quia tactum est de lucro.* in qua inquirit, an qui rapit aliena, in necessitate teneatur restituere? Idem tenet Couaruu. *reg. peccatum. p. 2. §. 1. n. 3.* Tolet. *lib. de septem peccatis. c. 36. in fine.* & latiùs *cap. 37.* licèt communiter Doctores sentiãt, ei qui est in extrema necessitate, vel etiam graui, & non habet aliunde, nec habiturus speratur, vnde possit commodè soluere, subueniendum esse per donationem. Ita Sa *verb. eleemos. n. 10.* Val. *2. 2. disp. 3. p. 4. §. 7.* Certissimũ est ex Sot. *4. iustitia. quæst. 7. art. 1. ad 4.* Bannez *2. 2. q. 32. art. 6. dub. 3.* Arag. *art. 5. ad argumentum contra 1. conclusionem. & q. 78. art. 2. §. sed quoniam.* Sarmient. *2. p. defens. monito 4. n. 5. & 6.* Nauarr. c. *& eod. lib. c. 2. p. 2. dub. 8. n. 309.* Medin. *q. 3. de vsuris. cas. 2. condit. 5. & Codice de eleemos. c. 6. & q. 3. de restitut. p. 1.* Emanuel. *sup. n. 4. 5.* Cordubens. *lib. 1. quæst. 26. ad 7.* Ledesma *2. q. 15. art. 3. fol. 117. & sequent.* Ouand. *5. d. 16. propos. 71.* Conr. *in Summa. q. 229.* imò Medin. Nauarra, & Ledesma existimãt, eum qui poterit postea soluere, si sit in extrema necessitate, obligari non posse ad reddendum id quod accepit, si modicum sit; sed in modicis subueniendum ei esse per absolutam donationem; quanuis Nauarr. *illo cap. 2.* cum Medin. doceat, extra necessitatem extremam, vel quasi extremam, etiamsi vrgeat præceptum eleemosynæ, non esse obligationem donandi; sed satis esse subuenire per mutuum: quod etiam docet Nauar. in extrema necessitate non proueniente ex paupertate, vt si latro sit fratrem occisurus nisi dederit centum, tenebor ex præcepto mutuare fratri centum; non verò donare, si ipse alibi pecunias habeat, poteróque de interesse paciscí. Similiter aduocatus, medicus, & quiuis alius, licèt teneatur subuenire extremè indigenti, licitè poterit tamen de mercede, & interesse paciscí, secundùm Nauarr. Sed licèt admitteremus in aliquibus euentibus esse obligationem donandi, non inde sequitur, si tantùm mutuetur, non posse citra peccatum iniustitiæ fieri pactũ de interesse: nam esto tunc mutuatarius peccet contra charitatem nõ donando, tamen non peccat contra iustitiam, & alius manet obligatus ad sortem, & ad interesse sequens moram culpabilem, vel antecedens moram: imò si pactum fuisset de soluendo interesse procedente etiam ex mora culpabili, obligatio iustitiæ erit ad soluendum illud.

Ex quibus patet, malè *(omn. de contract. q. 30. concl. 1.* & Sylu. *verb. vsura. 1. q. 19.* dixisse, si mutuatio sit in præcepto, mutuantem non posse de interesse paciscí: quod meritò reiicit Nauarra *illo n. 54.* Nauarr. *illo cap. 2.* Medin *illa q. 3.* Falsum quoque est quod ait Garsia *1. p. de contract. cap. 10.* quando quis tenetur dare eleemosynam, etiam cum suo detrimento, vt in extrema necessitate, vsuram esse in pactum deducere damnum emergens, vel lucrum cessans; nam ille licèt peccet contra charitatem non donando, tamen non peccat contra iustitiam obligando ad sortem & interesse: ergo non committit vsuram. Quod ait Val. *q. 18. conclus. 1.* falsum est, si mutuatarius tanta sit necessitate oppressus, neque habeat, nec habere speret, vnde possit pro interesse prædicto satisfacere, licèt possit mutuatã sortem suo tempore soluere,

Digitized by Google

ſoluere, non poſſe ab eo exigi lucrum ceſſans, ſiue mutuatio ſit in caſu præcepti, ſiue conſilij: nam obligatio ad ſoluendum lucrum, ſi quando commodè poſſit, non eſt contra iuſtitiam, imò nec contra charitatem. Falſum denique quod dicunt Medin. *illa q. 3. de vſuris.* Nauarr. *illo dub.* 8. Aragon *art.* 2. vſuram, vel iniuſtitiam eſſe in neceſſitate, qua mutuans tenetur donare, paciſci de lucro ceſſante: nam mutuare tunc cum eo onere, vt plurimùm eſt contra charitatem.

Num. 10. QVÆRES ſecundò, an ſi mutuans ante præfixum tempus pecuniam petat, teneatur mutuatarius illam reddere, & ſi non reddat, teneatur de damnis? Molin. *diſp.* 299. ait tunc non teneri mutuatarium pecuniam reddere. Alij dicunt, ſi commodè poſſit, debere reddere ſi mutuans ea indigeat; quòd ſi non reddat, teneri de damnis. Quam opinionem Salon *illa controuerſ.* 8. *in fin.* falsò ait tribui Conrad. eſſe tamen Turrecrematæ *in Sum.* 14. *q.* 3. & Rebuf. *l. nica. C. de ſement. quæ pro eo quod intereſt. n.* 24. & Salon ait, ſi mutuans à principio deduxit in pactum damna mutuatarij, teneri tunc de illis, ſiue commodè poſſit pecuniam reddere, ſiue non: ſi autem non deduxit, teneri quidem ex charitate, & gratitudine reddere pecuniam, ſi commodè poſſit, non tamen ex iuſtitia, quia ius habet retinendi eam vſque ad tempus præfixum; vnde nec tenebitur ad reſarcienda damna orta ex illa non ſolutione.

SED quid ſi metu, vi, vel fraude mutuans extraheret pecuniam à mutuatario, teneretúrne de damnis mutuatarij? Sa *verb. mutuum. n.* 1. indicat interdum non teneri; ait enim: *mutuum repetens ante tempus, qui eget, non tenetur ad intereſſe, niſi mutuatarius aliunde, ſi ille non mutuaſſet, fuiſſet habiturus.*

Num. 11. QVÆRES tertiò, quòd ſi nullus dies fuit ſolutioni mutui deſtinatus, & mutuans petat pecuniam, tenebitúrne mutuatarius de damnis, ſi non ſtatim reddat cùm commodè poterit? Reſpondetur, ſi mora talis ſit, vt in ea committatur culpa mortalis, teneri de damnis, ſecus ſi venialis tãtùm, quia, vt alibi cum multis docui, ex veniali iniuſtitia, qualis eſt cũ ſemiplena deliberatione, vel modica negligentia non inducit obligationem reſtituendi. Si verò, quando nullus dies fuit ſolutioni deſignatus, mutuans non petat pecuniã, ideóque incurrat damna, nõ tenebitur de illis mutuatarius, niſi pactum fuerit de compenſandis damnis ortis ex mutuo, quia obligatio ad reſarcienda damna, oriri nequit niſi ex culpa, vel pacto: culpa autem tunc interuenit, imò licèt interdum peccaret videns damna ſequi, & non occurrens illis ſolutione mutui, tamen quia hoc peccatum eſſet tantùm contra charitatem, vel gratitudinem, non oriretur ex eo obligatio reſarciendi damna. Iuxta hæc, ſi dies non fuit appoſitus ſolutioni mutui, vt mutuatarius dicatur eſſe in mora inducendi obligationem reſarciendi damna, requiritur monitio; quod docent Salon *illa controuerſ.* 8. Ang. *verb. mora. n.* 1. Armil. *n.* 1. *& verb. oblig. n.* 5. Sylueſt. Tabien. & alij *verb. mora.* ex *l. ſi ex legati cauſa. ff. de verbor. obligat.* vbi habetur, quando dies non eſt appoſita obligationi, requiri monitionem. Quod etiam docet Panormit. *cap. licet. de ſimonia. cap.* 2. *de accuſationib.*

Digitized by Google

tionib. Addit Salon, ad moram, quantùm est ex parte monitionis, sufficere signa quibus creditor indicet debitori se inuitum esse in dilatione solutionis, vel egestatem & indigẽtiam eius esse debitori notam. Sed credo hoc secundum non sufficere, quia id reuerà non est petere mutuum, tanquam debitum de iustitia, manifestando voluntatem obligandi de iustitia, licèt propter timorem reuerentialem, vel alium non petat expressis verbis, debitor erit in mora, & tenebitur de damnis, si nõ reddat. Iuxta hæc limitandum est, quod docuit Angel. *verb. mora.* §. 1. Sylvest. *q.* 1. Tabiena *in princip.* Caballin. *de vsuris. n.* 32. si quis ob timorem etiam reuerentialem non audet petere debitum, vel quia ignorat, etiam sine monitione debitorem in mora constituit: aliàs verò non, quia ex quo scit sibi deberi, & sine omni respectu possit petere, & non petat, videtur consentire in retentione; & sic aiunt intelligi *l. omnibus oblig. ff. de rebus.* & Theolog. *in* 4. Adde etiam, quando dies præfixus est solutioni, requiri monitionem, vt quis non soluendo peccet contra iustitiam, & teneatur de damnis, quia non tenetur alteri se offerre ad soluendum, nisi appositum fuisset in pacto, sed soluere cùm petatur adueniente tempore. Et hoc velle videtur Caballin. hîc (quẽ trãscribit Salon) dicens moram committi citra litis contestationem per diei certæ lapsum, & congruam interpellationem extraiudicialem; vt habet communis opinio glos. & Doctor. *d. l.* vbi latè asserit Ias. & Purpurat. citat autem Caballin. ibi alios oppositum asserentes. Sic etiam intelligo Angel. Sylvestr. Armil. Tabien. *verb. mora.* cum Ludouico Rom. asserentes non esse in mora qui non fuit monitus. Quòd verò iidem Sũmistæ dicunt ex *c. vlt. de locato. & conducto,* quando dies apposita est obligationi, non requiri monitionem, quia dies pro hoc interpellat, intelligo quando debitor ex parte, vel ex præcepto iudicis tenebatur se offerre ad soluendum adueniente termino.

NOTAT etiam Molin. *disp.* 299. quando solutioni mutui terminus non fuit præfixus, mutuatarium debere soluere cùm mutuans petierit, modò non statim repetat, ac mutuũ dedit, nisi fortè superueniat sufficiẽs causa, quæ cogat statim repetere: sine hac enim statim repetens præsumeretur dolo dedisse, vt deciperet mutuatariũ, dãnúmque illi inferret, ac proinde doli exceptione repelleretur.

IN Regno autẽ Castellæ *l.* 2. *tit.* 1. *p.* 5. taxatum est, vt quando dies solutioni non fuit præfixus, nõ teneatur mutuatarius mutuũ reddere nisi post decem dies à principio quo id accepit. Vbi Greg. Lop. glos. antepen. cum Bald. & Salicet. ait, si ex re ad quam mutuauit, & ex circunstantiis colligitur tacitè mutuum dedisse in longius tempus, ante illud elapsum non esse reddendi obligationem, esto nullus terminus præfixus fuerit. Vbi verò lex non statuat, quæ statuat quanto tempore mutuum retineri possit, sanè quãdo neque tacitè terminus fuerit præfixus solutioni, arbitrio iudicis standum est quanto tempore retineri valeat. Hactenus Mol. qui etiam *disp.* 315. obseruat, quando mutuans idcirco sub vsuris ab aliquo alio mutuũ accipit, quòd

Digitized by Google

quòd mutuum in termino non fuit solutum, teneri mutuatarium soluere illi damnum illud vsurariũ, quod propter moram solutionis sibi faciẽdæ incurrit. Quod intelligit non solùm quando necessitate compulsus ad soluenda alia debita, aut prouidẽdum sibi de rebus omnino necessariis sub vsuris mutuò sumpsit: sed etiã quando ad negotiationem sibi expediẽtẽ, quã facturus erat pecunia sibi soluenda. Quod tamen regulariter minus erit, quàm lucrum quod sibi cessaret ex pecunia nõ soluta tẽpore præfixo, si eam negotiationem non aggrederetur, quam alioquin foret aggressurus; ad quod totum tenetur mutuatarius propter moram: quare sumere id sub vsuris ad eam negotiationem, in mutuatarij commodum cedit. Quando verò sub vsuris sumeret ad rem non necessariam, vel ex qua minus lucrum erat sperandum, quàm esset quantitas vsurarum, tunc mutuatarius restituere non teneretur, nisi quod rationabiliter sub vsuris fuit sumptum, aut lucrum cessans ex mora solutionis, prout mutuatarius maluerit: quando item credẽdum erat mutuatarij admonitum minori cum suo sumptu soluturum illi pecuniam, teneretur illum admonere se velle mutuũ sumere sub vsuris, nisi mutuũ illi soluat, modò tamen posset commodè illum admonere. Item quãdo mutuãs minori cum dispendio mutuatarij potest subuenire sibi, quàm sumendo sub vsuris, tenebitur id efficere, nec tunc mutuatarius tenebitur illud soluere incrementum illi, quòd plus consumpsit sumẽdo sub vsuris. Hæc eadẽ intelligenda similiter sunt de fideiussore, qui vel coactus fuit sumere sub vsuris ad soluẽdum pro principali debitore, vel postea sumpsit sub vsuris, eo quòd debitor in mora fuerit sibi soluendi, quòd loco illius ipse coactus est soluere. Iuxta hæc dicta Molin. intelligendi sunt asserentes, ei qui sumpsit ab aliis sub vsuris compensandum hoc damnum esse. Arag. Bannez, & Salon *art.* 2. Caiet. *hîc & verb. vsura. c.* 2. *casu* 4. Medin. 1. *Sum. c.* 14. §. 23. & 24.

Ex dictis infert Bannez *art.* 2. *pag.* 600. *in fin.* quomodo intelligi debeant iudicum sententiæ imponentes pœnam pecuniariam debitoribus propter soluendi moram. Nam si id fiat in pœnam, non debet reddi ante condemnationem, & sententiæ executionem, sed post eam tantùm. Si verò ratione lucri cessantis creditori ex mora debitoris, si verè cessauit, tenebitur debitor reddere mulctam etiam ante iudicis sententiam. Si autem verè nõ cessauit, non tenebitur etiam post sententiam, quia sententia fundatur in falsa præsumptione.

DVBIVM XX.

Quæ conditiones requirantur, vt mutuans damnum emergens, & lucrum cessans exigere possit?

SVMMARIVM.

1 *Prima conditio est, vt damnum emergẽs, vel lucrum cessans non exigatur tanquam debitum ex iustitia, nisi in pactum deductum fuerit.*

2 *Secunda, vt pecunia sit destinata, vel exposita negotiationi, & propter*

mutuum remoueatur à negotiatione.

3 *An requiratur tertia conditio, vt quis non vltrò se offerat, ad mutuandum cum pacto de lucro cessante, sed rogatus mutuet?*

4 *An requiratur quarta, vt non malit eo pacto mutuare, quàm negotiationem exercere: sed malit exercere negotiationem, vel sit indifferens?*

5 *Quinta conditio, vt lucrum ex mutuo cessans non compensetur alio lucro, quo careret mutuans, si non mutuaret.*

6 *An requiratur sexta conditio, vt mutuans non habeat aliam pecuniam, quam possit commodè exponere negotiationi loco huius quam mutuat, & non esset expositurus, si non mutuaret?*

7 *An requiratur septima conditio, vt non deducatur in pactum totum lucrum quod sperabatur ex vsu pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ, sed deductis expensis, quæ facienda erant in negotiationi, detrahendóque aliquid propter pericula? Variæ sententiæ proponuntur, quædam obseruantur.*

8 *Variæ controuersiæ diluuntur, variæ expenduntur opiniones. Prima opinio eligitur, & suadetur, & ad contraria respondetur argumenta n. 8. 9. 10. 11.*

12 *An requiratur octaua conditio, vt tempore mutuationis nihil pro lucro cessante accipiatur, sed postea?*

13 *An requiratur nona conditio, vt lucrũ cessans sit proximum, & non remotum?*

14 *An requiratur decima conditio, vt mutuatarius non sit in extrema necessitate, ita vt mutuans teneatur ei mutuare, vel donare?*

15 *An requiratur vndecima, vt mutuans non sit vsuris assuetus?*

16 *Duodecima, decimatertia, decimaquarta, & decimaquinta conditio profertur.*

VARII varias conditiones ponunt, quarum aliquæ simpliciter, vel in aliquo sensu, aliæ verò omnino reiiciendæ sunt. *Num. 1.*

PRIMA conditio & admittenda est, vt damnum emergens, vel lucrũ cessans non exigatur tanquam debitum de iustitia, nisi in pactum deductum fuerit. Arag. Bannez *art. 2.* vbi Salon *controuers. 8. & 9.* dicens esse communẽ. Molin. *disp. 314.* Garsia *2. p. de contractib. c. 10.* Palacios *lib. 4. c. 4. dub. 4.* Lopez *2. p. c. 61.* Sot. *6. iustitia. q. 1. art. 3.* Nauarr. *3. de restitut. c. 2. p. 2. dub. 8. & 9.* Val. *disp. 5. q. 20. p. 4. conclus. 3.* Coradus *q. 229.* & hoc intendit D. Thom. *de malo. q. 13. art. 4. ad 14.* dicens mutuatarium, qui non est in mora, non teneri de damnis, si nullum de illis pactũ præcessisset; quod præcipuè ostendimus dubio 18. conclusione 2. quia damnum, vel lucrum cessans non debetur ex iustitia ex vi iuris naturalis, vel positiui, neque ex vi solius mutui, nam hoc saluatur in sola obligatione reddendi sortem; ergo solùm potest deberi ex mora, vel pacto compensandi illud.

SECVNDA conditio & vera est, vt pecunia sit destinata, vel exposita negotiationi, & propter mutuũ remoueatur à negotiatione. Vnde si nunquam fuit negotiationi destinata, vel iam propter aliam rationem fuerat à negotiatione abstracta, mutuãs nõ poterit de lucro cessante pacisci illúdue exigere, quia tunc lucrum *Num. 2.*

crum non cessat propter mutuum: sed alia de causa. In quo euentu lucrum appellatur remotum, seu in potentia remota. Ita Molin. *disp.* 315. *in fin.* & 316. *in princip.* Garsia *illo c.* 10. Aragon, & Bannez *art.* 2. Salon *ibi, controuers.* 9. Cajet. *ad* 1. & *verb. vsura. c.* 2. *casu* 5. Medin. 1. *Summ. c.* 14. §. 23. Ioann. Medina *q.* 3. *de vsuris.* Palacios, & Lopez 3. Angles *q. de mutuo. art.* 2. *difficult.* 3. Villaguta *q.* 18. *de vsuris.* Conrrad. *de contractib. q.* 30. Vega *verb. vsura. casu* 26. Sa *verb. mutuum. n.* 4. Tol. *lib.* 5. *c.* 33. Coradus & Valent. 3. Nauar. *illo dub.* 8. Nauart. *c.* 17. *num.* 212. Armilla, & alii.

Ad quid, si quis non destinauerat pecuniam negotiationi, dertò tamen aut probabiliter erat destinaturus? Molin. locis citatis indicat, in eo euentu non posse de lucro pacisci, quia tunc non cessat ex mutuo; fauentque alij nūc relati. Sed oppositum videtur dicendum, quia talis propter mutuum probabiliter amittit lucrum; ergo pro quantitate probabilitatis poterit aliquid vltra sortem petere: communiter tamen qui neque absolutè, neque conditionaliter (si se offerrat occasio) voluntatē negotiandi habet, si erat probabiliter lucraturus, ideo absolutè Doctores asserunt eum qui non habet pecuniam destinatam, paratam, vel expositam negotiationi, de lucro pacisci non posse.

Ad hanc cōditionē reduci potest alia quoque, vt mutuans, re quam mutuat, negotiari soleat; pro qua citatur Bart. *l.* 2. *in fin. ff. de eo quod certo loco. & l.* 2. *in fin. C. de sententia qua pro eo quod interest proferitur.* Cardin. *Clem. vnica de vsuris.* §. *Sanè. q.* 4. Alex. *l. diuortij. in princip. col.* 7. *& l. insulam.* §. *vsura. ff. de matrimo.* Decius *c. cùm venerabilis. col.* 5. *de exceptionib.* Ludouicus Gomezius §. *actionum. Instit. de actionibus.* Sed hoc non esse necessarium in foro interno rectè ait Salon *controuer.* 9. *condit.* 3. quia etiam aliis volentibus ea re negotiari cessat lucrū ex mutuo. Ergo possunt pro eo aliquid vltra sortem petere. Ita Conrad. & alij Theologi hanc conditionem nō posuerunt: imò eam non esse necessariam docuerunt Vega 3. Anchar. *Clement. graui. de vsuris. & c. conquestus. eod. tit. & c. de Clericis.* 2. *q.* 2. In foro tamen externo huius conditionis ratio habēda est, vt ait Salon, quia qui non sunt soliti re aliqua negotiari, non præsumuntur cùm mutuant, negotiari velle: & rectè addit Salon, si quis mutuauit ad biennium, & solo primo anno negotiari volebat, pro illo solo posse aliquid exigere, quia pro illo solo cessat ei lucrum. Idem docet Coradus *q.* 229. Lopez *p.* 2. *c.* 62. Bannez *art.* 2. *pag.* 599. Idem ait Salon, & Bannez, si volebat negotiari biennio, sed post primum annum mutauit animum. Hoc tamen limita, si à principio non fuit taxatum pretium lucri cessantis iuxta circumstantias tunc concurrentes: nam si fuit taxatum, nihil de illo detrahendum est, sed tantùm quādo in genere de soluendo lucro cessante cōuentum est, taxatum relinquendo successui temporis.

Ad hanc quoque conditionem reduci potest quod aliqui dicunt, nō posse pactum fieri de lucro, nisi certum, vel probabile sit nullius esse æstimationis. Item, quia non esset animus negotiandi, nisi speraretur lucrum, sic etiā damnum quod non est certum, nec probabile, non posse

Digitized by Google

in pactum deduci docent Bal. *etiam. col. 2. ff. de excus. rei.* Palac. Rub. *c. per vestras. de donationib. inter vir. & uxor.* §. 6. Malè autem Paul. *l. 2. §. fin. ff. de eo quod certo loco.* ait: *nõ sufficit lucrũ fuisse in potẽtia incerta, & remota; sed oportet fuisse in actu, vel in potẽtia certa, & propinqua.*

Num. 3. TERTIA conditio, vt quis nõ vltrò se offerat ad mutuandũ cũ pacto de lucro cessãte, sed rogatus mutuet. Hanc conditionem ponit Angles *illa difficult. 3.* Ioan. Medin. *q. 3. de vsuris.* Villaguta *q. 18.* Anton. *2. p. tit. 1. c. 7. §. 19.* Sed non esse necessariã meritò docent Molin. *illa disp. 315.* Lopez *2. p. Instructorij. c. 62.* Sot. *6. institiæ. q. 1. art. 3.* Nauarr. *c. 17. n. 212.* Nauar. *illo dub. 8.* Salon *illa controuers. 9. ad argumenta 2. opinionis. & condit. 2.* Val. Toletus, Sa, Palacios, Coradus Garsia, Caiet. Bannez, & Aragon ẽ. Probatur, quia sæpe charitas exigit, vt quis se offerat ad mutuandum, etiam cum eo onere; & cùm in cõmodum, & gratiam alterius amittat lucrũ, non est cur de illo compensando paciscí non possit; licèt offerre se ad mutuandum sæpe indicet maius lucrum quàm in negotiatione, & sic iniustè, & vsurariè tantum pro lucro cessante exigatur, minùs enim esset exigendum. Et quanuis Caiet. Victor. Lopez, Bannez, & Conrrad. exigere videãtur, vt affectu charitatis, vel pietatis homo moueatur ad sic mutuãdũ, tamẽ oppositũ censent Nauar. Nauarra, Val. Mol. & Salon. Similiter, quãuis Sylueſt. *verb. vsura. 1. q. 19.* dicat, mutuantẽ in gratiã, & commodum mutuatarij debere à lucro cessare, tamen Nauarr. & Nauarra meritò docent id nõ esse necessarium. Bannez fatetur, quãdo dicitur, quod faciẽdum est in cõmodũ mutuatarij, nõ oportere esse verũ cõmodũ; sed satis esse, tale à mutuatario æstimari, vt si pecuniam petat ad expendẽdũ prodige in ludis, & luxuriis, quia tũc esto mutuãs mutuãdo peccet cõtra charitatẽ, tamẽ nõ peccat cõtra iustitiã exigendo lucrũ.

Num. 4. QVARTA cõditio, vt nõ malit eo pacto mutuare, quàm negotiationẽ exercere; sed malit exercere negotiationẽ, vel certè sit indifferẽs. Cõrad. Villaguta, Veg. Ioan. Medin. ẽ. Grasis *1. p. lib. 2. cap. 115. n. 13.* Sylueſt. *verb. vsura. 1. q. 19.* Sed hãc cõditionẽ non esse necessariã docet Nau. ẽ. *& com. de vsuris. n. 54.* Bannez, Val. Nauarr. ẽ. Lopez *c. 61.* cum Caiet. *hîc. art. 2.* & Victoria. Quia ad iustificandũ illud pactũ, satis est mutuãtẽ reuerà fore negotiaturũ, & prudenter expectare lucrũ ex sua negotiatione; & quia integrum illi est, vt pro suo arbitratu malit potiùs hoc genus cõtractus, vel negotiationis exercere quàm aliud. Si vtrũque est licitũ, & quia ex charitate possit malle mutuare eo pacto, quàm negotiari; adde id malle licitè posse, ne in periculo habeat capitale, aut ne dedecus aliquod ex negotiatione incurrat, aut quia sic amicum lucratur, laudẽ, & famã cõsequitur, minùs habet curæ, & laboris; &c. Sicut artifex qui ad venatũ, vel aliã recreationẽ ducitur, licitè potest petere lucrũ cessãs, licèt mallet ire ad eã recreationem eo pacto, quàm suã artẽ exercere. Vnde etiã falsũ est quod ait Gab. *4. d. 15. q. 11. not. 2.* cũ Angelo *verb. vsura. 1. q. 16.* necessariũ esse, vt mutuans non intendat principaliter lucrari per mutuationem; sed per mercaturam, vel negotiationem.

Num. 5. QVINTA conditio & admittẽda est, vt lucrum ex mutuo cessans non compensetur alio lucro, quo careret mutuans

Digitized by Google

mutuans si non mutuaret. Mol. *disp.* 316. inquiens, *inde fit, vt si pecunia destinata erat negotiationi, attamen esto illam mutuò det, non proinde minuetur negotiatio, & lucrum, quia vel applicabit aliam quã reseruare decreuerat, vel mutuò pecuniã ab aliis accipiet, vel aliunde sibi subueniet, ita vt nihil minùs habeat in termino ad solutionem mutui præfixo, quàm esset habiturus si non mutuasset, nullũ pretium licitè pro lucro cessante posset accipere; quòd si pars lucri solùm ei cessat ob mutuum, reliquam verò modis explicatis compensat, licitè poterit accipere pretium solius partis quæ verè ob mutuum sibi cessat. Si verò propter mutuum negotiari omnino desinat, tamen vel totum lucrum quod ex negotiatione sperabat, vel partem eius opificio, aut alia sua industria compensat, quam tamen appositurus nõ fuisset, si negotiationi illi insisteret, fas illi erit accipere pretium solius partis, quam sua industria non compensat. Si tamẽ hæc industria molestior est, aut laboriosior, tunc aliquod pretij incrementum poterit accipere, vt in mutuatarij gratiam negotiationem minùs laboriosam, & molestam omittat, & in hac potiùs aliàs se exerceat.* Eandem conditionẽ ponit Garsia *illo c.* 10. ex qua colligitur primò cũ Mol. vsurarios esse mercatores qui vẽdentes creditò, accipiunt aliquid vltra pretiũ rigorosum, dicentes se id accipere ratione lucri cessantis, eo quòd si statim eis solueretur merces pretio summo, aut medio, tantundẽ, aut plus lucrarentur quàm recipiant vltra sortem; aliunde enim hoc lucrum compensatur: nã vendẽdo ad creditũ, quod virtualiter est mutuare, plures habẽt emptores, pluréſque res vendunt, & ita cõpensatur lucrum quod vendẽdo numerata pecunia haberẽt, vt fusè explicant Molin. Ioan. Med. Bannez, Villaguta, & Garsia ꝯ. Med. 1. *Sum. c.* 14. §. 25. Palacios 4. *de contractib. c.* 4. *dub.* 5.

SECVNDO colligitur cũ Salone *illa controuers.* 9. si mutuatarius ob mutuũ det mutuanti officiũ, ex quo tãtũdem lucratur, quãtùm lucraretur pecunia quam mutuat, & sine maiori labore, aut plus, licèt maiori cum labore, non posse pacisci de lucro cessante, quia verè nullũ lucrũ cessat ei ex mutuo; quod enim ex vna parte amittit; ex alia cõpẽsat ratione eiusdẽ mutui.

SEXTA cõditio, vt mutuãs non habeat aliã pecuniã quã possit cõmodè, & sine vllo detrimẽto exponere negotiationi loco huius quã mutuat, & nõ esset expositur⁹ si nõ mutuaret: nã si eã exponit, iã cõpẽsat lucrũ, & nihil amittit: si verò nõ exponit, iã nõ cessat ei lucrũ ex mutuo, sed ex propria incuria, & negligẽtia. Tolet. *lib.* 5. *c.* 33. Gars. *illo c.* 10. Caiet. *hac q. art.* 2. *ad* 1. *& verb. vsura. c.* 2. *casu.* 5 *cõd.* 1. Armil. *eod. verb. n.* 3. Graf. 1. *p. lib.* 2. *c.* 115. *n.* 18. Sot. 6. *iust q.* 1. *art.* 3. Ioan. Med. *q.* 3. *de vsur.* Veg. *verb. vsura. casu* 26. Nau. 3. *de rest.* ꝯ. *dub.* 8. Bart. Med. §. *citato.* Ang. *q. de mutuo. art.* 2. *difficult.* 3. Eman. *tom.* 1. *c.* 111. *n.* 10. Corad. *q.* 229. Lop. 2. *p. Instr. c.* 62. Ban. *hic art.* 2. *pag.* 599. Salon *controu.* 9. *condit.* 2. id confirmans. Primò, quia mutuanti triticum quod terræ mandare volebat, si habeat aliud æquè aptum ad seminandum, quod commodè seminare posset, sed nollet, non liceret accipere aliquid ratione lucri cessantis: ergo similiter in casu proposito. Secundò, quia lucrum tantùm peti potest, quando mutuans ex mutuo fit ad lucrandũ impotens; in hoc autẽ euentu non fit impotens: ergo. Tertiò, quia hoc videtur dicere Conrrad. *de contractib. q.* 30. *conclus.* 1. ait. *Num.* 6.

Digitized by Google

enim ad petendum lucrum necesse esse, vt non cessaret ratione propriæ incuriæ, & negligentiæ, sed ratione mutui. Fatentur tamen Salon, Emanuel, Coradus, Garsia, Lopez, & alij cum Nauar. *cap.* 17. *n.* 212. *& comment. de vsuris. n.* 54. si alia pecunia sit necessaria ad debita soluenda, vel ad alendam familiam, vel ad similes necessitates, quæ iam occurrerint, vel moraliter occurrere posset, licitè posse lucrum cessans exigi; quia tunc non ex incuria, & negligentia mutuantis, sed ex ipso mutuo cessat lucrum, eo quòd mutuans non habet aliam pecuniam præter mutuatam, quam commodè valeat negotiationi exponere: quod verò commodè fieri non potest, simpliciter dicitur impossibile. Palac. *n.* 4. *de contract.* simpliciter reiicit, & expungit istam conditionem, & Valent. *disp.* 5. *q.* 20. *p.* 4. *concluf.* 3. quatuor argumentis, quæ manifesta appellat. Primum est: nam mutuans minimè tenetur aliam pecuniam, quam ob qualescumque causas seruare voluit, gratis exponere negotiationi, nec gratis subire detrimentum lucri cessantis ex alia pecunia.

SECVNDVM: nam quòd habeat aliam pecuniam, non releuat mutuatarium ab obligatione compensandi lucrum cessans ex mutuo istius; quia eo ipso quòd impedit lucrum pecuniæ mutuatæ, potest ad compensationem obligari.

TERTIVM: quia, quanuis aliam pecuniam negotiationi exponeret, amitteret lucrum huius; ergo licitè potest lucri huius compensationem petere.

QVARTVM: quia alioquin etiamsi non haberet pecuniam, si posset aliquam rem vendendo, vel alio modo pecuniam habere, teneretur id procurare, & per eam negotiari.

MOLIN. etiam *disp.* 316. apertè reiicit hanc conditionem, dicens non solùm posse licitè mutuantem lucrum cessans exigere quãdo aliam pecuniam habet, quam prudenter reseruat aliis necessitatibus; sed etiã quando ex auaritia, & pusillanimitate non vult eam negotiationi exponere, quia eo ipso quòd eam negotiationi exponere non vult, verè illi cessat lucrum ob tale mutuum, & non solùm ratione incuriæ, & negligentiæ: ergo licitè poterit eius compensationem petere. Confirmatur, quia ratione mutui minùs habet, quam aliàs haberet: ergo verè illi cessat lucrum ex mutuo; esto aliud lucrum cesset ratione incuriæ, & negligentiæ, Itaque duplex lucrum illi cessat, alterum ratione incuriæ, & negligentiæ, & pro hoc nihil potest petere: alterum ratione mutui, & pro hoc potest aliquid petere. Idémque est in exemplo tritici, per quod patet ad Fundamenta Salonis, & aliorum. Et quanuis Garsia 5. primùm quidem ponat sextam hanc conditionem, tamen postea ait, si mutuans non possit, aut nolit aliam pecuniam negotiationi exponere, posse de lucro cessante paciscí.

EGO autem hanc litem sic dirimerem. Si certum, vel probabile est, reliquam pecuniam nõ esse mutuanti in negotiatione sustinendam, licitum esse de lucro cessante paciscí, quia tunc certò, vel probabiliter, ex mutuo lucrum cessat: si verò certum sit, sustinendam esse, non posse de lucro cessante paciscí,

quia

Digitized by Google

quia tunc nec certò, nec probabiliter lucrum cessat: & quæ dicta sunt de lucro cessante, intellige de damno emergente, & vera sunt quando lucrum cessat, vel damnum emergit sine culpabili mora mutuatarij. Nam ex sola mora sine alio pacto solùm tenetur quis compensare lucrum cessans, vel damnum emergẽs quod non potuit commodè à mutuante vitari, iuxta dicta cum Mol. ad calcem dubij præcedentis, & Ang. *verb. vsura.* 1. §. 20. qui citat Alexãdr. & ait colligi ex *cùmoniam.* 14. *q.* 4. & *c. si quis. de Clericis.* 12. *q.* 2.

QVOD autem Mol. & Angel. *ibidem*, & Caiet. *hic art.* 2. dicunt, vt mutuatarius teneatur soluere damna secuta ex eius mora, opus esse admonere de illis, meritò reiicit Nauarr. *de restit.* 5. *dub.* 7. sicut enim vt homicida, fur, vel raptor teneatur de damnis ex suo delicto secutis, non opus est illa nosse, ita, &c. Indicat autem Nauarr. ibi, etiamsi mutuum non petatur, mutuatarium qui in termino non soluit, esse in mora culpabili, & teneri de damnis. Sed iam dubio præcedenti docuimus hoc falsũ esse, nisi ex præcepto, vel pacto aliquo mutuatarius teneretur aduenientè termino solutionem offerre. Ex charitate autem tenetur mutuans mutuatarium admonere de damnis imminentibus ex eius mora culpabili, vt sic moram iniustam non protrahat, neque tot damna compensare teneatur. Bene autem Nauarra *ibi. dub.* 10. *n.* 316. & 341. ait, moram inculpabilem non esse veré moram, neque ad resarcienda damna obligare.

Num. 7. SEPTIMA conditio, vt non deducatur in pactum totum lucrum quod sperabatur ex vsu pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ, sed deductis expensis quæ faciendæ erant in negotiatione, detrahẽdóque aliquid propter pericula, seu incertitudinẽ lucri, aut tanti lucri. Caiet. Bannez, Aragon locis citatis, Salon *illa. controuerſ. 9. condit. 6.* Molin. *disput.* 316. §. *hinc iam.* Tol. *illo c.* 33. Nauarra *illo dub.* 8. Vega *verb. vſura. caſu* 26. Emanuel *p. 1. c. 111. n.* 9. & 10. Angles *illa difficult.* 3. Gabr. 4. *d.* 5. *queſt.* 11. *n.* 2. Syluest. *verb. vſura.* 1. *q.* 19. Angel. *q.* 16. Armil. *n.* 3. Medin. *q.* 3. *de vſuris.* Villaguta *q.* 18. Grasis *illo cap.* 15. *n.* 20. Palacios 4. *de contract. cap.* 4.

PROBATVR, quia tanto minùs valet lucrum in spe, quàm in re, quanto magis spes frustrari potest, spectatis omnibus circumstantiis, minùs etiã valet lucrũ obtinẽdũ cũ expẽsis, quàm sine illis. Obseruandũ autem est cum Moli. pretium talis lucri non consistere in indiuisibili; sed latitudinem quandam habere, sicut pretia cæterarum rerum: & sicut quando is qui alterius fata destruit, non tenetur restituere illi quantùm inde optabat deductis expensis, sed quantùm prudentis arbitrio fata illa æstimabuntur pensata maiori, vel minori elongatione spei à re, & pensatis periculis, quibus fructus subiarent, cum reliquis circunstantiis, sic rem habere cum valore lucri cessantis.

SECVNDO obserua, lucrum ex mutuo cessans aliquando esse certum quoad substãtiam, & quantitatem, & tunc totum exigi posse, nihil detrahendo ob incertitudinem, cùm nulla sit, sed ob expensas tantùm, velut quidã volunt (quos ſ. reiicimus) & propter labores. Villaguta

queſt.

Digitized by Google

quæst. 18. Garsia *c.* 11. Eman. *illo n.* 9. Angles *illa difficultate 3. dub.* 1. putans esse contra Caiet. *art.* 2. De mente tamen Innocentij, & aliorum quos Caiet. impugnat, idem tenet Salon *illa condit.* 6. dicens esse cõmune, exẽpláque ponens in stipendiis mercenariorum, quæ certa esse solẽt quoad substantiam, & quantitatem, & cùm quis mutuaret pecuniam qua empturus erat statim censum, posset enim tunc exigere integram pensionem.

TERTIO obserua, quãdo lucrum in quantitate, vel substantia certum non est, sed probabile tantùm, dupliciter posse contractum fieri, vel vt sicut lucrum incertum est, ita prẽtiũ incertum sit, ac dependens ab euentu aliorum negotiorum ejusdem, vel alterius hominis in eodem genere negotiationis, & cum eisdem circũstantiis temporis, loci, &c. & tunc soluatur quantitas pecuniæ proportionaliter respondẽs lucro pecuniæ mutuatæ. Et tale pactum licitum esse docet Grafis §. *n.* 21. cum Alex. *l. quod te. ff. si certum petat.* Iaſ. *l.* 2. §. *fin. ff. de eo quod certo loco.* Couaruu. 3. *Variar. c.* 4. Idem tenent alij statim referendi.

QVARTO, potest fieri pactum taxando statim ad arbitrium boni, & prudentis viri vnam certam quantitatem reddendam mutuanti pro lucro cessante deductis expensis, vel etiam laboribus. Et hoc pactum esse licitum docent Molin. *disp.* 316. Medin. *q.* 3. & 4. *de vsuris.* Grafis *illo n.* 22. Salon *illa controu.* 6. Palacios, & Banez §. Sot. 6. *iustitia. q.* 1. *art.* 3. *in fine.* Adrian. *q. de vsuris.* §. *quia tactum est.* Couaruu. 3. *Variar. c.* 4. *n.* 5. Angles §. Garsia *c.* 11. *q.* 18. *de vsuris. conclus.* 1. & 2. Alex. *cons.* 200. *lib.* 6. Dec. *cons.* 111. *col. vlt. & cons.* 322. *n.* 4. & *c. cum venerabilis. n.* 63. *de exception.* Carnulus apud Villagutam §. & Lupum §.

PROBATVR, quia licitum est vẽdere spem taxato statim pretio. Secundò, quia gener cùm non statim confertur dos, quam ipse alicui negotio exposuisset, potest conuenire cum socero de lucro cessante taxato statim pretio. Tertiò, quia piscator potest vendere lucrum incertũ taxato statim pretio. Quartò, quia *c. in ciuitate. & c. nauiganti. de vsuris.* decernitur seruatutum merces in tempus quo plus valebunt, licitè posse nunc taxare pretium exigendo id quod creduntur valituræ plus, minúsue. *& l. fin. ff. de prætoriis stipulationib.* habẽtur hæc verba: *in eiusmodi stipulationibus quæ quanti res est promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere, quoniam plerunque difficilis probatio est, quanti cuiusque interfit, & ad exiguam summam deducitur.* Non autem esse licitum taxare statim pretium, docere videntur Contrad. *q.* 30. *conclus.* 1. vt ei tribuunt Palacios, Corad. & Salon *q.* 229. Lopez 2. *p. Instructor. c.* 62. Aragon *hîc art.* 2. Nauarr. §. *dub.* 8. & 9. & expressiùs Ioan. Bapt. Lupus Geminianus *comment.* 1. *de vsuris.* §. 6. *à n.* 121. vbi docet de lucro cessante ante moram nullum pactũ fieri posse: de cessante autẽ post moram licitè fieri posse, relinquendo taxationem pretij euentui temporis in simili negotio (vt docet Gab. §. *art.* 3. *dub.* 2. & Angel. *verb. vsura.* 1. *n.* 17. & cæteri omnes) non tamen taxato statim pretio. Adducit Sorin. omnia hæc dicẽtem *cons.* 176. *col.* 3. *vers.* 7.

PROBANT autem suam sententiã

Lup.

Digitized by Google

Lup.Lopez,& Corad.ex cõstitutione Pij V.edita anno 1561.quã ad verbũ refert Naua.c.17.n.300.vbi præcipitur ne deinceps quisquã audeat siue à principio, siue aliàs, certum,& determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci.

Sed respondetur; hanc constitutionem ad cambium, non ad mutuũ pertinere,vt optimè Sal.ẽ.Nauarr.c. 107. n. 212. & comm.de vsuris. n. 54. Val.disp.5.q.20.p.4.conclus.3. Villagut a ẽ.qui & Sal.addunt non esse eandem rationem de cambio, & mutuo, quia interesse cambij nec probabiliter potest ab initio æstimari, secus interesse cessans ex mutuo. Sed non placet discrimẽ, quia cur in cambio non poterit probabiliter interesse æstimari? Vnde censeo discrimen esse,quòd in cambio maius est periculum vsuræ,& iniustitiæ; ideo in eo tantùm Pontifex constitutionem fecit,& ideo ait se præcipere id ad tollendas occasiones peccandi,& fœneratorum fraudes. Addit autem Val. cum Nauarr.c.17.n.301.constitutionẽ illã vbi est recepta,nõ obligare in foro interno,quãdo verè coram Deo cõtrahens est certꝰ de cessatione lucri,& plus,minúsue paciscitur de illo tantũ probabiliter,quæ est de tanto, vel tãto lucro futuro, quia restitutio fũdatur in præsumptione iniquitatis talis pacti; vnde non obligat in foro interno,cũ nõ est talis iniquitas,secꝰ in externo.Plura alia contra Lupum videre licet apud Villagut. ẽ.

Num. 8. Conditio ergo septima,vt non possit exigi totum lucrum cessans, sed aliquod deducendum sit ratione incertitudinis,intelligenda est quãdo pactum est hoc secũdo modo, scilicet taxando statim pretium lucri cessantis,non autẽ quando fit primo modo,scilicet relinquendo taxationẽ successui tẽporis,quia tũc nihil de ducẽdũ est propter incertitudinẽ, vt rectè notat Mol.quia tũc incert tudo lucri cõpẽsatur incertitudine pretij. Nec probo quod ait Salõ,etiã tũc aliquid deducẽdũ esse;eo quòd accidere aliquid posset,ob quod pecunia mutuata minꝰ lucraretur,quã alia æqualis; nã etiã fieri posset, vt lucraretur amplius:ergo sicut nõ est addendum aliquid,ita nec detrahendum quãdo nõ est verisimile diuersũ fore vtriusque pecuniæ euentũ. Sic quãdo quis segetes alterius conculcat, potest cum eo conuenire, vt soluat quantum fructum similes segetes ferunt, nihil addendo,vel detrahendo.

Quinto obserua,si spectatis omnibꝰ circũstãtiis plus valeat quod exigitur quã lucrũ quod cessat,illud prò mutuo accipere, vsurã esse, pro lucro autẽ cessãte,iniustitiã cũ obligatione restituẽdi;nõ tamẽ vsurã, quod apertè indicat Moli. disp. 316. §. pro lucro.

Sexto,obserua cũ Mol.hîc,Caiet. Sylu.Conr.Ioan.Medi.Naua.Nauar. Tol.Salõ,& aliis omnibus,si mutuãs in negotiatione à qua ob mutuũ desistit, facturus erat maiores expensas quàm faciat ab ea negotiatione desistẽs, incremẽtũ illud expẽsarũ deducendum esse de lucro cessante: imò expensas omnes quæ in negotiatione illa faciendæ erant,computandas esse cum capitali, & reliquũ solùm, quod vltra illas & capitale remanserit,appellari lucrũ. Duplex tamẽ est inter Doctores cõtrouersia. Prima, an si capitale in negotiatione alicui periculo subiacebat,detrahẽdũ aliquid sit ratione illius periculi, quãdo pactũ fit de soluẽdo lucro cessãte taxato statim pretio,ita vt ratione illiꝰ periculi minꝰ pretiũ exigatur?

PARTEM affirmatiuam tenet Molin. ꝫ. qui ait, quando taxatio pretij relicta est successui temporis in simili negotio, si in eo aliquid de capitali amissū fuerit, tantundē amittendū esse de capitali à mutuāte, ita vt non sit ei integrum mutuum soluendum.

SED meritò contrarium tenet Sot. *illo art. 3. in fin.* & Salon *illa condit. 6.* quia licèt res mutuata apud mutuātem haberet periculū, & certissimè esset peritura, vt vinū, vel triticum, vel alia corruptioni, & furto obnoxia, tamē integra reddenda est. Item, quando nullum pactum fieret de lucro cessante, nihil esset detrahendum de capitali ratione periculi, cui in negotiatione obnoxium erat. Ergo nec quando fit pactum: nam pactum de lucro cessante extrinsecum est, & non accidentarium est pacto mutui, obligationique reddendi sortē, neque in eo habetur ratio sortis, sed lucri cessantis. Ergo siue sors sit periculo exposita, siue nō, idem pro lucro cessante exigi poterit, quanuis si taxatio pretij relicta fuerit successui tēporis, & capitale perierit, nihil pro lucro dandum sit, quia nullum fuit lucrum; sed solum capitale.

SECVNDA controuersia est, an deducendi sint labores qui in negotiatione à mutuante essent subeundi, ita vt propter eorū carētiā mutuanti minùs dandū sit pro lucro cessante?

PARTEM affirmatiuam docent Tol. *lib. 5. cap. 33.* Sylvest. *verb. vsura. 1. quæst. 19.* Ang. *q. 16.* Vega *eod. verb. casu 26.* Palacios *4. de contractib. cap. 4.* Nauarr. *illo dub. 8.* Med. *q. 3. de vsuris.* Villaguta *q. 18.* Graf. *illo c. 105. n. 13.* Arag. *hic art. 2. pagin. 695.* Conrad. *q. 229.* Gab. *4. d. 15. q. 11. not. 2.* Lopez *2. p. Instructorij. c. 62.* Suadetur, quia pauca sine labore eligibiliora sunt, quàm multa cum labore. Secundò, quia mutuans, si nihil deducatur pro laboribus, vltra sortem, & vltra id quod recipit ratione lucri cessantis, reportat aliquid pretio æstimabile, scilicet non laborare; ergo est vsurarius.

SECVNDA opinio absolutè negat aliquid propter labores esse deducendum. Sot. & Mol. ꝫ. Garsia *illo c. 11.* Bannez *art. 2. pag. 600. col. 2.* & alij recentiores. Quod etiam videtur tenere Caiet. *art. 2. circa. ad 1.* Conrrad. *quæst. 30. de contractib. concl. 1. condit. 8.* Nauar. *com. de vsuris. c. 54.* qui de expensis deducendis minimè, non de laboribus.

TERTIA opinio, quam refert Salon *illa cond. 6.* distinguit, vt propter labores intrinsecos, & per se necessarios, sine quibus per se negotium exerceri non posset, huiusmodi sunt emere, vendere, & similes cōtractus celebrare, nihil deducendum sit, quia valor ipsorum est ipsum lucrum negotij, ipsúmque detrahere, est detrahere totum negotij lucrum: secus propter labores intrinsecos, huiusmodi sunt ire ad nundinas, longa itinera peragere, & alia sine quibus, per se loquendo, negotium fieri non posset. Quā opinionem non retulit fideliter, nec satis intellexit, neque bene impugnauit Salon: vnde omissis eius argumentis, eam reiicio, quia quòd labores sint, vel non sint per se necessarij ad lucrū, impertinēs videtur, vt sint, vel nō sint deducendi: rationes enim primæ opinionis de vtrisq; militant.

QVARTA opinio Salonis est cum Victoria, non esse detrahēdū aliquid in rigore propter labores, sed in aliqua

aliqua quota iusta, & moderata ad arbitrium prudentis in ea negotiatione. Sed hæc opinio fundamento caret, quia nulla est ratio ob quam si aliquid laboribus respondens deducendũ sit, nõ sit deducendũ totum.

Num. 9. VNDE teneo secũdam opinionem, quæ probatur, primò, quia labores quibus vtitur negotiator frequẽter æquantur lucro: vnde si illorum valor deducendus esset, illúdque solùm censeretur lucrum quod deductis laboribus maneret, nullum maneret lucrum, de quo posset cum mutuatario pacisci; imò nullum lucrum diceretur mercatori cessare.

SECVNDO, quia meritò posset aliquis, præsertim si non haberet vnde victum quæreret, velle potiùs laborem suum impendere, quàm propter otiũ amittere aliquid de lucro quod sperabat. Quò fit, vt mercenarius qui rogatur cessare à labore, vt aliquem comitetur ad honestã recreationem, iustè posset exigere integrũ pretium quod laborando compararet, vt morem id postulãti gerat, quoniam integrum illi est velle potiùs cum labore totum pretium acquirere, quàm cessando à labore aliquid illius amittere.

TERTIO, quia cùm quis cogitur ad mutuãdum, tenetur mutuatarius compensare ei lucrum cessans, nihil deducendo propter labores, vt Tol. ſ. docet. Item, qui ex mora culpabili, mutilatione, rapina, furto, vel alia iniustitia, in causa fuit, vt alicui dãnum emergeret, vel lucum cessaret, tenetur illud cõpensare, nihil detrahẽdo propter labores; vt in materia de restitutione cõmuniter docetur. Ergo idem in proposito, quantùm ad hoc enim par ratio est, licèt in aliis euentibus compensatio debeatur sine pacto, in nostro verò non.

QVARTO, si agricola mutuet, vel vendat triticum quod seminare volebat, posset pacisci de lucro cessante, nihil detrahendo propter labores; & idem est de eo, qui mutuaret, vel venderet triticum deferendum vbi plus valeret. Ergo similiter qui mutuat pecuniam.

QVINTO, quia *lex 1. ff. de fructibus & litium expens.* dicitur, *hoc fructuum nomine continetur, quod iustis sumptibus deductis supereſt.* & *l. fructus. ff. soluto matrimo.* fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt. Ergo non sunt deducẽdi labores, sed expensæ tantùm.

Num. 10. AD primum argumentum primæ opinionis respondetur, licèt interdum pauca sine labore eligibiliora sint, quàm multa cum labore; hoc tamen non semper est verum: nec tenetur quis ex iustitia id eligere, quod eligibilius est, integrúmque illi est velle totum lucrum cum labore potiùs, quàm partem sine labore.

AD secundum respondetur negãdo consequentiam; quia id non exigitur à mutuante, nec datur à mutuatario pro ipso mutuo; sed consequitur ex natura mutui, vt qui pecuniã mutuat, non laboret negotiãdo per illam.

Num. 11. OCTAVA conditio est, vt tempore mutuationis nihil pro lucro cessãte accipiatur, sed postea. Ioan. Medin. Conrrad. Villagúta, Tolet. Vega, Lopez. Corad. locis proximè citatis, Valent. *disput. 5. q. 1. p. 4. conclus. 3.* Bannez *art. 2. pag. 690.* Aragon 693. Emanuel *tom. 1. c. 100. n. 10.* Nauarr. *3. de restit. c. 2. p. 2. dub. 9.* Sed rectè Molin. *in calce disp. 316.* ait, hanc cõditio-

Digitized by Google

nem, vt vera sit, intelligendam esse, quando ex acceptione statim talis pretij lucrū cessans minuitur, & non minuitur de pretio, quantūm ea de causa minùs cessat lucri, in quo euētu plus acciperetur pro lucro quàm esset lucrum cessans, verbi gratiā, si ex mille aureis quos negotiationi expositos habebas, mihi des mutuò 500. & lucrū cessans estimetur 30. & quando mutuò illos mihi das, accipias 30. solùm mihi tradis 470. ex quibus nihilo minus lucrū tibi cessat, quàm 30. Quò fit, vt accipere non debeas integros 30. sed detrahere aliquid ratione eorū, quibus tu negotiaris, & quos ego nō accipio mutuò. Hæc Molin. Confirmatur, alioquin cùm lucrum cessans aliquando excedat, vel æquet capitale, posset aliquis nihil pecunię mutuatę domū deferens, sed totam solues statim pro lucro cessante, obligari ad reddendum capitale; quod est absurdum.

SI verò mihi mille dedisti, ex quo cessat lucrum 30. bene poteris à me statim exigere rē aliquam, qua nihil sis lucraturus, & ideo lucrū ex mutuo cessans nō minuatur. Colligitur ex Molina. Similiter, si pecunia quā à me accipis pro lucro cessante ex mille, propter suā paruitatē nihil tibi prosit ad lucrū, licitè poteris eam statim accipere, quia ea statim accepta, nihilo minùs lucri tibi cessat. Ita Valent. 5. sed tūc nō tā dicitur homo mutuare mille quàm 900. Verbi gratiā, si pactū fuisset de cōpensando lucro cessante taxādo statim pretiū, nō tamē obligādo ad soluēdū statim, mutuatariúsque vellet aliqua parte pecuniæ mutuatæ soluere statī lucrū cessās, bene posset mutuās statim cōpēsationē accipere: rarò tamen, vel nunquam id facit mutuatarius, quia cùm indigeat tota illa pecunia, lucrique solutionē differre possit, nullam pecuniæ partē consumet in soluēdo statim lucro. Vnde Palacios 4. *de contract. c.* 4. expressè reiicit hanc octauā cōditionē: & Franciscus Garsia 1. *p. de cōtract. c.* 11. docet, ab initio posse aliquando recipi cōpensationē lucri cessantis. Et quidem in mutuo tritici seminādi licitū mutuanti est in pactū deducere, vt statim sibi in pecunia lucrū cessans cōpensetur. Quare verò census emi non possit cū obligatione recipiendi statim pensiones annuas, vt ex quodam motu proprio Pij V. docēt Aragō, Vega, & Eman. 5. manifesta ratio est, quia id non esset cēsum emere; sed maiorem pecuniæ summam pro minori commutare, quod esset apertè iniustitia.

NONA, vt lucrū cessās sit proximū, & nō remotū. Med. *q. 3. de vsur.* explicās interesse remotū esse, quod non cessat immediatè ex mutuo; sed mediante aliquo alio lucro cessāte, vel dāno emergente. Et fortè idē vult Sa *verb. mutuum. n.* 4. dicens; *nō tenetur mutuatarius ad interesse remotū: est enim id infinitum, sed propinquum solummodò.* Credo tamen illū tātùm velle, nō teneri ad interesse remotū ab omni probabilitate: nā interesse remotū eo modo quo explicuit Medin. siue sit lucri cessantis, siue dāni emergētis, apertè probant rationes dubij 18. & 19. & ita docet Villaguta *quæst.* 18. *de vsuris. concluſ.* 5. vbi cum Ioan. Lupo Gemin. *comment.* 1. *de vsuris.* §. 6. *n.* 16. refert Carnolum *l. vnica. col.* 19. *num.* 45. *Cod. de vsuris*, idem docentem, asserētémq; hoc esse in praxi receptum, præsertim apud Senatum Ducis Sabaudiæ: pro eáque sententia citan

Num. 12.

citantem Salic. *l.2.C.de vsuris.* Signorolum *consil.61.col.vlt.* Socin. *cons. 93. col.7.lib.1.* Corsetum *in singularibus. verb.lucrum.* Hanc sententiam limitat Villaguta, vt ad exigendum lucrum remotum, seu mediatum mutuator in fine cuiuslibet anni mutuum repetat, & realiter cupiat sibi reddi simul cum lucro cessante illo decursu. Sed hæc limitatio non est necessaria, si de toto lucro cessante pactum fuit: si autem lucrum cessans solùm debetur ratione moræ, satis erit adueniente termino solutioni mutui præfixo mutuũ repetere. Malè etiam Grafis *p.2.lib.2.cap.105.n.20.* ait, interesse immodicũ exigi non posse, si per immodicum intelligat magnum; nam quodcumque sit, exigi potest lege iustitiæ, quanuis lege charitatis exigi non possit, quòd mutuatarium relinqueret in extrema, vel graui necessitate. Fallitur etiam Grafis ibi dicens, interesse intrinsecum exigi non posse, vt si mutuaui vinum tibi, vel frumentum, ideóque serui, vel iumenta interierunt, aut aliquod lucrum amisi; cui partim consonat Ang. *verb. vsura.1.§.29.* dicens, quando damnum euenit solùm ratione omissionis, debitorem solùm teneri ad interesse intrinsecum. *l. si sterilis. §. cùm per venditorem. ff. de actionibus empt.* vt si frumentum non est datum emptori in termino, solùm consideratur quod plus valuit, quod est interesse intrinsecum, non quòd animalia mortua sint, quod est interesse extrinsecum: si autem euenit ratione commissionis, teneri debitorem de extrinseco damno, vt si promisit dare frumentum tali die, & quia promissionem violauit, mutuans non sibi prouidit, eiúsque iumenta mortua sunt, tenetur debitor de hoc damno extrinseco. Sed certè hoc damnum ex omissione etiam prouenit, eadémque ratio est de omissione, & commissione. Deinde in foro conscientiæ nihil refert damnum esse extrinsecum, vel intrinsecum, licèt hoc sæpe in foro externo exigi non possit, quia non præsumitur, & sic intelligitur illa *l. sterilis.* iuxta dicta dubio præcedẽti not. *6.* Similiter in foro interno falsum est, quod dicunt Molin. & Cabal. *de vsuris. n.500. & sequentib.* damnum emergens, vel lucrum cessans si plus quàm in duplo sortem excedat, exigi non posse etiam post moram. Contrarium meritò tenent omnes Theologi, & Iurisperiti, quia in foro conscientiæ nihil refert sic excedere, vel non excedere, vt rectè docet Salon *art.2. controuers. 9. col.707. & 734.*

PRO foro autem externo, quod præsumptione ducitur, & fraudes ac lites vitare intendit, sancitur *l. vnica. C. de sententia quæ pro eo quod interest.* in omnibus casibus qui certam habent quantitatem, vt in venditionibus; locationibus, & omnibus contractibus, quod interest ratione dãni emergẽtis, vel lucri cessãtis, dupli quantitatẽ minimè excedere: in aliis verò iudices arbitrari debere, ita tamẽ vt ad immoderatũ interesse nõ eõdẽnẽt: & *l. final. ff. de periculo, & cõmodo rei vẽd.* dicitur; *si emptor in pretio soluendo morã fecerit, vsuras duntaxat præstabit, nõ interesse omnio quod vẽditor mora nõ facta cõsequi potuit, veluti si negotiator fuit, & pretio soluto, ex mercibus plusquàm vsuras consequi potuit.* Quãdo autẽ dicitur secundũ leges vsuras dupli quãtitatẽ excedere nõ debere, intelligitur de

Digitized by Google

vsuris vnius anni : nam pensiones multorum annorum possunt dupli quantitatem excedere. Villaguta *q.* 18. *conclus.* 5. *& l. vsura. C. de vsuris.* Idem ait Salic. *ibi.* & Bart. *ibi. & l. vsuras. C. eodem tit.* vbi addit, has vsuras etiam iure Canonico esse licitas, quia magis, vt interesse petuntur, quàm vt vsuræ, idémque ait Host. *ibi, & l. curabit. C. de actionib. empti.* Sed certè si reuerà nullum fuit interesse, iniustè exiguntur vsuræ.

Num.13. DECIMA conditio, vt mutuatarius non sit in extrema necessitate, ita vt mutuans teneatur ei mutuare, vel donare. De hac conditione tractat Grasis *1. p. lib. 2. c.* 105. *n.* 17. Conrrad. *q.* 30. *de contract.* Medin. *q.* 3. *de vsur.* Villaguta *q.* 18. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 7. §. 15. Matth. de affict. *decis.* 20. Sylvest. *verb. vsura.* 1. *q.* 19. Ang. *q.* 16. Tabien. *verb. vsura.* 2. §. 6. Gab. 4. *d.* 15. *q.* 11. *notab.* 2. Lopez 2. *p. Instructorij. c.* 62. Garsia 1. *p. de contract. c.* 11. Salon *art.* 2. *controuers.* 9. & alij, licèt non omnes eodem modo. Sed de hac re vide dubio superiori post not. 2.

Num.14. VNDECIMA conditio, vt mutuans non sit vsuris assuetus. Grasis §. *n.* 12. tr. buit Matth. de afflictis, *decis.* 20. Aim. *consilio* 189. & Conrrad. sed hic eam non tenet, & non esse necessariam nisi fortè in foro externo, vel ratione scandali rectè docet Grasis hìc, Nauar. *de vsuris. n.* 84. Nauarr. *de restitut.* §. *dub.* 8. Lopez *illo c.* 62.

Num.15. DVODECIMA conditio, vt mutuum non detur pro semper, sed citò terminetur. Conrrad. *q.* 229. Sylvest. *verb. vsura.* 1. *q.* 19. Ang. *q.* 16. Sed non est necessaria; quia si semper cessat lucrum, semper peti potest.

DECIMATERTIA, vt non petantur lucra cessantia illicita. Garsia §. *cap.* 10. Salon *illa controuers.* 9. *conditione* 4. Grasis *illo cap.* 105. *n.* 19. quod ostendi dubio præcedenti.

DECIMAQVARTA, vt vitetetur nota infamiæ, & scandalum. Conrrad. Ioan. Medin. & Villaguta §. sed rectè Nauarr. *c.* 17. *n.* 212. *& com. de vsuris. n.* 54. Grasis §. *n.* 16. dicunt, non esse necessariam ad vitandam vsuram, vel obligationem restituendi, quia hæc requirunt peccatum contra iustitiam, quod non est scandalum.

DECIMAQVINTA, vt mutuans non possit damnum vitare per pecunias quas habet in arca, vel petendo mutuum ab amico facilè daturo. Garsia *c.* 15. Sed non esse necessarium in damno emergente ante moram, deductóque in pactum, sed in emergente post moram culpabilem, dixi conditione sexta.

DVBIVM XXI.

An pactum, vt mutuatarius certam soluat pœnam si in termino præfixo non soluerit, vsurarium sit?

SVMMARIVM.

1. *Sententia affirmans vsuram palliatam esse, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; cum suis fundamentis.*
2. *Vera sententia, tenens licitum esse eiusmodi pœnam exigere nomine pœnæ, & vbi nullum sit damnum emergens, aut lucrum cessans; cum suis fundamentis.*

3 Expli-

Digitized by Google

3 *Explicatur, & roboratur.*

4 *Quæ conditiones requirantur, vt pœna conuentionalis iuste imponatur, & exigatur. Septem conditiones afferuntur.*

5 *An Clerici, & Religiosi possint pœnam conuentionalem apponere, & exigere?*

6 *An possit pœna imponi, quando id necessarium non est ad securitatem debiti suo tempore redendi?*

7 *An qui exigit interesse, possit pœnam exigere, & è contrà. Cuidam obiectioni fit satis.*

8 *An pœna iniusta, vel improportionata soluenda sit si iuramento promissa est?*

Num. 1. PRIMA opinio affirmat vsuram palliatã esse exigere huiusmodi pœnã, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, & iuxta ipsius quantitatem. Ita tenet Albornoz 1. *de contractib. tit.* 5. Aragon *hac q.* 78. *art.* 1. *pag.* 669 *ad* 2. *confirmationem tertij argumenti*; & nonnulli recentiores. Et hæc, vt notant Nauarr. & Ioan. Medin. (quãuis Molin. Gabr. & alij Scotum interpretentur aliter) videtur opinio Scoti 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *ad fin.* vbi ait, vltra sortem posse recipi pœnam conuentionalem nisi fiat in fraudem vsurarum, vt si apponam pœnam nisi tali die soluas, quia multùm damnificabor, quæ licita est, quia licet me seruare indemnem, sic proponendo illi quicum contraho. Eiusdem sententiæ videtur Maior *ead. dist. q.* 23. aliàs 31. & expressiùs Grasis 1. *p. decisionum. lib.* 2. *c.* 106. *n.* 12. vbi inter alias conditiones ad exigendam pœnam conuentionalem ponit, quòd pœna non excedat interesse.

SVADETVR primò, quia personæ priuatæ non habent auctoritatem imponendi aliis pœnam. Ergo nomine pœnæ nihil possunt exigere ab illis cum quibus contrahunt, sed nomine damni emergentis, vel lucri cessantis.

SECVNDO, quia Confessarij obligare non solent pœnitentes ad soluendas pœnas positas in contractibus, nisi post iudicis sententiam, ad quam impertinens est pactum. Ergo exigere pœnam ex vi pacti, illicitum, & vsurarium est.

SECVNDA tamẽ & vera opinio est, Num. 2. licitum esse eiusmodi pœnã exigere non solùm nomine interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, sed etiam nomine pœnæ, & vbi nullum, vel minus sit damnum emergens, aut lucrum cessans. Ita Sot. *de iustitia. 6. quæst.* 1. *art.* 3. *col.* 2. Nauarr. 3. *de restitut. c.* 2. *p.* 2. *dub.* 10. Medin. *quæst.* 3. *de vsuris.* Villaguta *q.* 20. Conrrad. *quæst.* 31. *de contractib.* Gabr. 4. *d.* 15. *quæst.* 11. *art.* 1. *not.* 2. Almainus *quæst.* 2. Molin. *tit.* 2. *de iustitia. disput.* 97. *tom.* 1. *& disp.* 317. *tom.* 2. Nauarr. *c.* 17. *n.* 215. *& c.* 23. *n.* 67. *& 68. & consil.* 4. *& 5. de vsuris.* Ang. *verb. vsura.* 1. *n.* 31. Sylvest. *quæst.* 28. *& verb. pœna. q.* 25. *particu.* 7. vbi Sa *n.* 2. Tabien. *n.* 8. *& verb. vsura.* 1 *n.* 10. *& verb. vsura.* 9. *per totum.* Tolet. *lib.* 5. *c.* 32. Palacios 4. *de contractib. c.* 5. Abulens. Matth. 25. *quæst.* 185. Bannez *hîc art.* 2. vbi Salon *controuers.* 11. Vega *verb. vsura. casu* 24. *&* 27. Emanuel *tom.* 1. *cap.* 110. *n.* 12. *& tom.* 2. *cap.* 84. *n.* 2. Caiet. *verb. vsura. c.* 2. *ad fin.* Armil. *n.* 10. Lopez 2. *p. Instructorij conscientiæ. c.* 60. *q.* 9. *& lib.* 1. *Instructor. negotiantium. cap.* 30. Garsia 1. *p. de contractib. c.* 12. Angles *quæst. de mutuo. art.* 2. *difficult.* 4. Glos. *c. conquestus. de vsuris.*

ad

Digitized by Google

ad fin. Panormit. & Innocent. *c. suam. de pœnis.* & alij referendi.

RATIO est, quia quamuis contrahentes publicæ potestates non sint, quæ auctoritate publica iustas pœnas perinde ac legum latores ac iudices constituere possunt, tamē quia res de se æqua est, & vtilis ad dādum robur contractibus, & vt meliùs pacta seruentur iuris naturalis, & gentium, etsi tantùm iuris Ciuilis dispositione illis concessum est, vt in contractibus possint de communi consensu eas constituere, atque ad illas se obligare, non secus atque ad reliqua eisdem contractibus contenta; vt constat *l. magnum. C. de contrahenda, & committenda stipulatione. & l. traiectitia. ff. de actionib. & obligationib. l. si pacta. C. de pactis.* atque ex aliis iuribus, seruátque consuetudo. Et eò pertinet regula illa *ff. de regul. iuris. Quod à quodam pœnæ nomine exactum est, illud eidem restituere nemo cogitur, & c. dilecti. de arbitris.* vbi præcipitur, vt per pœnam in compromisso statutam quidam compellātur à iudice. Ex quo tamen emergit difficultas, an hæc pœna debeatur in conscientia ante iudicis condemnationem?

Num. 3. PARTEM affirmatiuam tenet Felin. *c. 1. de constitutionib. n. 4.* Dec. *ibi. n. 2.* Sed Nauarr. *c. 28. n. 67. & 68.* his verbis illis aduersatur. Quorum opinio quanuis hactenus placuerit, nunc tamen plurimùm displicet; tū quia Ancharr. *d. c. possessor.* cuius illos auctoritas mouit, non id affirmat: tum quia nemo, quanuis iustus, & religiosus, eam nisi coactus soluit; tum quia cùm in omnibus ferè instrumētis contractuum apponantur pœnæ, & frequentissimè incurrantur, maxima mundi pars ad magnam restitutionem teneretur, durúmque Cōfessariis esset negare absolutionem his, qui restituendi firmum propositum non haberent, quales essent ferè omnes qui huiusmodi pœnas incurrissent: tum quia viros honestos dedecet pœnam accipere, nisi quando ob interesse accipitur, *cap. suam. de pœnis. & cap. fraternitas. 12. q. 2.* quanuis de rigore iuris exigi posset: tum quia videtur non esse partibus eiusmodi pœnas in suis contractibus constituentibus intentio, vt qui eas incurrerit, vltra solutionem earum offerat, vt solutionem debiti principalis offerre debet, sed vt per eas ad obseruantiam contractus cogatur, vt per pœnas ad legum obseruationē. Tum denique quòd non solùm communiter tam boni, quàm mali ita concipiunt, sed etiam consuetudo ita interpretatur; quare limitanda est eorum opinio, vt procedat in illis pœnis quæ in satisfactionem interesse debentur, iuxta Anchar. *cap. peccatum. de regulis iuris in 6. n. 10.* hęc enim pœna licèt sit pœna ex parte soluentis, non tamen ex parte recipientis, secundùm omnes: & hoc sentit glos. recepta quæ est vltima, *dicto cap peccatum.* Itaque qui eā incurrit, ad eius solutionem in conscientia teneretur, aut saltem ad tantam eius partem, quantum est verum interesse eius cui debetur, iuxta latè tradita per textum glos. & Doctores *l. 1. C. de sentent. quæ pro eo quod interest.* Hæc ibi Nauar. cuius sententiam tenent Vega *verb. vsura. casu 24. & 26.* Emanuel *tom. 2. c. 84. n. 3.* Lopez 1. *Instructor. negotiant. cap. 31.* probabilémque censet Palacios ſ.

SED opposita probabilior est, quam probat Molin *disput. citata*, quia quod

Digitized by Google

quod debetur ex contractu, ſoluendum eſt nulla expectata iudicis ſententia; ſed hęc pœna debetur ex contractu. ergo. Alioquin nihil contractus operaretur: nam ex ſentẽtia iudicis etiam nullo contractu præcedente debetur pœna. Si dicas id operari contractum, vt obligetur iudex ad imponendam talem pœnam. Cõtrà, quia ipſi contrahentes non poſſunt directè iudices obligare, ſed tãtùm indirectè obligãdo ſe ipſos: hoc enim fit, vt iudex teneatur moroſum debitorem cogere ad ſolutionẽ pœnæ. Ergo ſine ordinatione ad ſententiam iudicis erat iam obligatus, ac proinde nulla expectata iudicis ſententia debebat ſoluere pœnam cùm peteretur. Pro qua ſententia Mol. citat Nauarr. *cap. 23. n. 67.* in poſtrema editione. Eandem ſententiam tenet Couarr. *in Epitom. 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 11.* Sylueſt. *verb. pœna. §. 14.* Angel. *q. 12.* Salon ſ̃. Ancharran. *reg. poſſeſſor. de regulis iuris. in 6. q. 3.* Si credimus Couarru. Felino, & Decio, èandem indicat Almain. ſ̃. Imò Caietan. Armil. Tolet. Ang. Garſia, Gab. Abulenſ. cũ Raimundo, & Hoſtienſi *tit. de vſuris.* Medin. *q. 3. & 4. de vſuris.* Mercado *tit. de vſuris. c. 7.* Antoni. *2. p. tit. 1. cap. 7. §. quod de pœna.* & alij abſolutè dicentes pœnam poſitam in contractu deberi in conſcientia; & expreſsè idem tenet Nauarr. 3. *de reſtit. ſ̃. n. 336.* addẽs, rationes Nauarri in contrarium friuolas eſſe. Et quod dictum eſt de pœna conuentionali, dicendum eſt de amiſſione arræ, quæ Hiſpanè dicitur *Señal*: nam pœna quædam conuentionalis eſt, & in conſcientia eam amittit, qui à contractu recedit.

Ex quo infertur, eum qui huiuſmodi conuentionalem pœnam exigit, ſeu extorquet, nullum peccatum committere, quia licitè quiſque petit, quod ſibi in conſcientia debetur. Molin. & Couarruu. ſ̃. dicentes eſſe probatiſſimã opinionem, doceriq́ue à Fortunio *tit. de vltimo fine. illatione 18.* Cornel. *conſ. 69. volum. 2.* Bald. *l. 1. C. vnde vi. col. antepen.* Rectè etiam Couarru. Salon, Molin. Sa, & Nauarr. ſ̃. Cornel. ſ̃. *& conſ. 55. vol. 3.* Rebuf. *l. vnica. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt. n. 40.* & alij communiter dicunt, non eſſe obligationem ſoluendi hãc pœnam etiam in foro conſcientiæ, niſi ab alio petatur, ſecus ſi petatur cum animo obligãdi ex iuſtitia: nam ſicut iudici exequenti pœnam legis non licet reſiſtere, ita petẽti pœnam ex conuentione, & promiſſione non licet refragari, & ſicut iudicis executio in legali, & iudiciaria pœna eſt neceſſaria, ita in conuentionali petitio creditoris neceſſaria eſt, cùm is qui pœnam promiſit communiter non ſe voluerit obligare ad eandem dandam niſi cùm peteretur, aut iuxta coniecturam præſumere poſſet alterum nolle pœnam recipere, ſi eam non petierit: quãuis autem creditor pœnam remittat, poterit iudex moroſum debitorem punire, vt ait Nauarr. Item, quanuis Salon, & Nauar. dicãt mutuum eſſe reddendũ etiamſi nõ petatur, intelligi hoc debet ſi ob ignorãtiã, & impotentiã nõ petatur: ſi enim id alia ratione cõtingat, mutuatarius nõ peccat retinẽdo, qa non retinet inuito dño. Omnes quoq; fatẽtur regulariter pœnã legalẽ, vel iudicialẽ nõ deberi ante iudicis sẽtẽtiã.

Ex quibus patet tũ ad argumenta primæ opinionis principalis; tum ad argumenta Nauarri.

SECVNDO tamẽ eſt difficultas, quæ *Num. 4.*

Digitized by Google

conditiones requirantur, vt pœna cõuentionalis iustè imponatur, & exigatur.

PRIMA conditio, quam ferè omnes auctores ponunt cum glos. *c. quacumque. 25. q. 2. in fin.* est, vt pœna non imponatur in fraudem vsurarũ; quã cõditionẽ explicant auctores primæ opinionis, vt in fraudem sit, quando non imponitur, vt soluenda ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, sed per modum pœnæ. Si auctores huius explicationis vellẽt in foro exteriori præsumi vsuram, quãdo pœna imponitur seeluso dãno emergente, aut lucro cessante, admittẽda est explicatio: & sic videtur intelligere Grafis ſ. *n.* 12. & 13. Angel. Syl. Lopez, Villaguta, Vega, Emanuel, & alij, dicentes, quando pœna excedit interesse, vsurã præsumi. Eodémque modo possunt intelligi Host. & Anton. de Butr. citati ab Angelo *verb. pœna.* §. 12. & Sylvest. *q. 25 p. 7.* dicentes vsuram esse si pœna excedat interesse; & glos. *l. cùm pœna. ff. de receptis arbitr.* & Bart. *eadem l.* & cũ multis *l. 2. §. item si in facto. ff. de verbo. obligatio.* Ang. *cons. 219.* Aret. *l. 4. §. 4. ff. eodẽ.* qui, vt refert Salõ, asserunt pœnam imponi non posse nisi quando ex mora damnum emergit, vel lucrum cessat: licèt ij fortè solùm intendant in eo euentu non esse honestum, aut decens pœnã imponi, vel in eo euẽtu non posse integrè pœnam imponi, quia cùm culpa morosi debitoris modica sit pœna, magna esse non debet; & fauet *l. & si post tres. ff. si quis causa. & l. 2. in fin. ff. si quis in ius vocatus non ierit.* Ex quibus colligitur, in Prætoria stipulatione pœnam non exigi si non interest, quanuis ex *illa l. cùm pœna.* constare videatur, pœnam conuẽtionalem, etiam cùm nihil interest, exigi posse. Si verò auctores illius explicationis vellẽt, neque in foro interno poenam conuentionalẽ locũ habere, nisi ratione damni emergẽtis, vel lucri cessantis, admittenda explicatio non est, vt patet ex probatione secundæ opinionis.

SECVNDA explicatio est, vt in fraudem vsurarum pœna censeatur imposita, quando mutuãs mallet incursionẽ pœnæ quã solutionẽ mutui interminopræfixo. Ita Scot. Almain. Gab. Corad. Garsia, Angles, Tolet. Sylvest. Ang. Salon, Vega, Emanuel, Lopez, & Nauarr. ſ. Sed, vt rectè notat Molin. licèt hoc sit non leue vsuræ mẽtalis, seu animi vsurarij indiciũ appetẽtibus debitũ lucrũ ratione mutui, quod tãtùm voluerũt Tolet. Vega, Emanuel, & alij ex citatis; cõiunctúmque sit cum peccato auaritiæ, & cõtra charitatẽ, quia licitũ nõ est optare culpã proximi; vt cõmodũ pœnæ nobis proueniat, præsertim cũ detrimẽto tẽporali proximi: nihilominùs nullã cõtinet iniustitiã, ac proinde nec vsuræ peccatum efficit, neq; ad restitutionẽ eius quod in pœnã esset acceptũ, obligat. Et sic Palacios ſ. ait illo modo pœnam imponi, nõ satis esse ad vsurã: & Medin. ait, quãuis vsura sit ex intẽtione lucri pœnã magis optare, ex zelo tamẽ iustitiæ, vel odio proximi nõ esse vsurã, vel iniustitiã, licèt sit peccatũ cõtra charitatẽ; &, vt meliùs Nauarr. ait, siue moueatur affectu lucri, siue zelo iustitiæ, siue odio proximi, cõtra charitatẽ esse, non tamẽ contra iustitiã.

TERTIO ergo dicẽdũ est, pœnam tunc imponi, vel exigi in fraudẽ vsurarũ, quãdo imponitur, vel exigitur vt soluẽda, vel debita, nulla intercedente

Digitized by Google

dēte culpabili mora mutuatarij quē mutuās scit non fore, vel fuisse soluēdo; est enim cōditio necessaria ad exigēdā hāc pœnā, vt mutuatarij mora culpabilis sit. Ita Molin. Medin. Corad. Gab. Almain. Nauarr. Nauarra, Garsia, Tolet. Angles, Sa, Caiet. Armil. Sylvest. Lopez, Salon, Palac. & Villaguta s. Angel. *verb. pœna. n.* 13. Grafis, Mercado, & alij; quia mora inculpabilis mora nō est, vt docēt Garsia, & alij ex Anton. 1 *p. tit.* 20. *c.* 1. §. *mora.* Sylvest. *verb. mora. q.* 1. *&* 4. glos. *c. mora. de regulis iuris in* 6. Nauar. s. Item, quia vbi nō est culpa, nō est pœna. *l. sancimus. C. de pœnis.* & quia pœna exigi non potest, nisi interueniēte debitoris culpa. *c. significante. de pignorib. c.* 2. *de constitution. l. trajectitia. ff. de actionib. & obligation.*

Observant autē Salon, Villaguta, Lopez, Med. Molin. & Garsia, si quis in impotētiā soluēdi venerit culpa sua, vel dilapidado bona ludo, aut luxu; vel ex imprudētia, aut negligētia, aut quauis alia ratione, quā vitare poterat, attēderēque debebat, teneri ad solutionem pœnæ cōuētionalis, sicut ad solutionē sortis, & interesse, quia tūc debitor culpa sua in termino nō soluit, ergo subiacet pœnæ. Nauarra autem s. ait, si fraudulenter se impotentē fecit, dissipādo bona, vel alia faciēdo, vt tēpore solutionis soluere nō posset, & sic pœnā euaderet, & creditorē eluderet, non excusari à solutione pœnæ. Si autem ob alias causas, licēt culpabiles, inops factus est, putà quia vel fornicādo sæpiùs in infirmitatē incidit, vel sua culpa, & ineptia captiuus factus est, ex eo quòd in termino nō soluat debitū, pœnā nō incurrere, quia ille tūc nō peccat; antea verò pœnā nō debebat: ergo nec modò. Confirmatur, quia peccatū moræ est essētialiter iniustitia: nā est retentio rei alienæ inuito domino; sed ille ante aduētū termini nullā iniustitiā commisit, quia iustè debitum retinebat, nec verò postea, quia non potest soluere. ergo. Atque idem est de eo qui sua culpa in infirmitatē incidit, ob quam nō potest implere præceptū, vel votū ieiunādi, recitādi, &c. Neque eadem est ratio de sorte, quia hæc debetur ratione rei receptæ, & nō ratione moræ. De interesse verò distinguēdū est: nam si à principio conuentū est de interesse proueniēte ex mora, tenebitur mutuatarius illud cōpensare, sicut & interesse ante moram, quando in pactū deductū fuit; nā hoc debetur sine culpa mutuatarij. Si verò de interesse post moram nullū fuit pactū, non tenebitur mutuatarius illud cōpensare, sicut nec pœnam ipsā. Censeo tamē, etiāsi debitor sine fraude in creditorē faciat se impotentē ad soluēdū, si facilè potuit eā impotētiā vitare, peccasse cōtra iustitiā eā nō vitādo, quia de iustitia tenetur adhibere omnia media quæ facilè, & commodè potuerit, vt debitū soluat. Quare in eo euētu tenebitur ad pœnā, nisi fortè in termino cōtrahētiū fuerit nō obligari ad illā, nisi in termino præfixo debitor verè sit soluēdo. Si verò difficile admodùm fuerit vitare causā, quanuis alioquin ex castitate, vel alia virtute sit obligatio ad vitādū illā, nō peccabit debitor cōtra iustitiā creditoris, eā nō vitādo, quia nō tenetur ad media valdè difficila. Vnde quādo ea de causa nō sit soluēdo, nō tenebitur ad solutionē pœnæ. Idēque est de interesse dāni emergētis, vel lucri ces-

Digitized by Google

santis, quod nõ fuit deductũ in pactũ.

AD argumenta autem Nauarri facilè respondetur. Nã sicut qui fraudulenter se impotentẽ fecit, tenetur ad pœnam, & interesse, quia peccauit contra iustitiam creditoris, licèt tempore ipsius moræ nullum peccatum committat, vt non committit, saltem quando eum pœnituit causæ datæ: ita qui facilè potuit impotẽtiã vitare, eámque non vitauit, tenetur ad solutionẽ pœnæ, & interesse, quia per iniustitiam se impotẽtẽ reddidit, licèt tẽpore moræ nõ peccet, saltẽ si præteritam voluntatẽ retractauerit. Neque est simile de præcepto, vel voto ieiunandi, recitandi, &c. quia votũ, vel præceptũ obligat iuxta intẽtionẽ vouẽtis, vel præcipiẽtis, quæ non videtur fuisse de adhibendis mediis etiã facilibus ad euitandã impotentiã, sed tantùm de ieiunando, vel recitãdo quãdo affuerit potentia. Est autẽ simile de pœna irregularitatis, & aliis multis pœnis legalibus, & iudicialibus, quæ incurruntur etiam eo tẽpore quo homo nõ peccat; supposito tamen peccato, ex quo effectus sequitur prohibitus, vt si quis postquam emisit sagittã, vel sulphureum globum, alium occidit, antequã occisio sequatur, facti pœniteat, in irregularitatem incidit, licèt fortè non in excommunicationẽ, quia hæc requirit contumaciam actualem, de quo alibi.

QVARTO, pœnam esse in fraudem vsurarum bene explicant Angles, & Grafis, si sit grauis, & immoderata, respectu culpæ debitoris: debet enim esse moderata, & proportionata, vt etiam docent Molina, Gab. Almain. Nauarr. Palacios, Lopez, Emanuel s. sicut enim legislatores, & iudices non possunt obligare ad pœnas immoderatas, & improportionatas culpis, ita ad eiusmodi pœnas nulla potest oriri obligatio ex contractu, talis enim potestas esset in cõmune damnum; & sic quod pro communi bono institutum est, contra commune bonum militaret: & quidem in *l. Iulianus. §. ibidem Papinianus.* præcipitur, vt pœna apposita in contractu ei qui sit in mora, locum non habeat, si legitimam vsurarum quantitatem, id est, duplum excedat, quod sæpe etiam in foro interno verum est. Hinc Nauarra ait non posse imponi in pœnam, vt quis amittat pignus, vel rem emptam si non soluerit pretium in termino, quia pœna hæc excessiua est, licèt, vt Salon dicit, si pignus parum excedat sortem, licitè retineri in pœnam possit. Hinc etiam Angles, & Grafis aiunt, vsuram esse si quis in pœnam imponat, vt singulis diebus moræ tãtùm pecuniæ soluatur. Idem de singulis annis, & mensibus aiunt Conrad. Villaguta, Nauarr. Salon, & alij. Sed meritò id limitant Vega *illo casu* 24. Emanuel *tom.* 1. *cap.* 110. *n.* 12. Angelus *vsura.* 1 *n.* 31. Sylvest. *q.* 28. Lop. *illo c.* 30. & Abul. s. vt hoc solùm cõsideretur ad præsumptionẽ in foro externo. Hinc etiã Almainus, Salon, Pala. & Villaguta dicunt, si in termino præfixo tenetur creditor mutuare, non posse pœnam exigere, quia tũc debitor non est in mora culpabili. Quanuis autem tempore mutuationis mutuare quis teneretur, posset pœnám imponere, vt ait Salon contra Corad. Hinc etiam infert Salon s. *concluf.* 4. Lopez *cap.* 31. quòd mora est modica, iniuste exigi pœnam: nam quod parum est, &

sine

ſine damno, pro nihilo reputatur. Idem tenet Emanuel *illo c.* 84. *n.* 13. & Nauarra, dicens morã debere eſſe notabilem, quia, vt ait Mercatus, mora vnius diei, vel hebdomadæ nõ ſufficit ſemper vt pœna incurratur, ſed attendendæ ſunt circũſtantiæ ad arbitriũ prudentis, quia nõ ſẽper mora vnius diei eſt peccatũ mortale. Vnde qui pũcto expleto accipit pignus ſibi commiſſum, vel aliam pœnam exigit, iniuſtè facit. Idem Vega ꝛ.

OBSERVANDVM autem eſt; cùm dicimus mutuatarium qui eſt in mora inculpabili, non teneri ad intereſſe, intelligi quando non fuit deductum in pactum, ſecus ſi in pactum deductum fuit, vt dictum eſt in ſuperioribus, & docent Angles, Sa, Garſia, Vega, Nauarra, Med. Emanuel ꝛ. Angelus *verb. pœna. n.* 13. Lopez *illo c.* 30. *& in Inſtructor. conſcientiæ. lib.* 2. *c.* 70. Obſeruat etiã Lopez *ibi. c.* 71. nobiles, & magnates prodigè abutentes redditibus ſuis, ideóque culpa & negligẽtia ſua differẽtes ſolutionẽ vltra tẽpus debitũ, teneri ad cõpenſanda dãna emergẽtia, & lucra ceſſantia: hoc tamen intelligẽdũ eſſe, vt ſcripſit Penna, quãdo mercatores exploratũ nõ habebant tempore ſtatuto non eſſe ſoluturos. Si enim ij exploratũ habebãt, excuſantur magnates à reſtitutione, quia mercatores eo quòd ſcirent illos nõ eſſe ſoluturos tempore præfixo, cariùs eis vendunt ad creditum, & ita dãna compenſantur exceſſu pretij, quod tamen non fieret, ſi per multum tempus differretur ſolutio. Vnde tunc tenerentur damna compenſare, quæ mercatores inuiti patiuntur.

QVINTO, Angles, & Sylueſt. in fraudẽ vſurarũ pœnã imponi putãt, quãdo mutuãs eſt vſuris aſſuetus: ſed hoc nõ sẽper accidit, licèt præſumi poſſit, ideo à talibus propter ſcandalum & infamiam cauenda eſt pœnæ appoſitio. Vnde Almain. inter cõditiones requiſitas, vt iuſtè apponatur pœna, ponit, vt nõ ſequatur diffamatio creditoris, putà ſi priùs fuit vſurarius, & eſt ſuſpectus de vſura. Rectè etiam Mol. aduertit, eã conditionem, vt ex impoſitione vel exactione pœnæ ſcandalũ nõ ſequatur, non ad vitãdã vſurã, & iniuſtitiã ſpectare, ſed ad declinãdũ ſcãdali peccatũ. Idẽ Saló, Veg. Palac. Abul. Villag. ꝛ. Graf. *illo n.* 12. Lopez *illo cap.* 30.

SEXTO, quidam dicunt in fraudem vſurarum, & vſurariè pœnam, imponi, ſi ponatur ſuper ſola quantitate, vt ſi quis promittat ſoluere 100. ſub pœna ſoluendi 10. ſecus ſi ſuper facto, vt ſi quis ſub certa pœna promittat alteri fabricare domũ, aut priùs ſuper quantitate, & poſtea ſuper facto, vt ſi quis promittat ſoluere 100. vel fabricare domum ſub pœna ſoluendi decem. Ita multi Iuriſperiti, quos citant, & ſequi videntur Angel. *verb. pœna.* §. 12. & Sylueſt. *vſura.* 1. *queſt.* 18. Sed ſaltem pro foro interno hæc doctrina eſt omnino impertinens. In vtroque ergo foro exigi pœna poterit ſeruatis debitis conditionibus, etiamſi ſuper quantitate poſita ſit.

SEPTIMA conditio ſit, vt ſi pars debiti in termino ſoluta ſit, non exigatur tota pœna. Conrrad. Villag. & alij ex *c. ſuam. de pœnis.* Id tamen limitãt Mol. *diſp.* 97. *&* 317. Vega *verb. vſura. caſu* 27. Nau. *c.* 17. *n.* 215. Grafis *illo n.* 12. Sylueſt. *vſura.* 1. *queſt.* 28. *& verb. pœna. q.* 10. vbi Ang. §. 14. *& verb. vſura.* §. 31. Tabien. *vſura.* 9. §. 1. Lopez

Digitized by Google

illo c. 30. & 31. Salon *illa controuers. 11. in fin.* Tolet. ẽ. Panormit. *d. c. fuam.* Bart. & alij *l. ſtipulationes diuiduntur. ff. de verbor. obligation.* niſi obligatio ſoluendi eſſet indiuidua, id eſt, ad ſoluendum totum debitum ſimul, quia tunc tota pœna deberetur, etiamſi pars debiti in termino ſoluoretur; intellige ſi pœna eſſet proportionata: non autem eſſet proportionata ſi creditori parùm referret ſolui debitum ſimul, aut per partes. Vnde Molin. ad cognoſcendam obligationem indiuiduam tradit hanc regulam, vt ſi ſolutio partis afferat commoditatem comparatione partis, ſicut ſolutio totius comparatione totius, obligatio ſit diuidua: ſi verò aliter, indiuidua. Eodem modo explicant Angel. Sylueſt. & Bart. Lopez *illo c. 31.* gloſ. *d. cap. ſuam.*

Num. 5. SED tertia eſt difficultas, an Clerici & Religioſi poſſint pœnam conuentionalem apponere, & exigere? Angel. negat, quòd videlicet, inquit Grafis ẽ. *n. 13.* ſic ſcandalum oriatur ratione perſonæ, aliàs non, præſertim iudice pœnam applicante. Vnde ſecundùm Hoſtienſ. quem refert, & ſequitur Roſella, etiam Religioſi poſſunt petere pœnam conuentionalem ab eo, qui non ſeruat arbitrium, non ex impotentia, ſed ex negligentia, vel contumacia, etiamſi nullum prætenderetur intereſſe, vel damnum. Grafis, cui nõ omnino diſſonat Angelus, nam *verb. pœna. §. 11.* ait, pœnam conuentionalem arbitrariam per quemcunque à non ſeruante arbitrium peti poſſe. *cap. dilecti. de arbitr.* & gloſ. ibi. licèt §. 12. id neget de pœna conuentionali extraiudiciaria: qua in re non loquitur conſequenter; nam de vtraque pœna eadem eſt ratio, & ſic Religioſos, & Clericos vtramque exigere poſſe docet Sylueſt. neque obſtat *c. fraternitas. 12. q. 2.* vbi dicitur, Eccleſiam res furto ſibi ſublatas non debere recipere cum augmento, id eſt, pœna: nã loquitur de legali, vel iudiciali, quã textus ait non eſſe exigendam ab Eccleſia ſecundùm honeſtatem, & decentiam. Sylueſt. autem & Grafis ẽ. cum Archidiac. dicunt intelligi in foro pœnitentiæ, vbi ſufficit ſimplum, niſi condemnatio præceſſerit.

Num. 6. QVARTA difficultas, an poſſit pœna imponi, quando id neceſſarium non eſt ad debiti ſuo tempore reddendi ſecuritatem? Reſpondetur cum Garſia, poſſe. Sic enim leges & iudices pœnam inponere poſſunt, etiam cùm neceſſaria non eſt, vt præcepta ſeruentur.

Num. 7. QVINTA difficultas, an qui exigit intereſſe, poſſit pœnam exigere, & è contrà? Reſpondetur affirmatiuè cum Caiet. Armil. & Garſia ẽ. Veg. *verb. vſura. caſu 27.* Lopez *illo cap. 30.* Eman. *tom. 1. c. 110. n. 13.* & à fortiori poterit ſimul exigi ſors, & pœna, vt docet gloſ. *cap. quæcumque. 25. q. 2.* quæ eſt textus ibi. *& cap. Epiſcopus qui mancipium. 12. q. 2. & cap. quamque. 23. diſt. & l. fidem. ff. de tranſactionib.*

SED obiicitur, iniquum eſſe pretio habito pœnam petere. *l. apud Celſum. §. Labeo. ff. de doli exceptione.* Reſpondetur primò, ſi proſtatus eſt, quòd contractus maneat in ſua firmitate, poteſt vtrunque peti, aliàs nõ. Secundò, ſi pœna apponatur loco intereſſe, vel in contumaciã, vtrumque peti poteſt: ſecus ſi in fraudem vſurarum. Sed meliùs reſpondetur, textum loqui de pœna impropriè dicta, quæ eſt onus ſub diſiunctione impoſitum

Digitized by Google

impositum hac forma, faciam hoc, vel soluam 100. Sic etiam intelligitur *l. si pacto quo pœnam. C. de pactis.* vbi dicitur; *si pacto quo pœnam aduersarium tuum promisisse proponis, si placito non stetisset, stipulatio subiecta est, ex stipulato agens vel id quod in conuentionem deuenerat, vt fiat, consequeris, vel pœnam stipulatione comprehensam more iudiciorum exigis.* Eodem modo intelligo difficillimam. *l. prædia. ff. de action. empti.* vbi dicitur; *si ex stipulato pœnam consequutus fueris, ex vendito agere non poteris, nisi in id quod pluris eius interfueris, id fieret,* id est, non poteris petere id quod facere conuentum erat, sed sòlùm interesse moræ culpabilis, vel si in pacto de illo præcessit etiam inculpabilis.

Num. 8. SEXTA difficultas, an pœna iniusta; vel improportionata soluenda sit, si iuramento promissa est? Respondetur, non esse soluendam de iustitia, sed de religione ob reuerentiam iuramenti. Salon s. ex simili in *cap. debitoris. de iureiuran.*

Ex dictis patet, falsò Molinæum, & Caballin. *n. 35. de vsur.* dixisse, pactum pœnale nihil valere, quanuis contrarium docuerint omnes Theologi. Iurisperiti verò in varias sententias secti fuerunt; sed tandem crebriorem sentétiam inualuisse, vt omnis pœna dationi quantitatis apposita præsumatur in fraudem vsurarum: vt patet per Alex. *l. stipulatio ista. §. alteri. de verbor. obligat. & cons. 49. in lib. 4.* &c. contra quos auctores rectè Salon *illa controuers. 11.* qui pro vera sententia asserente pactum pœnale valere, etiam cùm pœna excedit interesse, adducit multos Iurisperitos, & Theologos aliquos. Plures verò Villaguta *illa q. 20. conclus. 1.* præter quos Beruentium, & Rodensem citant Angel. *vsura. 1. n. 31.* Syluest. *quæst. 28. & verb. pœna. quæst. 25. partit. 7.* Idem Ricard. *4. d. 15. art. 5. q. 5.* Nicolaus de Olberis *quæst. 3. §. 2.* Tabien. *verb. pœna. §. 8.* Contra id verò quod dicunt Emanuel *tom. 1. cap. 110. n. 14.* & alij *difficult. 1.* pœnam conuentionalem non deberi ante iudicis sententiam, vide Beneuentum *de contractib. mercator. p. 5. n. 23.*

DVBIVM XXII.

An vsura sit ratione periculi in recuperanda sorte auctirium exigere?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio asserens ratione talis periculi mutuantem formaliter, vel virtualiter, id est, vendentem, auctirium recipere, vel exigere, vsuram esse, si creditò vendat. Suadetur n. 2.*

3 *Vera sententia affirmans mutuantem formaliter, vel virtualiter cum periculo probabili amittendi capitale, posse pro illo periculo auctirium exigere. Suadetur decem argumentis n. 4.*

5 *Ad contrariæ argumenta respondetur.*

Num. 1. PRIMA opinio, ratione talis periculi mutuantè formaliter, vel virtualiter, id est, vendentem, auctirium recipere, vel exigere, vsuram esse, si creditò vendat. Conrrad. *de contract. q. 59. corol. 1. & 2. post tertiam conclusionem, & arg. 2. post 54.* Rebell. *de oblig. p. 2. lib. 9. q. 12.* citans Gutier. *in practicis. cap. 39. n. 30.* Idem tenent Sot. *6. iustitia. q. 4. art. 1. ad 1.* Nauarr. *cap. 23. n. 81.* Tol.

Digitized by Google

Tol. *lib. de septem peccatis. c.* 51. Lopez *lib.* 1. *Instructorij negotiantium. c.* 27. *& c.* 36. *ad* 6. *concluſ.* 37. *&* 1. *p. Instruct. conſc. c.* 120. *&* 2. *p. Instructorij conſcientiæ. c.* 70. Garſia 1. *p. de contract. c.* 23. *ad medium.* Bannez 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *dub.* 6. Palacios 4. *de contractib. c.* 3. *concluſ.* 8. *ante* 2. *corollarium.* Pro hac ſententia Lopez nõ immeritò 1. *Inſtruct. negotiationum. c.* 37. (vbi latè eã docet) citat Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 8. §. 2. *in fine.* Nauarr. etiam *in Summ. Latin.* anni 1575. (nam in aliis editionibus recentioribus hoc non habetur) *c.* 17. *n.* 243. ait, nec ob periculum perdendi pecuniam, aut pretium mercium, eo quòd emptor fugere, aut decoquere poteſt, aliquid peti poſſe. Idémque ait de d. ponente pecuniam apud aliquem mercatorẽ, vel numularium, quanuis illud appelletur depoſitum, & non mutuum. Primò, quia id non petitur propter periculum, ſed propter mutuum nomine depoſiti palliatum. Secundò, quia illud periculum non eſt cõſiderabile per notata in *c. nauiganti. de vſuris. & c. ſi fœneraberis.* 14. *q.* 3.

Num. 2. HÆc opinio ſuadetur primò à Corado, & Soto, quia nulla ferè eſt venditio, in qua pretium alicui nón ſubſit periculo: ergo ſemper licebit aliquid vltra ſortem recipere; & ſic vſurarij ſuum intentum conſequẽtur, ſcilicet ſemper aliquid lucri habere ex mutuo formali, vel virtuali.

SECVNDO, ſuadet Conrad. quia tunc non ſolùm capitale, ſed etiam auctiriũ periculo ſubeſt. Ergo ſi ratione periculi capitalis licet auctiriũ exigere, etiam licebit ratione periculi auctirij, aliud auctirium recipere; & ſic in infinitum. Confirmat Bannez, quia cùm auctirium etiam periculo ſubſit, de illo paciſci non eſt medium proportionatum ad recuperandum, vel aſſecurandum capitale: ergo nõ eſt licitum de auctirio paciſci.

SED quia hæc duo argumenta Conrad. friuola Soto videntur, ipſe tertiò argumentatur, & cum eo Lopez, & Bannez, quia in eo cuẽtu auctiriũ non petitur, vt ſupponimus, ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis. ergo nõ eſt cur petatur. Si dicas peti propter periculum quod probabiliter timetur, cuius timor eſt pretio æſtimabilis, inſtant, quia licèt metus ille ſit pretio æſtimabilis (quod tamen *illo c.* 37. negare videtur Lopez) nam mallet homo alicuius pecuniæ diſpendiũ facere, quàm tali anxiari metu: tamen non inde fit eſſe vlla ratione vendibilem. Tum quia venditor ſua ſponte illum metum ſubiit, tum præcipuè, quia emptor non tenétur aliter illum leuare tali metu, quàm ſoluendo mercis pretiũ; cui idcirco dũ ſoluit, ſatisfacit. Confirmant Sot. Lopez, & Bannez, quia ſi initio non fuiſſet facta timoris mentio, venditor tamen fuiſſet ob periculum vehementi metu vexatus, poſtea dum emptor non ſoluit, nihil poſſet venditor vltra ſortem recipere ratione præteriti metus, ac periculi: ergo nec initio id potuit in pactum deduci.

SECVNDO, id confirmant Sot. & Lopez, quia ſi vera eſſet contraria opinio, conditio vendentis, putà eſſe auarum, vel nimis meticuloſum, etiam eſſet legitima auctirium recipiendi, quod abſurdum videtur.

TERTIO, confirmat Bannez, quia tale periculum non ſequitur ex ipſa venditione ſecundùm ſe, ſed quia ven

Digitized by Google

venditor voluntariè se illi committit; poterat enim exigere pignus, vel fideiussorem, aut aliam sufficientem cautionem, si emptor non erat bonæ fidei, vel paciſci cum illo de soluendis expensis faciendis in recuperatione pretij, vel imponere illi pœnã si definito tempore non soluat. Ergo si vẽditor hæc omnia omittit, deputet negligentiæ suæ periculum, & non exigat iniquè aliquid pro illo.

QVARTO, principaliter id probãt Bannez, Lopez, Antoni. & Nauarr. *illo n. 243. ex cap. nauiganti. de vſuris.* vbi Pontifex definit vſurarium esse mutuatorem, qui recipit aliquid vltra sortem, eo quòd in se suscipiat periculum mutui: sed in nostro casu venditor exigit aliquid vltra sortem, eo q; in se suscipit periculũ mutui impliciti. ergo vſurari⁹ est. Adducit etiã Nauarr. *illo n. 81. c. in ciuitate. de vſuris.*

QVINTO suadetur hæc sententia, quia si ratione talis periculi præcisè posset auctiriũ exigi, sequeretur exigi etiam posse, licèt mutuatarius offerret sufficientem cautionẽ pignoratitiam, fideiussoriã, vel instrumentariam, quam mutuãs acceptare nollet, sed manere in periculo, vt pro illo posset auctirium accipere. Consequẽs videtur falsum, vt fatetur Salon ℣. *col. 913.* Ergo.

Num. 3. SECVNDA tamen opinio, quam verisimiliorem censeo, est, mutuantẽ formaliter, vel virtualiter cũ periculo probabili amittendi capitale, posse pro illo periculo auctiriũ exigere. Ita docet Med. *q. 38. de restitutione. §. ad 3. causam. & in 4. causa.* Molin. *disp. 304. col. 335. & latiùs disp. 356.* Leſius *lib. 2. c. 21. dub. 6. & c. 23. dub. 4. n. 43.* & receptam fuisse hanc opinionẽ in Eboremsi Schola, fatetur Rebellus ℣. & eam tenent Eman. *2. p. Sum. c. 83. n. 3.* Val. *disp. 5. q. 20. puncto 2. concluſ. 4.* Sa *verb. venditio. n. 3.* Nauarra *3. de reſtitut. c. 2. p. 1. dub. 11. §. imò hæc. n. 105. & ſequent. & p. 2. dub. 10. cauſa 3. n. 342.* Cordubenſ. *in Summ. q. 84. §. Tan poco ſe iuſtifica.* Aragon *q. 77. art. 4. pag. 651.* Salon *q. 78. art. 2. controuerſ. 26.* citans Pennam. Gab. *4. d. 15. q. 11. art. 1. §. ad idem etiam.* & citat Angel. Val. etiam citat Maiorem *eadem diſt. q. 31. in fin.* & Couarru. *3. Variar. c. 2. n. 5.* Sed hic de nostro casu nihil expresè dicit, vt nec Maior ibi. Aragon etiam citat Nauarr. *in Summ. Hiſpan. c. 17. n. 239. & 240.* & putat Nauarrũ sui oblitum, vel sibi contradixisse. Sed hoc falsum est, vt notat Salon ℣. *col. 917.* & ℣. videbimus, quid sibi velit eo loco, *& in Sum. illa Antuerpienſi. c. 23. n. 84.* Hæc tamen sententia videtur D. Tho. *opuſc. 73. de vſuris c. 10.* vbi ait, venditorẽ, si intendat ré suã cariùs vẽdere propter dãnũ, quod videt sibi eminere ex dilatione solutionis recipiendæ, seu propter vexationem suã redimẽdã, quã probabiliter timet futurã sibi in repetitione debiti propter malitiã, paupertatem, vel impotentiã debitoris, excusari à vitio, & fieri æquitatẽ æstimationis in huiusmodi cõtractib. p compẽsationẽ dãni, vel quãdo pbabiliter timẽtur hęc incidentia accidere. Intellige siue postea sequãtur dãna, siue nõ, modò cõpẽsatio periculi in pactũ deducta sit.

PROBATVR primò, quia propter timorem expensarũ in recuperando debito, licitum est auctirium petere, & recipere, etiãsi expensæ re ipsa nõ fiant: ergo & propter timorem amittendi capitale, etiamsi re ipsa non amittatur. Antecedẽs non solùm docent Sa, Val. Aragon, Molin. Med. Num. 4.

Ioan. de Salas.

Digitized by Google

Nauarr. Cordubens. & alij auctores secundæ opinionis: sed etiã Sot. citatus pro prima opinione, & Lopez *illo c.* 70. quanuis 1. *Instructor. negotiantiũ. c.* 27. *&* 37. existimet probabilius esse, si expensæ postea non sequãtur, auctirium recipi non posse; vbi cõtrariũ probabile existimat. Quo cõcesso, vt cõceditur à Soto, quẽ Scot. & Bannez imitari videntur, vrget valdè argumentum, quia nulla videtur esse ratio discriminis. Vnde magis consequenter loqui videtur Corad. *illa q.* 231. & Nauarr. *in Summ. Hispana. 5. & in Antuerpiensi n. illo* 84. affirmantes, quanuis propter timorẽ expensarum liceat in pretio ascendere, tamen si reuerà expensæ non fiant, nõ posse auctiriũ recipi. Quod etiam docet Grafis 1. *p. lib. 2. c.* 115. *n. vlt.* Citatur etiam Sylu. *in Rosa aurea. cas. 6.* & Maior 4. *d.* 15. *quæst.* 40. *arg.* 7. Idémque tenet Conrrad. *illa q.* 59. quãdo in pretio ascenditur propter solum periculum expẽsarum. Addit tamen, quando ascenditur pro ipso timore inferente anxietatem, & molestiam, licèt expensæ non sequãtur, auctirium recipi posse, quia satis est timore illo grauatũ fuisse, & anxietatẽ, laborémque perpessum fuisse. Sed non video cur si pro anxietate metus expensarum, auctiriũ recipi potest, etiamsi expensæ non fiant, similiter recipi non possit pro anxietate metus amittendæ sortis, etiamsi postea non amittatur. Deinde, quod dicunt Nauarr. Corad. Grafis, & Lopez cum D. Thom. *opusc. cit.* propter timorem expensarũ ascendi in pretio posse, cũ animo tamẽ nõ recipiẽdi auctirium, si expẽsæ nõ sequãtur, displicet Sylvest. *vsura.* 2. §. 10. *in fine.* quia licèt venditor rectã habeat intentionem, vt nolit nisi iustum pretium accipere, si suo tempore sine expensis debitum soluatur, tamen libris stantibus, & non demonstrantibus cur in pretio ascensum sit, vẽditoris voluntas mutari, obliuio & mors euenire potest, vnde emptor iniustè damnum patitur.

Sed dicũt Nauarr. Conrrad. Grafis, & Lopez, huic periculo occurri posse si venditor chirographum subscriptum emptori tradat de diminuẽdo pretio, si suo tempore absque expensis debitum soluatur, quod obseruandum est, quando compensatio periculi non fuisset in pactum deducta. Et fortasse hoc vult D. Thom. *opusc. citato*, licèt magis sententiã nostram insinuet.

Secvndo probatur, quia propter timorem probabilem damni emergentis, vel lucri cessantis licet auctirium petere, & recipere, siue postea sequatur damnum, vel cesset lucrum, siue non. Ergo & propter timorem probabilem amittẽdi sortẽ.

Tertio, quia pro fideiussione, & assecuratione licet auctirium petere, & recipere, vt docent Couar. 5. *n.* 5. *&* 6. & Maior *illa q.* 31 *in fine.* & cõmuniter alij, vt vidimus dubio 11. & videbimus dubio sequẽti. Ratio autem secundùm omnes est, quia tunc homo exponit se periculo soluendi pro alio, vel quod alius amiserit. Ergo similiter pro periculo amittendi capitale potest mutuans auctirium exigere, & recipere. Respondet Sot. non esse simile, quia fideiussor obligat se ad soluendũ, quæ obligatio est pretio æstimabilis. Sed hæc solutio friuola est, vt probant Salon, Nauarr. & Val. quia obligatio illa est pretio æstimabilis, & pro illa

illa nihil posset recipi, imò nec posset dici assecuratio, & quo maius fuerit periculum, plus exigi poterit. Ergo similiter in mutuo poterit aliquid exigi ratione periculi, cùm sit pretio æstimabile, vt Sot. & eius sectatores fatentur. Vnde Bannez aliter respondet, non esse simile: nam fideiussor, & assecurator sine vlla sua commoditate exponunt se periculo, ideo possunt aliquid pro illo accipere, secus mutuãs formaliter, vel virtualiter, quia commoditatem aliam expectat, scilicet sortem. Sed contrà, quia hæc commoditas non respondet periculo, sed mutuationi formali, vel virtuali. Ergo pro periculo aliquid aliud potest exigi. Tertiò respõdet Sot. non esse simile de assecuratore, quia nõ potest postea recuperare capitale si pereat, mutuans autem semper habet actionem contra mutuatarium. Sed meritò hanc solutionem reiicit Val. quia ius ad sortem, quod habet mutuans contra mutuatarium, ex mutuo ipso oritur; ergo ratione periculi potest auctiriũ exigi, sicut fideiussor, quanuis posset sortem recuperare à debitore, potest vberius aliquid exigere propter periculum cui se exponit. Aliam solutionem refert, & refellit Salon, quã omitto, quia nullam habet probabilitatis speciem.

QVARTO, probatur nostra sentẽtia, quia licitum est paciscí de damno emergẽte ex mutuo, eo quòd nemo tenetur ex iustitia cum damno suo alteri esse vtilis, sed subiacere huic periculo, est damnum quoddam emergens. ergo. Confirmatur primò, quia subiacere tali periculo propter alium est aliquid pretio æstimabile, vt fatentur Sot. Bannez, Lopez, & alij aduersarij: ergo pro eo potest aliquid exigi. Respondent negando consequentiam, quia mutuans spõte se subiicit tali periculo. Hæc tamẽ responsio friuola est, vt notant Molin. Arag. & Nauarr. nam etiam qui mutuat, vel vendit cũ damno emergente, vel lucro cessante, sponte subiicit se damno, tamen potest pro illo aliquid exigere, iuxta D. Thom. q. 77. art. 1. & alios. ergo. Confirmatur secundò, quia pro illo periculo posset aliquid accipere ab alio qui illũ solicitaret ad mutuandum, vt fatetur Bannez. ergo & ab ipso mutuatario.

QVINTO, qui cõmodat, vel locat equum alicui, apud quem timet nimio onere, fatigatione, fame, fuga, vel alia ratione peritutum, potest pacisci de compensando damno quod timet, taxando statim pretium illud, quod recipere debet etiamsi equus non moriatur, ergo similiter, &c. Respondent Sot. & alij, non esse simile, quia in locatione, & commodatione non transfertur dominium, secus in mutuo formali, vel virtuali. Sed solutio hæc meritò reiicitur à Salone, & Nauarr. quia hoc discrimen ad præsens institutum nihil refert, cùm pretium illud in locatione, & commodatione solùm accipiatur ob probabile periculum quod etiã in mutuo formali, vel virtuali reperiri potest. Ergo tunc licebit de pretio talis periculi paciscí.

SEXTO, in contractu societatis, si vnus apponat industriam, alter pecuniam, vterque est particeps lucri propter periculum, cui pecuniã, vel industriam suam exponit. Ergo similiter in mutuo propter periculum potest aliquid recipi.

SEPTIMO, mercator potest cariùs

Digitized by Google

vendere quàm emit, ratione periculi cui se exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel transferri faciendo, vt docet D. Thom. *q. 77. art. 4. ad 2.* Sot. *6. iustitiæ. q. 2. art. 3. concluſ. 2.* Nauarr. *c. 23. n. 78. in fin.* Gab. *4. d. 15. q. 10. art. 1. not. 3. reg. 3.* Antonin. *2. p. tit. 1. c. 8. §. 2.* Val. 3. & alij communiter. Ergo & mutuans ratione periculi ſortis poteſt aliquid vltra eã exigere.

OCTAVO, probant Nauarr. & Arag. quia licitũ eſt emptori, quando eſt veriſimile periculum de rei traditione propter infidelitatẽ, vel impotentiam venditoris, minoris rem emere anticipata ſolutione. Ergo & propter ſimile periculum licebit rem cariùs ad creditum vendere.

NONO, debita poſt aliquod tempus ſoluenda poteſt aliquis minoris emere à creditore, quando periculoſa ſunt, vt docet Tol. *lib. 5. cap. 31. in fin.* Nauarr. *c. 27. n. 231. & concluſ. 11. de vſuris. n. 7. &* 8. Aragon *q. 77. art. 4.* vbi Bannez *dub. 5.* Val. *diſp. 5. q. 20. p. 2. concluſ. 5.* Lopez *2. p. c. 57. & 58.* Salon *q. 78. art. 1. controuerſ. 1. ad 4. & art. 2. controuerſ. 17.* Mol. *diſput. 361.* Graſis *p. 1. lib. 2. cap. 112. n. 27.* Sot. *6. iuſtit. q. 4. art. 1. ad 3.* Caiet. & alij. Ergo etiam ratione periculi cui mutuans ſe exponit, licebit auctitiũ exigere. Reſpondet Sot. non eſſe ſimile: nam qui vendit cũ periculo, vel mutuat, cùm nullã vim pãtiatur, vel nõ mutuet, vel ſufficientem cautionem accipiat, alioquin cùm ſine vlla neceſſitate ſubire velit periculũ, ſibi imputet. Qui verò emit rẽ ſubiacẽtem periculo, iuſtè minuit pretium, quia res ſubiecta periculo minùs valet. Sed contrà, quia ſi res ſubiecta periculo minùs valet, ideo licitè minoris emitur; & res non ſubiecta periculo plus valebit, ac proinde licitum erit pro 90. certis quæ mutuantur, petere 100. periculo ſubiecta, vt argumentatur Val. Quod argumentum confirmat: nam dupliciter poteſt declarari iuſtitia emptionis debiti periculoſi pro minori ſumma. Primò, ſi dicatur licitum eſſe emere 100. periculoſa pro 90. quia 100. periculoſa non plus ſecundùm ſe valent, quàm 90. certa. Secundò, ſi dicatur ideo licere, quia quanuis ſecundùm ſe æqualem habeant valorem, tamen æquum eſt, vt periculum emptoris compenſetur ei per illa 10. quæ retinet ex pretio iuſto illius debiti, ita vt intelligantur eſſe ibi duo contractus, vnus emptionis debiti pro 100. alter compenſationis periculi pro 10. Quocumque autem ex iis modis iuſtitia contractus explicetur, ſumitur argumentum firmum pro noſtra ſententia. Si primo modo dicatur talem contractum iuſtum eſſe, vt Sot. *illa q. 4. art. 1.* verè videtur, imprimis id non videtur verum, quia ſequeretur, quòd ſi ille creditor reciperet à ſuo debitore, vel aliquo alio 100. pro illo debito, iniquè faceret, ſiquidem tale debitum minùs valet ſecundùm ſe quàm 100. Item ſequeretur quòd mutuatarius infidus, vel pauper non dans aliquid vltra ſortem, etiamſi id mutuans non deduxiſſet in pactum, iniquè faceret; quæ omnia videtur abſurda, & ſequelæ ſunt clarę. Deinde, etiamſi illud eſſet verũ, inde ſumeretur pro noſtro caſu validiſſimũ argumẽtũ: nam ſi centũ incerta, & periculoſa nõ plus valẽt ſecũdùm ſe, quàm 90. certa; ergo qui credit alteri 90. certa pro 100. periculoſis licitè faciet, quia ſeruat æqualitatem. Si autem ſecundo modo contractus iuſtificetur,

Digitized by Google

iuſtificetur, vt iuſtificari debet, efficax argumentum ſumitur pro noſtra ſententia, quia emptor ille licitè à creditore petit illius periculi compenſationem. Ergo ſimiliter in noſtro caſu qui formaliter, vel virtualiter mutuat, licitè petit periculi quod pro mutuatario ſubit, cõpẽſationem.

DECIMO, Mol. probat concluſionem, quia pecunia ſubiecta periculis minùs mihi valet, quàm non ſubiecta. Per hoc ergo quòd illam mutuo alteri, cum periculo non recipiendi illam, extenuo eius valorem, & amitto aliquid propter alterum: ergo potero ab illo petere compenſationem. Si obiicias, argumẽtũ probare etiam nullo præcedente pacto mutuatariũ teneri ad cõpenſandũ hoc dãnũ, quia ſi non cõpenſat, non reddit æquale; reſpondeo omiſſa obſcura ſolutione Mol. negãdo conſequentiã, quia mutuans, quãuis ſine alio pacto debeat reddere æquiualẽs ſimpliciter, id eſt, quãtùm valet res mutuata ſecũdùm communẽ æſtimationẽ, tamẽ niſi fiat aliud ſpeciale pactũ, nõ tenetur reddere quantùm valet ſpecialiter ipſi mutuãti. Sicut ergo ſuperiùs diximus mutuatarium nõ teneri ad cõpenſationẽ dãni emergentis, vel lucri ceſſantis, niſi de hoc præcedenti ſpeciali pacto, quia onus illa cõpensãdi nõ eſt imponendũ, niſi conſentienti; ita de compenſatione periculi amittendi ſortem, faciendi expenſas, ſuſtinendi labores, &c. dicendum eſt cum Mol. Arag. Salone, Val. Nauarr. & aliis, ne emptor qui fortè cũ eo onere emere ad creditum nolet, contra ſuam voluntatem grauetur. Vnde Ang. *vſura. 1. n. 37.* rectè cum multis docet, mutuãtẽ ratione periculi poſſe aliquid vltra ſortem exigere, quia res cum periculo minùs valet mutuanti quàm certa.

AD primum argumentum reſpondetur, friuolum eſſe, vt Sot. etiam fatetur, quia auctores ſecundæ opinionis non dicunt pro omni periculo aliquid vltra ſortem recipi poſſe, ſed pro morali, veriſimili, & probabili, quod non ſemper in formali, vel virtuali mutuo inuenitur. Et ita vſurarius per iſtum contractum non conſequitur intentum, nempe lucrari ſemper in mutuo, maximè cùm ſæpe imprudenter faceret, committendo ſe periculo propter aliquod lucrum. *Num. 5.*

AD ſecundum reſpondetur, friuolum etiam eſſe, vt fatetur Sot. quia dici poteſt cũ Soto, Arag. Nauarr. & Valent. expectatione auctirij omnem compenſari metum. Addit Salon. *ſicut in diſpoſitionib. nõ procedit in infinitũ ita neq; in periculo mutui, vnde idem auctirium recipi poteſt pro periculo ſui, & ſortis.* Ex quo inferri poteſt, ſi ſtatim pro periculo ſortis auctiriũ daretur, minus eſſe debere quàm ſi ipſũ etiã differretur cũ periculo. Addit etiam Val. nõ eſſe incõueniens, ſi concedatur poſſe peti aliud auctiriũ pro periculo auctirij donec veniatur ad minimã pecuniã, cuius periculũ iã non ſit pretio æſtimabile. Nauarr. etiã ait pro periculo auctirij, ſi auctiriũ etiã credatur, poſſe aliud auctirium peti. Ad cõfirmationẽ reſpõdetur negãdo cõſequẽtiã: nõ enim ideo iuſta eſt auctirij pretitio, qa ſit mediũ ad habẽdã ſecuritatẽ, vel ad recuperãdũ debitũ, ſed quia ſubire pro alio periculũ eſt pretio æſtimabile, & nõ tenetur quis illud gratis impẽdere. Ita Val. ſ. addẽs q auctiriũ credatur, maneátq; periculo ſubiectũ, eſſe gratiã mutuãtis in mutuatariũ: poſſet. n. iuſtè illud

Digitized by Google

ſtatim exigere, ſicut aſſecurator pretium aſſecurationis.

Ad tertium argumentum reſpondetur, ipſum periculum eſſe damnum emergens, & metum illius eſſe pretio æſtimabilem, vt Sotus fatetur, ideo meritò poſſe eius compenſationem peti, ſeu ipſum vendi.

Neque obſtat quòd ſponte periculum, ac metum creditor ſubeat, ſicut etiã in opinione Soti *6. iuſtitiæ. q. 1 art. 3.* qui ſponte mutuat, poteſt petere compenſationem dãni emergentis, & in communi opinione etiam lucri ceſſantis, ita periculi imminentis. Sic etiam in opinione Soti, qui ſponte emit debita periculoſa, poteſt propter periculum quod ſuſcipit, in pretio deſcendere: ergo. Et quanuis emptor nullo præcedente pacto non aliter teneatur metu illo amittendi ſortem, venditorem leuare, quàm ſoluendo illam, tamen per pactum poteſt ad auctirium obligari, quia non tenetur venditor gratis pro illo periculum ſubire, ideóque poteſt illud ipſi vendere.

Ad primam confirmationẽ, negatur conſequentia, quia ſine ſpeciali contractu non debet quis grauari, vt ſoluat plus quàm res valet ſecundùm communem æſtimationem, licèt plus valeat vendenti, vel mutuanti, ſecus per ſpecialem contractum, vt patet in compenſatione damni emergentis, & lucri ceſſantis.

Ad ſecundam confirmationem, negatur conſequentia, quia non debet conſiderari metus, anguſtia, vel moleſtia inde orta ſecundùm ſe, ſed ratione periculi, vel quatenus ex ipſo periculo ſecundùm rectam rationem, & non tantùm vitioſam diſpoſitionem oriri poteſt. Ita ſentiunt Molin. & Nauarra.

Ad tertiam confirmationem reſpondetur, tale periculum ſequi ex ipſa venditione, vt hîc, & nunc, & hoc ſatis eſſe, vt periculi compenſatio petatur, nec tenetur vẽditor, aut mutuator talem petitionem omittere, etiam cùm periculum alia via vitari poſſit: nam ex contractibus iuſtis poteſt quem velit, eligere: patétque etiam ad ſolutionem 5. argumenti. Neque admitto quod ibi ex Salone retuli, & ex Nauarro contra Med. 3. poſſe auctirium pro periculo exigi, etiam cùm homo potiùs vult mutuare, vel vendere cum periculo, quàm à periculo liberari per pignus, fideiuſſionem, vel aliam ſufficientem cautionem, quod tamen ſæpe erit imprudentia.

Ad quartum argumentum reſpondetur, textũ loqui in eo euentu in quo aliquis mutuat obligando mutuatarium ad ineundum ſecum contractum aſſecurationis, vel ſocietatis. Med. Valen. Arag. Salon, & alij referendi dubio ſequenti. Imò & Sot. *6. iuſtitiæ. q. 4. art. 2.* ideo in præſenti pro ſe nõ attulit illũ textum *c. autem in ciuitate. de vſuris.* non eſt ad rem, vt bene notant Val. Nauarr. & Arag. Imò ij vltimi inde argumentum in oppoſitum deducunt; quia textus docet ſeruaturum merces in tempus quo erant plus valituræ, poſſe aliquid exigere vltra pretium quod habent de præſenti, ſcilicet, quia exponit ſe periculo amittẽdi illud lucrum: ergo ſimiliter poteſt aliquid recipi pro periculo cui mutuans ſe exponit. Et eodem modo licet argumentari ex *c. nauigauit.* vbi idem decernitur, quod *c. in ciuitate.* Ad quintum iam reſponſum eſt.

Ad

AD id verò quod dixit Nauarr. de deponente pecuniam apud mercatorem, vel numularium, respondetur, si deponat dando facultatem vtendi, mutuum fieri, vt ait Sa *verb. mutuum. n. 6.* ideo posse aliquid recipere vltra sortem pro periculo probabili, si verè existat, non recuperandi illam, iuxta nostram opinionem, quam probabilem refert Sa *eod. verb. n. 2.* Si tamen non det facultatem vtendi, non poterit auctirium pro periculo exigere, quia illud non patitur, in vtilitatem depositarij, sed in propriam.

DVBIVM XXIII.

An vsura sit ratione periculi rei mutuatæ quam mutuans in se suscipit, ad securitatem mutuatarij auctirium exigere?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur controuersia.*

2 *Illicitum, & vsurarium est mutuare formaliter, vel virtualiter cum pacto vt alius cum eo ineat contractum assecurationis, détque ei aliquid vltra sortem, eo quòd in se periculum mutui suscipiat.*

3 *Quando contractus assecurationis non exigitur tanquam conditio sine qua mutuans non vult mutuare, nec deducitur in pactum, sed mutuatarius sua sponte illud iniit cum mutuante, nulla vsura interuenit, etsi ad talem contractum mutuans se offerat.*

4 *Qui iuxta primam conclusionem est vsurarius, si non plus iusto pretio accepit pro suscepto periculo, nihil tenetur restituere.*

5 *In eodem euentu, præcisè pro obligatione ad celebrandum contractum assecurationis imposita mutuatario, nihil tenetur mutuans restituere.*

6 *Variæ interpretationes ad* cap. nauiganti de vsuris. *Sexta, vt legitima admittitur n. 7.*

VT si quis formaliter, vel virtualiter mutuet alicui 100. mari asportanda, aut per loca alia periculosa, suscipiátque pecunia periculũ, quousque ad locum quò mittitur, perueniat. Glos. Ber. *c. nauiganti. de vsuris.* absolutè docet, in eo euentu vsuram committi. Idem Innoc. Panormit. Anton. de Butr. Ioan. de Anania, Ioan. Andreas, & communiter alij Canonistæ *c. fin. de vsuris.* Host. *in Sum. tit. de vsuris. §. an in aliquo casu. verb. in traiectitia etiam pecunia.* Lancelot. *in canonicis institutionib. tit. de vsuris. §. fin.* & ex Theolog. Richar. *4. d. 15. art. 5. q. 5.* & Nicolaus de Olberis *q. 3. §. 12.* nituntur præcipuè *d. cap. nauiganti. l. final. de vsuris.* vbi sic dicitur; *nauiganti, vel eunti ad nũdinas certã mutuans pecunia quantitatem, eo quòd suscipit in se periculum recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* Omitto alia argumenta, quia ne apparentiam quidem habent, vel tantillùm versato in hac materia. *Num 1.*

PRIMA conclusio: regulariter, & per se loquendo illicitum, & vsurarium est mutuare formaliter, vel virtualiter cum pacto, vt alius cum eo ineat contractum assecurationis, détque ei aliquid vltra sortem, eo quòd in se periculum mutui suscipiat; ita vt si apud mutuatarium perierit, sibi pereat, & non mutuatario. *Num. 2.*

Ita

Ita Caiet. *hac quæst.* 78. *art.* 2. *in princip. & in Summa. verb. vsura. casu* 12. Vega *casu* 75. Villaguta *quæst.* 26. *de vsuris.* Emanuel *tom.* 1. *cap.* 111. *n.* 5. *& tom.* 2. *cap.* 105. *n.* 5. Antoni. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 21. *&* 46. Molin. *disput.* 318. Ioann. Medin. *quæst.* 4. *de vsuris. ad* 1. *principale. & quæst.* 38. *de restitutione.* Bart. Med. 1. *Sum. cap.* 14. §. 23. *casu* 12. Couarr. 3. *Variar. c.* 2. *n.* 5. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 284. *&* 221. *& com. de cambiis. num.* 3. Angles *q. de mutuo. art.* 2. *difficultate* 5. Lanetinus *cap. nauiganti. de vsuris.* Sot. 6 *iustitiæ. quæst.* 4. *art.* 2. *& quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 1. Maior 4. *d.* 15. *quæst.* 31. *casu* 15. aliàs *q.* 27. *&* 24. *arg.* 3. Gab. *eadem d. quæst.* 11. *art.* 1. *&* 2. Almain. *q.* 2. Angel. *vsura.* 1 *n.* 38. Sylueſt. *quæst.* 35. Salon *hac quæst. art.* 2. *controuerſ.* 20. Aragon, Nauar. Ioan. Med. & Valent. locis citatis dubio præcedenti, opinione ſecunda. Angles *quæstione de mutuo. art.* 2. *difficult.* 5. Conrrad. *de contractib. quæst.* 39. Alberic. *in Dictiona. vtrinſque iuris. verſ. quid de eo qui mutuat nauiganti.* Iacob. Butrius *l.* 1. *C. de nautico fœnore.* Bald. *l.* 1. *col.* 4. *ff. de ſumm. trinit. & l. periculi. ff. de nautico fœnore. & in Rubrica. C. eod. tit.* vbi etiam Paul. de Caſtro *l.* 1. & communiter Iuriſperiti *cap. nauigant. de vſuris.* ex quo textu idem colligitur. Ratio autē eſt, quia grauamen illud, ſcilicet vt mutuatarius celebrare teneatur contractum aſſecurationis cū mutuāte etiā iuſto pretio, eſt aliquid pretio æſtimabile, ſicut quòd teneatur emere, vendere, locare, &c. de quibus diximus dubio 9. & ſequentibus. Vt autem circa illos alios euētus vidimus Adrianum eſſe ſingularem, ſic in materia de reſtitutione, quæ incipit, *occurrunt*, &c. priùs ſingularis eſt, hac in parte affirmans mutuātem, nec vſuram, nec peccatum cōmittere ſi mutuet eum pacto celebrandi cōtractum aſſecurationis iuſto pretio; neque tamen attendit etiam iuſto pretio ſeruato obligationem eſſe pretio æſtimabilem, vt in aliis contractibus diximus, & ideo non poſſe vi mutui exigi.

DIXI in concluſione, regulariter, & per ſe, quoniam rarò, & per accidens in aliquibus caſibus non erit vſura. Primò ſecundùm Mol. quando lucrum mutuanti ceſſaret, vel damnum emergeret, niſi mutuatarius contractum aſſecurationis cum eo celebraret, quo totum lucrum ceſſans, vel damnum emerges, aut eius partem compenſaret. Secundò, quādo obligatio ad celebrandū cōtractū aſſecurationis nullatenus eſſet incommoda mutuatario, eo quòd contractus eſt illi expediens: nec refert cum mutuante, aut cum alio celebrare; tunc enim obligatio illa poſſet in pactum deduci, vt in ſimilibus ſuperiùs diximus.

Num. 3.

SECVNDA cōcluſio: quando contractus aſſecurationis non exigitur tanquam conditio ſine qua mutuans non vult mutuare, nec deducitur in pactum: ſed mutuatarius ſua ſponte illum iniit cum mutuāte, nulla vſura interuenit; eſto ad talem contractum mutuans ſe offerat. Ita Mol. & omnes citati cōcluſione prima. Probatur, quoniam ſuſcipere in ſe tale periculum, eſt pretio æſtimabile, pro quo poſſet quicumque tertius competēs pretium accipere. Ergo & mutuans: non enim per hoc quòd impenderit mutui beneficium, factus eſt deterioris conditionis, quàm alij ad celebrandum cum mutuatario cōtractum aſſecurationis, quod maximè

Digitized by Google

xime verum est, quando assecuraret rogatus, vel se offerens ex charitate, eo quòd mutuatarius indiget assecuratore, & alium saltem æquè idoneum non habet. Confirmatur: nam quid absurdius, quàm ex pecunia incommodũ periculi suscepti me habere, cuius alius lucrum capit totũ? vt patet *l. secundùm naturam. ff. de regul. iur.* Ergo pro suscepto periculo licitũ est aliquid à mutuatario exigere.

Num. 4. TERTIA cõclusio: qui iuxta primam conclusionem est vsurarius, si non plus accepit pro periculo suscepto, quàm iustum pretium, nihil de pretio restituere tenetur, vt superiùs diximus in similibus contractibus. Ita Mol. & Salon, aliíque citati. Sed limitant Vega, & Emanuel, vt si mutuatarius nõ erat cum alio celebraturus contractũ assecurationis, quia eo non indigebat, restituendum illi pretium sit, quia contractus fuit nullus. Ex quo etiam inferunt, si res mutuata pareat, perire mutuatario, & non mutuanti, pro quo citant Lop. 2. *p. Instructor. negotianti. c.* 16. *pag.* 369. *col.* 1. Sed omnes falluntur, quia cõtractus iste onerosus est, ideóque licèt fiat ex vi mutui, validus est iuxta superiùs dicta. Quare si in eo seruatur iustitia pretij, nihil restituendum est mutuario, & vterque tenetur pacto stare.

Num. 5. QVARTA conclusio: in eodẽ euẽtu præcisè pro obligatione ad celebrandũ contractũ assecurationis imposita mutuatario, nihil tenetur mutuans restituere. Est contra Mol. Sal. Couar. Eman. Veg. Vict. & alios multos, qui in hoc, & similibus euentib. docent pro obligatione vsurariè impositа, à mutuario aliquid restituendum esse, quos superiùs reiecimus; quia illa obligatio non est vera, siquidem mutuatarius non manet verè obligatus. Ergo pro illa nihil est restituendum, sed satis erit mutuatarium liberum relinquere, & nõ cogere illum ad faciendum quod promisit. Si verò iam coëgit pro hac iniuria, sicut & pro iniuria adulterij, detentionis iniustæ, &c. nihil est restituendum, vt docet Salon 5. Confirmatur, quia Mol. *disp.* 312. in simili euentu concedit pro grauamine & obligatione nihil esse restituendum. Ergo idem in præsenti dicẽdum est.

Num. 6. AD *cap. nauiganti. de vsuris.* variæ sunt interpretationes. Primaest Ianeti 5. & quorundam recentiorum Canonistar. verba illa, *eo quòd in se periculum suscipit*, referẽda esse ad mutuatariũ, & non ad mutuantem, vt sensus sit; nauiganti, vel eunti ad nũdinas certã mutuans pecuniæ quantitatẽ recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius cẽsendus est, eo quòd ipse nauigans, vel iens ad nundinas periculum mutuatæ pecuniæ in se recipit, ideóque nullus est titulus ratione cuius possit aliquid vltra sortem exigi. Laborant ij multùm in ostendendo iuxta regulas Ciceronis, & Grammaticorũ verba illa posse ad mutuatarium referri, & rationem reddi, quia mutuans vsurarius censendus sit. Sed certè explicatio hæc præterquàm quòd est singularis, dura, & violẽta, Põtifice est indigna. Sic enim nihil egregium diceret, nihil nouum, aut difficile definiret, impertinentérque satis doctrinam quæ generalis est omni mutuatario, peculiariter applicaret nauiganti, & eunti ad nundinas: quando enim mutuatarius, vt fieri solet, periculũ suscipit mutuatæ pecuniæ, mutuans

Digitized by Google

tuans non poteſt vltra ſortem exigere.

SECVNDA expoſitio eſt, vſuram eſſe, ſi mutuans aliquid accipiat ratione periculi quod ſubit in recuperãda ſorte propter infidelitatem, vel impotentiam mutuatarij. Ita exponere videntur Anton. Nauarr. Lopez, & Bannez relati dubio præcedenti. Conſtat tamẽ Pontificem non loqui de periculo recuperandæ ſortis, ſed de periculo rei mutuatæ, quod propter naturam mutui ſuſcipere ſolet in ſe mutuans nauiganti, vel eunti ad nundinas.

TERTIA expoſitio Antoni. *illo* §. 21. cum Ioan. de Neapoli *in quodlibet.* & Calder. *d. cap. nauiganti.* Pontificem velle vſurarium eſſe eum qui recipit vltra ſortem, & ratione mutui, & ratione periculi. Sed non placet, quia textus ſolùm dicit, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum.

QVARTA expoſitio, textum velle vſuram eſſe quocũque modo pro aſſecurãda ſorte mutuãtem aliquid vltra illam recipere. Ita gloſ. ibi, & alij Canoniſtæ initio citati, & Petrus Grego. *in Syntagmate iuris. p. 3. lib. 22. c. 3.* Crot. *cap. nauiganti. de vſuris not. 3.* Conrrad. *q. 71. de contract.* Sed hæc expoſitio ex impugnatione primę opinionis reiecta manet.

QVINTA expoſitio, vſuram eſſe mutuantẽ ex vi mutui obligare mutuatarium ad celebrandum contractum aſſecurationis pretio iniuſto: Adrian. ſ. Sed nõ placet, quia ibi de iniuſtitia pretij non diſſeritur, tum quia ſupponitur, quãdo pretium aſſecurationis eſſet iuſtum, vſurã non eſſe mutuare cũ pacto celebrãdi cõtractũ aſſecurationis, quod falsũ eſt.

Num. 7. SEXTA, & legitima expoſitio eſt, vſurã eſſe vi mutui obligare ad contractũ aſſecurationis, etiã iuſto pretio celebrandũ. Ita Val. Nauar. Arag. Ioan. Med. Caiet. Sylueſt. Sot. & cõmuniter alij citati dubio 1 Couarr. *3. Variar. cap. 2. n. 5.* Gab. Maior, Ang. Villaguta ſ. Ioan. Bapt. Lupus *d. cap. nauiganti. n. 15.* Sãterus Luſitanus *tit. de aſſecuratione p. 1. n. 18.* Mol. qui ſeptimam adhibet interpretationem cũ Nauarro, vt Pontifex ex præſumptione in eo capite procedat, atque adeò intelligẽdus ſit in exteriori, nõ verò in conſcientiæ foro: cùm enim multi vſuras palliarẽt, ſolùm iis mutuando qui pecuniam traiectitiam peterent cum contractu aſſecurationis, atque inter illos quidam reuerà non vellent eam aliò perducere: ab iis verò qui aliò eam perducere volebant plus pro aſſecuratione exigerent, quàm eſſet iuſtũ pretium, vt ita mutui ratione aliquid acciperent, Greg. IX. ad tollẽdas has fraudes, & iniuſtitias eo capite voluit præſumptionẽ iuris aduersùs accipiẽtes aliquid vltra ſortẽ ratione periculi traiectitiæ pecuniæ definire; decreuitq; eo ipſo vſurarios eſſe cenſendos in externo foro: atque hac ratione ait Nauar. non dixiſſe eſſe vſurarios, ſed cenſendos eſſe vſurarios, id eſt, tales iudicandos in foro externo. Sed hanc interpretationem reiicit Ianetinus; cur enim ſi creditor quod per legẽ ei licet, agat, vſurarius eſt præſumẽdus? & nunquid ſcire neceſſitatem debitoris, aut mentem eius tenetur?

VLTIMA expoſitio, quã etiã probabilem putat Molin. vt Pontifex eo capite declarare voluerit, nauticum fœnus, vt ciuilibus legibus concedebatur, vſurariũ eſſe, nõ obſtãte quòd mutuãs in ſe ſuſceperit periculũ pecuniæ

cunię mutuatę. Leges quippe ciuiles cõcedebant in nautico fœnore vsuram centesimam pro quolibet mense, non solùm ratione periculi, quod mutuans in se suscipiebat, sed etiam ratione mutui, & hac ex parte contractus erat vsurarius, licèt nõ quatenus recipiebatur aliquid ratione periculi, & ideo quantùm ad illam partem leges concedentes nauticum fœnus. *C. & ff. de nautico fœnore*, abrogatæ iam sunt.

DVBIVM XXIV.

An vsura sit mutuare triticum, vel aliquid aliud reddendum quando plus valebit, in eadem mensura?

SVMMARIVM.

1 *Tribus modis Molina respondet.*
2 *Explicantur tria in quibus omnes conueniunt.*
3 *Vsura est mutuum in eadem quantitate, & bonitate naturali exigere, quando probabilius, vel certum est plus valiturum tempore solutionis, siue ille præfixus sit terminus, siue non, si res non erat seruanda in tempus minoris valoris. Probatur n. 4.*
5 *Pro maiori explicatione quædam notanda.*
6 *Ad fundamenta contraria respondetur.*

MOLIN. *disp. 311.* respondet primò, si dubiũ sit, vtrùm res plus, aut minùs valitura sit tempore solutionis (vt triticum mense Maij plus valere solet, quàm in Nouembri) æqualéq; sit periculum ascensus, & descensus in valore, ita vt tãtùm possit descẽdere in valore, quantùm ascendere, & è contrà, tunc propter æquale periculũ, & cõmodũ, cui vterq; contrahentiũ exponitur, licit' est cõtractus, qcqd postea tẽpore solutionis eueniat. Num. 1.

SECVNDO, quando moraliter est certum rem mutuatam plus esse valituram tempore solutionis, aut certum est non minùs esse valiturã, & dubitatur, num plus valitura sit, aut maius periculum est incremẽti pretij, quàm decrementi, distinguẽdum est, quoniam si tunc aliquis mutuet aliquos tritici modios, vt totidẽ reddantur, nullo præfixo solutionis termino, sed indifferenter quando mutuans petat, vel mutuatarius reddat, neque mutuans aliqua vi, metu, aut fraude impediat solutionem, quãdo mutuatarius soluere voluerit, tunc esto mutuãs expectet tempus in quo triticum plus valeat, vel tunc illud petat, nullam iniustitiã committit, sed solùm in eo cernitur nimia cupiditas, paruáque in proximum charitas; siue de industria fecit, vnde ad restitutionem nõ tenetur, sibiq; mutuatarius imputet, quòd sibi nõ consuluerit soluendo triticum quando minùs valebat. Si verò solutioni terminus fuit præfixus, iterum distinguendum est, quia vel mutuãs seruaturus in id tempus erat triticũ illud, vel non: in primo euentu nulla interuenit vsura, modò tamen si eo

tempore triticum in poteſtate ipſius alicui periculo ſubiacebat; aut cum eo ſumptus aliquos erat facturus in eo aſſeruãdo, tantùm de quantitate tritici ſibi reſtituendi detrahat, quantùm vtrumque prudentis arbitrio æſtimaretur, idue mutuatario ſoluat. Ratio verò omnium horum eſt, quoniam tunc mutuans ratione lucri ceſſantis accipere poteſt ſolutionem in eo maiori valore tritici, quia illud in id tempus ſeruaturus erat, quare cùm ſicut ſumptus aliquos cum eo erat facturus, vel in poteſtate ipſius alicui periculo ſubiacebat, vt corruptionis, vel furti, tanto minus lucrum illi ceſſet, valorem illorum duorum detrahere debet de quantitate tritici ſibi reddendi, vel aliunde illum compenſare. Si verò ſeruaturus triticum nõ erat in tempus maioris valoris, ſed ſtatim diſtracturus, vſura interuenit, quia exigitur vltra valorẽ rei mutuatæ: idémque eſt quando vel nullus præfixus erat terminus ſolutioni, & vi, vel dolo impediuit ſolui triticum antequam in pretio aſcenderet, vel præfixus quidem erat terminus, tamen ſimili modo fecit, vt ante incrementum valoris non ſolueretur.

TERTIO, quãdo præfixus fuit terminus ſolutioni, & longè minus periculum erat, ne decreſceret, quàm ne aſcenderet valor, tunc mutuans, eſto ad reſtitutionem teneatur ſi triticum in valore creſcat, non tamen reſtituere debet totum valoris incremẽtũ, ſed partẽ, quia aliã partẽ incremẽti retinere poteſt ratione periculi decrementi, cui ſe expoſuit. In his ferè omnibus Molin. putat conuenire Angel. *vſura. 1. n. 36.* Sylueſt. *q. 14. Gab. 4. d. 15. art. 1. lit. 1.* Med. *de reſt. q. vlt. §. ſequitur iam, & ſequentib.* Sot. *6. iuſtitia. q. 1. art. 1.* Nauarr. *c. 17. n. 219. & 225.*

SED certè iſti auctores in multis, & inter ſe, & à Molin. differunt. Vt ergo difficilis quæſtio explicetur, tria ſunt initio præmittenda, in quibus omnes conueniunt, vt ait Nau. *3. de reſtitut. p. 2. cap. 2. dub. 5.* *Num. 2.*

PRIMO, certum eſt, quòd niſi conſtet rem pluris valituram poſtea, ſed hoc ſit dubium, nõ eſt attendendum pretiũ rei tempore ſolutionis, ſed ſubſtantia, quantitas, & qualitas naturalis vt optimè dixit Mol. *illa concluſ. 1.* & ratio eſt euidẽs, quia ſic nulla fit iniuſtitia; ſicut enim poteſt minoris æſtimari res, & tunc mutuans minùs recuperabit, quoad pretium, ita etiam poteſt pretium creſcere, & tunc recuperabit rem maioris pretij quàm dederat. In hoc caſu nulla fit iniuria, vt rectè præter citatos ſentiunt Ancharr. *c. vſurarum. de vſuris. in 6.* Rodenſ. apud Angel. & Sylueſt. 5. Tol. *5. Summ. c. 34.* Salon *hîc art. 2. controuerſ. 25.* Cor. *in Sum. q. 224.* Emanuel *tom. 1. c. 111. n. 5. corol. 5.* Lopez *2. p. Inſtructor. conſcientiæ. c. 67.* Anton. *2. p. tit. 1. c. 7. §. 13.* cum Archidiacono, & Vgorio. *c. ſi quis Clericus. 14. q. 4.* & Ioan. de Ignano. *c. in ciuitate. de vſuris.* Laurentius de Rodulfis *q. 27. de vſur.* Idem Almainus *4. d. 15. quæſt. 2. in fin.* Sotus *quæſt. 2. art. 1. in fine.* gloſ. finalis *d. cap. ſi quis Clericus.* Angles *quæſt. de contractu mutui. art. 2. difficult. 1.* in quodam appendice. Grafis *1. part. lib. 2. cap. 104. num. 21. & 23.* Mercadus *tit. de vſuris. cap. 5. verſ. en lo que.* Sa *verb. mutuum. num. 9.* Vega *verb. vſura. caſu 17.* Garſia *de contractib. part. 1. cap. 7.* & conſonat *l. vinum. ff. ſi certum petatur.* vbi dicitur;

vinum

Digitized by Google

vinum quod mutuò datum erat per iudicem petitum est, quæstio est cuius temporis æstimatio fieret, videlicet cùm datum esset, an cùm litem contestatus fuisset, an cùm res iudicaretur? Sabinus respondet, si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset, si non quanti tunc cùm petitum esset. Interrogaui cuius loci pretium sequi oporteat, respondet, si conuenisset vt certo loco redderetur, quanti eo loco esset; si dictum non esset quanti, vbi esset petitum: intelligendum tamen hoc est, quando pactũ fuit de mutuo reddendo in eadem mensura; si enim de hoc pactum non fuisset, non esset reddendum æquale in mensura, sed in valore, iuxta statim dicenda. Intelligendum etiam est, siue mutuans seruaturus esset triticum in tempus maioris valoris, siue non.

SECVNDO, certum est, si seruandum esset in tempus maioris valoris certi, vel probabilioris, exigi posse eandẽ mensuram, ratione lucri cessantis non posse auctarium exigi. Id tamen docent Mol. Salon, Lopez, Sylueſt. Angel. Anton. Scot. Almain. Gab. Petrus Nauarra, & Nauarr. *illo n. 219.* & ferè omnes alij.

TERTIO, conueniunt omnes in hoc, nempe vsuram esse, si mutuans deducat in pactum cùm mutuatarius non reddat mutuum ante tempus maioris valoris, vel quãdo mutuans petierit, etiamsi res maiorem valorem habeat. Item, si mutuatario volente soluere antequam res in pretio ascendat, mutuans se abscondat, & nullo modo admittat solutionem, & denique si directè, vel indirectè per vim, metum, vel fraudem solutionem impediat. Molin. Nauarra, Antonin. Sylueſt. Angel. Gab. & alij. imò Nauarr. *n.* 225. Grasis *n.* 23. Salon, Lopez, Vega & Emanuel fraudem esse putant; si mutuans antequam res in pretio ascendat, vt lucrum accipiat, dicat mutuatario, noli modò laborare, aut solicitus esse de solutione, & vtere tritico ad tuam vtilitatem, nullo pudore afficiaris, eo quòd nondũ solueris, &c.

QVARTO, mihi probabilius est, vsuram esse mutuum in eadẽ quantitate, & bonitate naturali exigere; quando probabilius, vel certum est plus valiturum tempore solutionis, siue illi præfixus sit terminus, siue non, si res non erat seruanda in tempus maioris valoris. Oppositum tenent Sot. Tol. Salon, Nauarr. *illo n.* 225. Grasis *n.* 21. *&* 23. Eman. Lopez, Mercado, & Garsia s. Sed nostram conclusionem tenet Nauarr. sibi contrarius *eod. cap. n.* 219. vt notat Nauarr. qui idem tenet. Similitérque Ioan. Medin. Angel. Sylueſt. Ancharr. Calderin. Ioan. de lignano. Rodensis, Cor. Antonin. Laurent. de Rodulfis, Scot. Gab. Almain. & Angles s. Maior 4. *d.* 15. *quæst.* 24. Palud. 3. *dist.* 37. *quæst.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 4. Ioan. de Francordia *de contract. concluſ.* 14. quem citat Conrrad. *quæst.* 38. *de contract.* vbi idem tenet, licèt obscurè. Idem indicat Couarruu. 2. *Variar. cap.* 3. *num.* 6. *in fine.* Idem tenet Molin. & indicant Vega, & Sa. s. quando terminus solutioni fuit præfixus, licèt negent quando non fuit præfixus. Quã in re non loquuntur consequenter, quia eadem ratio est in vtroque euentu, cùm in vtroque liber maneat mutuatarius ad reddendum mutuum antequam in pretio ascendat, ergo.

PROBATVR conclusio, quia vi mutui, *Num. 3.* *Num. 4.*

Digitized by Google

mutui, & non ratione lucri cessantis, vel alio simili titulo exigens rem maioris valoris moralis vsurarius est; sed ita contingit in his euentibus: ergo. Confirmatur, quia in huiusmodi contractibus non solùm attenditur valor naturalis, sed moralis, alioquin quælibet res maioris valoris naturalis magis æstimaretur, nec beneficentior esset qui donaret rem tempore maioris valoris moralis, quàm minoris. Ergo si res tempore solutionis plus valet, vsura est in eadem mensura illam exigere, nec valet dicere mutuatarium debere id sibi imputare, quia potuit, & noluit reddere triticum antequam in pretio ascenderet: tum quia sæpe mutuatarius solutionē differt propter impotentiam, vel propter ignorantiam inculpabilem, & inuincibilem de ascensu pretij, & tunc non debet sibi imputare, sed contractui mutui, quo soluere cogitur eandem mensuram, quando plus valet: tum quia si quis mutuet alicui ea lege, vt si nolit soluere intra tale tempus, det aliquid vltra sortē, est manifesta vsura, esto præueniendo tempus liberari possit à solutione auctirij. ergo similiter in nostro casu. Confirmatur secundò, quia si contractus ille est iustus, nullatenus peccabit mutuans peccato auaritiæ, aut aliquo alio, siquidem quod iustum est, petit, nullóque malo medio vtitur, & proximus non est in ea necessitate constitutus, vt ex charitate remittendum ei sit aliquid de debito. Consequens est contra Sot. Tol. Graf. & Lopez. ergo.

SECVNDO probatur, quia credita pecunia vendere triticū pretio quod habebit tempore solutionis pecuniæ, quando creditur eo tempore plus valiturum, quàm tempore venditionis, & non erat seruandum, est manifesta vsura, vt docent Sot. Tol. Petr. Nauarr. Ioan. Medin. Lopez, Mercado, Salon, Garsia, & alij omnes contra Caiet. suo loco impugnandum. Ergo similiter mutuare cum pacto vt soluatur triticum in eadem mensura tempore quo plus valebit, vsura est: nam perinde est, ac vendere illud pretio vltra summum rationē expectatæ solutionis.

CONFIRMATVR ex *c. in ciuitate. & c. nauigami. de vsuris.* vbi decernitur, vsuram esse vendere cariùs rem, eo quòd tempore solutionis plus sit valitura, nisi esset in illud tempus seruanda. Ergo similiter in mutuo formali: nam eadem ratio est de mutuo formali, & virtuali.

CONFIRMATVR secundò cum Nauarra, quia mutuare triticum reddendum in loco, vbi plus valebit, quò non erat deferendum, vsura est, quanuis id neget Sa *illo n.* 9. quando nullus locus fuit solutioni designatus. Ergo & reddendum tempore, in quo plus valebit, si in illud non erat seruandum.

TERTIO probatur, si valor monetæ crescat, minor summa reddenda est, vt dubio sequēti dicetur. Ergo similiter si valor tritici crescat, minor eius mensura reddenda est. Respondent Sotus, Mercad. Garc. & Salon, negando consequentiam, quia in mutuo tritici substantia, & naturalis qualitas eadem manet, & ideo reddenda est eadem mensura: in mutuo autem monetæ substantia variatur; nam substantia monetæ in valore consistit quem habet ex lege: vnde quādo ex lege valor crescit, perinde est, ac si modius tritici esset maior,

in

Digitized by Google

in quo euentu non esset totus modius reddendus. Similiter ergo nec tota moneta, quia in ratione monetę esset maior, quàm antea. Sed hæc solutio, vt notat Nauarr. friuola est, quia sicut moneta in suo valore morali substātiali crescit ex lege, ita triticum ex raritate eius multitudine emptorum. Ego, sicut non est exigenda tota moneta, quando eius valer crescit ex lege, ita nec integra mensura tritici, quando in valore morali ascendit.

QVARTO probatur, quia mutuans triticum tempore maioris valoris, licitè exigit maiorem quantitatem tempore minoris valoris, vt docent Ioan. Medin. Antonin. ꝫ. Sylvest. *vsura. 1. q. 16.* cum Archidiacono, & Vgone. Conrad. *ille q. 58. conclus. 5.* Nauarr. *ille n. 225.* cum Canonistis communiter *cap. in ciuitate de vsuris.* Ergo in redditione mutui non solùm est attendendus valor naturalis, sed etiam moralis, ac proinde vsura erit exigere eandem mensuram tempore maioris valoris: sicut enim in priori euentu interuenit emptio tritici iusto pretio cum beneficio mutuatæ solutionis, ita in posteriori interuenit virtualis emptio cum pretio excessiuo ob anticipatam solutionem. Scio Sot. Graf. *n. 21.* Mercat. Tol. Garc. Sal. & Lopez negare antecedens: sed manifestè decipiuntur; nam cùm concedant posse triticum tempore maioris valoris dari, vt tantundem in pretio sibi postea detur, quomodo negare poterunt si in tritico minoris valoris solutio fiat, plus tritici esse reddendum? Nec obstat *c. si fœneraberis. c. plerique. cap. putant. cap. vsura est. 14. q. 3. cap. consuluit. cap. si quis obiirus. cap. nullus. de vsuris.* quibus locis decernitur, vsuram esse, maiorem mensuram accipere: intelligitur enim quando mensura minorem valorem habitura non est; semper enim licitum est exigere moralem valorem rei, vt patet *cap. in ciuitate. cap. nauiganti. de vsuris.*

CONFIRMATVR secundùm Sal. Garciam, Sa, & Mercatum, aliosque ex aduersariis; si quando mutuum petitur à mutuatario, non posset illud soluere in eadem specie, deberet soluere in pecunia, vel in alia specie eiusdem valoris. Ergo etiam à principio posset in pecunia talis valor exigi. Consequens est absurdum, ergo & antecedens negari debet.

QVINTO probatur, quia secundùm omnes vsura est obligare mutuatarium, vt non reddat triticum vsque ad tempus maioris valoris moralis. Ergo in mutuo valor moralis attendi debet, & non solùm naturalis; ac proinde vi mutui recipere eandem mensuram tritici tempore maioris valoris, moralis vsura erit, vt colligit Nauarra.

SEXTO, si oppositā opinio vera esset, vsurarij suum consequerentur intentum mutuando res tempore minoris valoris, vt reddantur tempore maioris valoris, ac proinde ex illis plus pecuniæ acquiratur.

DENIQVE, quāuis licitum sit mutuare triticum vetus, vt reddatur nouum æqualis valoris, esto id cedat in mutuātis cōmodū, qui melius nouum quàm vetus conseruabit, vt docet Mol. ꝫ. Sylvest. cum aliis *vsura. 1. q. 17.* Nauarr. *cap. 17. n. 224.* Graf. ꝫ. *n. 22.* Medin. Couarru. & Cōrad. ꝫ. Salon *controuers. 26.* Vega *verb. vsura. casu 16.* Emanuel *ille cap. 111. n. 15.* quia contractus est æqualis quoad valorem,

Digitized by Google

valorem, ac ex mutuo fas est reportare commodum sine detrimẽto, vel injuria mutuatarij, tamẽ si triticum nouum plus valeat, quia vetus erat semicorruptũ, vel alia ratione, mutuatariúsque propter necessitatem quam patitur, vel alia de causa, illud cum eo pacto recipiat, vsura cõmittetur cũ obligatione restituendi mutuatario illum maiorem valorem tritici noui, nisi mutuatarius excessum condonet, vt docent ij auctores relati. Ergo similiter si quis mutuet triticum, quando minùs valet, & illud exigat in eadem mensura, & bonitate naturali, quando moralẽ maiorem valorem habet, vsurarius erit.

Num. 5. PRO maiori explicatione nota primò, quando quis seruaturus erat triticum in tempus maioris valoris, licèt posset illud exigere in eadem mensura, & bonitate naturali, debere tamen expensas deducere, secundùm Molin. Ang. Gab. & alios; debere itẽ aliquid detrahere ratione periculi, & incertitudinis lucri, si pretium statim taxetur, & nõ relinquatur successui temporis, de capitali tamen, vel ratione laborum, nihil est detrahendum, vt patet ex his quæ superiùs diximus de lucro cessante.

SECVNDO nota, non esse vsuram dare triticũ vetus eo pacto, vt si mutuatarius non dederit vetus æquè bonum, postea teneatur dare triticum nouum eiusdem valoris, siue in eadem mẽsura, siue in alia. Sed obiicit Salon *illa controuers.* 26. quia obligatio reddendi in tritico nouo mutuum etiam æqualis valoris est onerosa, & pretio æstimabilis. Ergo sentit etiam stante illo dubio vsurã esse sic vendere, si merces non erant in tempus maioris valoris seruandæ: quocirca dicendum est eundem esse casum huius capitis, & *cap. in ciuitate.* Greg. *l.* 9. amplius explicuisse quæ Alex. III. *cap. in ciuitate* dixerat, vt docent omnes citati cum Panormit. & glos. vtriusque capitis, quas immeritò Caietan. & Conrad. reprehendunt.

TERTIO probatur, quia venditio inchoatur in mutua obligatione tradendi rem, & pretium, ibique seruatur essentia contractus, iuxta *l. Labeo. ff. de verb. signifi.* vbi dicitur, *pactum vltrò citroque obligat.* Intelligatur tamen, vt consummatur substantialiter in traditione mercium, etiamsi solutio pretij differatur, quia in traditione emptor comparat dominium, vt superiori dubio diximus, & alioqui si per vim, vel fraudem postquam res tradita est vni, traderetur alteri statim soluenti pretium, ille esset verus dominus; quod est absurdum. Ergo pretium non debet attendi secũdùm tempus in quo soluitur, sed secũdùm tẽpus traditionis mercium, vt apertè colligitur ex *cap. nauiganti. de vsuris. casu* 2. Ergo, si quis non erat seruaturus merces in tempus maioris valoris, non poterit eas cariùs vendere pecunia credita, quàm numerata, quia tũc nullum esset damnũ emergens, aut lucrum cessans. Confirmatur primò, quia merces quas venditor non erat seruaturus, neque ipsi, neque secũdùm se plus valent, quàm commune pretiũ fori tempore quo traduntur, ex *l. pretia. ff. ad l. Falcidiam.* Ergo non licet vltra tale pretiũ exigere. Confirmatur secundò, quia res æstimandæ sunt quatenus veniunt in humanos vsus; in hos autem veniunt,

Digitized by Google

niunt, quando traduntur: ergo ex eo tempore, & non solutionis sumendum est pretium. Vnde nunquã Respubl. vnum pretium constituit pecunia numerata, aliud credita, quod tamen secundùm opinionem Caiet. faciendum esset. Confirmatur tertiò, quia res quæ in futurum plus est valitura, non plus valet venditori statim tradituro illam, quàm valeat de præsenti, cùm statim abiiciat à se dominium, & res possit ab emptore cõsumi. Ergo si in præsenti eam vẽdit, ac tradit, non potest, eo quòd solutionem pretij expectet, maius pretium exigere, & alioquin peccaret emptor, si minus pretiũ tũc offerret.

QVARTO, quia si statim consumatur, nõ potest in valore crescere. Ergo solutione præsenti tempore facta, non debetur pro ea pretiũ quod valeret si apud venditorem esset vsque ad id tempus conseruata.

QVINTO, arguit Bannez, quia ex opinione Caiet. sequitur eum, qui non erat seruaturus merces, posse eas cariùs vendere, quàm qui erat seruaturus, quia non tenetur detrahere quidquam ratione periculi, vel expensarum in conseruatione, cùm non esset eas conseruaturus, & quia ratione illarum nihil est de capitali detrahendum; pretium autem illud secundùm Caiet. est capitale, quia nõ exigitur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, &c.

SEXTO, qui simul vẽdit, & tradit triticũ tẽpore maioris valoris pecunia credita vsque ad tẽpus minoris, iustè exigit pretiũ currẽs tẽpore traditionis. Ergo pretiũ nõ debet taxari iuxta tẽp⁹ in quo soluitur, sed in quo merces traditur, ac proinde tradens tẽpore minoris valoris, poterit exigere pretium currens tẽpore maioris valoris, licèt tunc nõ sit soluendũ.

SEPTIMO, probant Bannez, & Salon: nam venditio beneficij pecuniæ traditione cõsummatur in traditione beneficij, & non in solutione pretij, vt concedit Lopez 5. ideóque secundùm Caiet. & alios communiter q. 100. in ipsa traditione beneficij incurruntur pœnæ iuris latæ contra simoniacos, licèt Lopez dicat fortè ex benignitate Ecclesiæ non incurri vsque ad solutionem pretij. Ergo similiter venditio aliarum rerum in traditione consummatur, & nõ in solutione pretij, ac proinde iustũ earũ pretium est quod habent, quãdo traduntur, non quando pretiũ soluitur.

OCTAVO, siue traditio mercis differatur in ea vẽditione, siue postea, siue vẽditore volẽte, & potẽte statim tradere, siue nõ, eodẽ modo cõsũmatur vẽditio in traditione mercis, idéque pretiũ soluẽdũ est. Ergo similiter siue solutio pretij differatur in vẽditione, siue postea, siue emptore volẽte, & potẽte soluere, siue nõ, eodẽ modo consummabitur vẽditio in solutione pretij, idémq; pretiũ soluẽdũ erit. Sed secũdùm Caiet. quãdo dilatio pretij conceditur post vẽditionẽ, vel emptore volẽte, & potẽte statim soluere; vsura erit aliquid exigere vltra pretiũ currẽs tẽpore quo merces traditur. Ergo idẽ erit si solutio pretij differatur in venditione, aut emptore nolẽte, vel nõ potẽte statim soluere. Confirmatur, quia aduersarij concedunt sine certis conditionibus contractum esse illicitum. Ergo idem dicendum est illis seruatis, cùm ferè omnes sint impertinentes, quod de conditionibus positis à Caiet. nunc ostendebamus.

Digitized by Google

De reliquis verò probatur; nã quòd merces sit seruabilis, licèt non seruanda à venditore in tempus maioris valoris, nihil refert vt contractus consũmetur, vel non consũmetur, in solutione pretij. Ergo similiter vt possit, vel non possit exigi pretium currens tempore quo ipsum soluitur. Item, quòd taxatio pretij fiat, vel non fiat, est impertinens in lucro cessante, vel damno emergente. ergo & hìc. Item, in lucro cessante, & damno emergente nihil detrahendum est propter labores subeundos in conseruatione rei, vt superiùs vidimus. ergo neque hîc. Item, de capitali nihil detrahendum est in mutuo propter expensas quæ fierent à mutuante in conseruatione rei mutuatæ: sed pretium in vẽditione ad creditũ, iuxta opinionẽ Caiet. verè est capitale; ergo nihil de illo detrahendũ est propter expensas. Item, quòd venditor malit vẽdere pecunia numerata, quàm credita, etiã videtur impertinẽs, vt in lucro cessãte dixim⁹ impertinẽs esse malle negotiatione lucrari, quàm mutuo.

Num. 6. Ad fundamẽta Caiet. patet ex dictis. Ad argumentũ verò quo Sotus dicit opinionem Caiet. probabilẽ, & Lopez veram existimat cũ illis limitationibus, respondetur falsum supponere, quod malè concessit Salon, scilicet mutuanti reddẽdam rem in eadem mensura, etiamsi crescat in valore, neque esset seruãda vsque ad tẽpus incremẽti; hoc enim superiùs reiectũ est. Similiter quod ait Salon, illis conditionibus seruatis perinde esse, ac si vẽditor rẽ esset in tẽp⁹ maioris valoris seruatur⁹, falsũ est: quia si eã esset seruatur⁹, ex præsẽti vẽditione lucrũ ei cessaret, & ideo posset auctiriũ exigere, nõ verò si non erat seruaturus, licèt omnes illæ cõditiones concurrant.

DVBIVM XXV.

Si valor pecuniæ pragmatica accrescat, vsuráne sit, totidem quot mutuò datæ sunt, pecunias accipere? & vniuersè quid de incremento monetarũ, ac mẽsurarũ cẽsẽdũ sit.

SVMMARIVM.

1 *Variis conclusionibus Molinæ respondet. Prima concluſ. Molinæ, sex rationibus comprobata.*

2. 3 *Secunda conclusio Molinæ, vbi octo præcipuè obseruanda sunt.*

PRÆTERMISSIS variis Iurisperitorũ sententiis, quas inter alios refert Couar. *de collatione numism. c. 7. §. vlt.* Caballin. *de vsuris. q. 90. & seqq.* præsertim *q. 92. n. 749.* Pan. *c. quando. de iureiurando. ex n. 12.* *Num. 1.*

MOLINA *disp. 312.* iis conclusionibus respõdet. Prima est, non solùm in mutuo, atque aliis contractibus, sed etiam in pœnis pecuniariis lege, aut alia ratione statutis, quando expressum non fuit, vt solueretur pecunia talis materiæ, ac formæ, soluẽdus est valor, quem pecunia tẽpore contractus, legis, aut latæ sententiæ habebat, siue pecuniæ quibus talis valor fuit expressus, accreuerint postea, siue decreuerint. Ita tenet Sot. *6. iust. q. 1. art. 2.* Medina *de rest. q. vlt.* Pan. loco citato. Coua. *§. n. 3.* Abulens. *Matth. 25. q. 220. & 221.* (licèt in tritico, vino, &c. aliter sentiat) Pet. Nauarra *3. de rest. c. 2. p. 2. dub. 5. n. 259.*

Syl.

Digitized by Google

Syl.cum aliis *vſura.* 1.*q.* 14. Angel. *n.* 36. Armil. *verb. ſolutio n.* 4. Sa *verb. mutuum n.* 9. Toletus, Garſia, Salõ, Mercado, Palud. & Antonin. citati dubio 24. & Caballin. ẽ. præſertim *q.* 92. vbi ſpeciatim de pecunia mutuò data agit, & pro ſe adducit Franciſcum Curtium ſeniorem *tract. monetarum.* & decem rationes quas viuas appellat. Idem latè docet Lopez 2. *p. Inſtruct. conſcien. c.* 77. §. *emergit.* Lauren. de Rodulphis *q.* 27. *de vſuris.* quẽ malè in contrarium citat Angelus, & Syl. ẽ. Sed peiùs Nauarrus in contrarium citat Cald. 2 *c. final. de vſuris.* Lauren. *q.* 1. (vbi nihil de hoc dicit) Pan. *c. quando. de iureiurando.* Molinæũ ſeu Caballinum *de vſuris n.* 696. vbi nihil ad rem. Tametſi Bart. in contraria fuerit ſententia in *l. Paulus. ff. de ſolutionib. & l. cùm aurum. ff. de auro, & argento legato. l. cùm quid. ff. de rebus creditis ſi certum petatur. n.* 7. quem iuriſperiti communiter ſequuntur, Baldus, Alex. Iaſon, &c. in materia mutui Nauarrus *c.* 17. *n.* 294. *& comment. de cambiis à n.* 48. Coradus etiam *q.* 224. tenet monetam ſiue creſcat, ſiue minuatur in valore, eandẽ reddendam eſſe, ſiue eſſet ſeruanda, ſiue non; in tritico verò cenſet, ſi creſcat in pretio, & ſeruandum eſſet, totum eſſe reddendum præter id quod detrahi debet ob periculum putrefactionis, vel corruptionis. Sed contrà nam etiam moneta poteſt habere alia pericula, vt furti, &c. Ergo ratione illorum detrahendum eſt de incremento pretii. Quando verò ſeruanda non eſſet, idem eſt de illa, & de tritico. Ergo ſicut nõ debet exigi integra mẽſura tritici, ita nec tota moneta, quia tunc nullus eſt titulus lucri ceſſantis, vel dãni emergentis.

PROBAT Molina ſuam cõcluſionem, quia pecunia quando expreſſum aliud non eſt in cenſu, mutuo, tributo, aut quouis alio contractu, ſententia, vel lege pœnali, attenditur, vel conſideratur ſecundùm valorem. Ergo tantus valor eſt reddendus, quantus tempore cõtractus, legis aut ſententiæ fuit cõſtitutus iuxta valorem, quem tunc pecunia habebat, qua fuit expreſſus, aut cõſtitutus; ſiue poſtea pecunia illa accreſcat, ſiue decreſcat in valore: vtrumque enim æquè cedere poteſt in detrimentum, aut commodum tam debitoris, quàm creditoris, atque adeò æqua ex natura rei eſt vtriuſque conditio. Secundò probatur ex dictis dubio præcedenti. Tertiò probatur cũ Soto, quia ſi modius creſceret, non eſſet integer reddendus: ergo ſimiliter ſi pecunia creſcat in valore, non eſt integra reddenda.

NEQVE obſtat quod quidam dicunt, quando obligatio prolata fuit in certa monetæ ſpecie, vt ſi dictum fuit, ſoluat tot aureos, non teneri creditorem recipere aliam monetæ ſpeciem. Nõ, inquam, obſtat, primò, quoniam id colligunt ex *l.* 2. §. *mutui. ff. ſi certum petatur.* vbi dicitur, *aliud pro alio inuito creditore non ſoluitur.* Si enim antecedentia in eo §. attendantur, contrarium profectò inde colligitur; præmiſerat enim iuriſconſultus mutuum non eſſe niſi in pondere numero & menſura conſiſtant, in quibus vnum in ſpecie reddi poteſt pro alio; ſubiungit verò in aliis, quia creditore inuito vnum pro alio reddi non poteſt, mutuum non eſſe, vt in equis, & ſimilibus. Ex hac autem doctrina potiùs oppoſitum quã propoſitum colligitur, quippe cùm ma-

Digitized by Google

teria potissima mutui sit pecunia. Secundò, non obstat, quia Doctores, etiã ij cum quibus nunc disputamus, affirmant, contrarium consuetudine seruari; & vt Pan. loco citato ait, stãdum est tali consuetudini: quod efficaciter probat, quia contractus celebrari cẽsentur iuxta consuetudinem loci, in quo fiunt; constat autem in Hispaniis hanc consuetudinem vigere, non solùm quia soluitur quæcunque pecunia pro ea quæ exprimitur in contractu (ærea excepta in Lusitania) sed eti quia frequentissimum est in contractibus ingentes pecuniæ summas exprimi nummis æreis, cùm dicitur, *vn quemo y 600. mill maranedis*, &c. Perspicuũ autem est, intentum proferentium non esse obligare, vt prædicta summa soluatur in pecunia ærea; sed solùm in illo valore. Tertiò, id non obstat, quoniam esto pecunia soluenda esset in eadem materia, & forma, in qua fuit data mutuò: quia tamen potissimùm data est mutuò quoad valorem, potiùs habẽda est ratio in solutione valoris mutuò dati, quàm numeri pecuniarum, quæ mutuò datæ sunt. Quò fit, vt si pecunia in valore crescat, tot numero pecuniæ illius materiæ, & formæ detrahendæ sint in solutione, quot detrahere oportet, vt valor solutionis valori mutui æquetur; sicut è contrario, si in valore decrescat, tot sunt addendæ, quot ad valorem æquandũ sunt necessariæ.

Ex quibus quartò probatur conclusio: nam si valor pecuniæ mutuatæ decreuisset, non ideo minùs valoris esset soluendũ mutuanti, siquidem valor ille non periit, quãdo pecunia erat mutuantis, sed quando mutuatarij; valor autem rei domino perit non alteri: ergò pari ratione, si pecuniæ valor creuerit, crescit mutuatario, nõ mutuãti, ac proinde non plus valoris est mutuãti reddendum quàm sit is quem mutuò dedit.

DICES; saltem quando mutuans seruaturus erat pecuniã in tẽpus incremẽti, debet ei reddi. Respondetur, minimè, nisi formaliter, vel virtute deductum fuerit in pactum, sicut superiùs dictum est de lucro cessante, & damno emergente.

QVINTO, huic cõclusioni cõsentiũt *c. cum olim, & c. cum Canonici. de censibus.* in quorũ priori cùm antea solui esset consueta quædã moneta, posteáque successisset alia minoris valoris, quã per aliquot annos quidã Episcopus ab eis susceperat, qui prioré debebãt, neq; tamen anni illi tot essẽt, quot ad præscribendũ aduersùs eum Episcopũ erãt necessarij, decernit Põtifex soluẽdã esse priorem, aut tot ex posterioribus quæ valoré prioris adæquarẽt. In posteriori verò capite cũ anteapẽsio solueretur certæ pecuniæ, & postea succederet alia maioris valoris, contenderẽntque quidã Canonici, quibus ea pẽsio debebatur, soluẽdã esse in quãtitate æquali quoad numerũ earũ pecuniarũ, quæ prioribus successerũt, definit Pontifex soluẽdã esse vel in priori viliori pecunia, vel si illa in vsu nõ sit, soluẽdam esse quoad æstimationẽ tãtùm prioris pecuniæ. Hoc argumẽtũ Molinæ non vrget, quia in his casibus nõ creuit, nec decreuit valor monetæ; sed vni monetæ alia successit.

SEXTO, probatur ex Hispaniarũ vsu, in quàrum nullo Regno, quod sciã, vlla est hodie moneta quæ ducatũ valeat, hoc est, 11. regales argẽteos in Castella, aut 40. rais in Lusitania,

Digitized by Google

tania, eo quòd aureus ducatus antiquus in Hispania creuerit quoad valorem, vt in materia de cambiis explanabitur: tamẽ debita antiqua tot, vel tot ducatorũ, siue sint census antiqui, aut quicunque alij annui reditus, siue quæcũque alia, soluuntur in valore antiquo ducatorũ quoad antiquũ valorẽ, cùm tamẽ hodie nullus nummus sit, qui cũ valorem habeat. Quò fit, vt in contractibus, & vniuersim in debitis persoluendis, solùm habeatur ratio valoris antiqui monetarũ, vt ad æqualitatẽ eius valoris debita persoluãtur, nõ verò numeri ipsarum monetarum atque incrementi, quod temporis successu quoad valorem habent. Eandem conclusionem confirmant quæ Molin. habet *disp.* 278.

Hoc eodẽ modo, si ex mutuo, atque ex quocunq; alio contractu, vel titulo debitus sit modius tritici. v. g. & postea mẽsuræ variẽtur, siue quoad decrementũ, siue quoad incremẽtũ, soluendus est modius tritici, eius quantitatis, cuius erat antequã mẽsuræ variãrẽtur. Nau. & omnes: quoniam nec maior, nec minor quantitas erat, quæ ante eam varietatem debebatur, ea quæ solui debet; sic in Lusitania fuit obseruatum, legéque publica fuit sancitum à Sebastiano.

Num. 2. SECVNDA conclusio Molinæ. Esto in mutui contractu, aut in quouis alio exprimeretur, vt debitum in pecuniis certæ materiæ & figuræ solueretur, vt. v. g. mutuum in nummis eiusdẽ rationis cum eis qui dati sunt, redderetur, si crescerẽt, aut decrescerent quoad valorem, soluendus est valor antiquus in numinis illius rationis, nisi ex verbis contractus, aut dispositionis aliud intelligeretur, nẽpe in quocunque variationis euentu numerum illarum monetarum esse soluendum; & iuxta hanc posteriorum partem Molina intelligit Panorm. *n.* 15. *citato.* Couar. §. *cit. n.* 5. Priorem verò partem probat, quia in mutuis, & aliis contractibus, & dispositionibus potissimùm habetur ratio valoris; appositio verò illa pecuniæ, vt pecunia talis qualitatis soluatur, fieri solet, ne in viliori moneta & quę multùm oneret, soluatur debitũ. Sed certè posterior pars vera non est nisi existente æquali periculo ascẽsus, & descẽsus pecuniæ in valore, iuxta dicta dubio præcedẽti.

ADVERTE autem primò, licèt *Num. 3.* vsura non sit mutuò dare cum pacto, vt restituatur moneta eiusdem rationis, Vega *verbo vsura. casu.* 34. Mercado 4. *de contractib. c. de las especies de prestamos. pag.* 87. Lopez *lib.* 1. *Instructor. negot. c.* 39. *con.* 5. cum Hostiens. *in Summ. tit. de vsuris.* §. *an aliquando. sub finem.* Nau. *c.* 17 *n.* 226. Graf. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 115. *n.* 11. *in fine.* tamen secus est, si sit diuersæ rationis, rarior ac melior, in æstimatione hominum, vt mutuò dare æream cùm eius abundãtia est, ea lege, vt restituatur argentea, vel aurea, eo quòd grauamen illud iniustè vltra sortem apponatur, & ante exhibitionem teneretur mutuans obligationem mutuatario remittere; post solutionem verò teneretur tantùm restituere sumptus, aliáque damna, si quæ præterea pactus est mutuatarius; pro grauamine autem nihil est restituendum, quia potiùs habet rationẽ iniuriæ quàm dãni dati: ob solam autẽ iniuriam sine dãno dato, restitutio nõ debetur, vt agẽtes de restitutione diximus. Hoc dictum, quod est Molinæ, cõfirmat sententiam

Digitized by Google

quã 3. cõtra eundem tenuimus, pro grauamine obligationis ad remutuandum, &c. nihil esse ab vsurario restituendum. Quando verò gratis nobilior pecunia redderetur à mutuatario, nulla interueniret vsura.

SECVNDO obserua, si ex eo quòd debitor in mora sit soluendi, creditor detrimentum incurrit propter variationẽ pecuniæ, vel aliam similem causam teneri ad restitutionem, quia culpa eius datum est damnum. Pan. Bart. Couar. 3. & alij communiter.

TERTIO obserua de monetis nostratibus quomodo in valore variatæ sint, agere Marianam *de ponderibus, & mensuris. c.* 12.

QVARTO obserua, si mutuans seruaturus erat pecunias in tempus maioris valoris, posse in pactũ deducere incrementum. Abul. Lop. Syl. Ange. Cald. 3. Nauar. & alij.

QVINTO nota, Nauarrum *communiter* asserere, quòd licèt communis opinio relata in prima conclusione, in omnibus casibus defendi possit, tamen æquius videri, vt in tribus tãtùm intelligatur. Primus est, quando seruanda erat in tempus maioris valoris. Secundus, quando pactum fuit, vt tot & tales redderentur, siue pecuniæ crescerẽt, siue non. Tertius, quando ita repentè earum pretium creuit, vt eis vsus fuerit pretio auctus. Ad quod, inquit, nos mouet partim quod Bart. tenet *d. c. cum quid. & commune.* partim quod adducit Molinæus *de vsur. q.* 90. *à num.* 694. partim æquitas magna, de qua scribit Baldus *Auth. ad hæc. q.* 17. *de vsur.* quam optimè interpretatur *n.* 707. Lopez ait; *extra hos tres casus, licèt vtraque opinio sit probabilis, æquior est opinio Soti.*

SEXTO obserua, de illa quæstione, an qui scit pecuniæ valorem de proximo esse minuendum, possit illam mutuò dare ignorantibus, dictum esse *tract. de emptione, & vend.* Vide etiam Abulens. *illa q.* 220. vbi putat esse vsuram, si in animo sit recipere postea quantùm modò valet. Sed credo vsuram non esse, quia non recipio plus quàm dedi. Et confirmatur: nam si emerem rem aliquam & ea pecunia statim, vel postea tradendam, iuxta præsentem valorem, non esset vsura, secundùm eundem Abulens. ergo nec mutuò dare exigendo eundem valorem in pecunia; par enim ratio est.

SEPTIMO obserua, ex dictis colligi, non rectè Gabrielem 4. *d.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 6. resoluisse quæstionẽ illam, an habens pecuniam, cuius valorẽ timet ego minuendum, possit mutuò dare illam cum pacto, vt sibi reddatur in valore, quem nũc habet? In qua quæstione Angelus *vsura.* 1. §. 76. cum Alex. Comb. *in quodlib. q. de vsura* tenet non esse vsuram, si mutuans possit ante diminutionem valoris pecuniæ emere ex ea aliquid æquiualens: tunc enim ratione lucri cessantis, vel damni emergentis possit exigere, vt valor æqualis sibi reddatur. Angelus autem refert alios dicentes etiam in hoc euentu esse vsuram, ideo tutius esse non dare mutuò, sed emere ex ea aliquid equiualens. Sed ex dictis patet, nõ solùm quando posset & emptus esset ex ea aliquid æquiualens, licitè eam cum eo pacto mutuò dare, ratione lucri cessantis, & damni emergentis; sed etiam nullo pacto adhibito, quia semper teneretur mutuatarius reddere æquale in valore.

OCTA

Digitized by Google

OCTAVO obserua, prædictis consonare Sa *verb. debitum.* nam *num.* 1. ait, *debitum soluendum æstimatione monetæ tempore contractus. Num.* autem 2. *qui debet monetam certi metalli, in ea soluat, vel eius æstimationem in tempore solutioni præfixo:* quanuis hæc vltima pars aduersetur secundæ conclusioni. *Num.* autem 3. ait. *si debita pecunia mutata est materia, vel pondus, soluenda est æstimatio temporis contractus: si verò solum pretium est mutatum ante moram, prodest id & nocet creditori, nisi aliud sit conuentum: sed post moram soluenda est æstimatio temporis, quo solui debuit. Quidam tamen dicunt soluendam maximo pretio quod valuit post moram.* Hæc Sa.

DVBIVM XXVI.

An vsura sit, ministros Regis aliquid recipere, vt expectent debitores, vel ante tempus creditoribus soluant?

SVMMARIVM.

1 *Sex Molinæ conclusionibus quæstioni respondetur n. 2. 3. 4. 5. 6.*

Num. 1. RECTE Mol. *disp.* 313. his cõclusionibus respõdet. Prima, vsura est pro expectatione debitorum aliquid exigere, quia expectatio est mutuum virtuale, quod etiam cedere solet in detrimentum creditorum Regis, quibus debita non soluuntur, ideo tenentur Regis ministri illis damna compensare quæ ea de causa incurrunt.

SECVNDA, exigere aliquid à creditoribus Regis ob anticipatam solutionem, vsura est cum onere acceptum restituendi, vt ait Nauarr. *cap.* 17. *n.* 245. & alij communiter, siue accipiatur remissio partis debiti, siue quidpiam aliud, quia solutio anticipata virtuale mutuum est. *Num. 2.*

TERTIA, interdum tales ministri ne retardent solutionem eam debitam, aut vt in solutione hos creditores præferant aliis, partem debiti, aut aliquid aliud accipiunt, & in vtroque iniustitiam committũt, cum onere restituendi acceptum. Nec enim in potestate eorum est solutionem retardare, si habent bona Regis vnde soluant: aut per ipsos stat quominùs ea habeant, neque iustus titulus vt aliquid accipiant, est, ne iniustè solutionem retardent. Item, si non sint bona vnde omnibus statim soluatur, iniustitia est efficere venale quem cui debeant præponere in solutione, neque ad id ius habent, ceditque in detrimentum publicum, atque in grauamen, & præiudicium aliorum, quibus non condonatur tantundem, aut postponuntur aliis. Sicut autem Rex ipse nõ potest ea de causa accipere remissionem partis debiti, tenetúrque id restituere, si ea de causa aliquid accipiat, ita ij qui vice Regis soluunt. Quando ergo non sunt bona sufficientia, vt omnibus statim soluatur, præferendi qui ius prælationis habent propter hypothecam, vel quauis alia ratione. Quòd si nullum ius prælationis habent, diuidantur bona proportione quadam inter creditores, fiátque ita omnibus solutio per partes, vt nullus grauetur. Hæc Molin. Quibus consonãt, quæ Doctores com

communiter dicunt disputantes de ordine in restitutione seruanda, quibuscum nonnulla dicemus agentes de vsurarum restitutione.

Num. 4. QVARTA Molinæ conclusio est. Solent præterea ij ministri conuenire cum tertio, vt emat eiusmodi debita pecunia statim numerata à creditoribus Regis minori pretio quàm sit id quod eis debetur, obtendentes id licitè fieri posse, eo quòd debita illa minùs valeant creditoribus ipsis propter difficultatem, & molestiã ea recuperandi, & quoniam si alius mercator eodem pretio illa emeret, non condemnaretur iniustitia, eo quòd spectatis circumstantiis debiti illius comparatione creditoris non plus valeat, & cùm tertius hic sciat continuò sibi esse soluenda debita, eo quòd ministri Regis eligere soleant cui primò soluant, emit ea; quandóque pecunia ipsa Regis soluitur, quod postea illi incremẽtum, ministro Regis cum eodem ministro iuxta pactum inter ipsos initum, diuidendum. Nullus autem sãę mentis dubitare potest hanc esse iniustitiam cum obligatione restituẽdi creditoribus Regis, neque vllum ius habere ministros publicos, aut eiusmodi intermedios ad ea retinenda.

Num. 5. QVINTA conclusio. Solent ij ministri habere occupatam Regis pecuniam in suis negotiationibus, eáque de causa differre solutiones, quod etiã in causa esse solet, vt creditores ea debita longè minori pretio aliis vendãt, vt pecunia sua fruãtur, quæ, & alia similia damna ministri restituere tenentur, quin & Regi restituere debent damna quæ patitur, dum, quia solutiones nõ fiũt tempore congruo, cariùs ei omnia venduntur, & locantur.

Num. 6. SEXTA conclusio. Conducũt mercatores à Rege partem commercij nauium Indicarum, ea tamen lege, vt in partem pretij accipiant debita, quæ Rex ipse aliis debet, tũc verò cùm multa à Rege debeantur, neque omnibus tempore constituto solui possit, emunt à multis eiusmodi debita multo minoris, & sic soluente Rege debita integra, lucrantur ipsi partem magnam eiusmodi debitorum, quod in causa est, vt multi nobiles in paupertatem ea via redigãtur. Item ij mercatores ne retardent solutionem debitorũ, quæ Rex præcipit ab eis solui, de reliquo pretio Regi debito accipere solent condonationẽ partis alicuius: hæc autem omnia iniquissima sunt. Hæ conclusiones Mol. quæ fusiùs ab eo tractãtur, valdè notandæ sunt.

DVBIVM XXVII.

An debita in futurum soluenda, quæ pagas acerbas vocant, minori pretio anticipato emere, vsura, vel iniustitia sit?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur quæstionis titulus.*

2 *Quid in primo euentu sentiat Nauarrus.*

3 *Secluso lucro cessante, aut damno emergente, ex anticipata solutione debitorem huiusmodi debita emere minori pretio anticipato, vsura est.*

4 *Explicatur conclusio, & quæsito respondetur.*

5 Quid

5 *Quid in secundo euentu sentiat Caiet.*
6 *Quando ex anticipata solutione nullum lucrum ementi cessat, vel damnum emergit, debitúmque est liquidũ, & absque periculo, vsurarium est illud minoris emere, etiamsi emptor sit quidam tertius, non ipse debitor.*
7 *Quando debita non sunt liquida, vel periculum est ea non recuperãdi sine labore, & expensis, vel aliis de causis, licitè potest tertius ea emere minoris pretio anticipato.*
8 *Duo notatu digna.*
9 *Ad argumẽta secundi casus respõdetur.*
10 *Ad argumenta primi respondetur.*

Num. 1. DEBITA ista seu iura ad illa dupliciter emi possũt. Primò, ab ipso debitore. Secundò, à quodã tertio.

Num. 2. IN primo euentu Nauarr. *c.* 17. *n.* 231. & 232. (vt intelligitur à Mol. Arag. Lopez, Cor. Sal. Læsio, Rebello, & aliis nonnullis) ait, prædicta debita non solùm à tertio, sed etiam ab ipso debitore iustè emi posse minori pretio anticipato, esto nullum cesset lucrum, vel damnum emergat emptori ex anticipata solutione, & esto debitum certum sit moraliter, certóque soluendum suo tempore absque expensis creditorum. Sed mihi videtur Nauarr. tantùm docere, idesse licitum quando damnum emergit, vel lucrum cessat, aut debita non sunt liquida, vel timentur expensæ, labores, & pericula in eis recuperandis: expressè enim ait ob anticipatam solutionem ea debita minoris emere, vsurã esse, secus ob prædictas causas. Hãc tamẽ Nauarri sententiam quibusdam quorũ nomina supprimit, tribuit Ban. j. eandémque Armilla *vsura.* 1. *n.* 33. 50. & 51. *Ioan. de Salas.* & Ioan. de Ripa tribuit Lopez 2. *p. Instructorij conscientiæ. c.* 57. & 58. quanuis Armil. *ibi.* §. 13. docuisset, vsuram esse, debitorem ea debita minoris emere ob anticipatam solutionẽ, secus ratione damni emergẽtis, vel lucri cessantis.

CVIVSCVMQVE autẽ hæc sit sẽtẽtia, suadetur primò; nam in eo cõtractu nõ interuenit mutuũ, sed emptio iuris ad rẽ in futurũ soluendã, quod ius minùs valet, quàm res ipsa, nam minus est habere actionem quàm rẽ. *l. minus. ff. de reg. iuris.* cũ aliis quæ cõgerit Dec. *reg. quæ actionem. ff. eodem tit.* ergo iustè tale ius minoris emitur, ita vt 100. in futurum soluenda iustè pro 90. nunc datis emantur. Cõfirmatur, quia ius quod vno anno est inutile, minùs valet, quàm si esset statim vtile.

SECVNDO, tertius aliquis posset illa debita minoris emere à creditore. ergo & ipse debitor.

Num. 3. SENTENTIAM Nauar. singularẽ, & omnino improbabilẽ censet Mol. *disp.* 361. contra illámque statuit hãc cõclusionẽ: secluso lucro cessãte, aut damno emergẽte ex anticipata solutione debitorem huiusmodi debita emere minori pretio anticipato, vsura, & iniustitia est, licèt verisimile sit creditorẽ difficilè, at cum labore, molestiis, ac expẽsis recuperaturum illa. Ait, secluso damno emergẽte, & lucro cessante, quoniam esto debitũ contractum esset ex mutuo, ac beneficio creditoris, non tenetur debiti solutionem anticipare, quòd si illam anticipet, poterit pro lucro cessante, vel damno emergente iustũ pretiũ exigere, vt docẽt omnes. Conclus. autẽ probat Mol. quia debitor ipse tenetur ex iustitia integrè

Digitized by Google

debitum soluere, amouendo omnem nequitiam, totúmque quod in se est faciendo. Si autem faciendo totum quod in se est, non possit plenè debitum soluere, tenetur soluere totum quod potest, manétque obligatus ad soluendum reliquum cùm primùm possit. Quò fit, vt quicquid anticipata solutione dederit, si minus sit, quàm debitum integrũ, adhuc plus valeat ius creditoris, atque adeò à debitore iusto pretio minoris non ematur; & cùm anticipata solutio mutuum virtuale sit, consequens est, vt si propter illam in minori quantitate factam integrum debitum nõ ex liberalitate, sed ex pacto remittatur, lucrum ex mutuo, vsuráque palliata sit. Atque in hoc conueniunt Doctores communiter. Caiet. *verb. vsura c. 2. casu 3.* & Armil. *illo n. 13.* Sot. *6. iustitia. q. 4. art. 1. §. de materia 3. argumenti.* Val. *disp. 5. q. 20. puncto 2. conclus. 5.* Arag. *q. 77. art. 4. §. adhuc circa medium.* Bannez *eodem art. dub. 5.* Salon *q. 78. art. 2. contr. 17.* Lopez 5. Corona *c. 8. q. 7.* Cor. *q. 23 1. §. hic etiam.* Medin. *q. 38. de restitut. dub. vlt.* Grafis *1. p. lib. 2. c. 112. n. 28. & sequentibus.* Adrian. *in 4.* agens de instit. vsuræ. §. *occurrit insuper dubium. fol. 53.* D. Thom. *opuscul. 73. de vsuris. p. 1. c. 8.* Anton. Angel. Sylu. Cõrrad. Angles, & alij referẽdi. Imò ipse Nauarr. *cons. 11. de vsuris. n. 8. §. 7.* definire non audet, quod circa hoc *in Summ.* docuerat; quem hac in parte sequutus est Toletus *lib. 5. c. 31. in fin.* dicens; *mihi videtur dicendum cum Nauarro c. 17. n. 231. quòd si ratione tẽporis d sibi remitti petit, vsura est: si verò ratione periculi, & absentiæ pecuniæ, quia verè pecunia præsens magis valet, quàm absens, non est vsura, cùm vnus alius possit emere illa 100. pro 80. vel 90. Cum igitur nulla fraus intercedat, neque temporis ratione id exigatur, non est vsura.* Hæc Toletus. Idem docet Sa *verb. debitum. n. 20.* dicens; *pro debito à te postea soluendo potes nunc minùs soluere, sic volente creditore. Est enim id velle emere rem futuram, quæ minùs valet, quàm si præsens esset. ita Nauarr. Sed quidam alij negant licere. Mihi non videtur illicitum, si quis aliquod à creditore emat debitum post annum soluendum minori pretio, neque appareat cur non liceat idem debitori facere: quamquam certè aliquid videtur interesse, vt mirum non sit quibusdam improbatum: ego faciendum non probarim, factum non improbauerim.* Hæc Sa.

CONCLVSIO tamen proculdubio tenenda est, quæ intelligitur, si debitum in futurum soluendum est liquidum: si enim non fuerit liquidum, sed incertum, rectè Sot. Lopez, Antonin. Coron. Cord. Caiet. & Nauarr. docent, posse minoris emi anticipata solutione; adde, imò etiã credita pecunia, quia debitũ incertum minùs valet, quàm certum. Cõcedunt etiam D. Thom. Grafis, Mol. & alij, si creditor ex eo quòd pars debiti ante tempus præscriptum illi soluatur gratis, & sine vllo pacto velit aliam partem remittere, non esse vsuram à debitore acceptari eã remissionem: nam quando gratis datur, licitè auctirium recipitur. Num. 4.

SED quid si quis antequam commodè possit, ac proinde nec teneatur, soluat partem debiti, eritne vsura exigere remissionem alterius partis à creditore? Respondetur affirmatiuè, quia solutio anticipata mutuũ virtuale est: ergo vsura est pro ea aliquid vltra sortem recipere, quanuis si soluat cùm commodè non poterat, hoc ferè nunquam fiet sine

damno

Digitized by Google

damno emergẽte, vel lucro cessante, labore, aut molestia, pro quibus licitũ erit vltra sortem remissionẽ partis debiti exigere.

IN secundo autem casu Caiet. *verb. vsura. c. vlt.* affirmat, quando tertius quidam debitum emit minori pretio anticipato, esto ementi nullũ lucrum cesset, vel damnum emergat ex anticipata solutione, & esto debitum sit liquidum, & tale quod absque expensis, & labore, moraliter loquendo, suo tempore recuperabitur, contractum esse licitum quia creditor tunc non vendit quod sibi debetur, sed ius ad illud, vt constat, qui eo contractu inito non habet ius ad debitum; illud enim pro pretio concessit emptori, pro quo pretio ad nihil se obligauit; vnde si debitor vel ob inopiam, vel alia ratione debitum non soluat, ad nihil tenetur creditor, licitéque retinere potest pretium quod pro iure in emptorem trãslato accepit. Est ergo iste contractus emptionis, & venditionis, non mutui. ergo in eo nulla interuenit vsura. Dices illum contractum esse mutuũ virtuale, ac proinde in eo reperiri vsuram, cùm in eo propter anticipatam solutionẽ auctirium recipiatur, Contrà arguit Caiet. quia in mutuo etiam virtuali mutuatarius manet ad aliquid obligatus; hîc autẽ creditor ad nihil manet obligatus: ergo non est mutuatarius, nec alter cum illo contrahens, est mutuans, ac proinde vsuram non committit. Si dicas saltem esse iniustum propter inæqualitatem pretij, cõtrà arguit Caiet. quia ius quod vẽditur, minùs valet quàm res ad quã est ius: ergo nulla inæqualitas, vel iniustitia est, si minoris ematur. Minor probatur primò, quia ius illud sterile est vsque ad tẽpus solutionis debiti; terra autẽ per aliquot annos sterilis, vel mihi non tradenda, minùs valet, quàm si statim esset fructifera, & tradenda. ergo. Secundò, quia iustum pretium illius iuris est, quod pro eo communiter inuenitur si vẽditioni exponatur: si autem ius illud vẽditioni exponeretur, nemo daret aliquid æquale debito; ergo tale ius minùs valet. Tertiò, quia sicut fructus quo plus à tẽpore perceptionis distãt, minùs valẽt, viliúsq; emuntur; ita eiusmodi solutiones acerbæ, & virides, seu iura ad illas, dũ longiùs distãt à tẽpore pro quo debẽtur, minùs valẽt, & viliùs vẽduntur, quàm præterito iã tẽpore solutionis. Pro hac opinione faciũt, quæ pro prima opinione cas⁹ præcedẽtis allata sũt; & Innoc. ac Pan. *c. ex parte. de alienatione mutãdi iudicij causa facta.* vbi docẽt, actionẽ minùs valere etiã deductis expẽsis, & laboribus subeũdis in debiti recuperatione, quàm rẽ ipsã. Sed ipsi se exponũt dicẽtes, id esse propter periculũ, seu dubiũ de euẽtu litis. Sic etiã intelligo Ioannẽ de Ripa, & Innoc. *c. in ciuitate. de vsuris.* & Rosell apud Sylues. j. dicẽtes, licitũ esse eiusmodi debita minori pretio anticipato emere, scilicet ratione periculi, laboris, aut expẽsarum. Hanc tamẽ opinionẽ expressè tenet Sa *verb. debitũ. n.* 20. aliàs 21. vbi adducitur Boninsig. *tit. de empt. & vend.* dicẽs esse probabilẽ. Aliqui, vt Mol. Lop. Conr. Arag Sal. Val. & Philiarius putãt esse opinionẽ Nauarri: sed falsò, vt in præcedẽti casu notauimus.

SIT tamẽ secũda cõclusio: quãdo ex anticipata solutione nullũ lucrũ emen- Num. 6.

Digitized by Google

ementi cessat, vel damnum emergit, debitúmque est liquidum, & absque periculo, labore, & expensis, moraliter loquendo, integrum suo tempore soluendum, vsurarium est, illud minoris emere, etiamsi emptor non sit ipse debitor, sed quidam alter tius. Ita Conrad. *de contract. q. 67. & duabus sequentibus.* Lopez *illo cap. 58.* Armil. *illo §. 33.* Sot. Val. Med. Mol. Corad. Arag. Bannez, & Corona 3. Læsius, Rebellus, & alij citati *dubio 39. de emptione, & vend.* Anton. 2. *p. tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4.* Angles *q. de vsura ratione emptionis. art. 1. difficult. 4.* Grasis 3. *n. 31. & sequentib.* Salon 3. Maior 4. *d. 15. q. 40. arg. 7.* Gabr. *q. 11. art. 3. dub. 4.* Angel. *vsura. 1. n. 63. & 64.* Syluest. *vsura. 2. quæst. 14.* Tabien. *vsura 5. n. 9. & 10.* Philiarius 2. *p. Sum. lib. 5. cap. 13.* citans Astensem. Idem tenet Ioannes de Anania *additionibus ad Speculatorem*, vt citant Salon, & Angel. Idem sentit Dec. *cap. in ciuitate. & c. nauiganti. de vsuris.* & clariùs Bart. *l. per diuersas. C. mandati.* & Bald. *l. 2. C. ne lite pendente.* qui docet tantùm valere actionem ad rem aliquam, quantùm res ipsa valet deductis laboribus & expensis. Adde cum Molin. & periculo non recuperandi debitum integrum.

PROBATVR primò; nam perinde est quod recipiens 90. maneat obligatus ad reddendũ 100. & quòd alium substituat todidem 100. redditurum; sed in primo casu esset vsura: ergo & in secundo, de quo est præsens quæstio. Confirmatur efficaciter; nam si mutuatarius recipiens 900. nollet se obligare, sed substituere aliũ, veluti spõsorẽ, & fideiussorẽ, qui se obligaret pro 100. mutuans esset vsurarius: sed hoc contingit in nostro casu: ergo. Si dicas nõ esse simile quãdo substitutus est debitor, & quando nõ est debitor, sed alius. Contrà, quia hoc prorsus nihil refert, quòd substituatur debitor, vel non debitor. Ergo si esset vsura substituendo nõ debitorẽ, etiã erit vsura substituẽdo debitorẽ.

SECVNDO, quia secluſa rei mutatione, omníque damno emergente, & lucro cessante, & quocumque alio grauamine, propterea solũ quòd res siue pecunia præsenti tẽpore sit vtilis, nõ valet plus quàm pecunia futura vtilis in alio tẽpore: vtilitas. n. pecuniæ in vno tẽpore per vtilitatẽ ei in alio tẽpore sufficiẽter cõpensatur. Ergo obligatio soluẽdi 100. siue ipsa 100. postea soluẽda (moraliter. n. loquendo pro eodem computantur ista duo) secluso periculo, &c. tãtùm valẽt quantũ 100. præsẽtia, & ita nõ posſũt iustè emi pro 90. præsẽtibus.

TERTIO, si ius illud minoris valeret, nulla esset vsura, vel iniquitas in mutuo exigere aliquid vltra sortẽ; quia 90. in præsenti quæ mutuans dat, tantùm valent quantùm 100. postea soluenda à mutuatario. Confirmatur primò, quia in mutuo est æqualitas si pro 100. quæ mutuatarius recipit, teneatur soluere alia 100. Ergo erit inæqualitas si aliquis dans 90. de præsenti, sit postea recepturus 100. vt in casu nostro: nec valet dicere, in nostro casu nõ emi 100. sed ius ad illa, quod debilitatum est per hoc quòd mutuans se obligauit non petere illa 100. vsque ad tempus statutũ; & ideo pro 90. emi posse, quia pari ratione possemus dicere mutuãtem posse à principio auctoritatiũ exigere pro obligatione, quã in se suscepit nõ petẽdi mutuũ vsque ad certũ tempus.

CONFIRMATVR secundò, quia ius ad recuperandũ illa 100. secundùm se toto illo tẽpore expectationis inutile potiùs est: ergo totus eius valor

valor desumitur ex illis 100. posteà soluendis. Ergo nec plus, nec minùs valet quã 100. nisi esset periculũ recuperandi, & alia damna: ac proinde iniustè emitur minori pretio anticipato.

QVARTO, si ius ad 100. post annũ recipienda nõ valeret modò 100. vt ait Caiet. sequerentur multa absurda. Primum, me absque vsura, & iniustitia posse mutuum petenti dicere, nolo mutuò dare, sed pro 90. de præsẽti emã à te obligationẽ, qua tenearis soluere mihi 100. post annũ. Secundũ, eũ qui mutuò accipit 100. iniustè agere si se obliget ad 100. soluenda, quia 100. de præsenti plus valẽt, quàm 100. posteà soluẽda. Tertium, licitũ per se esse vendere cariùs credito, quàm numerata pecunia, quia minùs valet obligatio ad soluẽdũ posteà 100. quàm 100. de præsenti accipere. Ergo quod iustè venditur pro 90. de præsenti, iustè venderetur pro obligatione ad 100. in futurum: similique ratione probaretur licitũ esse minoris emere numerata pecunia, quã credita. Quartũ, ipsũ debitorem posse minori pretio anticipato emere debitũ à suo creditore, quia tantùm valẽt 90. quæ dat de præsenti, quantùm valet ius ad 100. quod creditor habet in ipsũ. Cõsequens est cõtra ipsũ Caiet. & alios citatos cõclusione prima, Tab. & Philiariũ cõclusione secunda. Quintũ, mutuatarium posse lucrari cũ mutuante, scilicet redimendo ab eo suã obligationẽ minori pretio anticipato. Sextũ, mutuantẽ, vel aliũ creditorẽ nõ posse licitè ante tẽpus solutioni præfixum recipere à debitore integrũ debitũ, nisi titulo donationis admixto, quia minùs valet ius creditoris ad 100. posteà recipienda, quàm 100. de præsẽti. Ideo si nõ misceatur donatio, cõtractus erit inæqualis, & iniust⁹. Septimum, duos socios posse licitè ditari ex alienis per emptionem solutionis acerbæ. Verbi gratiã, sint Ioannes & Paulus socij, & Paulus emat ab alio tertio merces iusto quidẽ pretio, expectata tamen vsque ad annũ solutione; tunc accedat Ioannes, & emat minoris solutionem ab illo tertio, & rursus ipse Ioãnes emat ab eodẽ tertio alias merces expectata solutione ad annum, quam Paulus minoris emat, & ita poterunt tertium expilare, & ditari.

PROPTER hæc existimo cũ Bannez opinionẽ Caiet. esse improbabilem, quãuis Boninſ. & Philiar. s̃ & vt ait, Ban. aliis Theologis doctissimis visa sit probabilis, imò eã tenuerit Sa *ver. debitum. n.* 20. *&* 26. & à fortiori eam concedere debuerit Tol. s̃. cùm admittat ipsummet debitorem posse huiusmodi debita minori pretio anticipato emere; de quo idem Nauarr. sentire multi putãt. Cor. etiã s̃. opinionẽ Caiet. probabilem censere videtur, vt & Pen. apud Lopez & Salonem. Imò Salõ ait esse probabilem, si iuxta Arist. 1. Top. & Dialect. id probabile dicatur, quod videtur omnibus, pluribus, vel sapientibus: cùm ea opinio sit Caiet. Nauarri, aliorúmque virorum magni nominis & eruditionis. Sed statim Salon ait nõ esse securã, & Pen. & Sa dicũt ante factũ esse improbandũ illũ contractum. Sed certè si opinio Caiet. est probabilis, etiã ante factum approbari posset contractus ille, licèt non consulendus, cùm opposita opinio securior sit. Bene autem notat Bannez, si quis bona fide secutus sententiã Caiet, emit solutionẽ acerbam minori pretio anticipato,

Digitized by Google

neque peccasse, neque teneri ad restitutionem, scilicet si adhuc bonam fidem retinet. Sed posse Confessarium prudentem dissimulare factum præteritum, admoneréque illum ne de cætero id faciat, alioquin quærat alium Confessarium, nisi fortè ipse sit proprius Parochus, in quem pœnitens ius habeat, vt eius confessionem audiat. In quo euentu Confessarius tenebitur illum absoluere, quia sequitur opinionem sibi meritò probabilem: nam non tenetur credere Confessario, potiùs quàm auctoribus illius opinionis, nisi vim rationum quibus improbabilis redditur, percipiat. Ratio horum est, quia in dubiis melior est conditio possidentis: ego ipse pœnitens quandiu rationabiliter dubitat de iniustitia contractus, non tenetur restituere, & quicumque Confessarius audita eius confessione tenetur illum absoluere, etiamsi restituere nolit. Parochus autem insuper tenetur eius confessionem audire.

Ex dictis patet, falsò Philiarium ſ. docuisse, si quis ex sibi vendito credita pecunia summo pretio debitor existat, posse cum creditore conuenire, vt si pecuniam ante tempus præfixum velit, pretium rigorosum reducat ad pium: nam iste ob anticipatam solutionem, quæ est virtuale mutuum, exigit aliquid vltra sortem, scilicet remissionem partis debiti: ergo vsuram committit.

Num. 7. TERTIA conclusio: quando debita non sunt liquida, vel periculum est ea non recuperandi, saltem integrè, sine labore, & expensis, vel ex anticipata solutione, lucrum cessat, aut damnum emergit, licitè potest ea tertius minori pretio anticipato emere. In hac omnes conueniunt, quia ex qualibet prædictarum causarum licitum est emptori pretium minuere. De quo latè Grasis ſ. à n. 24. Rectéque Molin. addit, etiam debita matura, quorum terminus solutioni præfixus, iam est præsens, vel præteriit, sed nondum soluta sunt, posse à tertio dictis de causis minoris emi.

Num. 8. DVO tamen notat Mol. quæ difficultatem habent: primum est, si creditori parum valeat debitum, quia modica ipsi spes est illud recuperãdi, & aliquis sua industria, & fauore, quem apud debitorem, vel eius ministros habet, sperat se facilè illud recuperaturum; tum si propter illud debitum creditori det quantùm re ipsa eidem creditori valet, contractum esse iustum, sine vllo restituendi onere; licèt emptor facilè totum debitum recuperet, magnúmque commodum reportet. Ratio est, quoniam pretium iustum rei emptæ non est quantum illa valet emptori, præsertim ob suam industriam, aut fauorem apud aliquem, sed quantùm res ipsa valet in se, aut ipsi venditori.

EGO verò existimo in hoc euentu non posse debitum minoris emi. Probatur primò, quia licèt esset creditori dubium, & incertum ipsum debitum, si tamen ementi esset liquidum, & certum, non posset minoris emi. Ergo nec si emptori est facile & sine periculo, aut expensis recuperabile, non autem ipsi creditori: par enim ratio esse videtur.

SECVNDO, quia debitum cum labore, & expensis recuperabile non minùs valet secundùm se, quàm si esset recuperandum sine labore, & expensis, vt optimè docet Val. *disput. 5. quæst.*

Digitized by Google

quæst. 20. *p.* 2. *concluſ.* 4. cuius verba retulimus dubio 22. licèt ratione damni emergentis minùs valeat recuperaturo ipſum Ergo nullus poterit illud minoris emere niſi ratione damni emergentis, vel periculi. Hæc autem non concurrunt in noſtro caſu. ergo.

SECVNDVM, quod Molin. notat, eſt, dixiſſe ſe *diſp.* 313. eos quibus incumbit ſoluere debita Regis, aut cuiuſuis alterius, eſto penes ipſos ſit ſoluere vni potiùs, quàm alteri, quando omnibus ſolui non poteſt, nihil poſſe accipere, vt hunc potiùs, quàm illum eligant, neque poſſe per ſe, aut per interpoſitam perſonam emere minori pretio debita, quæ Regis loco ſoluere debẽt, quàm ſit id quod debetur, ſicut neque Rex ipſe poteſt id efficere, vt in primo caſu huius dubij dictum eſt. Sed prima pars huius annotationis videtur cõtra dicta ab eodem Molin. *diſput. illa* 313. in ea enim docuit, quando non ſunt bona, quibus omnibus ſolutio fiat, præferẽdos eſſe eos qui ius prælationis habent; ſi verò nullus ius prælationis habeat, diuidenda omnibus bona pro rata. Ergo nullus eſt euentus in quo penes miniſtros Regis ſit vnum creditorem alteri in ſolutione præferre.

RESPONDETVR tamen, quando dilatio ſolutionis nulli creditorum nociua eſt, penes miniſtros eſſe vnũ alteri præferre, ſi alter ius prælationis non habet; & ſic intellige quod hîc dicit Molin. Quando verò dilatio eſt nociua vni, & non alteri, is cui nociua eſt, præferri debet: quãdo verò vtrique nociua eſt, diuidenda ſunt bona pro rata inter illos: & ſic intelligitur Molin. *illa diſp.* 313.

AD argumentum Caiet. reſpondet Mol. in eo contractu non ſolùm vendi ius ad debitum alterius; ſed ſimul etiam debitum ipſum, ita tamen, vt periculo ſtet ementis, vt qui vendit iactum retis, vendere etiam dicitur piſces quos ceperit, ita vt commodo, aut periculo ſtent ementis, & ideo contractum eſſe iniuſtum, maximè cùm ius ad 100. non minùs valeat quàm 100. quando nullum eſt periculum, nullæque expenſæ, aut labores faciendi in recuperatione debiti. Addit Mol. eſſe vſurarium, quia quanuis ſolùm ſit formaliter emptio, & venditio, virtualiter tamen eſt mutuum cum obligatione ad aliquid vltra ſortem recipiendum pro pretio anticipato, & ad mutuum virtuale ſatis eſt, eum qui vicem mutuatarij ſubiit, nempe creditorem, teneri ad aliquid in futurum per ſe, vel per quendam alium, ſcilicet debitorem, quem loco ſui conſtituit. Eodem modo communiter alij reſpondent. Ad primam autem rationem, qua Caiet. probat ius ad 100. poſtea ſoluenda minùs valere quàm 100. de præſenti, reſpondetur, terram eſſe ex ſe fructiferam, ideo valorem illius ex fructu quem ferre poſſet, æſtimari. Aut verò ad pecuniam tantùm eſſe fructiferam ratione ipſis pecuniæ; ideo eandem valorem habere, quem ipſa pecunia reddenda; & quia pecunia reddenda non minùs valet in ſe, quàm ſi eſſet præſens, ideo ius ad illam non poteſt minoris emi, niſi ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ad quæ reducitur periculum ſortis, laboris, & expenſarum. Ideo autem, per ſe loquendo, non plus valet pecunia præſens, quàm futura, *Num.* 9.

Digitized by Google

futura, quia vno vsu consumitur, seu distrahitur; vnde vtilitas præsentis pecuniæ, per se loquendo, vtilitate futura sufficienter compensatur. At verò terræ vsus ipsa manēte potest esse multiplex, & diuturnus, ideo quæ pluribus annis possideri, & fructum ferre potest, pluris emi debet, quàm quæ non statim tradenda, vel fructum latura est, & similiter si emptor non esset percepturus aliquo tempore fructus eius propter pactū initum cum venditore, minoris terra vendenda illi esset.

Ad secundam rationem respondetur, ius ad pecuniam futurā apud homines doctos, & prudentes non minùs æstimari, quàm pecuniam ipsam, per se loquendo, & quando nullum est periculum in eius recuperatione, &c. secus per accidens ratione periculi, &c. & quia frequenter aliquod onus reperitur, vel homines nihil possunt lucrari ex iusta emptione taliū iurium, & obligationum, ideo rarò emūtur æquali summa, nisi ex charitate, vel amicitia, sicut iustum mutuū rarò sine charitate, vel amicitia est.

Ad tertiā probationē respōdetur cū Mol. idcirco fructus plus valere dū sūt maturi, quàm dū sūt virides, quoniā effectus sunt meliores; pecunia autē siue ad longius, siue ad breuius tēpus debeatur, non fit melior in se, ac proinde nec habet maiorem valorē. Addit Mol. fructus virides minùs valere ob pericula, quibus vsque ad maturitatem subiacent, & ob laborem, & expensas circa eos faciendas; quòd si similibus periculis debitū subiaceat, inde etiā eius valorem decrescere. Similem solutionem habet Salon, & alij.

Ad argumenta proposita pro prima opinione primi casus. Ad primū, communiter minùs valere actionē, quàm rem, quia communiter est periculū nō recuperādi debitū, saltē integrè, ac sine labore, & expensis. Ad cōfirmationem respōdetur, ius quod vno anno est inutile, minùs valere non secundùm se, sed negotiaturo per pecuniā, sicut ipsa pecunia, quādo est præsens plus valet negotiaturo per illā, quàm si esset absēs: tunc enim nō posset per illā negotiari: sicut autē ipsa pecunia præsens per se nō plus valet, quàm absēs, ita neque ipsum ius ad pecuniā, ideóque per se loquēdo, nō potest minoris emi. Num. 10.

Ad secundū, negatur antecedēs, quādo debitū est liquidū, integrum, certū, & sine labore, & expēsis recuperādū; quādo autē nō posset sic recuperari, negāda est cōsequentia, quia debitor tenetur integrū debitū soluere sine expensis, & labore creditoris, & ideo nihil de pretio debet detrahere propter expensas, & labores quos creditor subire timet. Tertius autem potest à creditore tale debitū minoris emere, quia nō tenetur gratis exponere se labori, & expensis faciendis in recuperatione debiti, ideóque hac ratione potest aliquid de pretio detrahere.

Sed adhuc obiicies, quia plus soluit, qui ante tempus soluit. *c. vnico. de plus petitionib.* ergo plus valent 100. de præsenti, quàm in futurū soluēda.

Respondent Syluest. Angel. Sal. 5. Grafis *c. citato. n.* 28. intelligi de eo qui soluit cū damno emergente, vel lucro cessante, vt cōmuniter cōtingit. Sed meliùs respōdetur, in eo textu id nō haberi, sed cùm ante tēpus petit, licèt nō petat plus quātùm ad rem,

Digitized by Google

rem, petere plus quantùm ad tẽpus.

Ex dictis patet falsò Armil. *verb. vsura. n.* 50. docuisse, nõ solùm ratione periculi in recuperatione debiti, sed propter solam eius acerbitatem, & quia plus valet pecunia præsens, quàm futura, posse non solũ à tertio, sed etiã ab ipso debitore acerbã solutionem minori pretio anticipato, emi.

DVBIVM XXVIII.

An vsura sit, creditorem accipere fructus pignoris fructiferi ipsis in sortem non computatis?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur titulus.*
2 *Creditor fructus pignoris vltra sortem accipiens, & non aliqua iusta de causa, vsuram committit.*
3 *Certũ est expensas integrè deduci debere.*
4 *Ex dictis aliqua colliguntur.*
5 *Omnia hæc de vero pignore intelligenda esse.*
6 *Aliqua obseruanda sunt.*
7 *An pro labore custodiendi pignus possit aliquid vltra sortem recipi.*
8 *Alia aduertenda.*

Num. 1. PIGNVS propriè non dicitur de immobilibus, sed de hypotheca. §. *inter pignus. Instit. de actionibus, & obligat. l. plebs. §. pignus. ff. de verbor. signifi.* latè tamen dicitur etiam de immobilibus: & ita sumitur in præsenti, quia quantùm ad actionem eadem est ratio. Hoc supposito.

Num. 2. AD quæstionem respondetur, creditorem teneri fructus pignoris in sortem computare, aut eos debitori reddere deductis expensis quas in illis colligendis fecerit: quòd si vltra sortẽ illos accipiat; & nõ ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, neque ex libera debitoris donatione, neque in pœnam iustam, neque aliqua alia iusta de causa, vsurã committit, apertam quidem in mutuo formali, palliatam verò in virtuali, quale est expectare solutionẽ debiti.

PROBATVR primò ex *c. 1. & 2. & c. conquestus. de vsuris. c. cùm cõtra. c. significante. de pignorib. cap. ad nostram. 1. de iureiurãd. l. 1. & 2. C. de pignorat. actione. l. 1. C. de distract. pignor.* quibus locis idem docent Iurisperiti.

SECVNDO, quia res debet suo domino fructificare; pignoris autẽ domin⁹ est qui illud tradidit, vnde si casu fortuito pereat, illi peribit. *l. incertum. C. si certum petat.*

TERTIO, quia exigere aliquid vltra sortem ratione mutui formalis, vel virtualis, est merè vsura.

QVARTO, quia pignus non datur in vtilitatem, sed in securitatem creditoris. §. *furti. Instit. de oblig. quæ ex delict. nascuntur.*

QVINTO, quia ita tenent omnes. D. Thom. *hac quæst. 78. art. 2. ad 6.* Caietanus, Aragon, & Bannez ibi, Salon *eod. art. controuers. 11.* Sot. *5. iustitia. quæst. 1. art. 2. ad 2.* Molin. *disput. 320.* Sylu. *vsura. 3. & verb. pignus. quæst. 7. & 11.* Tabien. *vsura. 4. per totum.* Armil. & alij eisdem verbis. Vega *verb. vsura. casu 55.* Canisius *in catech. de virtutib. cardinalib. §. 9.* Bela *4. de contract. lib. cap. 5.* Cardinalis Aracæli *in compendio Theologico. cap. 59.* Bar. Medin. *1. Summæ. cap. 14. §. 23.* Lopez *2. p. Instructor. cap. 52.* Toletus *lib. 5. cap. 30.* Corona *cap. 8. §. de vsura in contractu pignorat.* Philiard. *tom. 2. lib. 5. cap. 8. conclus. 3.* Grasis *1. part. lib. 2. capite 109. num. 16. & sequentib.*

Digitized by Google

Nauarr. *3.de restitut.p.2.dub.1.* Mercado *2.de contractib.c.7.* Emanuel *tom. 1. c.111.n.11.* Gab.*4. d. 15.q.11. art. 2. concl.4.* Adrian. *q. de vsura. §. sed dub.* Ioannes Med.*q.2.de vsuris.* Conrrad. *q.32.de contractib.conclus.5.* Hostiens. *in Summ.tit.de pignorib.* Nauarr.& alij.

Num.3. Et certum est expẽsas integrè deduci debere;addit tamen Salon, labores esse deducẽdos, sed non integrè:non tamen video cur si deducẽdi sint,nõ sint integrè deducẽdi, sed ad arbitrium prudentis viri. Deinde,licèt Nauarr.*c.17. n. 216.* Armil. ẽ.*n.30.* Grafis,Sotus,Corona,& Philiar. de laboribus deducendis nihil dicant,tamen cum Mercado, Tol. & Vega deducẽdos existimo, quod etiã indicat Mol.& probatur,quia creditor non tenetur debitori inseruire, & pro ipso laborare,& eo ipso quòd ei pignus fructiferũ traditur,& illud colit, obligatur pignorans ad compensandos labores,scilicet ad expẽsas,maximè cùm leges disponant,vt qui vtiliter circa res aliorum laborãt,& expẽdũt,cõpẽsationẽ accipiãt: neque obstat quod *c. 1. & 2. de vsur. & c. ad nostram. 1. de iureiuran.* solùm dicitur,deducendas esse expensas:nã eadem est ratio de laboribus, & nomine expensarum labores etiã comprehenduntur,vt è contrà *in c. ad nostram.de reb.Eccles.non alienand.* nomine laborum expensæ etiam comprehendi videntur. Cùm verò dicimus expensas deducendas esse, intelligitur de necessariis, non de voluntariis.*l. si necessarias. l. si seruus.ff. de pignor.l. fructus.ff. solut. matrimo.l. 2.C. de pignorat. actio. l. 2. Codice de pacto pignorum.* Grafis, & Gabr. ẽ. glossa *cap.de vsuris.* Addunt tamen Sylvest. *verb. pignus. quæst. 12.* San. 8. non solùm expensas necessarias, sed etiam vtiles repeti posse: idem de laboribus intellige.

Ex dictis colligunt Caiet.Molin. Sot. Grafis, Palac. Salon. Bannez, Tolet.& Mercad.Reges, & magnates, quibus ab aliis Principibus, & magnatibus traditur in pignus alicuius pecuniæ illis debitæ Regnum aliquod,vel ciuitas, debere computare in sortem fructus, & reditus quos percipiunt ex illo Regno, vel ciuitate. Limitant Salon,Palacios, & Mercado,nisi is qui Regnum, vel ciuitatem in pignus recipit, maneat obligatus ad eam gubernandam, in pace continendam, & ab hostibus defendendam:si enim ad hæc obligatus manet,distinguendum est de fructibus; quidam enim sunt tributa & seruitia quæ subditi soluere solent suis Principibus in stipendia laborum quos patiuntur, & expensarum quas faciunt in ipsis tuendis, & gubernandis:alij verò sunt veluti bona patrimonialia ipsorum Principum, vt mineralia auri, argẽti, & aliorum metallorum quæ tali loco nascũtur, piscationes magnæ vtilitatis,quæ in quibusdã littoribus illius prouinciæ habentur, venationes in nemoribus clausis,&c.Fructus primi generis nõ tenẽtur cõputare in sortem,cùm sint stipendia eorũ quæ præstãt in gubernatione,& defẽsione subditorũ:quòd si locus adeò tutus sit,& munitus,vt facilè,cum exiguóque labore, & expensis defendi posset,non potest omnia tributa,&seruitia accipere,vt stipendia; sed aliquam partem debet cõputare in sortẽ. Fructus verò secũdi generis cũ nõ sint stipẽdia,sed alia bona debitoris,debet creditor cõputare in sortẽ;vnde malè Eman. ẽ. ait, *Num.4.*

cùm

cùm alicui villa aliqua pignorata est, teneri in sorte cõputare fructus iurisdictionis: nã fructus iurisdictionis sũt stipẽdia data p administratione. ergo non sunt cõputãda in sorte.

Num. 5. Hæc omnia de vero pignore intelligenda sunt: potest enim, vt notat Caiet. Salon, Molin. Sot. Grafis, Bannez, Palacios, & Mercado, res aliqua alteri dari pro pecunia antea, vel tunc primùm ipsi debita, non per pignorationem, sed per vẽditionem cum pacto retrouendendi eandem eadem summa; qui contractus iustus erit, si ratione huius pacti minoris res vendatur, quantùm valet grauamen hoc quod emẽti imponitur, vt pro eodem pretio teneatur rem vẽdere suo venditori quando illi placuerit, & interim fructus sint emptoris, quia de re propria illos percipit; vnde non tenetur illos computare in sorte, quod verum est secundùm Grafis s. & Panor. *c. ad nostram. de emptio. & vendit.* licèt in eo cõtractu interuenerit læsio vltra medietatẽ iusti pretij, quia adhuc res empta est emptoris; vnde de re sua fructus percipit, & quòd pactum de retrouendẽdo minuat pretiũ, quia per illud grauatur emptor, habetur *l. fũdi partem. ff. de contrah. emptio.* Quòd verò emere cum pacto de retrouendendo licitũ sit, habetur *l. 42. tit. 5. partit. 5.* Quod intellige, quando vendẽs deducit in pactũ, vt res sibi reuẽdatur: secus quando emptor deducit in pactum, vt alius post tempus aliquod rem iterum emat, & interim fructus sint possidentis, quia hoc pactũ continet vsuram palliatam, in qua verè vltra sortem fructus recipiuntur, & non tam est venditio, quàm pignoratio. Ita habet *l. 5. tit. 6. lib. 8. nouæ collectionis.* Notat autem Palacios, si quis domum valentem 90. det in pignus pro 80. quæ mutuò accepit, eo pacto vt si non solueret post annũ, domus fieret mutuantis, ipse verò non teneatur mutuum soluere, contractũ esse licitum, modò fructus computẽtur in sortem, & illa 10. vltra sortem recipiantur in pœnam: quod tamen fieri non poterit, quando mutuatarius non potuit in tempore soluere, quia tunc cùm nulla in eo sit culpa, nihil vltra sortem poterit pœnæ nomine ab ipso exigi. Idem tenet Mercad. s. Armill. *verb. vsura. n. 32.* Syl. *verb. vsura. 3. §. 1.* Emanuel *tom. 1. c. 111. n. 11.* Nauarr. *c. 17. n. 217.* qui alios citant, de qua re plura inferiùs.

Sotvs s. ait, si debitor sterilẽ agrum, quem colere non intendebat, creditori dederit in pignus, & creditor sua industria, & labore ex eo colligat modicos fructus, fortè non teneri computare illos in sortẽ, quia sine debitoris detrimento illos percepit, neque tenetur computare in sortem fructus suæ industriæ: si tamẽ fructus sint alicuius momenti, perceptique essent ex agro qui non reputabatur sterilis, sed domini ignauia non colebatur, computandos esse in sortem. Imò Sa *verb. pignus. n. 9.* ait, agrum à te incultum accipiẽs in pignus si colat, posse fructus nõ cõputari in sortem. Quidam aiunt, alij minùs probabiliter negant: sed meritò Sot. impugnant Nauarr. & Mol. dicẽtes tam modicos, quàm magnos fructus esse computandos in sortem quando expensas excedũt, cùm enim sint fructus agri illius, ad dominum eius spectant deductis expensis, nisi intelligatur dominum liberè illos donare.

Digitized by Google

Num.6. OBSERVANT autem Molin. & Grafis, quando pignus est fructiferum, & creditoris culpa non percipiuntur fructus ex illo, teneri creditorem computare interesse eorum fructuum in sortem, vt si pignus esset domus, & eam sua negligentia non locaret, aut esset ager seminari consuetus, negligentiáque creditoris semina ei non mandarentur. Addit Mol. id verum esse, etiamsi culpa sit leuis, quoniam si pignoris contractus in vtriusque commodum sit celebratus, vt regulariter celebrari consueuit, tenetur creditor etiam de culpa leui, sed non de leuissima, iuxta ea quæ docet Molin. *disp.* 293. & aliis sequentibus, & postea cùm de pignore agit. Idem sentiunt Lopez, & Contrad. s. Sylvest. *verb. pignus. q.* 14. Est autem culpa leuis quando id omittitur, quod diligentes facerent; leuissima verò quando quod facerent diligentissimi, lata, quando omittitur, quod nulli etiam negligentes omitterent.

ADDIT Grafis, si domus data fuit in pignus, & actum fuit, vt creditor eam habitaret, teneri creditorem ad pensionem, quam ipse solitus erat soluere, non ad eam, quam pro conductione domus ab alio debitor percipere potuisset. *l. si ea.* 1. *C. de vsuris.* Paul. de Castr. *l.* 1. *C. de pignor. actione.* Vide tamen Sylvest. *verb. pignus. quæst.* 12.

SED quid si debitor in contractu mutui datis pignoribus donationem fecerit creditori fructuum quos ex pignore percipit? Grafis cum Dominico *cons.* 12. ait, etiamsi ob merita donatio fiat, vsuram præsumi; quod intellige in foro externo.

ADVERTIT etiam Grafis si detur in pignus res quæ paulatim vsu atteritur, & consumitur, vt vestis, & creditor ea vtatur, si hoc fiat voluntate debitoris, vsuram esse, si verò contra eius voluntatem, furtum. *l. si pignora. ff. de furtis.* Si tamen res vsu nihil detrimenti accipiat, aut fortassis etiam melior reddatur, licitum erit ea vti, vt quando res pignorata est liber, vel cymbalum, &c. Idem docet Philiarius s. *& c.* 3. Armil. *verb. vsura. n.* 30. Nauarrus *cap.* 17. *n.* 203. Sylvest. *verb. pignus. q.* 7. & ita iudicatum esse ait Sebastian. de Sapia. *additionib. ad Panorm. c.* 1. *de depositio.* vbi idē docet Panormit. Hinc qui mutuat super domo cū pacto ea vtēdi, vsurarius est secundùm Grafis: quod intellige nisi pro vsu, quod iustum fuerit soluat, aut partem mutui remittat.

Num.7. SED an pro labore custodiendi pignus, aliquid vltra sortem recipi potest? Angles *q. de mutuo. art.* 2. *difficult.* 1. *in fin.* & Emanuel s. affirmant, addúntque ita definitum esse *c. ad nostram. de rebus Eccles. non alien.* sed ibi nihil est ad rem. Palacios verò s. ait quando pignora non sunt fructifera, vt vas aureum, vel argenteum, vel pretiosæ vestes, propter eorum custodiam nihil referri posse: nam creditori incumbit, eiúsque interest ea illæsa seruare. Si obiicias, quia ministri montis pietatis possunt pro asseruatione pignorum mutuatariorum stipendia accipere: ergo similiter. Respondet Pala. non esse simile, quia illi ministri custodientes pignora, non sibi seruiunt, sed bono publico, ideo mercedem referre possunt; nunc autem custos rem suam agit. Si verò pignora sint fructifera, ait Palacios recipere aliquid pro eorum

Digitized by Google

eorum conseruatione, & cultu non esse vsuram, neque iniustitiam: & fructus recipi posse modò deductis expẽsis computentur in sortem. Sed non video quid referat esse, vel non esse fructifera; vnde sentio si custodia sit difficilior, quàm custodia rei mutuatæ, posse pro illa aliquid recipi, iuxta quantitatem excessus.

Num. 8. ADVERTE insuper, quando modici sunt fructus pignoris, vel agri, quem dominus non intendebat colere, censeri donati pignoratario. Item aliquando non excedere labores, & expensas culturæ, & tunc non esse computandos in sortem. Vega *verb. vsura. casu* 55. Lopez *illo cap.* 53.

VLTIMO aduerte, si quis mutuum accepit, & pignus fructiferum dedit iurans se super eo nullum grauamen illaturum mutuanti donec pecunia soluta sit, si postea à mutuante pignus abstulerit antequam pecuniam soluat, debere restituere illi vsque ad pecuniæ solutionem: soluta verò pecunia creditor debet fructus restituere deductis expensis. *cap. ad nostram. 1. de iureiurando.* Vnde, vt iuramentum adimpleatur, non dabitur compensatio ante solutionem mutui; quem textũ non videntur intellexisse Grafis ꝛ. *num.* 19. nec Couaruu. *relect. de pactis. part. 1. §. 4. num. 10. in fin.* dicentes ideo tunc non posse peti compensationem, quia quantitas fructuum pignoris nõ erat liquida: compensatio autem nonnisi de liquido fieri debet. *l. non debeas. ff. de compensat.* Bart. *l. frater à fratre. ff. de conditione indebiti.* non enim hæc est ratio; sed quia iuramentum quod non est cõtra bonos mores, implendum est, nisi priùs fuerit relaxatum.

DVBIVM XXIX.

Vtrùm gener vsuram committat fructus pignoris dotalis non computando in sortem?

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua omnibus communis.*

2 *Variæ Doctorum cuiusdam legis interpretationes ad maiorem quæstionis intelligentiam proponuntur n. 3. 4. 5. 6. 7.*

8 *Si à principio pactum fuit, certo tempore dotẽ soluendã, quacumque verò ratione differretur solutio, dandum esse pignus fructiferum, percipiendóque eius fructus vltra dotem postea soluendam, licitè poterit gener vltra sortem fructus pignoris recipere.*

9 *Si solum pactum fuit, dotem definito tempore reddendã, interim verò dum non reddatur, tradendum esse ei pignus fructiferum, non exprimendo an fructus essent, vel non essent cõputandi in sortem, non tenetur gener in sortem illos computare.*

10 *Tria sunt aduertenda.*

11 *Si à principio conuentum expresè fuit de fructibus pignoris vltra sortem non recipiendis, non poterunt vltra sortem recipi.*

12 *Si à principio conuentum est de dote post aliquot annos soluenda, nullo promisso pignore fructifero, interim dum non solueretur: postea verò ante aduentum termini præfixi traderetur, fructus illius essent computandi in sortem.*

13 *Si pactum fuit de dote certo tempore soluenda; socer autem petat dilationem offerens statim pignus fructi-*

Digitized by Google

ferum, computandi sunt fructus in sortem, nisi donari credantur, vel aliis de causis.

14 *Si socer teneatur, & potest dotem soluere termino præfixo, sed propter suam commoditatem petit à genero dilationem, non potest gener pro concessione indebita dilationis de fructibus pignoris pacisci.*

15 *Si socer est in mora inculpabili, tenetur de damno emergẽte, & lucro cessante.*

16 *Aliæ duæ conclusiones breuiter statuuntur n. 17.*

Num. 1. PARTEM negatiuam absolutè docent omnes ex Innoc. III. *cap. salubriter. de vsuris.* dicẽte: *sanè generũ ad fructus possessionum quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* Quæ decisio difficillima est, quia recipere fructus non computando eos in sortem, vsura videtur ex dictis dubio præcedenti. Vnde variæ sunt huius textus interpretationes.

Num. 2. PRIMA est, vsuram, licèt in aliis casibus illicita sit, in hoc tamen ex concessione Pontificis in fauorẽ matrimonij licitam esse. Ita videtur docere glos. *eod. cap.* & Bald. *in Rub. C. de vsuris.* & auctores ordinationum Lusitanicarum apud Moli. *disp.* 321. Sed hæc interpretatio meritò reiicitur à Molin. Sal. & aliis cõmuniter; quia vsura propriè dicta est illicita. ergo neq; cõcessione Principis licita fieri potest; fortassis tamẽ auctores huius interpretationis loquuntur de vsura impropriè dicta, intẽdũtque ex concessione Pontificis concedi ius, & dominium illorum fructuum genero, quod meritò potuit facere Pontifex in fauorem matrimonij, & ita fructus illi non ex vi mutui virtualis, sed Pontificiæ cõcessionis à genero vltra sortem recipiuntur, ac proinde nulla propriè interuenit vsura, Et ita textũ interpretatur Banez *hic art. 2. ad 6. Cor. q.* 230. & 238. quanuis *quæst. hac* 230. opiniones Soti, Lopez &c. referendas misceat. Sed nec hoc placet, quia Pontifex ibi non condit nouum ius, sed declarat quod ius naturæ habeat.

Num. 3. SECVNDA interpretatio est, Pontificem solùm velle fructus tunc vltra sortem recipi posse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex dilata solutione dotis. Ita Adrian. *quæst. de vsura. § restat breuiter soluere. resp. ad 3. & §. sequenti.* Conrr. *de contractib. quæst.* 25. *concluf.* 7. Maior 4. *d.* 15. *quæst.* 31. *casu* 3. Ricard. *art.* 5. *quæst.* 5. *§. tertio modo.* Nicolaus de Orberis *quæst.* 3. §. 4. Almain. *quæst.* 2. Sylueſt. *vsura.* 3. *quæst.* 2. citant Panormit. Ioan. Andr. Antonium de Buttrio. *d. cap. Salubriter.* Ananiam *cod. cap. n.* 8. Hostiensis, & alij quos refert Caballin. *n.* 495. & Couaruu. 3. *Variar. cap.* 1. *n.* 3. qui expressè idẽ tenet, tribuitque Ioan. Medin. *quæst.* 2. *de vsuris.* §. *ad cap. salubriter.* quem etiam pro hac sententia citat Molin. sed Salon alia tenere arbitratur; pro hac etiam citantur Paul. de Castro, Imol. & Alex. *l. insulam.* §. *vsuras. ff. soluto matrimon.* idémque Alex. *cons.* 119. *n.* 4. expressè eam tenet Philiar. *lib.* 5. *c.* 8. *concluf.* 3. Lopez 2. *p. Instructorij. cap.* 60. vbi ait, damnum emergens semper contingere in eo casu, quia gener cogitur ex suis bonis matrimonij onera sustinere, ac proinde etiamsi non esset cum

Digitized by Google

tum pecunia dotis negotiaturus, nullúmque ei lucrum ceſſet, poſſe fructus pignoris recipere non computando eos in ſortem: pro qua ſententia citat Didac. Roma. Epiſcopum Taſcalen. itáque exponit Sotum ꝛ.

Hæc tamen interpretatio impugnatur à Nauarr. *com. de vſuris. n. 64.* Mol. Sot. Sal. & aliis. Primò, quoniam textus non eam rationem reddit, ſed longè diuerſam, nempe licitè fructus pignoris vltra ſortem accipi pro ſuſtinendis oneribus matrimonij; quia frequenter fructus dotis non ſufficiunt. Secundò, quia Pontifex eo capite peculiare aliquid declare voluit circa generum ratione onerum matrimonij: non verò tradere rationem communem genero cum cæteris omnibus ad licitè accipiendum aliquid vltra ſortem, nempè ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Tertiò, quia ſi ſolùm ratione lucri ceſſantis, vel dãni emergentis ex dilata ſolutione dotis liceret genero fructus vltra ſortem accipere, ſequeretur nòn poſſe illos vltra ſortem accipere quando nullum ceſſat lucrum, neque dãnum emergit. Conſequens eſt contra conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres: ergo.

Num. 4. TERTIA interpretatio eſt, dum ait, &c. Pontificem voluiſſe fructus vltra ſortem recipi poſſe ex tacita, ſeu præſumpta donatione ſoceri. Sed hanc interpretationem impugnant Mol. Sal. Arag. & alij, quia Pontifex de donatione nihil dicit, aut inſinuat, nec ſemper donatio præſumi poteſt, cùm ſæpe ſoceri conentur de quantitate dotis quantùm poſſunt, minuere.

Num. 5. QVARTA interpretatio eſt Fortunij *tit. de vltimo ſin.* aſſerentis textum ſolùm habere locum in genero comparatione ſoceri, non alterius, qui ipſius vxorem dotaſſet, quia pater tenetur dotare, vel alere filiam; ideo dum dotem non ſoluit, licitè poteſt gener ab eo accipere fructus pignoris in ſortem non computandos ad filiæ pro eo tempore ſuſtentationem. Hanc interpretationem reiiciunt Mol. & alij, tum quia, vt Nauarr. ait *num. 604.* Pontifex vniuersè loquitur, & non tantùm de genero comparatione ſoceri: tum quia pater non tenetur alere filiam, quando aliunde habet vnde alatur, vt ſi ali poteſt à marito, & ipſe prꝛeter dotem nulla alimenta promiſit; dotem autem dat tempore præfixo: quòd ſi tempore præfixo non dederit, licèt peccet contra iuſtitiam, ſi commodè dare potuit, tamen ſolùm videtur manere obligatus ad ſolutionem dotis, ſicut qui aliorum debitorum ſolutionem iniuſtè differunt, per ſe loquendo, ſecluſóque damno emergente, & lucro ceſſante tantùm tenentur adeorum ſolutionem.

QVINTA interpretatio eſt Soti *6. iuſtitiæ. quæſt. 1. art. 2. ad vltimum.* idcirco generum accipere poſſe fructus pignoris non computandos in ſortem, quia cùm ſalua dote, quæ integrè ſeruari debet vxori, vel eius hæredibus, teneatur ad onera matrimonij; præſumit lex ex dote empturum aliquid, vnde ſalua dote vxorem aleret. Eandem interpretationem ſequuntur Arag. & Vega. Hanc interpretationem reiicit Molin. vbi ꝛ. Deinde, quia quando genero conſtaret nihil ſe tale eſſe empturum, neque negotiaturum cum pecunia, ſanè accipere non poſſet fructus *Num. 6.*

pignoris

Digitized by Google

pignoris non computando illos in sorte, quia lex quæ in præsumptione fundatur, vim non habet in foro cõscientiæ, quando de opposito præsumptionis constat, præsertim quando quod lex statuit iniquum est ea præsumptione secluſa.

SEXTA interpretatio; accipere posse generum vltra sortem fructus pignoris ratione onerũ matrimonij, secluſa quacumque donatione soceri, damno emergente, lucro cessante, aut aliis similibus. Ita Caiet. *q.* 68. *art.* 2. *ad* 6. *arg.* ibidem Sal. *controuers.* 14. Abulens. Matth. 25. *q.* 202. *& seqq.* Tol. *lib.* 5. *c.* 30. Et reuerà idem sentiunt Sot. Vega, Emanuel ẽ. Molin. ita explicans, vt definitio Pontificis locum habeat siue socer constituat certum terminum, in quo dotem sit soluturus, recepturúsque sua pignora, siue non: sed generatim dicat dotem se soluturum genero, interímque dum nõ soluit, daturum pignora cum facultate fruendi illis, concedendóque eorũ fructus loco vsus fructus dotis, inter quæ duo solet esse æqualitas; ideo sicut licitus est cõtractus in quo pro vsufructu dotis toto tempore matrimonij gener se obligat ad sustinenda onera matrimonij, ita in quo se obligat ad ea sustinẽda pro aliquo tempore pro fructibus pignoris eo tempore percipiendis. Itaque fructus illi vltra dotem non percipiuntur pro dilata solutione dotis, sed pro vsufructu dotis sibi debito pro obligatione quã suscipit ad sustinenda onera matrimonij: & ad hoc nihil refert, quòd sponsa à socero, vel ab alio dotetur, vel quòd maritus teneatur integrã dotem vxori seruare, vt in Castella, vel medietatem tantùm, vt sæpe in Lusitania, vel quòd genero ex dilatione dotis lucrum cesset, aut non: quia non pro lucro cessante recipit fructus pignorum, sed pro sustentatione onerum matrimonij, quanuis si lucrum genero cessaret, dandum aliquid esset vltra fructus pignorum æquales vsuifructui dotis. Quòd si gener matrimonij onera non sustineret, interim dum ei dos non soluitur, quia videlicet vxor post matrimonium in domo patris perseueraret, à patréque aleretur, ita vt propter illam nullum maius onus maritus sustineret, quàm alioquin esset habiturus, tunc accipere ex eo capite non posset fructus pignorum non computandos in sortem. Notat etiam Molin. definitionem Pontificis locum non habere, quãdo pignus solùm cõceditur ad securitatem dotis tali die soluendæ: si enim tali die soluatur, nõ poterit gener extra sortem fructus recipere, etiamsi onera matrimonij ad illud vsque tempus sustinuerit, quia pro omnibus oneribus durantis matrimonij cum socero conuenit, vt ille eo tempore dotẽ solueret; sed tantùm habere locum quando pignus datur non solùm ad securitatem, sed etiam ad supplendũ vsumfructum dotis. Quærit autem Molin. quid si socer à principio constituit se daturum genero in dotem filiæ mille aureos, post celebratum verò statim matrimonium videns se non posse statim soluere, petat dilationem solutionis vsque ad annum cum pacto, vt interim gener possessione soceri fruatur, eritne tunc gener vsurarius, posito quòd ex tali dilatione lucrum ei non cesset? Pars affirmatiua suaderi potest, quoniam generum concedere tunc socero dilatio-

Digitized by Google

lationem, est virtualiter mutuare illi mille aureos, pro mutuo autem aliquid vltra sortem accipere, vsura est. Confirmatur, quoniam si gener iam accepisset pecuniam illam à socero, & socer mutuò illam ab eo peteret soluendam post annum, vsura esset accipere fructus possessionis illius vltra sortem: ergo etiam est vsura accipere illud pro dilatione solutionis pecuniæ ram sibi debitæ ex pacto præcedenti. Respondet Mol. vsuram esse si pro dilatione solutionis, aut pro mutuo illorum aureorũ accipiat gener à socero fructus possessionis illius, etiamsi matrimonij onera sustineat: si tamen dicat socero; dissoluamus præcedentem contractum, atque hunc alium de nouo ineamus, vt pro sustinendis matrimonij oneribus interim dum mihi non tradis istam pecuniam, des fructus illius possessionis; quando verò illam tradideris, sit illa in pretium sequentium onerum matrimonij, contractum esse iustum, esto nullum lucrum genero cesset.

Si obiicias, pari ergo ratione, si extraneus à genero petat pecuniam acceptam à socero pro sustinendis oneribus matrimonij, poterit gener cum eo similem cõtractum celebrare, ab eóque accipere aliquid vltra sortem pro sustinendis oneribus matrimonij, interim dum pecunia illi non soluitur, esto ex datione pecuniæ nullum ei lucrum cesset. Negat Molin. consequentiã, quia non spectat ad extraneum compensare onera matrimonij, sicut ad socerum, vel alium qui sponsam dotat, eáque de causa aduersùs eum qui sponsam nõ dotat, non habet alium titulum quã mutui, ratione cuius nihil potest vltra sortem accipere.

Sed hæc interpretatio, quam etiã tenet Panorm. *c. Salubriter. de vsuris.* & Gab. *4. d. 15. quæst. 11. art. 2. post 4. conclus. casu 4.* (etiam vt à Molin. explicata est) non caret difficultate: nam quando dos traditur in pecunia, reuerà interuenire videtur mutuum formale, vel virtuale, quia gener fit pecuniæ dominus cum obligatione reddendi eam, vel aliquid æquiualens, si illã non seruet vxori, aut eius hæredibus soluto matrimonio, quod est mutuam pecuniam accipere pro toto illo tẽpore. Pro mutuo autem obligare generum ad sustinenda onera matrimonij, vsura videtur ex parte soceri, & sic ex vi talis contractus gener non manere videtur obligatus ad onera matrimonij; sed ad reddendam pecuniam soluto matrimonio. Item si dare dotem in pecunia, est mutuare, obligare se socerum ad dandam dotem in pecunia, est obligare se ad mutuandum pro illa obligatione, quam gener in se suscipit, sustinendi scilicet onera matrimonij. Obligatus autem ad mutuãdum, si non mutuet tempore constituto, nihil debet mutuatario vltrà sortem, per se loquendo, & secluso damno emergente, &c. Ergo si socer dotem non soluit tempore constituto, ad nihil tenetur, per se loquendo: vnde si gener non erat eum dote negotiaturus, aut damnum aliquod vitaturus, non poterit fructus recipere vltra sortem, quia mutuans nihil debet pro vsufructu rei, quam mutuare tenebatur, quando mutuatario nullus futurus erat vsusfructus. Vnde Nauarr. *3. de restit. c. 2. p. 2. dub. 11.* hanc sextã opinionẽ

Digitized by Google

seu interpretationem reiicit, sequiturque secūdam, quam etiam tenet Angel. *verb. vsura.* §. 25. Armil. 22. & 23. Sylvest. *vsura.* 3. *q.* 3. Antoni. 2. *p. tit.* 1. *c.* 7. §. 27. Bald. *l. vlt.* §. *præterea. C. de iure dotium.* Dec. *cons.* 119. *n.* 4. Postea tamen ipse Petrus Nauar. *n.* 361. in hanc vel in primam opinionem incidit, dicens, *fortè quamuis in aliquo casu particulari nullum lucrum cessaret, posset gener fructus pignoris non computare in sortem, quia licèt in particulari cesset finis legis id concedentis, non tamen in communi.*

Num. 8. Ego tamē in tanta varietate opinionum, & confusione dico primò, si à principio pactum est statim vel certo aliquo tempore dotē soluendā, quacumque autem ratione differretur solutio, dandum esse pignus fructiferum, percipiendósque eius fructus vltra dotem postea soluendam, licitè posse generum vltra sortē recipere fructus pignoris, quia tunc propriè pertinent ad dotem, licèt non sint propriè pars ipsius, quia maritus non tenetur soluto matrimonio, aliquid pro eis reddere vxori, vel eius hæredibus, sicut neque quando pactum fuit, vt socer donec redderet dotem, vxorem & maritum aleret. Ita docent Bannez, Cord. & Salon s. dicentes certum esse, & cōmune. Eadémque ratio est, vt docēt, si socer promitteret certā pecuniæ quantitatem soluendam genero, interim dum ei dotem non soluit. Idē sentiunt Sot. Couarru. Sa, Mol. Panormit. Conr. Sylu. s. Nauar. *c.* 17. *n.* 213. Angles *q. de contractu mutui. art.* 2. *difficult.* 6. Angel. Maior, Gabr. Alm. & Petr. de Nauar. s. licèt oppositum sentiant Ioan. Andr. & alij relati à Couarr. Sylu. & Aug. s. & Ioan. Lupus *c. per vestras. de donat. inter vir. & vxor. not.* 6. Abulens. Matth. 25. *q.* 206. & Antonin. s. dicētes, pactum illud illicitum esse, quia Pontifex in *d. c. Salubriter.* solùm loquitur de fructibus pignoris qui à fortuna pendent. Sed hos reiicit Molin. quia cùm fructus illi dum adhuc à fortuna pendent, vendi possint pro aliquo determinato pretio quotannis soluendo, nulla est ratio cur sicut gener pacisci licitè potest de fructibus illis, non possit etiam pacisci de tanta quantitate pecuniæ, quanta est illud pretiū. Secundò, quia cùm gener in recompensationem iustam pro oneribus matrimoni., quæ sustinet, licitè accipiat fructus possessionis alicuius, nulla profectò est ratio, cur similiter non possit iustè pacisci, vt sibi quotannis tanta pecuniæ quantitas soluatur, quantùm æstimabūtur onera quæ sustinet, & iustum eorum pretium erit, quantùm dos ipsa in possessionibus tradita reddere deberet. Hæc secunda ratio non omnino placet, propter ea quæ contra sextā opinionem allata sunt, & inferiùs afferentur, & minùs placet ratio Adriani, Sylvestr. & Angel. s. & Villagutę *q.* 22. *de vsur. concluſ.* 9. qui hoc fundāt in lucro cessante, & damno emergēte ex dilatione: nam etiam secluso damno emergente, & lucro cessante licitum erit recipere vltra dotem pensionem illam, quando ita ab initio conuentum est: sicut enim gener posset maiorem dotem petere iustè, ita vltra dotem pensionem illam petere, præsertim quando solutio dotis differretur.

Num. 9. Dico secundò, quando solùm pactum fuit vt dos statim, vel definito tempore redderetur, interim verò dum

dum nõ redditur, tradatur ei pignus fructiferum, non exprimendo an fructus essent, vel nõ essent cõputãdi in sortem, non teneri generum in sortem illos computare. Villaguta 3. *concluſ.* 2. Salon *concluſ.* 1.

PROBATVR primò, quia iste videtur casus *d. c. Salubriter.* nã si expressè pactum fuisset de fructibus cõputandis, vel non computandis in sortem, huius pacti mentio illic fieret, & gener ac socer minimè contendesent, an essent, vel non essent computandi in sortem. Casus ergo erat quando de hac re nihil expresè pactum fuit. Ratio autem cur Pontifex statuit in eo euentu non esse compellendum generum ad computandos in sortem fructus pignoris, est, quia cùm socer fructus illos simpliciter concesserit, dum dotem non soluerit, videtur tacitè promisisse integram dotis solutionem non curãdo de fructibus pignoris, ac proinde voluisse, vt fructus illi non computarentur in sortem, sed cederent genero vice vtilitatis quam ex soluta statim, vel definito tempore dote habere posset, siue reuerà esset habiturus, siue non, genérque idem intendisse videtur, quoniam aliter perceptio illa fructuum communiter illi esset noxia, cùm non posset tantam vtilitatem consequi ex fructibus pignoris paulatim decerpendis, quantam cõsequeretur ex dote simul vel per partes notabiles integrè soluta tempore competente. Vnde si exprimeretur, fructus pignoris computãdos esse in sortem, meritò nollet ita contrahere. Omitto alias rationes quibus Villagut. & Salon hanc conclusionem probant, quia sunt inefficaces.

EANDEM conclusionem tenet Mercad. *tit. de vsuris. c.* 8. luxta has autem duas conclusione sexplicandi sunt auctores sextæ opinionis, quam etiam tenet Angles, Mercad. Villaguta 3. Corona *c.* 8. §. *vlt.* Tabien. *vsura.* 10. *in princip.* Palac. 4. *de contractib. c.* 5. qui tamen malè explicat propter onera matrimonij fructus pignoris vltra sortem accipi posse ex insufficentia dotis, & non aliter, vt cùm pars dotis est soluta, & interim dum alia non redditur, datur pignus fructiferum, ex quo, & parte dotis soluta per se insufficienter sustineantur onera matrimonij. Fauet Gab. dicẽs, si fructus dotis sufficiant, non posse fructus pignoris recipi vltra sortem. Sic intelligit Palac. rationem Pontificis dicentis, *cùm frequenter dotis fructus non sufficiant*, &c. Sed fallitur, quia pater non tenetur dare dotem sufficientem ad onera matrimonij, sed sat est ex fructibus pignoris in sortem computãdis supplere dotis insufficientiam, imò posset nullã dotem dare. Ergo licet dederit dotẽ insufficientem, non ideo fructus pignoris capiendi sunt vltra sortem, & alioquin etiamsi ab initio, vel tempore præfixo dedisset totam dotem promissam, si non esset ad onera sufficiens, possent fructus pignoris vltra sortem exigi, quod negat ipse Palac. maximè quando tempore cõtractus sufficiens dos existimabatur. Item ergo si alius à patre dotem dedisset, non possent fructus pignoris vltra sortem recipi, quia talis nõ tenebatur dare dotem ad onera sufficientem, imò posset nullam dare. Respondet Palac. concedendo illa, tum cum Fortunio, cui tamen præter Couaruu. cæteri aduersantur,

Digitized by Google

quibus textus fauet ; non enim limitat facultatem illam ad generum, quia socer promissam dotem expectat. ergo à quocumque expectetur, possunt fructus pignoris vltra sortem accipi. Ratio verò illa Pontificis, *cùm frequenter dotis fructus*, &c. sic formanda est : cùm frequenter fructus dotis etiam statim solutæ ad onera matrimonij sustinenda non sufficiant, meritò inter socerum, & generum conuentum videtur, vt quandiu dos non soluitur, fructus pignoris recipi possent non computandi in sortem.

Num. 16. ADVERTE autem decimò, id verum esse, etiamsi fructus pignoris excedant fructus qui ex dote percipi possent deductis laboribus, & expensis, quicquid dicat Corona, cui meritò refragantur Salon, Sa, Vega, Emanuel, Val. Lopez, & alij, quia excessum socer donare censetur, dum aliud non explicat, vel gener potuit in pactum deducere, saltem in pœnam iustam moræ culpabilis, vel ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, quia non potest ita cum fructibus pignoris negotiari, sicut cum pecunia dotis.

ADVERTE secundò, si interim dum dos non soluitur, filiam alit pater, ita vt gener nulla sustineat onera matrimonij magis quàm si dotem definito tempore percepisset, non posse fructus pignoris vltra sortem recipere, quia cessante causa cessat effectus. *cap. cùm cessante. de appellat.* & quia fructus promissi sunt ea lege, vt onera matrimonij sustineret. Ita Sylvester, Angelus, Tabiena, Corona, Armillia, Antonin. Emanuel, Molina, Vega, Salon, Angles, Sotus, Palac. 5. *concluſ.* 8. & fere omnes ex *l. pater. ff. de doli mali, & metus exceptione.* vbi dicitur, quando pater filiam aluit, licèt vsuras dotis per errorem promiserit, putans eas tunc etiam deberi, non esse genero concedendas. Fortè tamen hoc limitari debet, nisi absque consensu filiæ pater filiam aluerit ; si enim per generum non stetit, quominùs illam aleret, videtur posse fructus pignoris promissos recipere non computandos in sortem : & sic potest intelligi Sa *verb. dos. n.* 18. dicens, posse fructus non computare in sortem, licèt matrimonij onera non sustineat. Imò Palacios idem videtur dicere ante primam conclusionem impugnando primam conditionem positam à Sylvest. & certum est id quod ait Mercado, si simul pactum fuerit, vt pater certo tempore filiam aleret, & pignus fructiferum daret, donec solueret dotem, fructus pignoris non computandos in sortem, quia tam illi quàm alimenta illius temporis promissa sunt vltra dotem, & quodammodo sunt pars dotis.

TERTIO aduerte, si fructus pignoris excedant onera matrimonij, excessum esse restituendum vel in sortem cõputandum, secundùm Sylvest. Angelum, Tabien. Coronam, Palac. Angl. Couaruuiam, Sotum, Molinam, & alios, quia fructus non computandi in sortẽ dantur propter onera matrimonij. Cùm ergo pars non sit necessaria ad onera, cõputanda erit in sortem, quia cessante causa cessat effectus. Oppositum meritò tenet Sa, & Sal. id probãs, quia cùm ex contractu dotali fructus illos

perci

Digitized by Google

percipiat vice dotis, sicut posset fructus dotis recipere etiamsi excederent onera, ita & fructus pignoris; putárque insinuari ab Innocent. *d. c. Salubriter.* dum ait, *cùm frequenter dotis fructus*, &c. quasi dicat: cùm fructus isti aliquando non sufficiant, aliquando verò vberiores sint, percipiat illos, sicut perciperet fructus dotis, siue non sufficerent, siue excederent. Credit tamen intelligendum, nisi adeò excederét, vt prudenter iudicaretur minimè esse promissos quantùm ad illum excessum; tunc enim excessus restituēdus esset, quia textus de moderatis fructibus loqui videtur, & quia esset grauis, euidénsque deceptio soceri, talis autem deceptio etiam in foro externo excusat. Sed credo, etiamsi socer per errorem promiserit omnes illos fructus, putans esse minores, si tamen promissionem non limitauit, nec gener cum limitatione illam acceptauit, omnes illos fructus vltra sortem recipi posse, sicut fructus possessionum dotalium recipi possent, quantumcumque excederent onera matrimonij, & socer minores esse putasset, neque cessante causa finali dispositionis, cessat dispositionis effectus, quādo finis non ponitur, vt additio, & propterea hìc non cessat finis, licèt obtineri posset minoribus fructibus pignoris; & certè quando dicunt eos percipi ratione interesse, vel donationis, non loquuntur consequenter, si dicant excedentes onera non posse vltra sortem recipi, quia potest interuenire donatio, aut interesse, ratione cuius licitè recipiantur; & ita Grafis 1. *part. lib.* 2. *cap.* 96. *num.* 1. *& sequentib.* tenens recipi ratione interesse, consequenter docet cum Couaruu. recipi posse, licèt onera matrimonij excedant.

TERTIA conclusio: si ab initio conuentum expresse fuit de fructibus pignoris vltra sortem non recipiendis, non poterunt vltra sortem recipi, sed in eam computandi sunt. Mercad. s. Palacios *conclus.* 7. Nauarr. *num.* 213. Probatur, quia sicut socer potuit nullam assignare dotem, ita in pactum deducere, vt fructus pignoris in sortem computarentur, & à fortiori verum est, quod dixit Molin. quando pignus tantùm ad securitatem datum est, non posse fructus vltra sortem recipi. *Num. 11.*

QVARTA conclusio: si à principio conuentum est de dote post aliquot annos soluenda nullo assignato, aut promisso pignore fructifero interim dum non solueretur: postea verò ante aduentum præfixi termini traderetur, fructus illius essent computandi in sortem. Villaguta s. *conclusione* 1. Antonius de Butrio, Panormit. Ioannes de Anania *capite Salubriter. de vsuris.* Syluester *vsura.* 3. *quæst.* 2. *& 3.* Bart. implicitè *leg. insulas.* §. *vsuras. ff. solut. matrimo.* Conradus, Corona, Angelus, Petrus Nauarra, Almainus, Armilla, Caietanus, Tabien. Angles, & Molina s. Grafis s. *num.* 6. Nauarrus locis citatis, quicquid dicat Lopez *illo capite* 60. malè pro se citans Nauarr. & Sot. Probatur, quia pro expectatione debita ex pacto præcedenti nihil potest recipi, vt debitum. Confirmatur: nam vt gener potuit vxorē accipere absq; dote, ita non obligare socerum ad eam soluendam vsque ad certum tempus; interim ergo *Num. 12.*

Digitized by Google

vxorem alere tenebitur ex propriis bonis, vel ex fructibus pignoris computandis in sortem nisi illi donentur. Nam propter dotem postea dandam ad matrimonium cum omnibus suis oneribus se obligauit: ergo dote soluta non potest aliud exigere pro oneribus matrimonij, ita neque dilata vsque ad tale tempus.

Num. 13. QVINTA conclusio: quando pactum fuit de dote statim, vel certo tempore soluenda, socer autem non potens eo tempore soluere petat dilationem, offerátque interim pignus fructiferum ad onera matrimonij computandi sunt fructus in sortem, nisi donari credantur, aut ex dilata solutione dotis equale damnũ emergens vel lucrum cessans timeatur, in pactúmque deducatur compensandum, etiamsi sequatur ex mora inculpabili: patet, quia tunc dilatio solutionis est debita; ergo gener pro concessione talis dilationis nihil potest exigere. Item mora est inculpabilis; ergo pro lucro cessante, vel damno emergente ex illa nihil exigi potest, nisi initio contractus pactum fuerit de compensatione damni emergentis, vel lucri cessantis ex quacumque mora. Ita videntur tenere auctores quartæ conclusionis. Cõfirmat Nauarr. nam si socer deberet ex dote mille aureos, & diceret se non posse soluere modò nisi 100. illósque statim solueret, vsura esset non computare illos in sortem: ergo idem est si statim daret fructus valentes 100 par enim ratio est. Sed quæres, an si gener concedat socero dilationem per tres annos, verbi gratiâ, à nuptiis, non recipiens interim pignus fructiferum, possit saltem in foro conscientiæ petere fructus quos ex dote percipere posset? Emanuel *illo cap. 97. n. 6.* cum Angles 3. & Lopez 2. *p. Instructorij. c. 7.* contra Panormitan. & Sylvest. affirmat. Sed nescio quo iure fructus illi peti possint, nisi à principio in pactum deducti sint, vel postea ratione lucri cessantis de illis inter socerum, & generum conuentum sit: nam pro sola dilatione illos exigere, vsura est.

Num. 14. SEXTA conclusio: quando socer tenetur, & simpliciter potest dotem soluere in termino præfixo; propter suam autem commoditatem petit à genero dilationem, non potest gener pro concessione indebita talis dilationis de fructibus pignoris paciscí, illósue vt debitos recipere. Probatur primò, quia concessio dilationis indebitæ est mutuum virtuale, pro mutuo autem virtuali aliquid exigere vsura est. Secundò, quia iure Doctores citati dubio præcedenti docent pro mutuo fructus pignoris recipere non computandos in sortem, vsuram esse. Tertiò, quia si sortem iam acceptam genet mutuaret socero pro fructibus pignoris, esset vsurarius, vt tanquam certum docet Salon. ergo similiter, &c. Quartò, quia si gener oblatam dotem nollet accipere, sed pro dilata eius solutione fructus pignorum perciperet, esset vsurarius, vt etiam docet Salon. ergo similiter, si propter dilationem dotis fructus pignorum accipiat: & ita tenet Molin. addit tamen, vt retulimus, si gener à socero petat, vt priori contractu dissoluto hic de nouo fiat; pro sustinendis oneribus matrimonij interim dum non tradis mihi istam pecuniam, des mihi fructus huius possessionis non computandos in sortem, contractum esse iustum.

Digitized by Google

iustum. Ego verò censeo priorem contractum omnino dissolui nõ posse cùm iam sit ex parte mandatus executioni: erat enim contractus, vt gener obligaretur ad ducendã vxorem, & ad omnia matrimonij onera ea conditione, vt socer teneretur tali tempore dotem ei dare; & primum iam impletum est, quia gener vxorem duxit, & ex vi matrimonij ad eam alendam obligatus manet, ita vt neque socer, vel etiam illa consentiente, liberari possit ab ea obligatione: ergo iam nihil potest pro subeunda obligatione accipere. Pro dilatione autem solutionis aliquid accipere, vsura est: ergo si fructus pignoris pro dilatione accipiantur à genero, ipse vsurarius erit non minùs quàm si ab extraneo fructus pignoris acciperet pro tali dilatione socero concedenda, aut pro mutuo formali pecuniæ dotalis acceptæ, vel accipiendæ: nihil enim quantùm ad hoc refert (quicquid dicat Molin.) agere cum socero, vel dotante, vel cum aliquo alio. Confirmatur, quia ab alio debitore exigere aliquid pro concedẽda dilatione solutionis, vsura est. ergo & à socero, vel quocumque alio dotante; eadem enim est ratio. Item pro oneribus matrimonij, quæ iam gener subire tenetur, aliquid ab extraneo accipere, iniustum est, eo quòd gener nihil dat. ergo pari ratione iniustum erit id accipere à socero, vel dotante.

Num. 15. SEPTIMA conclusio: quando socer est in mora culpabili, tenetur de damno emergente, & lucro cessante, etiamsi non fuerit deductum in pactum, cáque ratione gener poterit vltra sortem fructus pignoris recipere. Ita Palac. ẽ. *concl.* 1. & auctores secundæ opinionis, & reliqui omnes. Idémque erit si pactum fuit de fructibus pignoris in pœnam moræ culpabilis amittendis, si culpa tantam pœnam mereatur: patet ex superioribus dubiis, & docet Palac. *concl.* 2. qui *concluſ.* 3. idem ait quando expensæ in colendis pignoribus exæquant fructus. Idem est de laboribus colendi pignora, idémque ait Palac. *concluſ.* 4. si pignora egeant administratione æquali fructibus, vt si detur in pignus ciuitas tuenda, gubernandáque à pignoratario.

Num. 16. OCTAVA conclusio: quando socer intelligitur fructus pignoris donare, gener poterit illos vltra sortem recipere. Hæc clara est, eámque docet Conrrad. Nauar. & alij, præsertim auctores tertiæ opinionis, quam etiam tenet Medin. 1. *Sum. cap.* 14. §. 23.

Num. 17. NONA conclusio: licitum esset statutum, vt interim dum dos genero non soluitur, teneatur socer soluere ei quotannis certam pecuniæ quantitatem ad sustinenda onera matrimonij ad rationem vnius verbi gratiâ pro 14. æstimationis dotis, non solùm ratione lucri cessantis: sed etiam quia id iustum pretium est pro oneribus matrimonij sustinendis. Molin. *in fine disp. cit.*

DVBIVM XXX.

An soluto matrimonio possit adhuc gener fructus pignoris dotalis accipere non computandos in sortem? & quando de filiis vxoris defunctæ, & de ipsa vxore defuncto viro.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Quatuor conclusionibus Molina respondet n. 2. 3. 4.*

5 *Vir qui defunctæ vxoris hæres non est, non potest fructus pignoris traditi interim dū dos non soluitur, percipere.*

6 *Vxor potest, defuncto viro, sibi percipere fructus pignoris dotalis, quos maritus percipiebat donec ipsi dos traderetur.*

7 *Hæredes mariti defuncti non possunt sine consensu vxoris.*

8 *Probabile est vxorem marito defuncto non posse accipere ab hæredibus fructus pignoris non promissi, nec traditi à dotante; præter id quod necessarium est ad congruam sustentationem, dum dotem non recipit, nisi ratione lucri cessantis, &c.*

9 *Contrarium reputatur probabilius, & explicatur.*

10 *Si in aliqua ciuitate fuerit statutum, vt hæredes mariti, dum dos non soluitur, dent illi quinque, octo, vel decem pro 100. dotis vltra sortem, tale statutum est validum.*

11 *Si quis ea conditione mutuet genero, vt sibi tradat fructus pignoris dotalis, seu ipsum pignus cum fructibus non computandis in sortem, vsuram commutet, secluso damno emergente, vel lucro cessante, & pœna conuentionali.*

Num. 1. MOLINA *disp.* 322. quatuor conclusionibus respondet. Prima est, quanuis maritus ex vxore defuncta liberos habeat, eorúmque sit tutor, aut curator, & vsufructuarius, non potest absque vsuræ vitio perseuerare in accipiendis fructibus pignoris interim dum ei dos non soluitur, non computando eos in sortem. Ita haberi in ordinationibus Lusitaniæ, & proculdubio ita esse disputat, quoniam cessat iustus titulus eos accipiendi vltra sortem, qui est sustinere onera matrimonij. Obseruat tamen Molin. posse tunc virum petere ab eo qui dotem debet, vt soluat statim dotem in qua filius defunctæ succedit: si verò non soluatur statim, exigere posse totum lucrum cessans, non solùm quantum dos reddere posset, si soluenda esset in possessionibus, sed etiam quantū æstimaretur lucrum quod sua industria ex illa speraret, cùm sit loco filij vsufructuarius eorum omnium bonorum: idémque lucrum cessans posse petere filium defuncto patre, aut tutorem, vel curatorem filij.

Num. 2. SECVNDA conclusio Mol. est: mortuo viro vxor petere non poterit ab eo qui dotem promiserit, aut debet, quicquam vltra sortem, nisi solùm lucrum ex eo ipsi cessans, quòd dos statim non soluatur, quia cessat causa percipiendi fructus vltra sortem, scilicet sustinere onera matrimonij.

Num. 3. TERTIA eiusdem conclusio est: à tempore in quo hæredes viri in mora sunt soluēdi dotem vxori, aut vir, vel ipsius hæredes in mora sunt soluendi dotem hæredibus vxoris, vxor, hæredésue illius solùm possunt exigere lucrum cessans, eo quòd dos non soluatur, non verò aliquid aliud vltra sortē, eo quòd nullū alium iustum titulum habeant, vnde plus exigere possint: ante omnem autem moram soluendi dotem solùm poterunt petere fructus dotis, si qui à die soluti matrimonij ad vxorem pertineant, & insuper poterit vxor exigere, quod defuerit ad competen

Digitized by Google

petentia ſua alimenta. Pro hac concluſione citat Caiet. *hac queſt.* 78. *art.* 2. *ad* 6. & Couaruu. 3. *Variar. cap.* 1. *n.* 3. *corol.* 6. Pro eiúsque explicatione & probatione aduertit de iure communi (omiſſo iure Luſitaniæ, de quo etiam agit) defuncto viro poſt receptam dotem hæredes viri manere tanquam familiæ caput, ab ipſíſque vxorem recipere debere, quæ ad ipſam ſpectant (ſicut defuncta vxore hæredes eius ab illo recipere debent, quæ ad ipſos ſpectant, tamen ſi interim dum ei dos non reſtituitur, poſſit vxor retinere domum in qua ſimul cum viro habitabat, & bona omnia intra illam reperta, quódámque ſtatutum fuit, vt vir, aut eius hæredes reſtituere tenerentur dotem vxoris intra tres annos quolibet anno tertiam partem reſtituédo: nouiſſimè verò ſancitum fuit, vt quando dos conſiſtit in bonis aliquibus immobilibus inæſtimatis, reſtituatur ſtatim abſque vlla mora quoad hæc bona: ſi verò conſiſtit in rebus mobilibus, aut ſe mouétibus, vel in iuribus incorporalibus inæſtimatis, aut denique reddenda ſit tota ſumma quoad ſolam æſtimationem, tunc quoad hæc omnia reſtituatur dos intra annum à die ſoluti matrimonij Ita habetur expreſsè *l. vnica. §. exactio. C. de rei vxuraria. & l. pen. tit.* 11. *part.* 4. Ait verò Anton. Gomez *l.* 50. *tauri. n.* 46. in hoc Regno Caſtellæ iam hodie ſolere inſtrumétis dotalibus deduci in pactum, vt ſoluatur intra triginta dies, ſeruandúmque tunc eſſe pactum affirmat etiã Mol. in Luſitania, & ſi quod interueniat de hac re pactũ in inſtrumétis dotalibus, illi ſtandum eſſe; à die autem ſoluti matrimonij fructus rerum dotaliũ immobiliũ ſi traditæ fuerunt inæſtimatæ, pertinét ad vxorem, vel eius hæredes, & ſimiliter fructus rerum mobilium inæſtimatarum, vt ſunt fructus pecorũ, merces, nauis locata, iumentorum, aut mancipiorum locatorum. Vſus tamẽ iſtorum omnium, & vſus dotis quæ in ſumma conſiſtit, quã maritus debeat, & non in aliquibus determinatis rebus in indiuiduo, pertinent ad virum, aut hæredes viri toto tẽpore ad reſtitutionem dotis eius conceſſo. Hæc omnia habentur *illo §. exactio.* & affirmat Ant. Gomez *art.* 46. *citato.* Couar. 2. *p.* 4. *cap.* 3. §. 9. & alij quos referunt. Intra tempus autem à iure permiſſum, interim dum vxori dos non traditur, ali debet de mariti bonis. Panorm. *c. Salubriter. de vſur.* Bart. & alij quos referunt, ac ſequuntur Anton. Gomez 3. *n.* 48. Couar. *illo corol.* 6 *illa q. n.* 9. & 10. quod intelligitur dummodo alimenta petat, neque aliunde habeat à quo ſuſtentetur: quare ſi ab alio alimẽta ei præbeantur, non tenentur hæredes mariti ea ſoluere, niſi ideirco illi ſint collata, quia cùm ab hæredibus illa petiſſet, noluerint ea illi miniſtrare, eáq; de cauſa coacta eſt petere ea ab aliis; tunc enim ſoluere tenétur hæredes, cùm ita expendiſſet. Ait verò Couaruu. *illo n.* 10. ſi intra id tempus ad ſecundas nuptias tranſiiſſet, paupérque eſſet, neque dos illi traderetur, præbenda illi eſſe alimenta: ſecus cum aliis quos refert, eſſe putat, ſi diues eſſet, vírque eam aleret. Præterea, ſi iuxta hactenus dicta fructus aliqui bonorum dotalium, aut aliorum ſuorum bonorum intra id tempus ad eam pertinent, de eis eſt alenda, atque ſolùm, ſi

Digitized by Google

quid desit ad integram sustentationem, soluēdum est illi de bonis mariti defuncti. Inter alimenta autem ei præstanda computat Couaruu. *illo n.* 10. vestes lugrubres, tenetúrque mulier eo tempore laborare iuxta consuetudinem patriæ, & qualitatē personæ: statim verò ac dos illi soluitur, nō debentur ei alimenta, etiamsi continuò post mortem mariti ei soluatur. Quia verò ius hoc alimētorum ex eo habet ortum quòd pro dote debita sunt alimenta vxori, dū iuxta dispositionem iuris dos ei non soluitur, priuilegium hoc est personale vxori, quò fit, vt ea defūcta alimenta non debeantur eius hæredibus cùm illis dos non soluitur. In Castella autem, & Lusitania, in quibus bona omnia, vel saltem superlucrata communia viro, & vxori sunt, consuetudo habet, vt de communibus bonis vxor sustentetur, dū partitio bonorum non fit, nec traditur vxori dos. Item, si vxor grauida maneat, alimenta sunt ei præbenda de bonis communibus, etiamsi dos statim ei tradatur, iuxta *l.* 1. §. *mulier. ff. de ventre in possessionem mittendo.* & Anton. Gomez §. Hæc Mol. qui postea inquirit, an licitū sit statutum, quod in aliquibus locis est, vt interim dum viduæ dos non soluitur, teneantur hæredes mariti soluere ei quotannis certam pecuniæ quantitatem ad rationem, verbi gratiâ, vnius pro quatuordecim æstimationis dotis, vt in fine dubij præcedentis dicebatur, licitum esse statutum, vt genero detur quotannis certa pecuniæ summa, dum dos ei non traditur.

Num. 4. QVARTA conclusio est, eiusmodi statutum illicitum esse, vt tenent multi relati à Couaruu. *illo n. 3. conc. 7.* id probantes, quia vsuras introduceret; contrà *Clem. 1. de vsur.* Molina ait, id probat, quia iuxta prædicta viduis in primo anno solùm debentur aliqui fructus dotis, & insuper si quid desit ad competentia alimenta, quæ aliunde non habeant. Deinceps verò solùm eis debetur lucrum cessans; & si quid amplius accipiant, vsuram committunt, vnde iniquum esset statutum quod plus eis concederet: imò quando statutum id taxaret, arbitramur, quantùm ex capitibus commemoratis esset eis quotannis soluendum, vim non habere in conscientiæ foro, nisi quādo vel fructus illi dotis, & alimenta, vel lucrū cessans reuerà totū id valerēt. Quare tale statutum non esset consulendum, nisi fortè in pœnam iustam contra hæredes mariti id sanciretur, quando contra viduæ voluntatem dos detineretur; intra tempus verò taxatum interueniisset vera culpa detinentium, vt vult Caiet. §. deficiente enim culpa, vt si vidua non remitteretur, nihil accipi posset in pœnam, quia vbi culpa deest, pœna locum non habet, vnde neque in pœnam prudens esset tale statutum. Hæc Molin.

DICO tamen primò; vir qui vxoris defunctæ hæres non est, minimè poterit fructus pignoris traditi interim dum dos ei non soluitur, percipere. In hoc cum Molin. conuenio, à quo nullus, vt credo, dissentit. Probatur, quia fructus pignoris non pertinent ad virum pro eo tempore quo dotem non expectat sibi; sed defuncta vxore sibi dotem non expectat, si eius hæres non est: ergo non potest fructus pignoris *Num. 5.*

sibi

Digitized by Google

sibi percipere. Confirmatur primò: quia neque ex pacto, neque ex donatione soceri, neque ex lege, vel statuto, vel consuetudine aliquod ius habet ad tales fructus. Ergo si vir non est vxoris hæres, nullo modo ad ipsum pertinent (intellige quoad proprietatem) nam si filios ex vxore defuncta habet, quoniam ad illos proprietas talium fructuum pertinet, ad ipsum pertinebit eorum vsusfructus: est enim vsufructuarius in omnibus filiorum bonis: intellige etiam nisi in aliqua parte illorum fructuum, vel in omnibus sit vxoris legatarius: tũc enim eorum proprietas ad ipsum pertinebit.

Num. 6. Dico secundò; defuncto viro vxor poterit sibi percipere fructus pignoris dotalis, vel quantitatẽ pecuniæ, quam maritus percipiebat, donec ipsi dos tradatur, vel alius ipsam dotauerit, neque tenetur ipsos fructus, vel pecuniæ quantitatem in sortem computare, etiamsi ex dilata solutione dotis nullum lucrum sibi cesset, vel damnum emergat, nullaque pœna in contractu dotali posita sit. Hoc est contra Molin. ẽ. & Angl. *quæst. de contractu mutui. art. 2. difficult. 7. dub. 2. & 3.* Caiet. *hîc art. 2. ad 6.* Sylueſtr. *vſura. 3. quæſt. 9.* Anton. *2. p. tit. 1. cap. 7. §. 30* qui cum aliis docent, viduam ex pacto dotali nullos fructus posse percipere non computandos in sortem, nisi ratione damni emergentis vel lucri cessantis ex mora culpabili debentis dotem, aut ratione pœnæ conuentionalis. Nobiscum tamen sentiunt Sot. *6. iuſtitia q. 1. art. 2.* Tol. *lib. 5. cap. 30. in fin.* Sa *verb. dos. n. 18.* Bannez, & Aragon *hac quæſtione 78. art. 2. ad fin.* Salon *eod. art. contron. 15.* Mercatus *de vſuris. cap. 8.* Palac. *4. de contractib. cap. 5. concluſ. 9.* Emanuel *1. p. Sum. capite 97. num. 5.* Corona *cap. 8. §. de contractibus pignorationum.* Cor. *quæſt. 230. & 238.* Lopez *2. p. Inſtructor. cap. 60.* & communiter recentiores.

PROBATVR, quia socer, vel alius qui nuptui aliquam tradidit, & pignus fructiferum dedit, vel promisit dum dotem non daret, expressè, vel tacitè promisit toto eo tẽpore fructus pignoris non computandos in sortem non solùm viro, vt præcedenti dubio dictum est: sed potissimè ipsi vxori. Ergo etiam vxor poterit illos toto eo tempore vltra sortem recipere, maximè cùm existat finis ob quem promisit, & dati sunt, scilicet vt vxor, filij, familiáque decenter, & iuxta suam, maritique & patris qualitatem aleretur, & cùm ipsa succedat in oneribus matrimonij quæ antea maritus portabat. Sicut ergo ille, etiamsi dies esset, posset toto illo tempore fructus dotis recipere, sic similiter dicendum est de illa. Limitat tamen Salon conclusionem, vt tantùm vera sit existentibus his conditionibus.

PRIMA, vt vidua sustineat onera matrimonij; quia si Religiosa fiat, vel à dotante alatur, vel alia causa desinat onera matrimonij sustinere, non poterit illa fructus vltra sortẽ percipere, quia cessante causa cessat effectus. Idem tenet Emanuel suprà.

SECVNDA, ne ipsius negligentiæ dos non sit ei soluta. Tertia, vt promissio pignoris dotalis sit absolutè, & simpliciter facta. Sed priores conditiones necessariæ non sunt: cùm enim simpliciter sint promissi vltra sortem fructus pi-

Digitized by Google

gnoris, vel certa ſumma pecuniæ donec dotem recipiat, ſimpliciter & ſine vlla conditione poterit fructus vltra ſortem percipere. Et ita Conradus *illa quæſt.* 230. Lopez, Nauarr. *comm. de vſuris. num.* 67. & 68. idem *in Summa. cap.* 17. *num.* 213.

Num. 7. DICO tertiò, hæredes mariti defuncti non poſſunt ſibi ſumere ſine cõſẽſu vxoris, fructus pignoris traditi ab eo qui vxorem dotauit, vt fructus perciperet, dum dos non ſolueretur. Ita Anton. *illo cap.* 7. §. 28. Sylueſt. *vſura.* 3. *quæſt.* 6. Ang. Tabien. *vſura.* 10. *num.* 1. Armil. *eod. verb. num.* 22.

PROBATVR, quia fructus pignoris pertinent ad vxorem, vel eius hæredes iuxta ſecundam concluſionem. Ergo hæredes mariti non poſſunt illos ſibi ſumere niſi ex conſenſu vxoris, vel hæredum ipſius.

SECVNDO, quia vir defuncta vxore non poteſt illos fructus percipere, vt dixi in prima concluſione. Ergo neque hæredes viri vxore defuncta, ac proinde nec viuente: non enim habent maius ius in fructus viuente illa quàm defuncta.

Num. 8. DICO quartò, probabile eſt vxorem marito defuncto non poſſe ab eius hæredibus fructus pignoris non promiſſi, neque traditi à dotante, ſeu ab ipſis, aut aliquid aliud non computandum in ſortem accipere, præter id quod neceſſarium eſt ad decentem ſui ſuſtentationem dum dotem non recipit, niſi ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis ex mora, aut ratione pœnæ conuentionalis, aut donationis hæredum. Ita Mol. Caiet. & Tabien. ẽ, Nauarr. 3. *de reſtit. cap.* 2. *p.* 2. *dub.* 11. Abulenſ. Matth. 25. *quæſt.* 204. Hoſtienſ. *in Sum. tit. de vſuris.* §. *an aliquo eam. col.* 5. Bart. *l. atqui natura.* §. *non tantùm. ff. de negotiis geſtis.* Matth. de Afflict. *deciſ.* 284. Paul. de Caſtr. *conſ.* 429. *num.* 4. *lib.* 2. Imol. *l. diuortio. num.* 24. *ff. ſolut. matrim.* vbi Alex. *n.* 24. & *conſ.* 63. *col.* 2. *lib.* 4. & *conſ.* 31. *col.* 2. & *conſ.* 200. *lib.* 6. Laurent. de Rodulf. Aim. & alij quos præſertim refert Couaruu. *l. Titia ff. de ſolutionib.*

RATIOQVE eſſe poteſt, quia ad recipienda alimenta quibus indiget dum ei dos non redditur ab hæredibus mariti, vidua titulum habet ex iure communi, & Regni id præcipiente, non verò ad aliquid aliud. Ergo iniuſtè illud recipiet, niſi interueniat damnum emergens, lucrum ceſſans, pœna cõuentionalis, vel donatio: nullo enim horũ interueniente erit recipere aliquid vltra ſortem propter ſolam expectationem ſolutionis dotis, quæ expectatio eſt mutuum quoddam virtuale; pro mutuo autem virtuali aliquid exigere, vſura eſt; & ideo Iaſon *Inſtit. de actionib.* §. *fueræt. num.* 19. & Socinus *conſilio* 56. quod incipit, *viſo teſtamento. col.* 1. *num.* 2. *volum.* 3. damnant viduas quæ recipiunt quinque, vel decem pro ſua dote non ſoluta ab hæredibus mariti.

INTER auctores autem huius ſententiæ quidam dicunt, viduam non poſſe ſecluſo damno emergente, &c. recipere ab hæredibus mariti alimenta neceſſaria non computãda in ſorte, niſi primo anno viduitatis, in quo lex præcipit illi dari alimenta, niſi ſit ſoluta dos. Ita Molin. & Couaruu. Alij verò tenent etiam poſt illum primum annum viduita

Digitized by Google

viduitatis posse alimenta recipere non computanda in sortem, si absque eius consensu solutio dotis est dilata, quia putant secundùm leges deberi viduæ alimenta, quandiu hæredes mariti causa inuenta differunt solutionem dotis. Ita Syluest. *vsura. 3. quæst.* 8. cum Panormit. & quidam alij apud Couaruu. qui tamen, necnon Molina, & Petrus Nauarra hoc impugnant; & meritò, quia nulla est lex qua præcipiatur, vt toto tempore quo dos viduæ non soluitur, alatur de bonis mariti non computatis in sortem, & fortè hoc non præcipit lex, quia esset magnum grauamen.

Num. 9. Dico tamen quintò: probabilius videtur viduam etiam secluso damno emergente, &c. posse toto tempore, quo ei dos non redditur, recipere non computandum in sortem quicquid ad decentem eius sustentationem fuerit necessarium, siue illud sit aliqua pensio pecuniaria, siue aliquorum fructus pignorum. Ita sentiunt Sotus, Corona, Tolet. Mercad. & Palac. 5. Salon *art.* 2. *controuers.* 15. *conclus.* 2. Idem Bannez & Cor. *quæst.* 230. & 238. & Nauarr. *capite* 17. *num.* 213. dicens: *Verum est quod insinuauit Sot. maritum scilicet qui dotem accepit, & hæredes eius teneri vxori vidua, at in casu diuortij separati ad alimenta præstanda, quæ salua manente dote dari possunt, quoad illi ea persoluatur.* Clariùs verò idem docet *com. de vsuris. num.* 67. & 68. Lopez 2. *p. Instructor. cap.* 60. Emanuel 1. *p. cap.* 100. *num.* 4. Garsia *de contractib. p.* 2. *cap.* 106. *post medium.* Arag. *hic art.* 2. *in fin.* Val. *disp.* 5. *quæst.* 21. *p.* 10. *ad* 5. *in fin.* Villaguta *quæst.* 22. *de vsur. concluſ.* 12. & *sequentibus.* Grasis *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 106. *num.* 4.

RATIO est, quia vir pacto dotali implicitè se obligare videtur ad alendam vxorem indigentem ex bonis suis, simpliciter quidem quandiu matrimonium durat quoad vinculum, & torum, vsque ad traditionem autem dotis, si matrimonium quoad vinculum, vel torum dissoluatur; quæ obligatio partim pertinet ad ipsos hæredes, quibus cum eo onere hæreditas datur, & rectè possunt vxor, & eius pater non consentire in matrimonium, nisi vir eam obligationem subeat. Hoc fundamentum attigerunt Nauarr. *illo num.* 67. Emanuel, Garsia, Lopez, Villagut. & Salon, qui tamen, & similiter Grasis, & Palac. idem fundare videntur in pacto hæredum mariti cum vidua, quod planè censeo vsurarium esse, huiusmodi pactum ea de re cum marito præcessisse, quando contractus dotalis inuitus est. Rectè tamen aduertit Palac. si bona superlucrata ad vxorem pertinentia sufficiant ad alendam vxorem, ex illis debere ali, nec posse fructus pignoris non computandos in sorte recipere. Villag. aduertit cum Bart. *cons.* 224. quē refert Additio ad Bart. *l. diuortij. in princip. ff. solut. matrimonio.* etiamsi habeat aliqua bona non fructifera, vt sunt gemmæ, & alia huiusmodi, non teneri ex illis parare sibi alimenta, sed posse ali de bonis mariti donec dos ei soluatur. *conclusione* autem 13. explicat an alimenta tradenda tantùm sint viduæ viuenti in domo hæredum, an verò etiamsi in alia viuere vellet: & *conclusione* 14. debere iuxta qualitatem

tem ſuam, & patriæ conſuetudinem laborando iuuare hæredes mariti, vt eam alant; quod malè limitat Salon, vt verum non ſit quando fructus dotis, ſi ei traderetur, ad alimenta ſufficerent: cenſeo enim, etiamſi ſufficerent, debere ſuarum operarum lucra impendere in ſuis alimentis, & non poſſe illa integra ab hæredibus recipere niſi ratione lucri ceſſantis, &c. Malè etiam Salon contra Iuriſperitos ait, deberi viduæ alimenta quacumque ratione extra domũ hæredum habitare voléti, quia ſatis erit in ea ipſi alimenta miniſtrare, vt ex Iuriſperitis docet Villag. *illa concl.* 13.

Num 10. Dico ſextò, ſi in aliqua ciuitate fuerit ſtatutum, vt hæredes mariti interim dum viduæ dos non ſoluitur, dẽt illi quinque, octo, vel decem pro 100. dotis vltra ſortẽ, tale ſtatutũ eſt validum, virtutéque illius vidua licitè vltra ſortem percipiet penſionem illam. Eſt contra Ioan. de lignan. *Clement. vnica. de vſuris.* Imol. *hic num.* 35. Panorm. *conſ.* 39. *lib.* 2. & alios relatos à Couaruu. *illo n.* 3. *illatione* 7. aſſerentes tale ſtatutum eſſe iniquum, viduámque ſi recipiat penſionem illam vltra ſortem, eſſe vſurariam. Oppoſitum tenet Card. Zabarell. *dicta Clemem. vnica. de vſuris.* Imò Panormit. *c. Salubriter. de vſuris.* Adrian. *quæſt. de vſuris. §. ex eodem.* Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 31. Ang. *verb. dos.* §. 28. vbi Tabien. §. 18. *& vſura.* 10. *q.* 1. Armil. *verb. vſura. n.* 22. Sylueſt. *vſura.* 3. *q.* 8. Sa *verb. dos. n.* 17. Molin. Caiet. Petr. Nauarr. Salon, & Garſia ſ. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 213. *& com. de vſuris. n.* 68. Grafis ſ. *n.* 4. Palac. ſ. id é dicẽs de conſuetudine patriæ. Matth. de Affl. *illa deciſ.* 284. Capic. *deciſ.* 65. *&* 24. Cor. *quæſt.* 238. Conr. *quæſt.* 35. *de contract. concluſ.* 11. 12. *&* 10. Bannez *hac quæſt. art.* 2. *ad fin.* Lopez 2. *p. Inſtructor. cap.* 60. Villaguta ſ. *concluſ.* 15. Maior 4. *d.* 15. *quæſt.* 31. Bal. Molinæus, ſeu Caballinus & Cepola apud Couaruu. ſ. quanuis inter hos diſcrimen ſit: nam Molin. Couaruu. Antonin. Ang. Sylueſt. Adrian. Tabien. & Conrad. docent, penſionem illam vltra ſortem ſolùm recipi poſſe ratione damni emergentis, lucri ceſſantis, aut pœnæ conuentionalis, quod ſi negarẽt, auctores primæ opinionis ab eis non differunt. Cepola verò *conſ.* 151. Bald. *l. vlt. §. preterea. C. de iure dotali & conſ.* 166. Caiet. Bannez, Cor. Nauarrus, Nauarra, Grafis, Lopez, Garſia, Salon, Palacios, Villagut. & alij meritò dicunt, etiam ſecluſo damno emergente, lucro ceſſante, & pœna conuentionali poſſe penſionem illam vltra ſortem recipi; quod rectè probant Caiet. Conrad. Bannez, Salon, & Nauarra, quia ad vitandas lites quæ inſurgerent circa lucrum ceſſans, damnum emergens, eiúſque vel alimentorum quantitatem, culpámque moroſi debitoris, &c. iuſtè ſtatui potuit, vt cùm communiter lucrum ceſſet, damnum emergat, &c. interímque alimenta viduæ debeantur, teneantur debitores dotis, dum eam non ſoluunt, dare certam penſionem, ſicut Mol. conceſſit valere ſimile ſtatutum in fauorem generi, vt diximus in fine dubij præcedentis.

Dico ſeptimò, pro huius, & præ- Num. 11.
cedentis dubij complemento, ſi quis ea conditione mutuet genero, vt ſibi tradat fructus pignoris dotalis, ſeu ipſum pignus cum fructibus non computandis in ſortem, vſuram

com-

Digitized by Google

committit, secluso damno emergente, lucro cessante, & pœna conuentionali. Antonin. 3. §. 32. Sylvest. Phrlvur. *lib. 2. tit. 7. q. 2.* Medin. *q. 2. de vsuris. in fin.* Idémque est si quis viduæ sub ea conditione mutuet; vsura quoque erit mutuasi ab illa ea lege, vt filiam ipsius mutuatarius ducat. Sotus, & Arag. 2. Cor. *illa q. 230.* non tamen erit vsura si alius nolit filiam eius ducere, nisi ipse illi mutuet, vel se ad mutuandũ obliget, & idcirco ipse mutuũ det. Ita Arag. Falsò autem Eman. *illo n. 6.* dixit posse viduã si post mortem mariti ad solutionem dotis triennium patri concedat, petere interim fructus dotis, nisi intelligat ratione damni emergentis, &c. Probo, quia tunc non recipit ex pacto dotali, sed ex alio pro sola expectatione dotis, ac proinde pro mutuo virtuali: ergo vsuraria est. Idem est de genero ex pacto non dotali concedente triennium socero ad solutionem dotis, licèt ibi Emanuel oppositum doceat, citans pro se Angl.

DVBIVM XXXI.

An vsura sit proprietarium non computare in sortem fructus pignoris feudalis sibi pro mutuo traditi, & quid de pignore emphyteutico?

SVMMARIVM.

1 *Quatuor, quæ omnibus Doctoribus communia.*
2 *Sententia Nauarræ proponitur.*
3 *Ab obiectionibus vindicatur.*
4 *Aliorum responsio ad obiectiones.*
5 *Sententia Nauarræ admittitur, & ab aliis obiectionibus liberatur.*

PRIMO, certum est in feudo Ecclesiæ posse fructus feudalis pignoris ab Ecclesia non computari in sortem. Ita habetur *cap. 1. de feud. & cap. conquestus. de vsuris.* conueniúntque omnes Theologi, & Iurisperiti. Sed in ratione, & intelligentia huius decisionis, & an intelligenda etiam sit de feudis laicorum, & ad emphyteusim extendenda, & quæ conditiones ad percipiendos vltra sortem tales fructus requirantur, grauis, satísque difficilis est controuersia. *Num. 1.*

SECVNDO, certum est, dominum directum feudi non posse fructus illos vltra sortem percipere, nisi consuetum seruitium pro eo tempore, quo mutuum ei non redditur, feudatario remittat: nam expressè habetur *c. 1. de feudis.* ab omnibúque docetur.

TERTIO, communis omnium doctrina est, si feudatarius in re feudali melioramenta, seu meliorationes fecerit, ratione quarum maiores fructus ferat, quàm aliàs tulisset, proprietarium debere in sortem computare, aut feudatario restituere excessum illum fructuum.

QVARTO, omnes etiam conueniunt, & certum est, proprietarium tunc non teneri ad computandum in sortem, vel restituendum feudatario omnes fructus, sed deducere posse valorem consueti seruitij, quod ei non redditur, & expensas factas, laboréque susceptos in cultu pignoris, vt generatim de huiusmodi pignore fructifero superiùs dictum est:

&

Digitized by Google

& notat Nauarr. 3. *de rest. c. 2. p. 2. dub.* 12. Similitérque videtur si iam feudatarius labores subierat, expensásque fecerat in cultu agri, vt eo anno fructum ferret, dominum directum debere ei reddere valorem earum expensarum, & eorum laborũ, quia ius non habet percipiendi vltra sortem omnes illos fructus illius anni, nisi eo anno agrum suo labore, & expensis colat.

Num. 2. QVINTO, Nauarrus, Nauarra, Couaruu. Gabr. Syl. Angel. & Adrianus, ac alij communiter dicunt, si feudatarius pro fundo dedit pretiũ, & propterea minor pensio fuit illi à principio imposita, ita vt partem fructuum accipiat pro illo pretio, & partem pro pensione subsequenti, vsuram esse portionem fructuum, quæ pretio illi respondet non restituere, neque in sortem computare, quia sic feudatarius iniustè propter mutuũ priuatur ea portione fructuũ quam pecunia sua emerat. Idem ait Molin. de portione respondente obsequiis, & meritis, ob quæ eum minoris seruitij obligatione feudum accepit, & retinet.

SEXTO addit Nauarra loco citato cũ Couaruu. 3. *variar. c. 1. n. 4.* Adrian. *q. de vsuris. verb. restat breui soluere, in respons. ad* 2. si feudatarius sine vllo pretio feudum acceperit, velítque consuetum seruitium præstare, proprietarium debere restituere, vel in sortem computare valorẽ, quo fructus consuetum seruitium excedũt; & ità quanuis in hoc euentu licitũ sit recipere aliquid vltra sortẽ mutuatam, non tamen vltra sortem, & vltra valorem consuetæ pensionis. Quam opinionem tenet Henrricus de Asia *tit. de contract. p. 1. c. 38. & 39.* dicitque eam tenere Innoc. & plerosque alios Doctores. Pro eadem Couaruu. ẽ. citat Innocent. *c. 1. de feud.* Molinæum *in consuetudinibus Parisiens. tit. 1. §. 1. glos. 9. n. 11. q. 3.* Palac. verò citat Ioan. Anan. & Barbat. *c. 1. de feudis.* cámque opinionem esse rationabilem, & securam docet Gabr. *4. d. 15. art. 2. concl. 4. casu 2.* licet priùs absolutè docuerit proprietariũ posse fructus illos vltra sortem recipere, rationémque reddiderit, quia cùm feudatarius absoluatur ab omni obligatione fructus rei feudalis, dominium vtile illius redit ad proprietarium; & consolidatur vsus fructus cum proprietate, seu dominiũ vtile cũ directo. Et sic proprietarius licitè accipit vltra sortem omnes fructus, licèt sint maiores seruitiis, quia percipit illos ex rebus, quarum nõ solùm habet dominiũ directũ, sed vtile. Idem docet Panormit. *c. conquestus. de vsuris. not. 2. & c. 1. de feud.* quibus locis idem docẽt Hostiens. Ioan. Andr. & Cardinalis, Villag. *q. 6. de vsur. §. ad c. conquestus.* Vega *verb. vsura. casu 56.* Angelus *vsura. 1. §. 11. & 12. & verb. feudum. §. 31. & seqq.* vbi Sylues. §. 29. & 30. Tabien. §. 21. & 32. Maior 4. *d. 15. quæst. 31. casu 1.* Nauarr. *c. 17. n. 217. & 218.* Abulens. Matth. 25. *q. 191. & sequentib.* Mercatus *de vsuris. c. 8.* Garsia *de contractib. p. 2. c. 16.* Emanuel 2. *p. c. 26. n. 2. & seqq.* Aluar. Vaz *de iure emphyteutico. q. 11. n. 27.* Lopez 2. *Instructor. negotian. c. 20.* Pala. 4. *de contract. c. 5. concl. 10.* Conrr. *de contract. q. 32. concl. 3.* Sa *verb. pignus. n. 6.* atque alij qui ꝯ. referentur. Vnde hanc esse communem sententiam ait Almain. 4. *d. 15. q. 2. §. iam videmus.*

ET si obiicias ex ea sequi, feuda- *Num. 3.*
tarium

tarium toto eo tempore ante solutionem mutui non esse feudatarium, aut vasallum, cùm nō habeat dominium vtile: item feudum eo tempore non esse pignus, cùm dominium directum, & vtile sit possidentis. Ad primum obiectum respondetur, nō esse feudatarium in actu, sed solùm in habitu, quia habet ius ad recipiēdos fructus postquam mutuum soluerit. Ad secundum, esse verè pignus quia feudatarius habet dominium vtile, licèt in habitu tantùm, seu ligatum vsque ad solutionem mutui, quia non potest antea exire in actū. Sic etiam has obiectiones diluit Pal. 3. & nihilominùs Almain. contra communem sententiam putat vsuram esse, si proprietarius vltra sortem mutui, & valorem consueti seruitij aliquid percipiat: & ita conuenit cum Nauarra, qui suam opinionē probat, primò, quia quādo feudū pretio emptum est, nō possunt vltra sortem recipi quicumque fructus ex quinta conclusione. Ergo nec quādo sine vllo antecedenti pretio datum est, quia in vtroque euentu æqualiter dominium vtile est feudatarij: vnde proprietarius non minùs accipit alienum in vno casu, quàm in alio.

SECVNDO, quia dominium vtile fundi est feudatarij. Ergo illius fructus sunt ipsius, & non proprietarij etiam habentis fundum in pignus, neque est cur illos recipiat vltra sortem nisi ob mutuum; & sic erit vsurarius,

Num. 4. RESPONDENT aliqui, non recipi ex vi mutui, sed ex concessione speciali Pontificum facta in fauorē Ecclesiæ, ideóque locū non habere in feudo laicali. Ita glos. *cap. 1. & cap. conquestus. de vsuris. & c. 1. de feudis.* Sed meritò Sot. Mol. Ang. Sylues. Adria. Couarru. Salon, Nauarra, Bannez, & alij id reiiciunt, quia Pontifices illis locis non intendunt condere nouum ius, sed ius naturæ declarare. Vnde textus dicit, *declaramus.* Item, quia nulla est causa id statuendi, maximè cùm habeat speciem vsuræ, à qua Ecclesia maximè abstinere intendit. Vnde omnes ferè Doctores dicunt, in feudo Ecclesiæ, & laicorum idem esse dicendum.

ALII respondent, non recipi ex vi mutui, sed ex vi contractus feudalis, cuius natura est, vt quandocumque res feudalis in pignus traditur domino directo, ad ipsum pertineant fructus, modò consuetum seruitium feudatario remittat. Ita Sot. *6. iustitia. q. 1. art. 2. ad vltimum.* Conrrad. & Villagut. 3. Tol. *lib. 5. c. 30. in fine.* Medin. *q. 2. de vsuris. §. ad c. conquestus. & q. 3. §. 1.* Igitur Bannez, & Aragon *hîc art. 2. circa. ad 6.* Salon. *controuers. 13.* Val. *disp. 5. q. 21. p. 1. ad 3.* Molin. *disp. 323.* hoc modo rem explicant: sicut quando contractus feudi inuentus fuit, institutus est cum quibusdam conditionibus, quibus violatis amitteret feudatarius dominium vtile, idque ad proprietarium rediret; sic etiam institutus est cum conditione, quæ semper in illo explicitè, vel implicitè continetur, vt si proprietario res feudalis tradatur in pignus, ad eum pertineant fructus illius, nec teneatur eos in sortem computare, modò consuetum seruitium remittat. Ita autem institutum fuisse ait Molin. constare

Digitized by Google

ex vsu,& ex iuribus citatis:& quidē eam cōditionem in pacto feudali licitè poni posse,& si ponatur,dominū directum ex vi illius posse omnes fructus vltra sortem recipere, rectè docent Almai.Maior,& Henrric. de Asia ꝛ. & quidam Iurisperiti apud Sylvest.*verb.feudum.q.* 29.Et malè Palac.censet ad illum effectum esse insufficientem sine remissione pensionis,cum illa verò sufficientem esse arbitratur:non enim video cur conditio illa si ponatur in feudo,non sit sufficiens causa ad percipiēdos omnes fructus vltra sortem, nisi exprimeretur pensionem esse remittendā;quia in eo casu oporteret pensionem remittere,vt fructus omnes vltra sortem reciperentur. Sed nō video vnde colligi possit eam cōditionem,etiam cum obligatione remittendi pensionem, in pacto feudali semper contineri. Ex vsu enim non rectè colligitur, eo quòd vel non est talis vsus,vel fundatur in communi opinione,quam falsam esse contendimus.Ex iuribus autem citatis minimè colligitur, quia in illis nulla mentio facta fuit:sed in *illo c.feud.* dū dicitur, debere consuetum seruitiū remitti, satis insinuatur pro illo dūtaxat percipi fructus vltra sortem posse,ac proinde nō posse sic omnes recipi si seruitium excedant.

CONFIRMATVR, quia si ex vi feudalis pacti recipiuntur fructus vltra sortem, etiam dici poterit sic posse omnes recipi,etiamsi feudatarius melioratione fecerit,vt tenent Sot.& Arag.ꝛ.probabiléque censet Garsia,quibus tamen cæteri omnes refragantur.ergo.

TERTIO,suam sententiam probat Nauarr. quia ex oppositā sententia sequeretur,in quolibet vsufructuario vsurario,vel conductore,verum esse si det fūdum in pignus domino directo, amittere interim fructus, quod falsò concedunt Angel. *vsura.* 1.§.12.*& verb.feudum.* §. 21. Mercat. & Vega ꝛ.Panormit. *c.conquestus. de vsuris.*quos meritò impugnant Couaruu.& Nauarr. ꝛ. & Molin. *illa q.* 3.*&* 23.quia quanuis id concederetur, in feudo tamen in concessione vsus,vel vsusfructus, vel locatione non esset concedendum:cùm in his contractibus non includatur talis conditio,sicut dicunt superiùs citati includi in feudo.Imò Sal.ꝛ.& Barba. *c.1.de feudis.*dicunt nō includi in emphyteusi,cùm tamen ferè cæteri præter Ananiam *c.1.de vsur.* dubitātem constanter affirment idem de feudo, & emphyteusi dicendum esse. ergo nec in feudo includitur.

PROPTER hæc existimo sententiam Nauarræ veram esse. Sed obiicit Salon , si fructus sunt minores seruitio , feudatarius non tenetur supplere defectum:ergo si sunt maiores,proprietarius non tenetur restituere , vel in sortem computare excessum. Quo etiam argumento videtur vti Bannez.Sed cū Nauarr. negatur antecedens:nulla enim est ratio cur mutuans amittere aliquid debeat.Ergo si fructus sint minores seruitio, feudatarius tenebitur supplere defectum. Si verò maiores, proprietarius restituet , vel in sortem computabit excessum , nisi eorum donatio à feudatario fiat ; quod expressè docuit Hostiens. *in Summa. tit. de vsuris,§. an aliquo casu.* vt refert Adrian.ꝛ. Ad iura autem ꝛ. citata, quæ contra nostram opinionem militare videntur, facilè respondetur, *Num.5.*

tur, solùm velle fructus vltra sortem recipi posse, quando æqualis valoris sunt cum consueto seruitio, & domino directo non cogente vi mutui ad talem commutationem, quia si cogeret, esset vsurarius. Alij exponunt dicta iura, vt procedant quando feudatarius iniustè feudum possidebat: tunc enim licitè per mutuum recuperatur, vt dicitur *cap. 1. de vsuris.* Ita Grasis *2. p. lib. 2. cap. 24.* & Innocent. IV. apud Adrian. §. Simile quid habetur *cap. fin. de decimis.* & generatim quòd per mutuũ liceat aliud debitum recuperare. Vide Salonẽ §. *corol. 3.* Anton. *2. p. tit. 1. cap. 7. §. 25.* Ricard. *4. d. 15. art. 5.* Almai. *quæst. 2.* Nauarr. §. *dub. 10. ad 4.* Medin. *quæst. 1. de vsuris. §. sed est. & q. 3. §. prima igitur.* & alterũ Medin. *1. Sum. cap. 14. §. 23.* Sylueſt. *vsura. 1. quæst. 8.* Angel. *quæst. 9.* Adrian. §. Molin. *disp. 303. 304. 309.*

DVBIVM XXXII.

An pactum legis commissoriæ in pignoribus vsurarium sit, vt si quis pignus pro mutuo, vel quocumque alio debito accipiat, ea lege vt si debitor intra certum tempus non soluerit, pignus efficiatur creditoris pro eo debito, aut emptũ certo aliquo, ac determinato pretio.

SVMMARIVM.

1. *Huiusmodi pactum reprobatum, atque irritum est.*
2. *Cuidam obiectioni respondetur.*
3. *An fideiussor possit licitè paciſci cum debitore, vt si non soluat intra terminum præfixum maneat certo aliquo pretio eidem venditum pignus pro indemnitate ipsi datum?*

RESPONDETVR, huiusmodi pactum reprobatum, irritúmque esse *l. 1. & vlt. C. de pactis pignor. c. significante. de pignorib. l. 41. tit. 5. & l. 12. tit. 13. p. 5. & lib. 4. Lusitanarum ordinationum. tit. 26. in princip.* Et quidem si pignus plus valeret, quàm pretium illud, in pactũ ratione mutui formalis, vel virtualis (quod includitur in dilatione solutionis) deducere, vt pignus eo pretio venditũ maneat, vsura est secluſa à lege positiua. Ad hoc autem, & alia mala vitanda, meritò huiusmodi pactũ prohibitum, irritúmque effectũ est. Quò fit, vt esto debitor præfixum terminũ trãsgrediatur, repetere possit pignus debito soluto. Obseruat verò Panormit. *d. c. significante. n. 7.* & alij ibi, Molináque *disp. 324.* si pactum sit, vt debitore intra terminum non soluente pignus sit venditum nõ certo aliquo determinato pretio, sed pretio iusto arbitrio boni viri, pactum esse validum. Quod iam hodie definitum est legibus nostris, & ordinationibus Lusitanis *tit. citato. §. 1.* docéntque Sylueſt. *verb. pignus. §. 6.* Coro. *c. 8. §. de contractib. pignorationum.* Cepola *cautel. 309.* aliàs *261.* incipiente, *pactum pignoris.* Alex. *cons. 378.* Anton. Rubeus *cons. 134.* Couaruu. *3. Variar. c. 2. n. 7.* Lopez *2. Instructor. negot. c. 20.* Salon *tom. 2. tit. de pignorib. in fine.* Nauarr. *c. 17. n. 203.* aliàs *204.* Grasis *p. 1. lib. 2. c. 109. n. 26.* Sylueſt. *verb. pactum. §. 14. & in Rosa aurea. casu 18.* Citatur Antoni. *2. p. tit. 1. c. 7.* in quo nihil inueni.

Num. 1.

Digitized by Google

Colligitur ex *l. si fundus. §. vlt. ff. de pignorib.* Bart. etiam citatus à Panorm. §. ait, si pactum esset, vt pignus termino transacto venditum maneret, validum esse, quia sensus esset, quòd maneret venditum iusto pretio, arbitrio boni viri æstimando. Idem docent Couaruu. Molina, & Salon §.

Num. 2. SI obiicias, quia vi mutui obligare mutuatarium ad alium contractum ineundum, vt ad emendum, vendendum, mutuandum, assecurandum, &c. vsura est, vt patet ex superioribus: ergo similiter vsura erit in pactum deducere, vt pignus absolutè, vel iusto pretio venditum maneat. Respondent Couaruu. Molin. & Grafis, si id fieret tanquam grauamen pro mutuo iniunctum, atque tanquam lucrum ex mutuo, vtique esse vsuram: si tamen fiat, vt creditor se indemnem seruet, eáque via in termino rem sibi debitam accipiat, nullam esse vsuram; quasi dicant, mutuantem posse obligare mutuatarium ad ineundum alium contractum qui expediat ad eius securitatem, vt potest illum obligare ad dandum pignus, vel fideiussionem, vel chirographum, &c. Addit autem Mol. grauamen illud licitè etiam iniungi posse debitori in pœnam iustam, si culpa sua in termino constituto non soluat. Idem Nauarr. *illo num.* 204. *&* 217. Corona, Salon, & Lopez §. Emanuel *p. 2. cap. 25. num. 2.* Aragon *hîc art. 2. in fine.* Sylvester *vsura. 3. §. 1.* Corona *quæst. 238. post medium.* Pœna autem vt amittat pignus, & nihilominùs totum debitum soluere teneatur, iniusta est, quia excessiua, vt dubio 21. notauimus; docétque Nauarr. *3 de restit. cap. 2. p. 2. dub. 11. num. 337.*

SED an possit fideiussor licitè paciscí cum debitore; vt si intra terminum præfixum non soluat, pignus pro indemnitate ipsi datum, maneat certo aliquo pretio eidem venditum? Respondet Molin. *Quicquid dicat Couaruu. eiusmodi contractus improbatus non est, sed approbatus potius l. vlt. ff. de contrah. emptio. quare si vel pretium in se esset iustum, vel in pœnam iustam debitori esset iniunctum, vt pignus viliori illo pretio esset venditum, vel fideiussio ea compensatione esset digna, improbare non auderem tale pactum, iuxta ea quæ superiùs disputata sunt, tametsi semper sit consulendum, vt homines ab huiusmodi pactis abstineant.* Hæc ille. Idem Sylvest. & Corona §. imò id docere videtur etiam pactum cum debitore, vt si non soluat intra tempus designatum, pignus maneat venditum minori pretio, licitum esse, si non fiat in fraudem, sed in pœnam iustam ad coercendam moram debitoris; quod etiam docet Tabien. *vsur. 4. quæst. 2.* Vide alia apud Graf. §. *à n.* 24. Molin. & alios citatos. *Num. 3.*

DVBIVM XXXIII.

An in monte pietatis vsura interueniat?

SVMMARIVM.

1 *Quid mons pietatis, & tres eius leges.*
2 *Sententia affirmans tertiam huius montis legem vsurariam esse, proponitur, & suadetur.*
3 *Sententia asserens talem contractum licitum*

Digitized by Google

licitum esse, eligitur, duobus præcipuis argumentis, & variis confirmationibus comprobatur. Quidam ad secundum argumentum respondent, quorum responsa impugnantur num. 4. 5. 6. 7.

8 *Concluditur, eum qui in monte pietatis pauperibus seruit, de eorũ bonis viuere debere; & ad argumẽta respõdetur.*

9 *Apud quem sit montis pietatis dominiũ.*

10 *An licitum sit exigere pensionem sufficientem non solum ad conseruationem, sed etiam ad aliquod augmentum montis?*

Num. 1. MONS pietatis est cumulus frumenti, vel alterius rei similis destinatus ad subleuandas per mutuum miserias pauperum, relictus alicui loco, cuius montis tres sunt leges, vel conditiones. Prima, vt qui montis curam gerunt, teneantur pauperi petenti mutuare certam summam, verbi gratiâ, tres aureos soluendos intra annum. Secunda, vt mutuatarius teneatur dare pignus custodiendum à ministris montis suo ipsorum periculo, vendendúmque si præfixo tempore non soluerit, vt inde debitum soluatur; & si quid pretij fuerit residuum, pauperi restituatur. Tertia, vt mutuatarius vltra capitale exiguam aliquam pensionem singulis mensibus reddere teneatur pro expensis, quæ fiũt in mõtis conseruatione, stipendióque ministrorum qui pecuniæ curã habẽt, mutuò illam dant, pignora accipiũt, & custodiũt, reddúntq; dominis, aut vendũt, & recipiũt mutui solutionẽ, cõducũt domum in qua pecuniæ, & pignora seruẽtur, & ad quã accedãt, qui mutuo indigẽt, arcã emũt, libróſque rationum in quibus scribũt, &c.

VLTIMAM conditionem vsurariam apponi censent Sylues. *vsura.* 5. *q.* 4. Caiet. *tom.* 2. *opusc.* 6. Sot. 6. *iust.* *quæst.* 1. *art.* 6. quanuis Leo X. in Lateranen. Concil. approbante eodem Concilio definierit, ac declarauerit licitos esse montes pietatis sub forma explicata erectos, atque institutos, asseruerítque prædecessores suos PP. Paulũ II. Sixtum IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Iul. II. idem feciſſe. Armil. *verb. vsura. n.* 47. & 48. Num. 2.

SVADETVR primò, quia hoc contractu pauperes cogũtur soluere stipendiũ ministrorũ montis: iniustum autem est vi mutui aliquem cogere ad soluendum stipendia iis qui absque vlla conuentione præcedenti in ipsorum gratiam laborauerunt.

SECVNDO, quia licèt pro custodia pignorum onerosa posset auctirium à pauperibus mutuatariis exigi, tamen pro custodia non onerosa nihil ab illis exigi potest, cùm tamen à ministris montis indifferenter exigatur æquale pretium, siue custodia pignorum onerosa sit, siue non.

TERTIO, quia maius pretium cogitur soluere pauper qui maiori tempore mutuum retinet. Ergo ratione temporis aliquid exigitur, quod quidem vsura est.

QVARTO, quia si diues aliquis eo modo pecuniam aliquam per aliquot annos deputasset retento illius dominio, vsurarius sanè esset si ad eos sumptus incrementum aliquod à mutuatariis acciperet, quia sumptus in sua cõseruanda pecunia non ad mutuatarios, sed ad ipsum spectant, esto ad mutuũ in illorũ gratiã deputatã eã habeat. Ergo quanuis dominium illius à se abdicauerit, illúdque in Rempub. transtulerit, cùm

Digitized by Google

ad illum præcisè vsum eam concessit, vtique ad Rempub. ipsam ex ipsamet pecunia, aut aliūde pertinebit eos sumptus facere, non verò ad mutuatarios, qui non sunt eius domini, ideóque si ab illis aliquid vltra sortem accipiat, vsuram committet. Quòd si (ait Sotus) illius pecunia nullius remaneat, ad ipsam spectat se ipsam conseruare, atque ideo ad eius administratores pertinebit sumptus ad id necessarios ex ea facere.

Num. 3. QVIBVS non obstantibus meritò talem contractum licitum esse affirmat Med. *q.* 10. *de vsur.* Nauarr. *c.* 17. *n.* 213. *& com. de vsuris à n.* 64. Salon *hac quæst.* 78. *art.* 2. *controuers.* 27. Bannez *art.* 4. *in fine.* Mol. *tit.* 2. *de iustit. disp.* 925. Val. *hic disp.* 5. *q.* 23. *puncto* 4. *ad fin.* Grafis *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 17. Tolet. 5. *Sum. c.* 58. Tabien. *vsura.* 1. §. 7. Bernard. de Bust. *tit. de monte pietatis.* Lopez cum Penna 2. *p. Instructor. cap.* 59.

PROBATVR, quia in hoc contractu quatuor inueniuntur. Primum est, mutui cum onere dandi pignus vendendum ad solutionem debiti, si præfixo termino non soluatur. Secundū, ipsius pignorationis. Tertium est locationis, & conductionis: nam ministri suas locant operas cum expensis, eósque Respub. conducit ad prædictum ministerium, salarium eis dando ex pauperum mutuatariorum bonis. Quartum interdum est venditio pignorum ad solutionem mutui soluendo de pretio id quod necessarium est, residuúmque mutuatariis restituendo: in iis autem contractibus nulla iniquitas, vel malitia interuenit. De primo, secūdo, & quarto cōstat: neque aduersarij dissentiunt. De tertio autē contractu, in quo solùm est difficultas, probatur, quia Respub. potestatem habet conducendi ministros in ordine ad commune bonum, & satisfaciendi illis de bonis illorum qui beneficium, & emolumentum recipiunt ex laboribus, & expensis ministrorum: id autem recipiunt pauperes quibus mutuum datur: ergo licitè potest Respub. ex eorum bonis satisfacere ministris. Nulla autem est commodior ratio inter eos distribuendi, quàm si eis imponatur moderata pensio iuxta quantitatem mutui, temporisque quo ipsum retinere possunt. Ergo iustè id fit, maximè cùm Respub. vel non possit, vel non teneatur ex propriis salaria ministrorum soluere, nec possit ex monte illis satisfacere; cùm sit contra voluntatem testatoris, vel aliorum, qui pecuniam reliquerunt, vel dederunt ea conditione, vt integra semper maneret, neque sit expediēs, vt in salariis ministrorum paulatim consumatur, imò non solùm Respub. sed etiam priuata persona dominium, vel administrationem rei mutuandæ habens, potest cum quolibet mutuum petente pacisci, vt si velit mutui beneficio frui, soluat aliquid vltra sortem pro iis, qui præcisè pro ipso, & aliis labores, & expensas sustinent in administratione montis. Possunt igitur domini, vel administratores talis pecuniæ eam prædicta lege mutuare, etiam nulla interueniēte auctoritate Reip. vt Palac. docet, confirmátque primò, quia si Petr. mutuò petat à Ioāne 100. coros tritici, Ioannésque respondeat se habere illos remotè, ideóque si Petrus eos mutuò habere velit, necesse esse, vt quærat baiulos tritici,

vel

vel pretium baiulorum, & mensurariorum soluat vltra sortem, non esset vsurarius tale pretium exigendo, & recipiendo. Ergo similiter vsurarij non sunt, qui vltra sortem aliquid exigunt pro laboribus & expensis positis à ministris montis in beneficium pauperum qui mutuum accipiunt, in montis indemnitatem: nam mutuans id etiam exigere potest, quod necesse est, vt ex ipso mutuo, aut præparatione ad mutuandum, etiam antequam cum mutuatario conueniat, nullum damnum patiatur.

SECVNDO confirmat: nam si Petrus remotè habeat 100. aureos, quos petat mutuò Ioannes, cui dicat Petrus, si vis mutuò tibi exhiberi, necesse est vt famulus meus eò relaturus tendat, tunc si famulus in locum remotum concesserit, aureósque retulerit, qui mutuò dentur Ioãni, à quo impendia in itinere facta exigantur, nulla erit iniustitia. Ergo similiter nec in nostro casu: nihil enim referre videtur ante, vel post contractum susceptos fuisse labores, vel impendia facta, modò propter solum mutui beneficium impẽdendum facta sint: iure enim potest aliquis non communicare beneficium ei, qui non vult communicare in solutione sumptuum, qui ad illud impendendum facti sunt. Quod tertiò confirmat Val. nam iuxta veram, & communem sententiam fas est campsori propter operas quas collocat in administrando cambio, nonnihil lucri reportare taxatum secundùm consuetudinem fori cambiorum, quod Hispanè dicitur, *segun anda la longa*: aut secundùm taxatum pretium, quod etiam tenet Pala. ẽ. Dur. 3. *d.* 37. *q.* 2. Maior 4. *d.* 15. *q.* 31. *ad fin.* Medin. *per totum ferè titulum de cambiis.* Nauarr. *cap.* 17. *n.* 283. aliàs 288. & alij contra Sot. 6. *iustitia. quæst.* 10. *art.* 2. Cur ergo isti ministri vsurarij erunt, si propter administrationem montis stipendium ex bonis mutuatariorum receperint æqua facta inter eos distributione? maximè interueniente auctoritate Papæ, & Reip. quæ omnem aufert dubitationem iniustitiæ, vt ait Tabien. eo quòd Respub. & Papa iusta de causa transferre dominia possunt, vt in confiscatione, & præscriptione, maximè cùm id fit in bonum eorum qui antea dominium habebant: sic etiam Palac. docet Rempub. posse instituere officialem ad mutuandas pecunias indigentibus, qui salarium competens ex mutuatariorum bonis accipiat. Imò fatetur, si quis auctoritate priuata à nonnullis peteret pecunias, vt aliis mutuò daret, pro hoc ministerio à mutuatariis exigere posse aliquid moderatum secluso scandalo. Quibus omnibus consonat Molin. conclusionem probans, quia sicut mutuans potest auctirium exigere, & recipere ratione lucri cessantis, & damni emergentis, ita ratione laborum, & expensarum quæ vt mutuum in horum gratiam præparatum semper habeatur, mutuatariisque quando voluerint, detur, fiunt: neque enim subire eas tenetur qui beneficium mutui præstat; sed fas illi est deducere illas mutuatariis in pactum, vt si mutuum in ipsorum tantùm commodum ex charitate præparatum accipere velint, eas soluant, alioqui ab accipiendo eo mutuo se contineant.

CONFIRMATVR quartò: nam, vt

Digitized by Google

vt habetur *de regulis iuris.in 6.* qui sẽtit commodũ, sentire debet & onus; sed soli pauperes mutuatarij sentiũt commodum montis, ergo ipsi debẽt sentire onus satisfaciendi ministris in eorum bono laborantibus.

CONFIRMATVR quintò: nam elector montis non tenetur de bonis suis illum conseruare, satis enim piè egit relinquendo illum obligatũ ad mutuandum pauperibus: neque verò Respub. ad quam pertinet cura montis, tenetur istud stipendium soluere, imò posset pro cura sua aliud stipendium exigere. Soli ergo pauperes tenentur in quorum bonũ mons cedit, ministrorum stipẽdium soluere.

SEXTO confirmat Tolet. cui cõsonãt Salon, Lopez, & Bannez, quia secundùm Caiet. *verb. vsura.* Sot. *6. iustitiæ. q. 1. art. 2. ad 4.* glos. *c. sisf. neraberis. 14. q. 3.* Panormit. *c. consuluit. de vsuris.* Sylvest *vsura. 2. §. 2.* & alios, mutuare alicui cum onere remutuãdi, vsura est, eo quòd obligatio mutuãdi est pretio æstimabilis. Cùm ergo mons sit obligatus ad mutuandum pauperibus, pro ea obligatione poterit auctirium exigi. Sed hæc ratio difficilis est, nisi ei aliquid addatur, quia iuxta eam etiam antequam peteretur mutuum, posset auctirium aliquod exigi, quia mons etiam ad mutuandum illis est obligatus.

ADDENDVM ergo est, pro obligatione posse aliquid exigi quãdo vel pro tempore quo suscepta est obligatio, ita conuentum est, vel post susceptam gratis obligationem ab eo aliquid exigitur, quia eius beneficio frui vult, ab aliis autem nihil exigi potest.

Num. 4. SECVNDO, principaliter probatur nostra sententia ex Leone X. & Concil. Lateranensi *sess. 10.* vbi commemoratis variis opinionibus circa montem pietatis, earúmque fundamentis, apertè definitur licitum esse & pium: excommunicantúrque qui oppositum docuerint, & conceduntur indulgentiæ porrigentibus manus adiutrices.

RESPONDENT Sot. & Arag. primò, non omnia acta huius Concilij esse vsu, & more Ecclesiæ recepta; nam sess. præcipitur, vt qui per sex menses non recitauerit, priuetur beneficio, quod tamen non est vsu receptum. Sed hæc responsio friuola est, vt notat Mol. Sal. & Bannez, quia licèt constitutionum obligatio pendeat ex vsu, non tamen vis definitionum, & declarationum iuris naturalis, vel diuini, qualis est ista. Item, quia constat hanc esse vsu receptam; nam posteam manent mõtes antè instituti, & alij de nouo erecti sunt.

SECVNDO, respondent Sot. Arag. & Armil. ibi tantùm approbari mõtem, qui contineat capitula non pugnantia cum iure naturali, vel canonico; & quia illud tertium capitulũ vsurarium est, ac proinde iuri naturali, & canonico contrarium, non approbatur à Concil. mons in quo illud fieret. Confirmat Sot. hanc responsionem, quia Caiet. qui illi Cõcilio interfuit, vt ipse refert *2. 2. q. 1. art. 10.* optimè intellexit mentem illius: hanc tamen solutionem adhibet opusc. citato. Item, quia Caiet. propter hoc illud opusculum non fuit à Leone X. reprehensus.

SED hæc solutio meritò confutatur à Med. Val. Mol. Sal. primò, quia in illo decreto talis limitatio non habe *Num. 5.*

Digitized by Google

habetur, quin potiùs cum illo 3. cap. mons approbatur. Secundò, quia Caiet. in fine illius opusculi ait se illud perfeciſſe anno 1498. Concilium autem Lateranense indictum fuit à Iulio II. anno 1512. & seſſio illa 10. habita est sub Leone X. an. 1515. Ergo Caiet. in suo opusc. non explicuit decretum Cõcilij Lateran. sed aliud antiquius, quod non est in corpore iuris: sed Bulla quædam Mantuæ conceſſa. Vnde Caiet. opuscul. citato ait se illa verba legiſſe in originalibus calamo scriptis Bullæ Mantuanæ, quod etiam refert Armil. Falsò ergo Sot. Arag. Arm. Molin. & alij putant Caietanum locutum de decreto Concilij Later. quin potiùs Bannez credit Caietan. in eo Concilio suam retractaſſe sententiam, quia cùm in ea seſſione interrogati fuiſſent Pp. an decretum placeret, omnes responderunt placere vno excepto Hieremia Episcopo Tranensi. Cùm ergo Caiet. qui ibi aderat, tanquam generalis sui ordinis decretum approbauerit, retractaſſe videtur quod opusculo citato scripserat. Salon autem credit seſſ. illi non interfuiſſe, quia in ea cùm referuntur qui interfuerunt, non referuntur generales ordinum.

TERTIO, confutatur solutio, quia ibi ad tollendas disputationes eo tẽpore scandalosas, allatis vtriusque partis argumentis definiuit Pontifex nullam in eo contractu reperiri vsuram. Si autem adderet limitationem illam, non auferret occasiones disputationum, sed augeret potiùs. Fuit ergo approbatum ibi absolutè hoc institutum.

Num. 6. TERTIO, respondet Arag. ibi tantùm declarari pro obligatione mutuandi posse auctirium recipi: sed hæc solutio meritò reiicitur à Bannez, & Sal. quia ibi de obligatione nulla fuit mentio, sed de stipendio & expensis ministrorum. Item eadem ratio videtur de obligatione, & de oneribus, atque expensis compensandis. Ergo si potest exigi compensatio obligationis, vt etiam Sotus fatetur, similiter laborum, & expensarum, quod Sotus negat. Item, non pro omni obligatione mutuandi potest aliquid recipi vltra sortem, sed tantùm pro illa quæ est incommoda mutuanti: ergo generaliter non deberet definiri posse à ministris montis auctirium exigi, si solùm haberetur ratio obligationis mutuandi. Vnde tandem ipse Arag. ait, quando erector montis transfert dominium in communitatem pauperum, licitum esse auctirium ab illis recipere pro stipendio, & sumptibus ministrorum, quia res tunc pauperum agitur, & propria illorum bona cõseruantur; in eóque euentu ait veram esse opinionem Med. & Nauarr. Pontificésque montem pietatis approbasse: non verò quando dominium manet apud erectorem montis. Sed de hoc postea.

QVARTO, respondet Caiet. rem Num. 7. istam non potuisse à Pontificibus, & Conciliis definiri tanquam de fide, neque id eos intendisse, quia tantùm potest definiri de fide, quod in sacris literis, vel traditionibus Apostolicis continetur; hoc autem sola ratione naturali inuestigandum est: solũ ergo id definierũt Põtifices tanquã Doctores & Philo-

Digitized by Google

ſophi morales. Sed hoc, vt notat Molin. parum reuerenter, nimiſque audacter dictum eſt, & plus iuſto poteſtatem quæ in Eccleſia eſt ad definiendum, & declarandum, quæ ad fidem, & mores ſpectant, coarctat; neque tutum eſt. Vnde Salon ait sententiam Soti quæ poſt definitionem Concilij Lateran. hunc monte damnauit, eſſe temerariam ac periculosã: falsóque docere errare poſſe Pontifices, & Concilia in definitionibus earum rerum, quæ non habentur in ſcripturis, vel traditionibus: ſic enim multæ definitiones ad fidem & mores pertinentes poſſent in dubium reuocari, dicendo non colligi ex Scripturis, vel traditionibus. Deinde falſum omnino eſſe, quòd Leo locutus ſit tãtùm vt Doctor, quia Bullam facere, & ſacro approbante Cõcilio definire, & ſub excommunicatione præcipere, vt nemo oppoſitum doceat, &c. non pertinet ad Pontificẽ, vt eſt priuatus Doctor, vel moralis Philoſophus. Probabile tamen exiſtimo nihil ab eo definiri poſſe quod non contineatur in ſacris literis, vel traditionibus, ac proinde veritatem hanc ex Scripturis, & traditionibus ſimiles cõtractus approbantibus, ſumptam fuiſſe. Confirmatur hæc veritas ex Trid. *ſeſſ. 22. c. 8. de reformat.* vbi inter opera pia, & charitatis numerat montes pietatis, ſcilicet cum illa tertia conditione, quia certum, & publicum erat multos circa huiuſmodi montes (vt viri fide digni, qui illi Concilio interfuerunt, retulerunt) Pontificij illius Concilij magnas eleemoſynas dediſſe monti pietatis Trident. Confirmatur etiam ex vſu receptiſſimo multarum ciuitatum, præſertim Italiæ vbi ſunt multi eiuſmodi mõtes, quos ſanè non ferrent Pontifices ſi vſurarios eos cenſerent. Confirmatur ex *l. id quod pauperibus. C. de Epiſcopis, & Clericis.* vbi dicitur, id quod pauperibus teſtamento, vel codicillis relinquitur, non relinqui vt in certis perſonis relictum euaneſcat, ſed omnibus modis ratum, firmúmque conſiſtat: cui conſonat *l. ad declinandum. eod. tit. & l. 1. & l. generalis. C. de Summ. Trinit.* Ergo mons relictus ad mutuandum pauperibus non debet euaneſcere, ſed ratus, firmúſque conſiſtere, & conſeruari, ſi neceſſe fuerit, ex bonis pauperum mutuatariorum. Confirmatur etiam, ſicut mutuans poteſt in pactum deducere quod neceſſarium eſt ad ſuam indemnitatem, *capite 1. de vſuris.* ita qui ſe obligat ad mutuandum: ſed erector montis obligat ſe, vel ſua bona ad mutuum; ergo poteſt à mutuatariis exigere id quod neceſſum eſt, vt mons integer, indemniſque ſeruetur. Et hoc eſt, quod s. definit Leo X. non eſſe vſurarium, neque habere ſpeciem mali accipere aliquid moderatum pro impenſis, & indemnitate ipſius montis ad miniſtrorum operas, & aliarum rerum quibus huiuſmodi montes indigent, conſeruationem. Et certè deducere aliquid in pactum pro onere, & periculo quod in ſe ſuſcipiunt miniſtri cuſtodiendi pignus, aliiſque laboribus & expenſis poſt petitionem mutui ſubeundis, licitum eſſe, nullam habet difficultatem, quia *nemo militat ſtipendiis propriis. 1. Corinth. 9.* & *, dignus eſt operarius mercede ſua.* Lucæ 10. & 13. *q. 1. §. iis itaque. &* 28. *queſt. 1. cap. iam nunc, in fine. & c. in officio. de*

fic. de præſcription. Pro antecedentibus autem ad alias rationes recurrendum eſt.

Num. 8. Ex quibus omnibus ſequitur, ſicut *qui altari ſeruit, de altari viuere debet*, ex 1. Corinth. 9. ita qui in monte pietatis pauperibus ſeruit, de eorum bonis viuere debere.

AD primum ergo reſpondetur, etiam pro impenſis, & laboribus ad mutuum alteri dandum factis poſſe aliquid ab eo exigi, ſi velit mutui beneficio frui, præſertim auctoritate Reip. vel Eccleſiæ: aut quando montis erector nollet etiam ipſum pauperibus ad mutuum obligare, niſi ea lege, vt ad ſtipendia & expenſas miniſtrorum contribuerent.

AD ſecundum reſpondent primò Bannez, & Salon, quando pretium eſt lege taxatum, non debere variari propter varias mercis conditiones, & vt pretium tritici optimi, medij, & infimi lege taxatū idē eſt; ſic pretium pro miniſterio mōtis à Repub. taxatum idem eſſe ſiue cuſtodia pignorum onerosa ſit, ſiue non. Sed reſponſio non ſatisfacit, primò, quia cuſtodia non onerosa nullo pretio digna eſt. Secūdò, quia etiamſi Reſpublica non taxaret pretium, adhuc poſſet æqualis penſio imponi afferentibus pignora non æqualia in onere, & labore cuſtodiæ. Tertiò, quia triticum interdum illicitè venditur pro toto pretio à Repub. taxato: non enim ita taxatur, vt non poſſit, vel non debeat vnquam minui, ſed vt nūquam debeat excedi.

SECVNDO, reſpondet Palac. pignus quod cuſtoditur minori labore, vt vas argenteum, cuſtodiri maiori periculo, quàm id quod cuſtoditur maiori labore, vt veſtis, quæ vento exponenda, & excutienda eſt, vt à corruptione ſeruetur, ideo æqualem penſionem vtrique pignoranti imponi poſſe. Sed non ſatisfacit, quia non ſemper quod cuſtoditur minori labore, cuſtoditur maiori periculo.

TERTIO, reſpondent Palac. Medin. Salon, & Valen. eum qui affert pignus minùs oneroſum, quando ſoluit penſionem, æqualem ſoluere, quam ſoluit afferens pignus magis oneroſum, miſcere donationem. Sed contrà, quia non eſt perpetuum, vt velit quidquam donare, ſed ſæpe velit minori penſione, ſi poſſet, mutuum obtinere.

QVARTO, reſpondent Val. Salon, & Pala. tam exiguum eſſe illud auctirium, vt ſecluſo onere pignoris pro aliis oneribus, quæ communiter ad omnes pertinent, iuſtè exigatur. Sed contrà, quia ex ſolutione ſequitur pro miniſtrorum ſtipendio, & impenſis maiorem penſionem imponi poſſe afferentibus pignora oneroſa, quàm ſit illis impoſita nihil minuendo de penſionibus aliorum, ac proinde, ſi miniſtri ſummo pretio ſuas locarunt operas, non poſſe æqualem penſionem imponi afferentibus pignora, quæ in labore cuſtodiæ inæqualia ſint, quia tunc illi qui pignus minùs oneroſum attuliſſent, plus cogerentur ſoluere, quàm deberent, eo quòd minùs debeant, quàm alij qui æquali penſione totum ſuum debitum exactiſſimè ſoluunt.

VNDE reſpondetur, ſcilicet quando Reſpubl. penſionem taxat, nullum eſſe ſcrupulum, quia

propter difficultatem ſummam in ponendi omnibus penſionem, quam ex natura rei debent, & propter neceſſitatem cuſtodiendi integrũ montem ad commune bonum, poteſt Reſpublica in modico aliquo nonnullos ampliùs grauare: iuſtis enim de cauſis etiam quod aliàs non debent, poteſt ab aliquibus exigere, maximè cùm id redundare poteſt in eorum commodum, vt in propoſitos & ſic poſſet defendi prima ſolutio. Sed quando Reſpub. non taxaret penſionem, id quoque licitum eſſet, eo quòd ad imponendã cuique penſionem ex natura rei debitam, immenſus miniſtrorum labor eſſet neceſſarius, magnáque eſſet confuſio, & iniuſtæ diſtributiones, querimoniarúmque occaſio, ac proinde ſtipendium, & expenſæ miniſtrorum nimis deberent creſcere: quare in eo euentu plus quiſque ſolueret, à quo exceſſu vt liberetur, iuſtè ab eo exigi poteſt amplius quàm deberet contribuere, ſi diſtributio commodè ac facilè fieri poſſet.

AD tertium reſpondent primò Bannez, Salon, & Palac. miniſtros nõ amplius recipere formaliter pro expectatione maioris temporis, ſed propter ſuas operas, quæ dum maiori tempore mutuũ retinentur, maiores ſunt. Sed non placet: quia non ſemper miniſtri plus laboris, & curæ impendunt ei qui maiori tempore mutuũ retinet. Vnde meliùs reſpondent ſecundò Valen. & Salon, non plus recipi formaliter ob maiorẽ expectationem temporis, ſed quia quo diutiùs quis mutuũ retinet, eo magis mutui beneficiũ participat, & conſequẽter meritò ab eo exigitur maior compenſatio onerum ſceptorum cauſâ impertiẽdi talia beneficia: nã tũc in effectu magis talia onera ſũpta ſunt pro ipſo, quàm pro aliis qui minori tempore mutuum retinent.

TERTIO, reſpondent etiam Val. & Salon, tunc plus accipi, quia miniſtri diutiùs obnoxij manent periculo pignorum, & communiter diutiùs illorum curam gerunt.

AD quartũ reſpõdet Bãnez, primò, nõ eſſe ſimile de diuite: nã homo particularis retinẽs apud ſe dominium mõtis, poterit cũ voluerit in alios vs⁹ ipsũ cõuertere. Vnde ad ipsũ pertinet de bonis propriis eũ cõſeruare: qui autem erexit mõtem pietatis, de quo loquimur, tranſtulit eius dominium in communitatem pauperum cum obligatione ad mutuandum ſingulis pauperibus, ideo adminiſtratio montis digna eſt ſtipendio dato à pauperibus mutuatariis.

SECVNDO reſpondet Bannez, neque hominẽ particularẽ eſſe vſurariũ, ſi obligauit montẽ ad mutuandũ pauperibus in perpetuũ retinẽdo ſibi dominium directum dum vixerit, & tranſferendo vtile in commoditatẽ pauperũ, licèt recipiat moderatũ pretiũ à mutuatariis. Arag. verò ait, quando trãsfertur dominiũ in communitatẽ pauperũ, licitũ eſſe auctirium ab illis recipere ad expenſas, & ſtipendia miniſtrorũ, ſecus ſi non tranſfertur dominium. Lopez ait licitum eſſe non ſolùm quando dominium transfertur, ſed etiam quando erector montis ſe, vel montẽ obligat ad perpetuò mutuandum. Salon verò ait, ſi diues, neque dominium tranſtulit in communitatem pauperũ, neq; ſe obligauit ad mutuãdum, nõ poſſe à pauperibus accipere omnes ſumptus qui in adminiſtratione,

&

Digitized by Google

& conſeruatione montis fiunt; ſed aliquos ad arbitrium boni viri, quia non omnino cedunt in vtilitatem pauperum. Molin. autem ait diuitem illum poſſe in pactum deducere mutuatariis, vt ſoluant ſumptus factos, vt in eorum vtilitatem mutuum eſſet præparatum: quanuis enim ad pecuniæ dominũ ſpectet facere ſumptus neceſſarios ad ſuæ pecuniæ cõſeruationem, neque poſſit deducere in pactum, vt à mutuatariis ſoluantur, quando ad mutuum, cõmodúmque mutuatariorum eos non ordinauit: quando tamen præcisè facti ſunt, vt ea pecunia ad mutuum in aliorũ commodum deſeruiret, ad mutuatariorũ maius damnũ vitandum, licitum eſt deducere mutuatariis in pactum, vt ad illos contribuant, ſi mutuum accipere velint, non minùs quàm ſit licitũ deducere illis in pactum lucrum ceſſans, aut damnum emergens. Hæc Molin. cui conſonat Palac. affimans eum, qui præcisè in bonum mutuatariorum operam nauat, vt illis mutuum detur, poſſe pro ſua opera auctirium recipere. Ex dictis infert Molin. licitum eſſe communitatibus, aut etiam priuatis hominibus huiuſmodi montẽ pietatis erigere, retinẽdo dominium pecuniæ ad mutuũ eo modo deputatæ, & cum poteſtate reuocãdi huiuſmodi montes, & cõuertẽdi pecuniã illã in alios vſus quãdo ſine mutuatariorũ detrimẽto voluerint. Hîc ſanè Sot. & Caiet. nullũ diſcrimẽ faciũt, ſiue dominiũ maneat apud deputantẽ pecuniã ad mutuũ, ſiue illud à ſe abdicet: ſicut ergo illi in vtroque euentu negãt, ita nos in vtroq; euentu affirmamus ex Molinæ sẽtentia montẽ eſſe licitum, & quidẽ pro expẽſis faciendis poſt mutui petitionẽ, laboribúſque ſubeundis non dubito quin poſſit auctirium exigi.

SED eſt difficultas, apud quem ſit dominiũ mõtis pietatis: videturenim nõ eſſe in Repub. neque in cõmunitate pauperũ, cũ neutra poſſit monte vti in quẽcũque vsũ. Reſpõdet Bãnez primò, ſiue dominiũ maneat in Repub. ſiue in cõmunitate pauperũ, nõ eſſe perfectũ, & abſolutũ, ſed limitatũ voluntati antiqui domini, qui montẽ erexit, ſicut primogenitus eſt dominus maioratus; ſed non perfectè, quia nõ poteſt in quoſcũque vſus illũ cõuertere, & vxor imperfectè eſt domina dotis, quia non poteſt eam adminiſtrare viuente viro. Secundò, dominiũ eſſe incõmunitate pauperũ, quia ad eã præcisè pertinet tota mõtis vtilitas, licèt adminiſtratio ad Rẽpub. pertineat. Idẽ docẽt Caiet. Lopez, Salon, aliíque communiter. Sotus autẽ putat montẽ in nullius eſſe dominio; cui cõſonat Val. dicens, dominium non pertinere ad Rempub. ſed adminiſtrationẽ tantùm; & propriè illam pecuniam nullius videri eſſe, ſed tantùm committi curæ aliquorũ, vt mutuò detur pauperibus. Addit autem, licèt eſſet Reipub. non inde ſequi onera ſuſcepta causâ cõſeruãdæ eius pecuniæ nõ debere cõpẽſari à pauperibus: ſatis. n. ad id eſt, quòd in pauperum vtilitatem ea onera ſint ſuſcepta. Num. 9.

EGO exiſtimo dominium eſſe in communitate pauperum, de quorum bonis Reſpub. ſingulis pauperibus mutuat propter adminiſtrationem quam habet.

SECVNDA difficultas eſt, an licitum ſit exigere penſionem ſufficientẽ non ſolùm ad cõſeruationem; Num. 10.

Digitized by Google

sed etiam ad aliquod augmentum montis, vt fit in aliquibus Hispaniæ locis? Respondet Med. id (quod Palac. 5. *ad* 14. & alij insinuant) illicitum esse, quia illud superadditum non soluitur ratione operum ministrorum: ergo ratione mutui; & sic vsurariè exigitur, & recipitur, neque excusat bona intentio, quia non est licitum vsuras petere ad faciendas eleemosynas; & ita apertè significatur in illa Bulla Leonis X. Aliquibus tamen visum est licitè posse montē augeri hoc modo, vt triticū indigentibus non detur mutuò, sed vēdatur, quādo plus valet, obligādo illos, vt maiorem mensuram soluāt quādo minùs valebit, minorē tamē quā ea sit, quæ in rigore possit ab illis exigi, in quo fiet illis aliqua gratia; quem modum dicendi ideo non probat Medin. quia nisi statutum montis mutetur, non potest triticum pauperibus vendi; sed mutuari. Vnde si à principio facta fuisset facultas vendendi modo dicto, non improbaret Medina huiusmodi exactionem: augeri tamen posset mons alio modo, vt scilicet quoniam pecunia posset negotiationi exponi, & lucrari, propter mutuatarios autem cesset lucrum, ratione ipsius moderatum aliquid ad augmentum montis ex consensu, dicendum formali, vel interpretatiuo, exigatur vltra sortem, ex vltra id quod exigitur ad conseruationem montis.

DVBIVM XXXIV.

An in pacto de retrouendendo vsura interueniat?

VIDE Caiet. *art.* 2. Syluest. *vsura.* 2. *quæst.* 15. Nauar. *cap.* 17. *n.* 247. Coron. *cap.* 8. §. *de vsura circa contractus de retrouendendo.* Sot. 6. *iustitiæ. q.* 5. *art.* 3. Molin. *disput.* 374. *& sequentib.* Grafis 1. *p. lib.* 2. *cap.* 109. *n.* 9. *&* 10. Palac. 4. *de contractib. c.* 4. *pag.* 281. Angles *quæst. de vsura ratione emptionis. art.* 2. *difficult.* 9. *& art.* 3. *conclus.* 2. Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 12. Lopez 2. *p. Instructor. cap.* 77. Angel. *vsura.* 1. *n.* 69. *& duobus sequentibus.* Tabien. *vsura.* 16. *per totum.* Armil. *eod. verb. n.* 14. *&* 28. *&* 5. *tit.* 6. *lib.* 8. *nouæ collectionis. &* 5. 42. *tit.* 5. *part.* 5. & nos nonnulla diximus dubio 30. plura dicturi in materia de emptione, & venditione, & in materia de censu redimibili. Num. 1.

DVBIVM XXXV.

An in contractu societatis vsura interueniat?

DE hac re disserunt aliqui *hac quæst.* 78. *art.* 2. *circa. ad* 5. vbi Aragon *pag.* 697. Bannez *art.* 4. *pag.* 635. Gab. 4. *d.* 15. *quæst.* 11. *dub.* 10. Lopez 2. *p. cap.* 72. Sal. alios multos citans peculiari disputatione de contractu societatis post disputationē de cambiis: nos de hac re latè diximus peculiari titulo post hanc materiam de vsuris. Num. 1.

DVBIVM XXXVI.

An vsura sit pro numeranda pecunia quæ in mutuo datur, aliquid vltra accipere?

VIDE

Num.1. VIDE Molin. *disp. 304. ad 2. obiectionem.* Lopez *2. p. cap. 55. quæst. vlt.* qui citat Nauarr. & alios, de qua re dicemus in titulo de cambiis.

DVBIVM XXXVII.

An vsura sit mutuantem deducere in pactum, vt vltra sortem aliquid alioquin debitum illi detur?

Num.1. VIDE Lopez *2. p. cap. 55. quæst. penult.* & alios citatos in calce præcedentis dubij *33.*

DVBIVM XXXVIII.

An vsurarius dominium eorum comparet, quæ per vsuram acquirit?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio affirmans proponitur; & sex probatur argumentis.*
2 *Secunda opinio negans dominium accessionis vsurariæ in vsurarium transferri.*
3 *Tertia opinio aliorum refertur.*
4 *Secunda opinio suadetur, & variis responsionibus occurritur n. 5.*
6 *Secunda sententia probabilior reputatur.*
7 *Ad argumenta contraria respondetur.*
8 *Prima difficultas, an per accidens aliquando vsurarius acquirat dominium accessionis vsurariæ?*
9 *Secunda, an si vsuraria pecunia per se, soluatur, eam verò vsurarius cum sua misceat, ita vt distingui nequeat, comparet eius dominium? Quæstioni respondetur, & argumentis contrariis fit satis n. 10. 11.*

PRIMA opinio absolutè affirmat, quam tenet glos. *cap. si quis vsuram. 14. quæst. 4. cap. si episcopum. 16. q. 6. c. ex transmissa. de decimis. cap. debitoris. de iureiurando.* Palud. *4. d. 15. q. 2. art. 5. & q. 3. art. 5. n. 32.* Nicolaus de Orberis *eadem d. q. 3. §. 17.* Adrian. *in materia de vsuris. §. ex his oritur aliqua quæstio.* Henrric. *eod. lib. 4. quæst. 27.* Can. apud Sal. ℣. Armil. *verb. vsura. n. 59.* Nauarr. *c. 17. n. 265.* neque contrarium docet *n. 268.* cùm enim ait aliqua lucrifacta per vsuras non esse vsuraria; explicat de pignoribus. Eandem opinionem tenet Tabien. *vsur. 6. in princip.* aitque videri Archid. & Turrecremata *d. c. si quis.* apertéque doceri à Summa Confessorum *lib. 2. tit. 7. q. 25.* Pisan. *vsura. 1. §. 14.* Rosel. *vsura. 4. §. 14.* Panormit. *d. c. transmissa. de decimis.* glos. *1.* & ab Innoc. glos. *c. Michaël. de vsuris.* Anton. *2. p. tit. 1. cap. 8. §. fin.* Addit Tabien. ad idem esse S. Bernardinum, & Gofred. Multi ex iis dicunt hanc esse opinionem communem, & Adrian. esse D. Thom. *4. dist. 15. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2.* qui tamen, vt notant Molin. Lopez, & alij, solùm dicit quosdam sic opinari. Communiter etiam hæc sententia tribuitur Scoto *4. d. 15. q. 2. art. 3.* sed malè, vt cum Angles postea probabimus. Num.1.

SVADETVR primò, quia per consensum cum traditione transfertur dominium. *l. contractus. &* ibi per glos. *C. de fide instrum. l. multum. l. si quis alteri.* Num.2.

alteri. & notatur *l. traditionibus. C. de pactis.* Idem habetur *Instit. de rerum diuis.* §. *per traditionem.* redditúrque ibi hæc ratio, quoniam nihil tam conueniens est naturali æquitati; quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium trãsferre, ratam habere. Cùm ergo mutuatarius voluntate sua tradat mutuanti lucrum vsurarium quod erat ipsius, consequens est, vt mutuans dominium illius comparet. Neque obstat quòd traditio illa sit inuoluntaria mixtè, quoniam, vt Aristot. 3. Ethic. cap. 1. ait, simpliciter est voluntaria, & secundùm quid solùm inuoluntaria, non secus ac voluntas eius qui tempestate coactus merces suas proiicit in mare, simpliciter est voluntaria. Et confirmatur: qui metu etiã cadente in virum constantem tribuit aliquam rem, transfert dominium illud in accipientem, vt colligitur ex *c. Abbas. de his quæ vi metúsve causa fiunt.* Confirmatur, alioquin cùm quis necessitate pressus aliquid vendit, venditio erit nulla, quia est inuoluntaria mixtè. Secundò, quia si vsurarius non compararet dominiũ lucri vsurarij, maximè, quia eius acceptio est prohibita, hoc nihil valeret, quia habens votum castitatis, vel non contrahendi matrimoniũ, licèt non seruando votum faciat rẽ prohibitam, & peccet, validè tamen contrahit. Idem est de eo qui rem vni promissam, aut venditam, vendit, tradit, & donat alteri: nam licèt peccet, tamen donatio, aut secunda venditio valida est.

TERTIO, si vsurarius non compararet dominium accessionis vsuriæ, irriti essent omnes contractus quos postea circa illam celebraret, atque adeò qui vsuriè panem, vinum, vel domum venderet pro pecunia vsuriè ab eo comparata, teneretur eam pecuniam restituere illi à quo vsurarius eam accepit, quia ille est verus dominus. Consequẽs est absurdum, & contra D. Thom. *hoc art. 2. ad 2.* & omnes.

QVARTO, si vsurarius non esset dominus pecuniæ vsuriæ, quod per illam lucratur, esset restituendum ei à quo pecuniam accepit, quia res suo domino fructificat. Consequens est falsum. ergo.

QVINTO, dominium est ius vtẽdi re in quemcumque vsum; sed vsurarius potest pecunia vsuraria vti in quemcumque vsum: potest enim de illa eleemosynas facere, vt docet Altisiodor. *lib. 3. tit. 8. q. 5.* neque enim tenetur restituere eandem numero, sed satis erit eandem summam reddere: ergo habet eius dominium; sicut qui mutuum accepit à domino pecuniæ mutuò acceptæ, licèt teneatur eandem summam postea restituere.

SEXTO, contractus emptionis, vẽditionis, locationis, & similes per vsuram extorti, validi sunt, vt superiùs diximus: ergo similiter translatio dominij accessionis vsuriæ in vsurarium; par enim ratio est, cùm hæc omnia sint vsuriè habita: & magis vrget argumentum quando mutuatarius iurauit se vsuras soluturum, quia tunc tenetur soluere. Ergo contractus quantùm ad vsuras fuit validus, ac proinde earum dominium transtulit in vsurarium.

SECVNDA opinio absolutè negat dominium accessionis vsuriæ in vsurarium transferri. Mol. *disp.* 326. Num. 3.

Sa

Salon *hoc art. 3. controuers. 1.* Bãnez,& Arag.*dub.3.*Caiet.*ibid.& tom.2. opusc. 8. cap. 1.* Sotus *6.iustitia.quæst. 1.art. 4.* Altisiodorens. *3. p. tit. 21. quæst. 1.* Alens. *3.p.quæst.66.* Medin. *quæst. 4. de vsuris.ad 3.princip.*Couar. *3.variar. cap.3.num.6.* Gab. *4. d. 15. quæst. 11. art. 1. not. 3.*(licèt *q.3 dub.5.propos. 3. in corol.* oppositam sententiam retulerit,nec improbauerit)Maior. *quæst. 38.*Almain.*quæst.2.*Lopez *2.p.Instructor. cap. 79.* Angel. & cum eo Vgar. *vsura.2.n.18.* Syluest. *vsura.6.quæst.1.* Vega *verb.vsura.casu 29.* Palac. *4. de contractib.cap.9.*Val.*hîc disp.5.quæst.21. p.3.*Vasquez *1.2.disp.27.in fine.* Mercad.*tit.de vsuris.cap. 11.* Castro *de lege pœnali fol.112.*Emanuel *verb. vsura. c. 106.num.1.*Nauarr. *3.de restitut.cap.2. p.2.dub.14.*Cor. *quæst.232.in fine.* Villaguta *quæst. 25. de vsuris.* Angles *q. vlt.de vsuris.art.5.* vbi ait malè oppositum tribui Scoto ꝫ.disputans enim an vsurarius teneatur ad restitutionem,ait videri non teneri,quia dans vsuras transfert dominium : ergo vsurarius non tenetur restituere, quia non habet alienum. Respondet,etsi transferat dominium,tamen vsurarius tenetur ad restitutionem, sicut in mutui datione,licèt transferatur, tamen debitor tenetur restituere creditori : vbi Scotus non ait in vsura dominium transferri , sed licèt transferatur, vsurarium teneri ad restitutionem : nam *art. 4.* eiusdem quæstionis docet non transferri,dicens:*fenerator non tenetur reddere lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri, alioquin ille qui reciperet , posset iustè esse vsurarius , quia reciperet fructum de sua pecunia prouenientem per industriam alterius,quod est facere vsuras.* Ecce dicit pecuniam fœnebrem. i. acquisitam per vsuram , esse eius qui illam dedit,& nõ vsurarij qui illam accepit.

HANC secundam opinionem quantùm ad res quæ vsu non consumuntur,expressè docet D. Thom. *art. 3. in corpore.*ad *3.* autem clarè id significat quantùm ad res quæ vsu consumuntur: ait enim vsurarium plus iuris habere in re acquisita de pecunia vsuraria, quàm in ipsa pecunia vsuraria, nimirùm quia illius est dominus , huius verò non. Eandem videntur tenere D.Bonau.*3. d. 32.in lit.n.14.& 4.d.15.art.2. quæst. 1. ad 7.*Ricard.*art.2.quæst.5.& art. 5. q. 6.* & alij postea referendi.

TERTIA opinio, quam sine auctoris nomine referunt Caiet.Bannez,Arag.& alij , est , dominium rei vsurariæ vsu consumptibilis transferri in vsurarium,non verò dominium rei vsu non consumptibilis. Quam opinionem Syluester tribuit Palac. suprà,verámque esse putant Syluest.Ang.& Nauarr.quando res vsu consumptibiles per vsuram acquisitæ similibus aliis permixtæ sũt. *Num.4.*

SECVNDA autem opinio suadetur primò,quia,vt habetur *l. nũquam. ff.de acquir.rerum dom.*nunquam nuda traditio trãsfert dominium nisi præcesserit venditio, aut iusta alia causa,hoc est,iustus alius titulus. Sed titulus,quo aliquid ob mutuum,pactúmue vsurarium accipitur , est iniustus , ac nullus naturali , diuináque,ac humana lege,vt superiùs vidimus:ergo vsurarius nõ comparat dominiũ accessionis vsurariæ.Neque obstat quod glos.& Bart. *l.citat.* eam exponũt de causa iusta secũdùm veritatẽ, vel existimationem, quia (inquiunt)quando soluitur indebitum, trãsfertur dominiũ, esto nõ interue- *Num.5.*

Digitized by Google

niat causa iusta vera, sed existimata: quia omnibus constat contractum vsurarium non esse titulum iustum, & propterea improbabile est (inquit Molin) ex natura rei, atque in conscientiæ foro, quando quis indebitum soluit, putans id debere dominium transferre in accipientem, quicquid sit de foro externo, quò sit, vt nisi præscriptio sequatur, acceptum sit restituendum.

SECVNDO, si vsurarius comparet per vsuram rem aliquam fructiferam, vt agrum, restituere tenetur, & rem, & fructus eius, deductis expensis, vt aduersarij fatentur. Huius autem non est alia ratio, nisi quam tradit D. Thom. *hoc art. 3.* scilicet quia fructus rei pertinent ad dominum ipsius. Ergo vsurarius non est dominus illius rei: sed mutuatarius ipse.

RESPONDENT primò aduersarij, vsurarium teneri ad restitutionem fructuum ratione iniustæ moræ in restituendo agro, ex qua mora factū est, vt dominus non possit fructus percipere, præterquā solutionem. Hoc argumentum, quo vtuntur Caiet. Bannez Molin. & alij, communiter infirmum censet Val.

SED contrà, quia inde sequeretur, si mutuatarius non erat agrum culturus, vel minores fructus esset percepturus, non teneri vsurarium ad restituēdos omnes fructus deductis expensis: quia non impediuit omniū fructuum futuram perceptionem, neque in ea re mutuatarius passus fuit damnū. Cōsequēs est falsū. ergo.

SECVNDO, respondēt debere restituere omnes fruct⁹ deductis expēsis, quia cū eo onere dominiū accepit.

SED contrà, quia nec mutuatarius imposuit illi tale onus, nec lex positiua, nec naturalis, quæ ob solam iniustam acceptionem obligat ad restituendum valorem. Ergo si res illa verè est vsurarij, illi fructificauit, nec tenebitur fructus restituere, esto per iniuriam factus sit eius rei dominus. Consequens est falsum. ergo. Confirmatur, quia natura non patitur, vt quis ex sua iniquitate commodum cum alterius detrimento reportet: sic autem reportaret, si contractu vsurario compararet accessionis vsurariæ dominium. ergo.

TERTIO, non minùs requiritur ad transferendum dominium rei alicuius in alterum quàm ad transferendum ius, quia dominium plus est, quàm ius: sed solutio vsuræ non sufficit, vt mutuatarius cēseatur abdicasse à se ius in rem quam soluit, & transtulisse illud in vsurariū: ergo multo minùs sufficit ad transferendum dominiū in illum. Minor probatur, alioquin vsurarius nō teneretur restituere mutuatario eandē numero rem vsu non comsumptibilē, aut certè non consumptam, nec distractam, nec permixtam. Consequēs autē est falsum: ergo adhuc mutuatarius retinet ius in eam rem. Sed ad hoc argumentum, quod est Mol. dici posset, voluntatē absolutam mutuatarij non posse ex vi contractus mutui trāsferre dominium perfectum, ac sine vllo onere restituendi eandē numero rem in quibusdam euentibus, posse tamen transferre dominiū imperfectum, scilicet cū prædicto onere.

SED contrà, quia dominiū imperfectum, & perfectum sunt eiusdem rationis: ergo voluntas quæ sufficit ad 100. sufficit ad 1000. Cōfirmatur, quia

Digitized by Google

quia si res illa est vsurarij, vndenam oritur obligatio illam restituendi? Neque enim dici potest oriri ex eo, quòd sine rationabili titulo data est, quia res etiam leuiter donata, aut sine rationabili causa, retineri potest: ergo rei eius dominium quod sine rationabili causa, & cum iniustitia accipientis in ipsum translatum est.

QVARTO, dominium non transfertur nisi aut vi legis, vel publicæ auctoritatis, vt in præscriptione, & confiscatione, &c. vel vi alicuius cõtractus: sed dominium accessionis vsurariæ non transfertur vi legis, vel publicæ auctoritatis, quæ potiùs videtur resistere huic contractum reprobando: nec vi alicuius contractus, non enim videtur interuenire donatio, aut alius contractus, cuius vi transferatur. ergo, &c.

SED ad hanc rationẽ, quæ est Val. & Bannez, dici posset transferri ex vi contractus fœnoris, qui formaliter, vel virtualiter includit contractum mutui, & aliquid aliud, eámque vim habere hunc contractum, licèt sit iniustus, quia verè mutuatarius eo vult transferre dominium, vt supponimus: si enim nollet dominium transferre, nullus afferret transferri, sicut quando in tempestate quis proiicit merces in mare, non vult à se dominium abdicare, vt notat Bannez: vnde si ab aliquo saluarentur, domino essent restituendæ, & similiter quando peregrinus furi pecunias dedit, quia noluit earum dominium transferre, illi erunt restituendæ. Quando autem reuerà propter metum dominium transferre voluit, multi censent transferri, quod tamen falsum puto, vt alibi ostendi, & inferiùs ostendetur. Eadem ratione per contractum vsurarium non transfertur dominium accessionis vsurariæ; quod confirmat Val. quia vsurarius per leges est incapax talis dominij: deberet tamen id probare, & propterea sentire, quando mutuatarius non solùm rem tradit, sed etiam vult dominium transferre; vsurarium fieri dominum; quod est incidere in primam opinionem, quæ nihil aliud vult.

QVINTO, si vsurarius esset accessionis vsurariæ domin⁹, sequeretur, si haberet creditores aliquos priuilegiatos, vel qui hypothecam vniuersalem in bonis illius haberent, illos esse præferendos, vt ex pecunia, aut ex aliis bonis per vsuram acquisitis solutionem acciperent, antequàm mutuatarij, quorum erãt ea bona per vsuram acquisita, quod tamen nullus concedet. ergo. Probatur sequela, quia ex bonis, quorum dominium ad debitorem spectat, creditores priuilegiati, aut qui hypothecam habent, præferendi sunt cæteris, vt docet Molin. *disp.* 536. & communiter alij in fine materiæ de restitutione. Si autem illi, qui vsuram soluerunt, dominium eius non retinent, sanè nullum priuilegium scimus ipso iure concessum illis esse, ratione cuius in solũtione de illis bonis præferendi sint aliis creditoribus. Hoc argumento vtuntur Molin. Salon, Aragon & alij. Sed dici posset, iure naturæ bona illa esse obligata antiquis dominis, eo quòd iniustè ab illis ablata sunt, ideo illos etiam præferendos; idémque dici posset de his, à quibus aliqua per metum, vel fraudem ablata sunt.

SEXTO, nam dominium est ius vtendi re in quemcunque vsum; sed vsurarius non habet ius vtendi accessione vsuraria in quemcunque vsum, siquidem tenetur statim eandem numero restituere, ergo. Confirmatur, quia non tenetur illam restituere ex vi alicuius contractus, quo se ad eius restitutionem obligauerit; ad nihil enim se obligauit; sed miserum mutuatarium obligauit ad solutionem sortis, & auctirij; ergo solùm, quia est aliena: qua sola ratione lex humana, & diuina ipsum obligant ad eius restitutionem, vt ad restitutionem rei furto sublatæ. Vnde etiam si quis eam bona fide ab vsurario accepisset, cùm primùm nouerit eam fuisse vsurariè acquisitam, tenetur eam restituere mutuatario.

SEPTIMO, probat Salon, quia si detur pecunia assassino, vt alterum occidat, vel Iudici, vt iniquè iudicet, vel simoniaco, vt conferat quid spirituale, non transfertur dominium, quia datur pro re quæ non est pretio æstimabilis; sed similiter mutuum non est pretio æstimabile; ergo in vsura non transfertur accessionis vsurariæ dominium. Sed duo priora exempla falsa sunt in communi opinione, dicente pro actu inuitopolle aliquid exigi, licèt teneatur quis illum non facere, & si non fecerit, teneatur restituere rem acceptam, vel eius valorem, quia virtualiter hoc includitur in ipso contractu: sed exemplum de simonia bonum est, ad idémque est exemplum de dante aliquid Iudici, vt iustè iudicet, ad quod cùm iam teneatur de iustitia, non potest pro illo pretium accipere, & si accipiat, non capit eius dominium, & tenetur illud restituere. Idem est de eo qui fingit se pauperem, vel fratrem ad extorquendam eleemosynam, vel donationem.

OCTAVO, promisso vsuræ licèt sit simpliciter voluntaria, est tamen inualida, nullámque inducit obligationem ciuilem, vel naturalem ex *cap. debitores. de iureiuran.* glos. ibi. & ratio est, quia iniustè extorquetur à mutuatario per vsurarium: sed solutio vsuræ iniustè etiam per vsurariũ extorquetur, ergo, &c. licèt sit tantùm vsurariũ, maximè quando quis vsuras soluit ideo, quia putat ad earum solutionem se fuisse obligatũ.

CONFIRMATVR, quia, vt habet glos. *§. traditionibus. Inst. de rerũ diuisione. & l. tradito. ff. de acquir. rerum domin.* vt traditio aliqua trãsferat dominium, debet esse ex causa idonea, aut ex liberali donatione; sed in traditione vsuræ nihil horum interuenit. ergo. Neque est simile de quæstu meretricis: nam licèt fornicari non liceat, tamen licitum est pro fornicatione pretiũ accipere. *l. 4. ff. de condit. ob turp. cau.* vbi dicitur; *licèt turpiter faciat, nõ tamẽ turpiter recipit cũ sit meretrix.*

NONO, quod simpliciter est prohibitum iure, censetur etiam ipso iure irritum. *l. non dubium. §. pactum. C. de legib.* glos. 6. Bart. *n.* 38. *& l.* 1. *§. si vir vxori. n.* 4. *ff. de acquir. possess.* Sed petitio, & acceptio vsuræ simpliciter est prohibita, vt patet *cap.* 1. *& 3. & cap. consuluit. de vsur.* ergo.

CONFIRMATVR, quia obligatus ad restituẽdũ ex delicto nõ cõparauit rei dominium. *l. in re furtiua. & l. si non manifestus. ff. de condit. furtiua.* Sed vsurarius tenetur ex delicto ad restitutionẽ eius, quod vsurariè accepit: ergo non comparauit eius dominium.

Et

Et sanè videtur repugnare quòd teneatur ad statim restituendum, & nihilominùs habeat rei dominium. Sed etiam aduersarij fatentur teneri restituendum ad ergo.

DECIMO, vsurarius in iure vocatur fur, seu raptor, vide in *cap. si quis vsuram. 14. quæst. 4.* dicitur: *si quis vsuram accipit, rapinam facit.* Sed fur, & raptor non comparat dominiũ eius quod furatur, vel rapit; ergo neque vsurarius dominiũ accessionis vsurariæ. Pro quo citantur etiam Archidiaconus *eod. cap.* Ioann. Andr. Domin. & Anton. *cap. quamquam de vsuris in 6.* Felin. *consil. 21.*

Num. 6. PROPTER hæc probabiliorem censeo secundam opinionem, licèt prima sit probabilis. Tertiam verò quæ distinguit inter res vsu consumptibiles, & non consumptibiles, improbabilem censent Caiet. Bannez, Aragon, & Salon, quia de vtrisque rebus eædem rationes sunt. An verò iuxta tertiã opinionẽ secunda sit aliqualiter limitãda, postea videbimus.

Num. 7. AD primum argumentum primæ opinionis respondetur, traditionem sine donatione, vel alio contractu iusto factam non sufficere ad translationem dominij, etiam cùm adest voluntas illud transferendi, & à se omnino abdicãdi. Ita Mol. Sal. Arag. Palac. Vasquez, & alij communiter: requiritur enim vt ea volũtas nõ sit iniquè extorta, alioquin ex sua iniquitate commodum quis cum alterius damno reportaret. Putant autem Sal. Bannez, Arag. & Val. communiter mutuatarios non habere voluntatem transferendi dominium in vsurarium. Sed certè communiter habent talem voluntatem transferendi dominium, quantùm in se est, vt suæ promissioni satisfaciant. In qua etiam volunt se obligare quantùm est ex parte sua, alioqui mentirentur, vt ait Palac. qui enim simpliciter promittit, enunciat animum se obligandi quantùm in se est: sicut autem per eam promissionem non obligatur, ita neque per solutionem transfert dominium, etiamsi quantùm est ex parte sua, illud transferre velit, quanuis oppositum sentire videantur Bannez. & Val.

AD id verò quod de metu in eodẽ argumento tãgebatur, respõdetur cũ Mol. Sal. Arag. Archidiacon. Ang. Syluest. & aliis, per contractus metu graui factos nõ trãsferri dominiũ. Ad *cap.* verò *Abb.* citatũ respõdetur, solùm velle metu facta debere irrita declarari, vel irritãda esse quantũ est ex parte Iudicis; tametsi alioquĩ etiã sint irrita iure positiuo, vel saltẽ naturali, vt colligitur ex *l. metũ. §. volẽti. §. licet. §. sed q̃ prætor. ff. quod metus causa.* & docet Bart. *illo §. volẽti.* Panor. *c. ad audiẽtiã. 1. de iis quæ vir.* Sa tractat. Immeritò ergo Sot. *4. d. 29. q. 1. art. 3.* id impugnauit, cõtra quẽ meritò Mol. & alij quos *tit. de matri. & tit. de volunt.* secuti sumus, affirmãt tale matrimoniũ irritum esse iure naturæ; & quicquid sit de aliis cõtractibus, tamẽ in matrimonio propter suã indissolubilitatẽ, & in donatione, eo quòd est cõtractus merè gratiosus, & liberalis, dicẽdũ est iure naturæ non valere, quia plus voluntarij requirũt. Malè. ergo Bãnez s. existimat matrimoniũ, & donationẽ metu extortã irritã nõ esse iure naturæ, licèt matrimonium irritũ sit iure positiuo; & alioquĩ solutio vsuræ valida erit, si volũtate trãsferẽdi dominiũ fiat. Quod malè Val. concedere videtur, cui præter alios

Digitized by Google

citatos meritò refragantur Emanuel Lopez, & Sot. in secunda opinione citati, Vega *verb. vsura. casu* 30. quanuis falsò etiam Sotus, & Lopez putent mutuatarium quando vsuras soluit, non habere animum transferendi dominium. Si quis verò donet, vt aliquem alliciat ad id quod intendit, nõ donaturus si sciret ea via permouendum illum non esse, donatio est valida, quia consensus neque iniusto metu, neque fraude extortus est, nec dicipitur homo in aliquo cui ad donandum nitatur. Idem est cùm quis pressus necessitate rem vendit consensu per vim, aut fraudem non extorto, nec venditione nitente alicui falso. Ita Mol. & omnes. Obseruat autem Molin. si titulus aliquis partim sit iustus, partim iniustus, tũc traditione transferri dominium cum obligatione accipientis ad restituendum quãtùm sit opus, vt titulus omnino iustus reddatur, vt si quis emat aliquid intra pretium iustum, transfertur dominium tam pretij, quàm rei emptæ: sed emens in foro conscientiæ tenetur augere pretium vsque ad iustum infimum. Si verò aliquid venderetur vltra pretium iustum, nummíque successiuè soluerentur, ita vt priùs deueniretur ad complementum pretij iusti rigorosi, & postea traderetur incrementum, tunc dominium incremẽti non magis trãsiret in venditorem, quàm vsuræ dominium transeat in vsurarium; quia postquam ad vltimum pretium iustum est deuentum, nullus adest iustus titulus etiã ex parte ad recipiendum incrementum; quãdo autem totum simul pretium solueretur, tunc idem dicendum esset secundùm Mol. quod j ex eo referemus, quando simul vsurario soluitur mutuum, & vsura.

Ad secundũ respondet Mol. duobus modis ius resistere alicui actioni, vel acceptioni: vno, quia actio illa de se iure naturali est nulla ad transferendum dominium, & sic resistit solutioni vsuræ: altero, quia licèt ex se apta sit ad transferendum dominium, nihilominùs cedit in iniuriam alterius, aut aliqua alia ratione efficitur mala, vt cùm res vni promissa, aut vendita, donatur, vel venditur, simúlque traditur alteri: nam per priorem contractum licèt se obligauerit ad dandum vni, non tamen abstulit à se potestatem dandi eam aliteri, quia retinuit eius dominium. Sic etiam vẽdere tempore, vel loco prohibito, malum est, sed venditio est valida, & contrahere matrimonium contra votum non contrahendi, vel contra votum simplex castitatis malum est, sed matrimonium est validum, præterquàm si fiat post vota simplicia societatis, quia id irritauit Gregor. XIII. Ad tertium, quartum, & quintum argumentum ex sequentibus difficultatibus, dubiísque constabit.

Ad sextum respondetur, solutionem eius quod vltra sortem promissum est, inualidam esse, quia in ea datur pretium pro re quæ nullo pretio digna est, nihílque in ea solutione inuenitur, quod non sit iniustitia ex parte recipientis; idémque est de contractu alioquin gratioso, extorto per vsuram, secus de oneroso, quia in eo inuenitur intrinsecè iustitia, quanuis extrinsecè inueniatur iniustitia, per quam vsurarius ipsum extorsit, quanuis si vltra infimum pretium pro re vendita exigit, teneatur

tur exceſſum reſtituere. Si verò infra rigidum pretium rem emit, tenetur vſque ad rigidũ augere. Porrò, quanuis mutuatarius ſolutionem vſuræ iurauerit, & ſic ex religione teneatur vſuram ſoluere, niſi iuramenti abſolutionem obtineat, tamen non tenebitur de iuſtitia ſoluere; neque per ſolutionẽ trãsferre dominium, vt perperàm docuit Bannez, cui meritò aduerſantur Arag. & Vega *illo caſu* 30. quia talis contractus eſt irritus iure naturæ, & poſitiuo, & iuramentum ſolùm affert obligationem religionis.

Num. 8. SVPEREST tamen difficultas. Prima, an per accidens aliquando vſurarius acquirat dominium acceſſionis vſurariæ? Reſpondetur, propter confuſionem in eius ſolutione aliquando acquirere eius dominium: ſi enim vſurario erant debita 100. quæ mutuò dederat cum pacto, vt 110. ei redderẽtur, mutuatariúſque ad illum mittat 110. non deſignando, quæ illorum ſint in mutui, & quę in vſuræ ſolutionem, tum receptione efficitur dominus tã capitalis, quàm vſuræ, eo quòd diſtingui nequeat vnum ab alio. Ita Molin. §. *illo tamen.* vbi inſinuare videtur id verum non eſſe, ſi acceſſio vſuraria non ſit longè minor, quàm mutuum, ita vt maior copia in tanto exceſſu præualeat, in eáque ſit, vt dominiũ totius ad eum pertineat, qui dominium illius partis maioris comparat; & à ſimili id nititur colligere ex §. *preterea quod per. Inſti. de rer. diuiſ.* Sed cõtrà eſt, quia quando acceſſio vſuraria æquaret, vel excederet ſortem, & ſolueretur ſimul & confuſè cum illa, vſurarius fieret dominus alicuius partis pecuniæ, & non eſſet maior ratio de vna quàm de alia. Ergo fieret dominus omnium partium, nimirum quia reſpectu omnium habet titulum iuſtum, licèt habeat etiam alium iniuſtum, proprer cuius mixtionem dominium omnium partium imperfectum eſt, ſolúmque confert ius ad ſumendũ ex eo aceruo pecuniæ quãtitatem quam mutuò dedit. Quoniam verò etiam mutuatarius habet ius ſumẽdi ex eo aceruo quãtitatem auctirij, totius acerui dominium retinet; itaque ambo ſunt illius domini vſque ad deciſionem: imperfectè tamen, & per talem ſolutionem mutuatarius non abdicat à ſe dominiũ, ſed illud extenuat, & cum vſurario communicat, qui cõſumendo quantitatem ſortis extinguit in ſe dominium reſidui, cuius perfectus dominus tunc fit mutuatarius: ſimiliter quando res pretio excedente venditur, emptor, & venditor manent domini totius pretij, & quilibet habet ex eo ius ſumendi portionem ſuam.

SECVNDA eſt difficultas, an ſi vſuraria pecunia per ſe ſoluatur, eã verò vſurarius cum ſua miſceat, ita vt diſtingui nequeat, comparet eius dominium? Mol. ẽ. & *diſp.* 55. affirmatiuè reſpondet, quando auctirij pecunia multo minor eſt, quàm pecunia propria ipſius vſurarij; ait etiã quando aliqui de communi conſenſu miſcẽt pecuniam, vel aliquid aliud, tunc vtrũque manere dominũ totius acerui reſultãtis, vt inter vtrũque ſuo tẽpore diuidatur, atque ad vtrumque tunc ſpectare detrimentum. Quæ omnia probat ex §. *quòd ſi frumentũ cũ antecedentibus, & ſequentibus. Inſtit. de rerum diuiſ.* Et quidem quòd per mixtionem vſurarius fiat dominus pecuniæ vſurariæ, etiam docent Ang. Sylueſt. Num. 9.

Digitized by Google

Sylueſt. Ioan. Med. & Nauarr. ꝛ. idémque dicunt de aliis vſu conſumptibilibus. Probántque, quia iſta recipiunt functionem in genere per ſolutionem, id eſt, ſolui poſſunt in aliis eiuſdem generis. *l. 2. §. 1. ff. ſi certum petat.* ergo proculdubio in iſtis dominium transfertur, ſi permixta ſunt, aut conſumpta: *l. ſi alieni nũmi. ff. de ſolution. l. nam etſi fur. ff. ſi certum petat. l. ſi frumentum. ff. de rei vindic.* Sed hæc ſententia diſplicet primò, quia dominium transferri nequit, niſi auctoritate publica, vel contractu iuſto: ſed in ea mixtione nihil horum interuenit; ergo in ea non transfertur dominium; & alioquin in poteſtate vſurarij eſſet fieri dominum acceſſionis vſurariæ, miſcendo eam cum propria pecunia. Secundò, quia ſi vſurarius ſolus (vt iſti velle videntur) poſt talem mixtionem maneret dominus acceſſionis vſurariæ, non eſſet præferẽdus in reſtitutione aliis creditoribus priuilegiatis, aut hypothecariis: nam in ſolutione ex bonis quæ verè ſunt debitoris, præferendi ſunt habentes priuilegia, vel hypothecas, vt docet Mol. Sot. Sal. Arag. ꝛ. & alij. Conſequens eſt falſum. ergo.

Respondet Molin. in eo euentu mutuatarium habere ius in re, vt ſibi ante omnes alios creditores ex illo aceruo reddatur quod vltra ſortẽ ſoluit, tamquam quod cum re aliena fuit commixtum.

Sed contrà, quia ſecundùm Mol. per immixtionem videtur fieri, vt nulla pars illius acerui ſit mutuatarij: ergo non habet dominium in re, neque vlla ratio eſt cur aliis creditoribus præferatur. Præferendus autẽ eſt; ergo id eſt quia retinet pecuniæ traditæ dominium quæ in illo aceruo continetur.

Tertio, ſi resmiſcẽturvſu nõ cõſũptibiles, vt maſſa auri, argẽti, &c. vſurarius non fiet dominus acceſſionis vſurariæ: ergo nec quando res vſu conſumptibiles ita miſcentur; par enim ratio eſt.

Quarto, quando acceſſio vſuraria non eſſet longè minor quàm pecunia vſurarij cui miſcetur, vſurarius per mixtionem nõ compararet dominium ſecundùm Molin. ergo nec quãdo eſt longè minor: hoc enim videtur impertinens ex dictis difficultate prima.

Quinto, per ſimilem mixtionem fur, vel raptor non compararet dominiũ rei furtiuæ: ergo nec vſurarius acceſſionis vſurariæ, quia vſurarius eſt veluti fur, & raptor. *cap. ſi quis vſuram. 14. q. 4.*

Sexto, ſi per reuelationem aut alio modo poſtea conſtaret, quæ eſſet pecunia vſurarij, non poſſet vſurarius de illa diſponere magis quàm ſi mixta non eſſet: ergo per mixtionẽ non comparauit merè eius dominium.

Septimo, in ſententia Molin. difficile erit intelligere quando per mixtionem dominiũ acquirat vſurarius, quia neſcimus quantùm excedere debeat pecunia vſurarij acceſſionem vſurariam, vt totius acerui dominium in vſurario ſit.

Octavo, hæc ſententia eſt contra leges, vt poſtea oſtendam. Quæ etiã docent, id quod Mol. aſſerebat, quãdo duo communi cõſenſu pecunias ſuas miſcent, vtrũque manere acerui dominum, quia tunc intẽdũt ſibi mutuò communicare dominiũ, ita tamen, vt quemadmodũ cuiuſ ue

domi

Digitized by Google

dominium crescit in extensione, minuatur in intensione. Fateor tamen quando non de communi consensu pecuniæ miscentur, licet quilibet solùm maneat dominus suæ partis, nihilominùs quia ignorat, quænam illa sit, posse ex illo cumulo eandem summam separare, & expendere vt voluerit, quia absurdum esset neutrum posse absque alterius consensu quidquam expendere, & non est maior ratio de vno quàm de alio; ergo vterque potest expendere summam cuius dominus erat, etiamsi in ea aliquid alienæ pecuniæ mixtum sit; quia cùm in residuo tantundem propriæ pecuniæ maneat, alter erit irrationabiliter inuitus, si nolit vnam alia commutare, vel compensare; & ita quantùm ad hoc perinde se habet, ac si vterque esset totius cumuli dominus, imperfectè tamen: & fortè nihil aliud intendunt qui dicunt per mixtionem vsurarium fieri dominũ pecuniæ vsurariæ. Sic etiam intelligi potest quod ait Molin. si de toto aceruo pecuniæ, in quo vsuraria pecunia est permixta, vsuriarius dispẽdat emendo, donando, aut alia simili ratione, trãsferre dominium pecuniæ quam ita expendit in accipientes, eo quòd tribuat quod suum est, scilicet formaliter, vel virtualiter. Addit autem Molin. *Arbitror tamen interim dum aceruus pecuniæ, ex quo ita insumit, manet idem numero qui erat, quando vsuraria pecunia fuit illi permixta, esto aliquatenus variatus additione, & detractione pecuniæ (eo modo quo ignis qui continuò generatur ex lignis, dicitur idem numero, licèt successiuè partes quædam corrumpantur, & aliæ generentur) mutuatarium retinere ius in re comparatione illius aceruũ, vbicũque aceruus ille sit, & ad cuiuscunque potestatem deueniat, vt inde ante omnes alios creditores sibi reddatur vsura quã soluit: secus esset si aceruus ille paulatim cõsumeretur, ita vt apud nullum esset idem numero aceruus, qui erat quãdo permixta illi fuit vsuraria pecunia: tunc enim cessaret ius in re, solùmq; mutuatario cõpeteret personalis actio aduersùs vsurariũ, haredésque illius, vt sibi restitueretur, quod tãquã vsurã soluit, neque ius vllũ prælationis haberet, vt ante alios creditores sibi solueretur de bonis vsurarij.*

Ioan. de Salas.

DOCTRINA hæc difficilis est. Dico ergo quòd quãtacũque fiat aceruo illi additio, semper mutuatarius manet quasi eius dominus, habétque ius sumendi de illo totam summam pecuniæ propriæ, quam in eo contineri constát, licèt quæ illa sit ignoretur. Si autem fiat detractio, vel ea fit per consũptionẽ auctoritate vsurarij; & sic quando iã fuerit detracta tota sũma propriæ pecuniæ vsurariæ, reliquũ manet quasi in dominio solius mutuatarij, eique restituẽdũ est quãdo, & quomodo restituẽda esset illi pecunia vsuraria si nõ esset mixta pecuniæ vsurarij. Quòd si totũ aceruũ simul vsuriarius expendat, de illo dicẽdũ est, ac si verè fuisset cõmunis: si autẽ detractio nõ fiat auctoritate vsurarij pecuniã expẽdẽtis, sed casu, vel aliorũ auctoritate; vel auctoritate quidẽ vsurarij diuidentis aceruũ, sed nihil eius consumẽtis, tũc ex omni illa pecunia poterit mutuatarius sũmam accessionis vsurariæ sibi accipere, quasi esset verus dominus omniũ partiũ in quas aceruus diuisus est, quãtùm ad istũ effectũ. Quòd si illę partes mixtæ sint cũ aliorũ pecuniis, inde mutuatarius poterit extrahere quod necessariũ fuerit, vt integrum debitũ recuperet: & si cumuli in quibus istæ partes denuò positę sunt, diuidãtur, similibus distinctionibus vtendum erit. Num. 10.

Num. 11. AD leges quas pro se citat Mol. Sylvest. & alij, quibus consentit Lopez 2. p. cap. 81. respondetur l. *nam etsi fur.* parum esse ad rem, §. autem *quòd si frumentum cum antecedentibus & seqq.* pro nobis esse: nam §. præcedenti qui incipit, *si duorum*: dicitur, si duorum naturæ voluntate dominorum confusæ sunt, totum id corpus, quod ex confusione fit, vtrique commune est, veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti, vel auri conflauerint; sed & si diuersæ sint naturæ, & ob id propria species facta sit, fortè ex vino, & melle mulsum, aut ex auro, & argento electrum, idem iuris est; nam & hoc casu communem esse speciem non dubitatur: quòd si fortuitò, & non voluntate dominorum cõfusæ fuerint, vel diuersæ naturæ, vel quæ eiusdem generis sunt, idem iuris esse placuit, scilicet speciem esse communem. In ipso autẽ §. *quòd si frument.* ita dicitur: Quòd si frumentum Titij fruméto tuo mixtum fuerit, siquidem volũtate vestra commune est, quia singula corpora, id est, singula grana, quæ cuiusque propria fuerunt, consensu vestro cõmunicata sint. Quòd si casu mixtum fuerit, vel Titius id miscuerit sine nostra voluntate, non videtur commune esse, quia singula corpora in sua substãtia durant, nec magis istis casibus commune fit frumentum quàm grex intelligitur esse communis, si pecora Titij tuis pecoribus mixtã fuerint: sed si ab alterutro vestrûm totum id frumentum retineatur, in rem quidem actio pro modo frumenti cuiusque competit; arbitrio autem Iudicis continetur, vt ipse existimet quale cuiusque frumẽtũ fuerit. l. *si frumẽtum.* (aliàs, *idem Pomponius*) ff. *de rei vindicat.* Si frumentum duorum non voluntate eorum confusum sit, competit singulis in rem actio in id, in quantum paret in illo aceruo suum cuiusque esse; quòd si voluntate eorum commixta sunt, tunc communicata videbuntur, & erit de cõmuni diuidundo actio, in l. autem *alieni ff. de solutionib.* solùm dicitur, si alieni nummi inscio, vel inuito domino soluti sunt, manẽt eius, cuius fuerunt. Si mixti essent, ita vt discerni nõ possint, eius fieri qui accipit, in lib. Gaij scriptum est, ita vt actio domino, cum eo qui dedisset, furti cõpeteret. Intellige, fieri accipientis, si totam eam summã potuit, qui dedit, dare, quia aliã habebat, quam vice eius posset domino restituere; infrà enim videbimus in eo euentu pecuniæ vsurariæ, etiã non mixtæ dominium in accipientem transferri.

Ex dictis patet, falsum esse quod dixit D. Thom. *opusc. 73. de vsu. c. 19.* cum eo Sa *verb. vsura. n. 2.* dominium rei vsurariæ etiam vsu non consumptibilis in vsurarium transferri. Addit tamen D. Thom. id esse verum in re fori, non iure poli. Eius tamen rationes magis procedunt de iure poli, quàm fori, & non loquitur consequenter: nam si iure poli non trãsfertur dominium, falsò ait pro aliquo vsurariè accepto satis esse pretium restituere.

DVBIVM XXXIX.

An vsurarius comparet dominium eius quod re vsuraria vlteriùs acquisiuit, illúdue restituere teneatur, & quid de acquisitis à latrone, vel depositario, &c.

1 Sen

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans restituendum esse mutuatario quod pecunia, aut alia re per vsuram acquisita lucratur, dempto aliquo pro labore, & industria.*

2 *Vsurarius non comparat dominium fructuum rerum per vsuram acquisitarum, quæ vsu non consumuntur, sed ad mutuatarium pertinent, & ipsi restituendi sunt deductis expensis.*

3 *Si vsurarius negotiando rebus vsu consumptibilibus vsurariè acquisitis aliquid vlteriùs acquirat, eius dominium comparat, nec restituere tenetur, excepto toto lucro cessante, & damno emergẽte, ex eo quòd res vsurariæ non fuerint mutuatario restitutæ.*

4 *Ad argumenta contraria respondetur.*

5 *Quoddam aduertendum.*

Num. 1. ALTISIODORENSIS 3. *Summæ tit. 16. c. 3. de restitutione vsurarum.* censet, quod vsurarius pecunia, aut quauis alia re per vsuram acquisita lucretur, restituendũ esse mutuatario dempto aliquo pro labore & industria sua. Primò, quia, vt habetur Rom. 11. *Si radix sancta & rami.* ergo si radix infecta, & rami. Sed res vsuraria iniustè est acquisita, obnoxiáque est restitutioni: ergo & id quod illa vlteriùs acquiritur.

SECVNDO, quia fraus & dolus nulli debent patrocinari, nullúsque ex iniquitate commodum reportare debet: quæ falsa essent si lucrata per vsuram pecunia, vel furto parta esset vsurarij, vel furis.

TERTIO, quia res empta per vsurariam pecuniam in locum pecuniæ succedit, sicut è contrario pretium ex re vsuraria acquisitum loco rei succedit: nam Iurisperitorum axioma est, pretium loco rei succedere, ex *l. si ad rem & pretium. ff. de petit. hæredit. & ex l. Imperator. §. vlt. ff. de legat. 2.* Ergo vsurarius non plus iuris habet ad id quod re vsuraria acquirit, quàm ad rem ipsam, ex qua acquiritur, ac proinde tenetur id restituere.

QVARTO, efficaciùs suadetur hæc sententia, quia vsurarius non est dominus pecuniæ vsurariæ: ergo quando ea aliquid emit, non transfert eius dominium in venditorem. Ergo nec venditor transfert dominiũ rei venditæ in ipsum: non enim intendit transferre illud nisi in eum, qui vicissim in ipsũ trãsfert dominiũ pretij, & contractus nõ potest esse validus ex vna parte, & ex alia nullus. Ergo fructus rei emptæ non sũt ipsius vsurarij, sed vendentis, res enim suo domino fructificat.

QVINTO, quia lucrũ factũ ex pecunia vsuraria, non tantùm est fructus industriæ vsurarij, sed etiam rei cuius mutuatarius est dominus. Ergo debet saltem aliquid ipsius dare mutuatario, vt in contractu societatis, quoniam alter apponit pecuniã, alter industriam, lucrũ inter vtrumque diuidetur, aut certè, sicut omnes fructus agri vsurariè habiti, cultíque industria vsurarij cedunt mutuatario deductis expensis, quia est agri dominus: ita omnes fructus pecuniæ vsurariæ per ipsius industriam fructificantis cedere debẽt mutuatario deductis expensis, cùm ipse sit eius pecuniæ dominus.

CONFIRMATVR: si vsurarius, vel fur triticum vsura, vel furto habitum seminat in proprio agro, fructus magis tribuuntur semini:

Digitized by Google

quàm agro: ergo potiùs debent cedere domino seminis, quàm domino agri.

PROPTER aliqua ex iis lucrata per pecuniam vsurariam non cedere vsurario docet Hostiens. *cap. tua nos. de vsur.* Bald. *l. 1. C. pro socio. art. 1.* Dec. *l. certa conditio. §. vlt. n. 3. ff. si certum petat.*

NOTANDVM est tamen res vsu consumptibiles functionem recipere in suo genere, scilicet specie, quia in solutione eiusmodi rerum vna fungi solet vice alterius, eo quòd esse solent eiusdem bonitatis, & qualitatis. Secus verò quæ vsu non consumuntur, quæ dispares esse in valore solent, vt prædia, mancipia, equi, & similia. Ita docent D. Thom. *hoc art. 3.* & alij Theologi & Iurisperiti ex *l. 2. §. mutui. ff. si certum petat.*

Num. 2. HOC constituto, dico primò, vsurarium non comparare dominium fructuum earum rerum per vsuram acquisitarum, quæ vsu non consumuntur, sed eorum dominium ad mutuatarium pertinere, eósque illi esse ab vsurario restituendos deductis expensis, quia res suo domino fructificat, ei scilicet qui habet dominium vtile. Ita D. Thom. *hoc art. 3.* Sot. Med. Bannez, Arag. Val. Angles, Palac. Caiet. Villag. Emanuel, & Nauarra, aliique citati dubio præcedenti, opinione secunda. Molin. *disp. 327.* Merca. *de vsuris. cap. 11.* Salon *hoc art. 3. controuers. 1. 2. 3.* sed præcipuè 4. Abulens. Matth. *5. q. 269.* quanuis probabile putet, dominium harum rerum transire in vsurarium, nec teneri ad restituendos earum fructus. Grasis *2. p. lib. 2. cap. 24. n. 43.* Cor. *quæst. 232.* Vega *verb. vsura. cap. 28.* Lopez *2. p. cap. 79. & 81.* imò etiam Adrian. infrà, & Tabien. *vsura 6 in princip.* & D. Tho. *opusc. 73. de vsuris, cap. 20.* Nauarr. *cap. 17.* tenent vsurarium debere restituere fructus istarum rerum, quanuis teneant esse earum dominum. Limitat tamen Nauarrus hanc sententiam ad res vsu non consumptibiles, quæ ex se non sunt fructiferæ. Vnde infert, eum qui torquem aureum à non domino emptum sæpiùs locauit, non teneri ad restitutionem eius quod pro locatione accepit; quia torques aureus non est de se res fructifera. Sed censeo, sicut pretium locatæ domus alienæ debetur domino, ita pretium locati torquis alieni; eadem enim ratio videtur in vtroque euentu, quanuis domus magis sit ex se locabilis, quàm torques: imò idem dico de pecunia locata ad medicinam, vel ostentationem: nam tunc per se fructificat non minùs, quàm res vsu non consumptibilis. Aliqui etiam limitant conclusionem, inter quos Salon *illa controuers. 4.* vt fructus quos res tulit propter summam vsurarij diligentiam non sint omnes restituendi; sed illi tantùm quos res tulisset communi diligentia Sed hoc non placet, quia res domino suo fructificat, neque tenetur dominus alteri soluere laborem culturæ sine eius consensu factæ, & alioquin si ager nullum fructum tulisset, nisi per sùmam diligentiam vsurarij afferentis de longinquo semina, nulli fructus essent restituendi domino, quod est absurdum. Et licèt Ricardus, Grasis, Emanuel, & alij dicant restitutionem fructuum domino faciendam

Digitized by Google

dam deductis non solùm expensis, sed & laboribus, id tamen falsum esse credo, quia dominus non tenetur labores furis, vel vsurarij emere, aut compensare. Vnde Molina, Nauarr. Val. & alij non laborum, sed expensarum tantùm meminêre: imò si res apud dominum sine expensis, vel cum minoribus expensis eosdẽ fructus esset allatura; nullæ, aut certè non omnes expensæ deducendæ essent, alioquin dominus damnum pateretur. Rectè autem Mol. & alij dicunt vsurarium non solùm teneri ad restituendos fructus rei vsu non consumptibilis, quos de facto percepit, sed etiam quos eius dominus erat percepturus: nam detinẽdo vsuram iniustè impediuit mutuatarium ne eius fructus perciperet. Si verò mutuatarius non erat fructus percepturus, non tenebitur vsurarius restituere fructus quos propter negligentiam propriam non percepit, quia non tenebitur ratione rei acceptæ, nec ratione iniustæ acceptionis, seu damni illati.

Num. 3 Dico secundò, si vsurarius negotiando rebus vsu consumptibilibus vsurariè acquisitis aliquid vlteriùs acquirat, eius dominium comparat, neque illud restituere tenetur; sed tãtùm tenetur restituere mutuatario totum lucrum cessans, & damnũ ex eo emergens, quòd res vsurariæ non fuerint illi restitutæ. Ita D. Thom. *hoc art. 3.* Banncz, & Aragon ibi, Ioan. Medin. *quæst. 4. de vsuris ad 4. principa.* Adrian. *in materia de vsuris. §. occurrunt circa prius dicta in respõs ad 3.* Mol. Sot. Angl. Mercatus, Conrr. Grafis, Caie. Pala. & Abulens s. Couar. *3. Variar. cap. 3. n. 6.* Sa *verb. debitum. n. 12.* Tolet. *lib. 5. c. 35.* Aitens. *lib. 3. de vsuris. art. 7. quæst. 22. ver. secũdùm vsurarius.* Nauar. *cap. 17. n. 29. & 270.* Petrus Nauarr. *4. de restit. cap. 1. dub. 9.* Lopez *illo c. 81.* Panormit. *cap. nauiganti. de vsuris. n. vlt.* Gab. *4. d. 15. quæst. 11. art. 2. conclus. 6.* Almai. *q. 2.* Scotus *quæst. 2. art. 4.* Vega *verb. vsura. casu 28.* Ang. *vsura. 1. n. 55.* Sylvest. *vsura. 6. quæst. 2.* citans Raimundum & alios. Zabarella *Clem. vnica. de vsuris. quæst. 7.* Anchar. *reg. peccatum. de regul. iur. in 6. col. 2.* glos. *cap. cùm tu. de vsuris. verb. possessiones.* Antonius ibi, Ioan. Andr. ibi. Dominicus Francus, & Ioan. Andr. *cap. quanquam. de vsuris. in 6.* Laurentius de Rodulfis *tit. de vsur. quæst. 44.* Maior *4. d. 15. quæst. 38.* aliàs 30. Idémque dicunt Molin. Salon, Sot. Ricar. Couar. Sa, Nauar. & alij communiter de depositario, & fure.

Probatvr primò ex *l. si ea pecunia. C. de rei vendicat.* vbi dicitur, rem emptã etiam mala fide emptoris ex pecunia mea non esse meam, neque mihi debitã, sed esse emẽtis. Similia habẽtur *l. 1. C. si quis alteri vexillet. & l. vlt. eodẽ t. & l. quãuis ex ea. C. de pignorat. actio. & l. ad probationẽ. la primera. C. de probationibus. & l. si vt proponis. C. de rei vendicat. & l. 3. C. arbitriũ tutelæ. & l. 49. tit. 5. p. 5.* & aliis iuribus, quæ à glossis istorum afferuntur, & à Syuest. *verb. emptio. quæst. 22.* & à glos. *cap. cùm tu. de vsuris. ver. debet vendi.* & à Nauar. *4. de restitut. cap. fin. dub. 1. §. quoad hoc autem.* Sed non est omittendus textus *d. cap. cùm tu. de vsuris.* vbi Alex. III. præcipit, quando non sunt alia bona vnde vsuræ restituãtur, vẽdi possessiones ab vsurario emptas per pecuniam vsurariam, vt restituãtur vsuræ. Ergo reuerà possessiones illæ erũt vsurarij, & non vẽditoris, aut mutuatarij, & ita vsurario

Digitized by Google

fructificabunt. Et præterea Alex.III. nulli præcipit restitui fructus ex talibus possessionibus perceptos: ergo non erunt mutuatarij, vel venditoris, sed ipsius vsurarij, & alioquin quoad fructus nullum erit discrimẽ inter possessiones acceptas vsurariè, & emptas per pecuniam vsurariam; quod est absurdum.

SECVNDA ratio, quia pecunia vsurariè accepta per se est infructifera, & sterilis, nullóque cultu affert vtilitatem, aut fructum possidenti, sed vt aliquam afferat, oportet in alium transferre emendo aliquid ex ea, vel commutando eam pro alia pecunia, vt in cãbio fit. Vnde etiam adhibita industria nõ fructificat per se, & immediatè, sed re empta per illam, vel in quam est commutata: ergo nõn fructificat priori domino, nisi ipse suam industriam apposuerit emendo, commutando, &c. mutuatarius autem hanc industriam nõ adhibet; ergo illi non fructificat: neque verò fructificat venditori, quia dominium rei vẽditæ transtulit in vsurarium. Ergo fructus cedunt soli vsurario, qui est dominus, possessionis emptæ per vsurariam pecuniam.

TERTIO, probat Nauar. argumẽto quod cõtra se fecit Antisiodor. Nam qui per vsurariam pecuniam nihil lucratus est, satisfacit eam restituendo, nec tenetur restituere lucra quæ per illam facere posset; sed tenetur illam restituere. Sed consequentia non valet, vt patet in vsu non consumptibilibus: qui enim fructus percepit, tenetur illos restituere; non verò qui illos non percepit, nisi dominus eos esset percepturus.

Num. 4. AD primum argumentum respõdetur cum Molin. Medi. Val. Salone, Nauarr. & aliis, rem vsurariam non tam se habere vt radicem à qua efficitur, & procedit ramus, quàm sicut materiam, qua vsurarius ad negotiandum vtitur, quæ, vt subest industriæ ipsius, parit lucrum; aut sicut instrumentum alienum, quo artifex ad proprium arte factum conficiendum vtitur: quamuis enim peccet vtendo eo instrumento inuito domino, teneatúrque valorem vsus, & damna emergentia restituere, tamen comparat arte facti dominium; ita vsurarius fit dominus lucri, quod re vsuraria vtendo percipit, licèt peccet non restituendo eam, teneatúrque illam, & damna restituere, non tamen aliquid aliud pro vsu quo consumitur, quoniam in rebus vsu consumptibilibus vsus non habet valorem ab ipsis distinctum.

RESPONDETVR secundò, licèt ex radice naturali, & propriè dicta nequeat bonus ramus prodire, quia eius bonitas pendet ex bonitate radicis: secus tamen ex radice morali, & metaphorica, quia bonitas rami non pendet per se ex bonitate talis radicis, vt patet in actu fornicario, & aliis eiusmodi, ex quibus postea resultat licitum lucrum.

AD secundum respondetur, nullum esse absurdum, si ex prauo aliquo actu interdum secundariò & per accidens lucrum licitum sequatur.

AD tertium respondet Mol. negando antecedens. Ad illud verò axioma Iurisperitorum respondet cum Bart. *l. qui vas. ff. de furtis. & l. si ad rem, & pretium.* Intelligendi sunt in vniuersalibus quæ Iurisperiti vocant, qualia sunt hæreditas, fideicommissũ vniuersale, & dos: si enim quis

quis bona, aut mala fide hæreditatem accepit ad alium pertinentem, venditque ex illa aliquod pretium, quod pro illa accepit; ita accedit hæreditati loco rei venditæ, vt licèt antequam ab eo petatur hæreditas, emerit iterum eandem numero rem viliori pretio, illud incrementū pretij accrescat hæreditati, pertineátque vnà ad legitimum hæredem, & hoc est quod iura disponunt.

FACILIVS tamen respondetur, rem semper succedere loco pretij, & è contrà, non respectu eiusdem domini, sed eiusdem, vel alterius, vt cùm do tibi 100. vt des alteri domino, vel tibi dono, vt des alteri 100. similiter domus empta ab vsurario sit ipsius, & non mutuatarij, cuius erat pretium, quia vsurarius eam emit sibi, & non mutuatario.

AD quartū respondent aliqui, vsurarium transferre in veditorem dominium pecuniæ vsurariæ eo quòd vel consentit dominus, vel est irrationabiliter inuitus in translatione, cùm nihil eius interfit, eandem numero, vel æqualem illi restitui. Alij verò respondent, contractum esse validum, quia licet vsurarius non transferat dominium pretij, manet tamen obligatus ad dandum aliud, si illud euincatur, & vindicetur à proprio domino. Quæ autem harum opinionū sit probabilior, sequenti dubio excutiemus.

AD quintum respondet Val. in contractu societatis pecuniam fructificare domino, quia per eius voluntatem exposita est negotiationi, & facta fructifera: non verò in casu nostro, in quo non fuit per voluntatem mutuatarij, seu domini exposita negotiationi. Sed melius discrimen est, quòd in contractu societatis dominus exponit se periculo amittendi pecuniam, nō verò in casu nostro.

AD confirmationem respondet Val. fructus agri esse per se effectus ipsius, & ideo cedere domino agri, & non domino seminis seu tritici; at fructus pecuniæ solùm esse ab ipso, vt ab instrumento per voluntatem vsurarij negotiationi exposito. Sicut ergo arte facta per alienum instrumentum sunt ipsis artificis, ita lucrata per pecuniam vsurariam sunt vsurarij. Salon autem respondet, si vsurarius triticum vsurariè habitum terræ suæ mandet, fructus esse ipsius, quia sunt fructus pignoris agri propria industria culti, & vsus tritici quo consumitur non habet valorem distinctum à tritico. Sed meliùs respondetur, non pertinere ad dominum tritici, sed ad dominum agri, eo quòd fructus quantùm ad dominium magis sequitur causam quæ materiam ministrat, quàm efficientem, vt patet in mancipiis: partus enim sequitur ventrem seu matrem, & non patrem. Item, quia terra germinat manens apud eundem dominum; triticum autem non germinat nisi corruptum, ac proinde domino amittendum eius dominium.

ADVERTENDVM autem quòd si triticum, oleum, vinum, pecuniæ, vel aliæ res vsu consumptibiles vsurariè acquisitæ creuerint in pretio dum erant apud vsurarium, incrementum cedit mutuatario, licèt non esset rem seruaturus in tempus maioris valoris, quia mutuatarius est verus dominus, & illud incrementum est fructus rei manentis sub eius dominio, & non est fructus industriæ ipsius vsurarij. Ita Salon illa *Num. 5.*

Digitized by Google

illa controuersia 4. Bannez, & Cor. suprà.

DVBIVM XL.

An contractus ab vsurariis facti de rebus quarum dominium non habent, validi sint?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans eum qui cum fure, vel alio contractum celebrat de rebus vsu cõsumptibilibus, quarũ dominiũ ad alterum sciat pertinere, & contractum validum facere, & comparare dominium, nec teneri ad restitutionem, si furi, vel alteri simili maneant sufficientia bona ad debita restituenda.*

2 *Hæc sententia à Molina impugnatur.*

3 *Defenditur autem & magis probatur, præcedens opinio explicatur, quibusdam obiectionibus respondetur, & quædam obseruantur n. 4. 5. 6.*

Num. 1. MEDINA *de restit. q. 11. ad fin. & de vsur. q. 3. ad 3. princip.* affirmat, quando vsurario, furi, vel alteri simili debitori manent sufficientia bona ad debita restituenda, si quis cũ eorum aliquo contractum celebret circa rem quæ vsu consumitur, cuius dominium ad alterum pertinere sciat, non solùm contractũ validum facere, sed & comparare dominium rei illius, neque teneri illam restituere domino cuius antea erat, etiãsi debitor illam non restituat. Ratio est, quia cùm huiusmodi res functionem in suo genere recipiat, hoc est, sufficienter restituatur si alia eiusdẽ speciei, & bonitatis reddatur, vt dubio præcedenti diximus, consequẽs est, vt cùm debitor potens ad restituendum maneat, dominium in accipientem transferat, ac proinde accipiens nec ratione rei acceptæ restituere teneatur.

Num. 2. HANC opinionem singularem, & procul dubiò falsam censent Mol. *disp. 330.* & Couar. *reg. peccatum. p. 3. in princip. n. 2.* quoniam traditione huiusmodi rerum facta per furem vsurarium, aut alium similem debitorẽ, sanè veri illarum domini non amittunt earum dominium, quare ad cuiuscunque manus quouis titulo pertranseant semper illarum dominiũ perseuerat apud antiquos dominos, vt de se, inquit Mol. est notissimum; & colligitur apertè ex *l. rogasti. §. vlt. ff. si certum petatur.* vbi dicitur, fugitiuum, vel alium seruũ contra volũtatem domini credendo, id est, mutuãdo, non facere accipientis. & *l. nam etsi fur. ff. eod. tit.* nam licèt fur nummos tibi dedit animo credendi, accipientis non facit. & *l. si & me, & Titium. eod. tit.* si debitor pecunias meas tibi mutuò dedit, mihi esse dicit restituendas. Obseruat autem Molin. quia eiusmodi res in suo genere fũctionem accipiũt, sufficiẽterque restituuntur traditis aliis rebus eiusdem speciei, & bonitatis, non solùm contractus circa eas celebratos esse validos, sed etiam posse licitè eas accipi de manu vsurariorum, furum, ac depositariorum, quando non dubitatur huiusmodi homines restituturos eas veris dominis; eo tamen animo, & cum eo onere accipi tunc debent, vt si ab illis hominibus non sol

soluantur, ipsas accipientes eas restituant, alioquin peccabunt eas accipiendo: quòd sit, vt qui scientes alienas esse, eas accipiunt, semper teneãtur ad earum restitutionem non solùm ex parte rerum acceptarum, sed etiam ex parte acceptionis, quatenus vel iniustè eas accipiunt, vel si iustè id fit, animo, atque onere eo & lege, vt in defectu principalis debitoris ipsi eas soluant. Illa eadem ratione, nempe, quia huiusmodi res sufficiẽter soluuntur aliis eiusdem speciei, & bonitatis; dicendum est, quãdo nullum ex mora damnum, nullaque molestia dominis earundem rerum sequitur, retinentes illas posse expectare, vt principales debitores eas soluant: imò æquitas postulat, vt tunc earundem domini petant solutionem potiùs à principalibus debitoribus, quàm à retinẽtibus, præsertim quando eas retinendo in nulla fuerunt culpa. Eadem ratione depositarij, vsurarij, & fures, quãdo certi sunt se huiusmodi res tẽpore opportuno restituturos, distrahere illas possũt eleemosynis, atque aliis titulis, vt Medin. *q. illa 4 ad 3. princip.* & alij affirmant; saltem non peccant lethaliter, si certi quòd absque detrimento vllo dominorum eas restituent, ipsas alienent. Vnde Mol. generalem conclusionem statuit: Quicunque titulo quocumque res vsu consumptibiles, vel non consumptibiles acceperit à depositariis, vsurariis, furibus, vel aliis earum dominium non habentibus, si sciens alienas esse illas accipiat, vel id illi constet antequam eas alienet, vel cõsumat, tenetur restituere eas propriis dominis in euẽtu quo præcipuus debitor nõ eas restituat. Si verò ignorãs, eas alienas esse, eas accipiat, alienet, vel cõsumat, ad earũ restitutionẽ tenetur, si eas habeat, alioquin solùm quatùm fuerit ex illis locupletior effectus. Cõclusio est cõmunis doctorũ. Ratio verò prioris partis est: nã qui sciens accipit, alienat, vel consumit eiusmodi res, tenetur non solùm ex parte rei acceptæ, sed etiã ex parte acceptionis, aut damni illati cõsumẽdo, aut alienando scienter eas res. Ergo siue adhuc eas habeat, siue nõ, tenetur ad earũ integrã restitutionẽ, quãdo præcipuus debitor eas non restituerit, qui tamẽ astrictus manebit ei satisfacere, quod illius loco restituerit. Ratio verò posterioris partis est, quia is solùm tenetur ex parte rei acceptæ, quare solùm tenetur illas restituere si eas habeat, aut quãtùm ex illis ditior fuerit effectus. Hactenus Mol. cui per omnia cõsonat Couar.

Num. 3. Sed opinio illa Medin. singularis nõ est; imò multi eã, aut expresse docẽt, aut sat insinuãt, Bannez, & Arag. *hoc art. 3.* vbi Sal. *contr. 2.* Val. *disp. 5. q. 21. p. 3. corol. 2. & ad 3 arg.* Tol. *lib. 5. c. 35.* Caiet. *tom. 2. opuscul. 8. q. 4.* Sot. *6. iustitiæ q. 1. art. 4.* Vega *verb. vsura. casu 28. & 31. vsque ad 34.* Mercado *de vsur. c. 11.* Lop. *2. p. c. 80. & 81.* Eman. *p. 1. c. 106. n. 2.* Angl. *q. de vsura ratione emptionis art. 5. difficultate 2.* Cor. *q. 232. & 233.* Vil. *de vsuris q. 28. & 32.* Nau. *c. 17. n. 265.* Pal. *4. de contract. c. 9.* Abul. Matth. *3. q. 141. & 242. & 253.* Maior. *4. dist. 15. q. 30. alias 38.* Altis. *lib. 3. tit. 8. c. 1. q. 5.* Quæ opinio mihi magis probatur, quia si vsurarius habeat, vel facilè habere possit bona eiusdẽ speciei, & bonitatis, quibus opportunè restituat vsuras, dominus earũ vel expresse, aut tacitè cõsentiet, vel erit irrationabiliter inuitus in earum

alienatione, cùm nihil intersit eius quòd eadem, vel alia res eiusdem speciei, & bonitatis ipsi restituatur, ergo alienatio valida erit. Confirmatur primò ex regula iuris, quod mihi prodest, & tibi nō nocet, facere possum. Secundò, quia propter illam rationem, vsurarius, vel aliùs debitor non tenetur restituere eandem rem numero, vt concedunt Couar. Mol. & omnes ex *l. 2. §. 1. ff. si certum petat.* vbi dicitur, huiusmodi res in suo genere functionem per solutionem accipere. Eadémque ratione concedunt Couar. & Molin. vsurarium licitè donare posse pecuniam vsurariam, & ex ea emere; cur ergo non dicemus posse ipsius dominium transferre? Confirmatur tertiò, nam si vsurarius cùm aliquid ex ea emit non transfert ipsius dominiū, emptórque tenetur ipsam mutuatario restituere, si vsurarius non restituat, sanè iniuria fiet venditori, saltem si non moneatur de modo, & onere cum quo ad ipsum pecunia transit. Idémque erit in infinitum de aliis aliquid ementibus ex ea pecunia, nempe iniuriam irrogare venditoribus, qui etiam tenebuntur examinare, an pecunia quæ illis datur, aliena sit, & postea an principales debitores restituerint, quod esset mundum replere scrupulis. Confirmatur quartò, aliàs mutuatarius posset huiusmodi bona recuperare à retinentibus ea; etiamsi facilè posset eorum restitutionem ab vsurariis, vel furibus obtinere, quia quisque potest quod suum est à quocumque possidente recuperare. Consequens videtur falsum, ergo.

HINC secundùm omnes ferè citatos, si vsurarius emat rem aliquā ex qua facilè possit pecuniam habere, quā opportunè restituat mutuatario, licitus, & validus erit contractus, licèt fiat ex pecunia vsuraria, eámque solam vsurarius habeat; si autem non possit ex re empta pecuniam ad opportunè restituendū habere, sed cum mora notabili, emptio erit nulla secundùm Canum *relect. de ind.* apud Lopez, & Vegam ā, qui tamen, & Sot. clariúsque Salon docent etiam in eo casu contractum esse validum, & dominium pretij in venditorem transferri, quia licèt vsurarius peccet faciendo aliquid, vnde necesse sit solutionē vsuræ nimiùm differri, tamen mutuatarius erit irrationabiliter inuitus si non consētit in illam venditionem, qua vsurarius non redditur impotens, sed fortè potentior ad restituendum (licèt non statim) eo quòd si rem illam nō emeret, pecuniam expenderet in rebus quæ impossibilem, vel difficiliorem, aut tardiorē redderēt solutionē.

Ex quibus patet falsò Nauarram *3. de restit. c. 2. p. 2. dub. 14. & lib. 4. c. 1. dub. 5.* dixisse, pecuniam vsurariam si non sit mixta alteri, esse eandem numero restituendam: hoc enim etiam secundùm primam opinionem falsū est, imò ipse *illo dub. 5.* statim sibi aduersatur dicens vsurariū satisfacere si res vsurarias vsu consūptibiles in eadem specie, bonitate, & quantitate restituat; si autē per alienationē pecuniæ vsurariæ vsurarius fiat impotēs ad restitutionem, alienatio erit nulla iuxta prædictos auctores, quia fiet domino rationabiliter inuito, & illi ad quos pecunia vsuraria peruenerit, tenebuntur eandem numero, vel æquiualentē restituere. Et sic intelligūtur leges superiùs citatæ à Couar. Num. 4.

&

& Mol. nam secuus, & communiter fur non habet aliũde bona ex quibus pecuniã furtiuã possit restituere, & ideo is cui eã mutuauit, tenebitur ad eius restitutionem domino faciẽdam. Vnde falsò Sa. n. 2. docet etiamsi vsurarius non sit soluendo, valere contractus etiam dotationis ab eo factos de rebus vsurariis, etiam vsu non consumptibilibus, in quibus sanè omnes præter ipsum ibi, & D. Thom. *opusc. 73. de vsuris n. 19.* tenẽt esse restituendas easdem numero ad quascũque manus peruenerint, quia suo genere functionem non recipiũt. Quod solùm credo esse, quando nõ esset certũ alias esse eiusdẽ speciei, & bonitatis in ordine ad omnes humanos vsus: nã si id esset certũ, vt in vlna eiusdẽ panni, in massis eiusdẽ argẽti, vel auri, crederẽ idẽ de illis dicẽdũ esse, quod de vsu consumptibilibus dictũ est: quia eadẽ omnino ratio est; & consentire videtur Nauar. *illo dub. 3.*

Num. 5. SED contra id quod dictũ est, dominiũ rei vsurariæ, vel furtiuæ, vsu non consumptibilis non posse per vsurariũ, vel furẽ in aliũ trãsferri, arguitur ex *l. qui vas. §. vlt. ff. de furtis.* vbi habetur, si fur rem quam furto abstulit, vendat, & dominus rei furtiuæ pretiũ ab ipso per vim auferat, rapinã cõmittere. Ergo fur habebat dominiũ pretij, alioquin nõ esset furtũ, vel rapinã illud ab eo per vim tollere, ac proinde etiã videtur dominiũ rei furtiuæ in ipsũ emptorẽ transtulisse, & consequenter emptorem nõ teneri ad eius restitutionem.

RESPONDETVR, per hanc legem Molin. *disp. 327. concl. 2.* docuisse, dominiũ pretij pro re furtiua dati apud furẽ esse, licèt dominiũ rei furtiuæ apud emptorẽ nõ sit, vt habetur expressè *l. emptor. ff. de action. empti.* Quæ sententia probatur, quia fur tenetur curare meliori modo quo possit, vt res illa apud emptorem maneat, tenetur etiã de euictione, atque adeò de valore rei quàm iam habet apud emptorem, & de omnibus damnis, quæ ex euictione emptoris subsequuntur. Ergo contractus sit validus ad hoc vt emptor comparet dominium pretij, quod iustè recipit pro hac obligatione, illámque in se suscipit, & pro iure quòd emptori cõtra se tradit; in quo sensu contractũ in quo res aliena distrahitur, validũ esse cõstat ex *l. rem alienam. ff. de contrah. emptio. & l. si in emptione. ff. item si si emptor. eod. tit. & l. 19. tit. 5. p. 5.* Eandem sententiam tenet Conrrad. *de contractib. q. 70.* quæ confirmatur, quia licèt emptor petat pretium, non tenebitur fur illud dare, sed satisfaciet curando, vt dominiũ rei emptæ in emptorem transferatur. Ergo verè fur est dominus talis pretij.

OBSERVA autem cũ Molin. ex *illo §. item si emptor. & ex l. partita citata. & ex l. si fundum. C. de euictionib.* si emptor sciebat rẽ esse furtiuam, siue venditore id sciente, siue ignorante, nullam oriri obligationem in venditore ad reddendũ pretium, vel restituẽda damna, etiamsi res furtiua à domino vendicetur, nisi id fuerit expressè in pactum deductũ, quia emptor tunc videtur totũ illud periculum in se ipso suscepisse: & sic intelligitur quòd ait Mol. in eo euentu contractũ esse nullũ, qui tamen validus est quãtùm ad hoc quòd vẽditor sit dominus pretij, & tenetur rẽ vẽditam nõ repetere. De hac re vide alia apud Mol. *illa cõclus. 2.* & Couar. suprà. Num. 6.

DVBIVM XLI.

An omnia vsurarij bona sint tacitè hypothecata, seu realiter obligata ad vsurarum restitutionem, & quid de bonis furis?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans proponitur.*
2 *Oppositum tenendum.*
3 *Quid dicendum, si ad alium eiusmodi bona transeant?*
4 *Aliqua rectè à Molina tradita.*

Num. 1. GLOSSÆ quædam *cap. cùm tu. & cap. tua nos. de vsuris. & cap. quanquam. de vsuris. in 6.* innuunt vsurarij bona tacitè esse hypothecata, seu reali obligatione obligata pro vsuris soluendis, ita vt quouis titulo ad quencumque pertranseant, transeant cum eo onere, vt ex illis vsuræ sint soluendæ. Atque hanc affirmat Panor. duobus capitibus primo loco citatis, fuisse communem opinionem antiquorum Canonistarum.

Num. 2. OPPOSITVM verò meritò tenent Panorm. ibi cum Ioan. Andr. Host. Feder. & recentioribus Iurisperitis. Caiet. *tom. 2. opusc. 8. quæst. 4.* Sot. *6. iustitiæ. quæst. 1. art. 4. ad 3.* Couarr. *3. Variar. cap. 3. n. 6.* Nauar. *cap. 17. n. 265.* Syluest. *vsura. 6. n. 5.* Sa *verb. vsura. n. 1.* Vega *casu 31.* Arag. & Bannez *hic art. 3.* vbi Salon *controuers. 3.* Val. *disp. 5. quæst. 21. p. 3.* Lopez *2. p. cap. 80.* Tolet. *lib. 5. cap. 35.* Nauarr. *3. de restit. cap. 2. p. 2. dub. 14. n. 394. & lib. 4. cap. vlt. dub. 7.* Pala. *4. de contract. cap. 9.* Emanuel alios referens *2. p. verb. vsura. cap. 106. n. 2.* Mercad. *de vsur. cap. 11.* Villag. *q. 32. de vsur. s.* Molin. *disp. 329.* Medin. & alij referendi, qui probant, quia neque ex ipsa natura rei, neque ex aliquo iure positiuo colligitur talis hypotheca, seu realis obligatio, & quia id esset illaqueare conscientias omniũ celebrãtiũ cõtractus cũ vsurariis, etiãsi vsurarij ex suo patrimonio essẽt ditissimi, & esto bona fide cũ eis contractus celebrarẽt: etenim quæcũque ab eis acciperent siue lucratiuo, siue oneroso cõtractu, obligata manerẽt pro soluẽdis vsuris ad quorumcumque manus deuenirent. Communiter etiam affirmant Doctores hoc locum habere in bonis furis, scilicet non esse hypothecata pro furtis soluendis; affirmant etiam cõtra Medi. *q. 4. de vsuris. ad 4. princip.* & nonnullos alios relatos à Couarr. esto bona illa empta essent pecunia vsuraria, vel furtiua, non esse hypothecata pro vsuris soluẽdis, alioquin cum eo onere transirent, ad quemcumque dominiũ perueniret, etiam quãdo lucratiuo titulo peruenirent, quod ipse Medin. negat: & præterea cùm nihil tale colligatur ex *cap. cùm tu. de vsuris.* cui aduersarij nituntur, vt rectè Molin. ostendit, qui etiam à Med. petit, num si is qui titulo lucratiuo bona illa ab vsurario accepit, ea titulo oneroso alienet, transeant ad hunc vltimum possessorem cum eo onere reali, maneántque vsurarum restitutioni obnoxia, an non? Si dicat manere: contrà, quia quantum ius vsurarius habebat, transtulit in eum cui bona illa alienauit; sed si vsurarius ipse titulo oneroso alienasset, ipsa vltimo possessori non manerent restitutioni obnoxia, vt Med. concedit. Ergo neque restitutioni obnoxia manent alienata simili modo ab eo

eo qui titulo lucratiuo immediatè ea ab vsurario accepit. Si verò dicat nō transire ad vltimum possessorē cum onere reali, tūc sequitur neque illud habuisse in manu eius, qui ea titulo lucratiuo immediatè accepit ab vsurario: nam si illud iam habebāt, quocumque titulo postea ad alium transirent, retinerent illud semel in se susceptum. Communiter etiam Doctores contra Panorm. 9. & Nauarr. *cap. 17. n. 266.* docēt, etiamsi illæ possessiones titulo lucratiuo alienētur, nec sint alia bona ex quibus vsuræ soluantur, non esse recipiendas de manibus possessorū, vt inde soluantur vsuræ; nō enim colligitur hoc ex *d. cap. cum tu.* neque ex *l. si & me, & Titium ff. si certum petat.* quibus Panorm. & Nauarr. nituntur, quos rectè impugnat Mol. Vnde D. Tho. *hic art. 3. ad 2.* nullum hac in parte constituit discrimen inter bona vsuraria pecunia empta, & alia vsurarij bona; & Caiet. aliique communiter affirmāt inter hæc & illa nullum esse discrimē; imò & Nauar. suā sententiā restrinxit, vt intelligatur quādo res accepta fuit cū scientia, aut verisimilitudine quòd in creditorū fraudem alienaretur. Omnes tamen docent omnia bona vsurarij obligata esse ad solutionem vsurarū obligatione personali, scilicet quādiu apud ipsum manent.

Num. 3. Sed quid si ad aliū transeāt? Respōdet Caiet. si quo tēpore vsurarius ea alienauit, remanebāt illi sufficiētia bona vnde vsuras restitueret, tūc quocūque titulo alienata fuerint, nō tenetur recipiēs ad vllam restitutionē, esto postea vsurarius impotēs effectus sit ad illas restituendas: si verò vsurario nō remanebant bona sufficientia, sed impotēs per eam alienationē fiebat ad vsuras restituendas, tūc quocūque titulo alienatio sit facta, accipiēs manet obligatus ad restituendā tantā vsurarū portionē, ad quantā restituendā per eam alienationē vsurarius fuit impotens effectus, sibique accipiēs imputet, quòd ab eo emerit, aut in dotē cum vxore, aut quocūque alio titulo acceperit, qui tot debitis erat astrictus, vt debita æquarēt, aut excederent illius bona: idem diceret Caiet. de accipiēte à fure, aut quocūque alio debitore. Sententiā hāc multi alij amplectūtur, tametsi meritò, vt ait Mol. plurimi eam restringāt, quādo accipiens conscius erat, aut attendere debebat per eam alienationē vsurariū impotentē fieri ad vsuras restituēdas. Et quidā illorū eā insuper restringūt, quādo alienatio facta fuit titulo lucratiuo: inter alios eā tenēt Sot. Cou. Val. Sal. Arag. Bannez, Lopez, Vega, & Emanuel ℣. Nauarr. *illo n. 266.* Gab. *4. dist. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 16.* Palud. *quæst. 2. art. 5. n. 27.* Angel. *restitutio. 1. à n. 17.* Syluest. *vsura. 8. n. 1.* Med. ℣. licèt non admodùm firmus sit.

Molina autē dicit rectè, primò, Num. 4. si eiusmodi bona ab vsurario, aut fure per vltimā volūtatē etiā legata, aut donatione causa mortis alienata sint, obnoxia omnino esse restitutioni, quousque vsuræ, & res furto sublatæ integrè restituantur.

Secundo, si eiusmodi bona alio titulo alienata sūt, quo tēpore per eā alienationē vsurarius, aut fur impotēs non reddebatur ad vsuras, aut res furto sublatas soluendas, nullo modo esse obnoxia restitutioni.

Tertio, si accipiēs cōscius non fuit alienationē fieri in fraudē creditorū, tūc quocūque titulo bona illa

Digitized by Google

acceperit, obnoxia non esse restitutioni, nisi vsurararius, aut fur conscij alienationem fieri in fraudem creditorum, bona illa alienauerint titulo lucratiuo: tunc enim accipiens tenetur in vtroque foro restituere rem acceptam, aut id in quo ex ea factus sit ditior, modò tamen à creditoribus petatur intra annum à die scientiæ alienationis in fraudem ipsorum factæ; secus siue non petatur, vel petatur post annum elapsum: nam tunc in neutro foro ad vllam restitutionem tenetur.

QVARTO, si accipiens conscius erat huiusmodi bona in creditorum fraudem alienari, obnoxia sunt restitutioni vsurarum, rerúmque furto ablatarum. Quòd si apud accipientem non existant, tenetur restituere valorem eorum, modò tamen à creditoribus bona illa, aut illorum valor petantur intra annum à die scientiæ alienationis in ipsorum fraudem factæ; secus si non petantur, vel petantur elapso iam anno, nam tunc in neutro foro ad vllam restitutionem tenetur.

QVINTÓ, si is qui cóscius erat huiusmodi alienationem in creditorum fraudem fieri, atque alienatorem mouit ad eam alienationem, tunc creditoribus etiam anno elapso restituere tenetur, quod ex valore rerum ita acceptarum necessarium fuerit ad vsuras, aut res furto ablatas restituendas, idque esto non petatur. Quæ omnia optimè ostẽderat Moli. *disp.* 328. vbi disputauit quæ dicantur alienata in fraudem creditorum, & quousque rescindi ea alienatio possit, obnoxiúmque quod ita alienatum est restitutioni ab accipiente sit. Eadẽ autem repetit *disp.* 330. vbi ex illis infert verum esse quod dicunt Medin. *de restitut. quæst.* 10. & *de vsuris, quæst.* 4. & Adrian. *de vsur. quæst. vlt.* quando quis ignorans reddi aliquem impotentem ad soluenda debita, operas suas illi locauit, aut onerosum alium cõtractum cum eo celebrauit, ex quo constituit illum sibi debitorem, posse ab illo exigere, & accipere tale debitum, perinde ac alij creditores accipiunt: etiãsi ante solutionem intelligat impotentiam ad soluenda alia debita, quam ante talem contractum habebat, redditúmque fuisse impotentiorem hoc occasione contractus quem secum iniuit.

INFERTVR primò, quando famuli aliquorum nobilium, qui tanto ære alieno grauati sunt, vt impotentes sint ad illud soluendum bona fide illis seruire cœperunt, aut dicis inuitantibus in illorum seruitium sunt recepti, non solùm cogendos non esse restituere quæ ijs victus, vestitus, & stipendijs ab eis acceperunt, esto huiusmodi famuli extenderent eam alienationem esse in fraudem creditorum; sed neque cogẽdos esse egredi seruitium illorũ, præsertim quando, etsi egrediantur, non deerunt alij qui similiter eisdem horis inseruiãt, præterquàm enim quòd lege charitatis fortè vitare non tenentur creditorum damnum cum tanto suo incommodo, per eum tamen egressum illorum damnum non vitant. Cauere autem debent Confessarij, ne admonendo huiusmodi homines qui regulariter bonam fidem habent, & præcipiendo illis, vt egrediantur seruitium dominorum, in causa sint quòd mala fide, & cum peccato illis deinceps inseruiant.

HÆC

Hoc omnia quæ fusiùs illis disputationibus prosequitur Molin. ex dubio sequenti diducidiora fient. Quantùm ad bona autem vsurariè acquisita, quæ vsu non consumuntur, omnes conueniunt esse obligatos ad eorum solutionem, ita vt ad quemcumque peruenerint, mutuatario restituenda sint. De his verò quæ solutione consumuntur, quomodo sint restitutioni obligata, superiori dubio aliqua diximus, plura in sequentibus dicturi.

DVBIVM XLII.

An vsurarius non habens alia bona vnde possit vsuras soluere, possit in propriam, & vxoris, ac filiorum, & famulorum sustentationem, in aliósque eiusmodi vsus expendere bona propria, vel etiam vsurariè, vel furtiuè acquisita?

SVMMARIVM.

1 *Ex omnibus istis bonis potest expendere quantùm opus fuerit ad occurrendum extremæ necessitati, propriæ, vel suorum, vel aliorum.*

2 *Probabile est, vsurarium de illis validè, & licitè disponere posse ad conseruationem proprij status iustè acquisiti; & quædam remedia vsurario traduntur.*

3 *Vsurarius etiamsi nulla alia bona habeat, potest de bonis vsurariis vsu consumptibilibus disponere per contractus quibus non reddatur impotentior ad opportunè restituendum.*

4 *Quædam falsitatis nota inuruntur.*

5 *Quatuor obiectionibus fit satis.*

6 *Primum cerollarium, quid sentiendum de quadam opinione?*

7. *Secundum, tertium, & quartum, quorundam placita vel falsa esse, vel non vniuersaliter vera. n. 8. 9.*

10. *Quintum, an qui vsurariis, furibus, vel similibus debitoribus impotentibus ad debita soluenda vendunt attinentia ad quotidianos vsus, restituere teneantur quæ in recompensationem ab illis accipiunt?*

11 *Quid de famulis qui debitoribus ad soluenda debita impotentibus ministrant?*

12. *Quid de vxore huiusmodi debitoris dicendum?*

13 *Quid de filiis vsurarij, vel furis impotentis ad debita soluenda?*

14 *Quid de dote, quam gener, aut filia ab huiusmodi debitoribus accipit?*

15 *Quid de eo qui mutuò dedit huiusmodi debitoribus?*

16 *An vsurarius, qui non habet bona vnde restituat vsuras, & vxoris dotem, teneatur potiùs vsuras soluere? Salon quinque conclusionibus respondet n. 17. 18. 19. 20. 21.*

22 *Salon, & Medina impugnantur; Salon in quodam probatur.*

23 *Ex dictis sequitur non esse omnino vera multa quæ docet Angles.*

24. *Quæ dicta sunt de vsura reali, de mentali intelligenda.*

DIco primò: certissimum est ex omnibus istis bonis expendere posse quantùm opus fuerit ad succurrendum extremæ necessitati propriæ, vel suorum, vel aliorum, quia in extrema necessitate omnia sunt communia quoad vsum, & quilibet Num. 1.

bet poteſt ex quibuſcumque bonis, etiã furto, vel rapina ſibi, atque aliis cõſulere, atque à fortiori res per vſuram, aut furtũ acquiſitas expendere. Ita Salon *art. 3. controuerſ. 3. concluſ. 3. corol. 4.* & latiùs *controuerſ. 8.* Pala. *4. de contract. c. 9.* Grafis *p. 2. n. 15. c. 14.* Gabr. *4. diſt. 15. q. 11. art. 3. dub. 16. cor. 4.* Lopez *2. p. c. 81.* Antoni. *2. p. tit. 1. c. 12. §. 18.* cum Raim. *in Summa.*

CONFIRMATVR, quia neceſſitas caret lege, *c. ad ſipulo. de conſecrat. d. 15.* Idem ad neceſſitatem ferè extremã extendunt Salon, & alij. An verò ſi ſic accipiens & expendẽs aliena venerit ad pinguiorem fortunam teneatur reſtituere, alio loco diſputatur. Si verò neceſſitas non ſit extrema, nec penè extrema, quanuis grauis ſit, non poſſunt vſurarij res vſurariè acquiſitas expẽdere, ſi per hoc fiant ad reſtitutionem vſurarũ impotentes, quia ſicut tunc non poſsũt aliena rapere, vel furari, ita neque expendere in proprios vſus, quia dominus eſt rationabiliter inuitus. Vnde falsò Nauarr. *c. 17. n. 268.* & contra omnes ferè docet vſurarium de vſurariè acquiſitis poſſe expendere ad ſui ſtatus conſeruationem, quando eorum dominium habet; ſupponit enim falſum, nempe vſurarium aliquando habere dominiũ rerum vſurariè acquiſitarum: iam enim ſuperiùs vidimus non ſolùm non habere dominium pignorum (quod Nauarr. fatetur) ſed neque aliarum rerum vſu conſumptibiliũ, vel non conſumptibilium, quas pro mutuo vltra ſortem accepit.

Num. 2. QVIA tamen probabile eſt, vt ibidem docuimus, dominium omnium rerum vſura acquiſitarũ, etiã vſu non conſumptibilium in vſurarium tranſire; dicendum erit probabile quoque eſſe vſurarium validè & licitè de illis diſponere poſſe ad conſeruationem proprij ſtatus iuſtè acquiſiti eo tempore, & modo, quibus ad eundem finem de aliis bonis propriis diſponere poteſt, ſecundùm Nauarr. ibi, & Val. *diſp. 5. q. 21. p. 3.* alióſque communiter: & hoc eſt primum remedium quod vſurarij habent, eorúmque vxores, filij, & famuli, quando nulla eſſent bona ad conſeruationem ſui ſtatus iuſtè acquiſiti ſufficientia præter bona vſurariè comparata, nempe cõformare ſe illi opinioni probabili.

SECVNDVM remedium eſt, vſurarum remiſſionem impetrare à mutuatariis. Tertium, ſi vſuræ ſunt incertis perſonis reſtituendæ, ſumere Bullam compoſitionis, vel componere ſe cum Commiſſario Cruciatæ, vel Papa. Quartum, impetrare ab Epiſcopo, vt vſuras incertis perſonis debitas, quæ aliis pauperibus dandæ eſſent, ipſis vſurariis applicaret. Ita Nauarr. *c. 17. n. 261.* aliàs 272. Angel. *verb. reſtit. n. 20.* Sylueſt. *vſura. 8. q. 2. & 5.* Tabien. *vſura. 6. q. 5.* Tolet. *lib. 5. c. 35. ad fin.* Lopez *illo c. 81.* Antoni. *illo §. 18.* qui tamen & Sylueſt. dicunt hoc tantùm habere locum quando alia bona ſuppetunt, ex quibus reſtitutio fiat eorum, quæ certis perſonis debentur: hæc enim priùs reſtituenda ſunt, quàm quæ incertos habent creditores. Sed exiſtimo locum etiã habere quando non ſuppetunt bona ad reſtituendum creditoribus certis: quanuis enim ij præferẽdi ſint, quãdo reſtitutio fit de bonis propriis debitoris, ſecus tamen quando de alienis, qualia ſunt vſurarij: nam de iis, quæ conſtiterit eſſe ablata à perſonis

Digitized by Google

nis incertis, restitutio debet statim fieri pauperibus, qui loco ipsarum succedunt: ita quanuis ex voluntate Ecclesiæ de bonis propriis vsurarij priùs debeat restitutio fieri creditoribus certis quàm incertis: secus tamen quãdo aliud voluerit Ecclesia; quapropter Prælato non cedẽte iure pauperum, qui incertis creditoribus succedunt, bona debitoris debent pro rata diuidi inter ipsos, & alios creditores non priuilegiatos: imò existimo quãdo vsurarij ex bonis vsurariis, vel propriis debẽt pauperibus restituere, posse etiam vxoribus, filiis, & famulis dare, quæ ad cuiusque status conseruationem necessaria fuerint; si illi aliunde ea cõmodè habere nõ possint, nisi ex eleemosynis, quia tunc verè sunt pauperes, & ipse vsurarius potest restitutionem dare quibuscumque pauperibus. Quod verò vlteriùs ad conseruationem proprij status fuerit necessarium, quærat vsurarius alia via. Quòd autem in hoc euentu non sit auctoritas Episcopi necessaria, sed vsurarius possit propria auctoritate vsuraria bona incertis debita applicare vxori, filiis, & famulis, docet Nauarr. *c.* 17. *n.* 269. & clariùs Salon *art.* 3. *controuers.* 8.

QVINTVM remedium secũdùm aliquos est, vt vxor, verbi gratiâ, si alio labore ad conseruandum statum obtinere non possit, laboret monendo virum, vt vsuras vel non exigat, vel restituat, pro quo labore cũ spe fructus suscepto poterit aliquid de bonis mutuatariorum recipere, quia vtiliter gerit eorum negotium. Ita Antoni. *illo* §. 8. Sylueſt. *vsura.* 8. *q.* 2. qui citant Raimund. *in Sum.* dicúntque concordare Vlderi. Guiller. Hostiẽsem, Ber. & Rodonẽsem. Cõsentit Nauarr. *illo n.* 269. & Caiet. *verb. vsura.* Salon. *illa controuer.* 8. *in fine.* qui tamen reprehendit Caiet. dicentem famulos posse aliquid recipere quãdo laborant in cõseruatione pignorum, quia vsurarius tenetur stipendium famulis dare ex propriis bonis. Sed fallitur, quia quando difficile est pignora custodire, non tenetur vsurarius ex propriis bonis stipendium custodienti dare, & licèt possit, ac teneatur, si tamen nolit ex propriis bonis custodiam soluere, poterit custos pro illa, sicut pro aliis laboribus in bonum mutuatarij susceptis aliquid ex eius bonis recipere. Si dicas, quanuis vtiliter gerens negotiũ alterius licitè recipiat expẽsas de bonis eius. *l.* 2. *& l. Pomponius. ff. de negot. gestis.* tamen secluso pacto nõ videtur idem dicendum de laboribus, quia nemo tenetur secluso pacto laborem ipsius gratia susceptum compensare. Respondetur, quando non est alius qui laborem illum suscipere possit, aut velit, compẽsationem deberi ex iustitia, aut saltem licitè à laborante recipi posse.

SED antequam ad hoc veniatur, vt omnia bona vsurarij sint iniustè acquisita, petat vxor dotem, arras, & alia bona paraphernalia, eáque licito lucro, ex quo alatur, exponat, vt cõsulit Sylueſt. *vsura.* 8. *q.* 2. Salon *illa controuers.* 8. & alij ex *c. per vestras. de donat. inter vir. & vxor.*

DICO secundò, vsurarius etiamsi nulla alia propria bona habeat, potest de bonis vsurariis vsu consumptibilibus disponere per contractus quibus non reddatur impotẽtior ad opportunè restituẽdum, vt si per pecuniã vsurariã emat domũ, vel agrũ, Num. 3.

Digitized by Google

vel conducat colonos, vel alios contractus faciat, quibus æquè potẽs, vel potentior ad opportunè restituendũ maneat. Sot. 6. *iustitiæ. q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Tolet. *illo c.* 35. Pala. 4. *de contract. c.* 9. Aragon, & Bannez *art.* 3. Salon. Lop. Med. & omnes citati dubio 42. pro vtraque opinione. Vnde immeritò Nauarr. 3. *de restit. c.* 4. *dub.* 6. docet pecuniam, & alia vsu consumptibilia vsurariè, vel furtiuè habita, esse eadẽ numero restituenda ab vsurario, vel fure, ita vt quanuis habeat, vel habere facilè possit alia eiusdem speciei, quibus opportunè restituat, peccet mortaliter illa distrahendo, & omnes qui ea acceperint, teneantur eadem numero restituere, quando non sunt aliis mixta, quia eorum dominium semper manet apud mutuatariũ: putátque hanc esse opinionem non solùm Couarr. *rag peccatum. p.* 3. *in princip. n.* 2. sed etiam Med. *q.* 10. *de restitut.* fallitur tamen: nam Medin. & cum eo Couar. quem cum Molin. retulimus dubio 42. putat eorum dominium tunc transire in accipientẽ sine onere restituendi idem numero, vel specie, & vsurarium, aut furẽ validè, & licitè tunc ipsa alienare; quanuis Couar. & Mol. teneant eorum dominium tunc in accipientes non transferri, eósque teneri ad restituendum idem specie, si vsurarius, vel fur non restituat. Affert etiam Nauarr. pro se *l. rogasti. §. vlt. ff. si certum petatur.* vbi contineri ait, harum rerũ alienationem cùm bona fide facta fuerit, validam esse: si verò mala fide facta sit, esse inualidam, posséque rẽ apud quemcumque inuentam à domino vẽdicari, vt Bart. & alij interpretantur. Quod etiam putat haberi in *l. nam etsi fur. ff. eod.* Sed certè in his iuribus longè aliud habetur, vt dubio 42. vidimus; & licèt id haberetur, quod Nau. refert, expressè nobis faueret: nam si bona fide alienatio illa facta est, valida erit, dominiúmque transfert; & ita non erit generatim verum quòd hæc sint eadem numero restituenda à possessoribus: sed tantùm à fure, vel vsurario, qui non habent eorum dominium. In quibus nihilominùs dicendum est, satis esse restituere eadẽ specie, quia hæc in suo genere functionem accipiunt quantùm ad solutionem. *L.* 2. *§.* 1. *ff. si certum petatur.* quam legẽ malè ipse contra omnium mentem interpretatur, vt functionem in suo genere recipere sit, ea talis esse generis, vt functione, vsúque suo consumantur: id quod etiam Nauarr. *eodem dubio* 6. & Molin. *dub.* 7. docet, tamen rerum, si misceantur quacumque ratione cum aliis similibus rebus vsurarij, vel furis, ita vt discerni nequeant, dominium esse penes solum furem, vel vsurarium, ac proinde si aliis det, etiamsi per hoc fiat ad restituendum impotens, earum dominium in accipientes transferri, eósque ad nullam restitutionem teneri. Idémque ait de aliis rebus quarum dominium est in fure, vel vsurario, vel alio debitore, vbi multa falsa continet.

PRIMVM est, quòd per quamcũque mixtionem vsurarius, vel fur fiat earum rerum dominus, quod falsum esse cõstat ex dubio 40. difficultate 2. & licèt daremus per quamcumque mixtionem fieri dominũ, dicendum esset non in eo solùm manere dominium, sed dominium acerui fieri communem ipsi, & priori domino partis permixtæ, & vtrumque *Num.* 4.

ex

Digitized by Google

ex eo posse suam quantitatem accipere & distrahere, & si vnus plus distrahat quàm possit, eius quod sit fuerit distractũ, manere dominium apud alterum, ipsíque esse restituendum quantùm ad partem quæ ipsi debebatur. Quòd autem per mixtionem rei vsurariæ, vel furtiuæ fiant vsurarij, vel fures domini, docẽt etiã Ioan. Medin. *q.* 10. *de restitut. ad fin. & q.* 4. *ad* 3. *principale.* Lopez 2. *p. c.* 81. & Nauarr. 3. *de restitut. c.* 2. *p.* 2. *dub.* 14. *& c.* 4. *dub.* 6. *&* 7. *& lib.* 4. *c.* 1. Mol. *disp.* 57. *&* 826. Angel. *vsura.* 2. *n.* 18. Syl. *vsura.* 6. *q.* 1. *circa princip. & q.* 2. *ad fin. & restit.* 3. *q.* 6. Paluda. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 5. *ad fin. ver. de illo autem.* & probabile putat Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 5. *dub.* 3. *propos.* 3. *corol.* 1.

Secvndvm est, quando quis per contractum fit impotens ad restituendum creditoribus, si ex bonis propriis fiat, eorum dominium trãsferri in accipiẽtes, eósque ad nullã restitutionem teneri: quam opinionem ipse fatetur singularem: deberet quoque ipsam reputare falsam; nam alienationes propriorum bonorum in fraudem creditorum factas interdum esse nullas, interdum verò rescindẽdas, & res sic acceptas interdum esse ab accipientibus restituendas patet ex dictis dubio 43. cum Molin. *disp.* 328. *&* 329. *&* 330. & cum aliis multis, & ipse Nauarr. pro opinione asserẽte, eum qui sciẽter recipit ab vsurario, vel fure res vsu consumptibiles permixtas rebus propriis vsurarij, vel furis, vel proprias eorundem non habentium alia vnde restituant, teneri ad restitutionem, citat Paluda. & Gabr. s̃. Syluest. *restit.* 3. *q.* 6. *dicto* 2. Cordub. *lib.* 1. *q.* 39. *pũcto* 3. *dicto* 2. Antoninum *secunda parte, tit.* 1. *c.* 12. §. 17.

Sed arguit Nauarr. primò, quia accipiens de bonis propriis illius vsurarij qui fit impotens ad restituendum, non tenetur restituere creditoribus vsurarij ratione rei acceptæ, quoniam hæc non ipsorum, sed vsurarij erant: nec verò ratione iniustę acceptionis, quia nõ accepit ea inuito domino: ergo nullo modo tenetur creditoribus restituere. Secundò, quia donatio illa, vel venditio valida est, cùm res sit donantis, vel vendentis, donatarius vel emptor fit rei dominus, & sic non tenetur eam restituere. Tertiò, quia si donans deberet aliquid ex contractu licito, nullus diceret donatarium teneri ad restitutionem rei donatæ: ergo similiter si debeat aliquid ex furto, vel vsura. Quartò, ex opposita enim opinione insurgunt scrupuli: nam semper deberet examinare, an dans aliquid habeat vnde debita soluat, qui tamen auctor suam sententiam humiliter subiicit meliori iudicio. Hęc tamen non vrgẽt. Num. 5.

Ad primum respondetur, teneri ratione iniustæ acceptionis, qua debitorem reddidit impotentem ad soluenda debita, & interdum ratione rei acceptæ, quia non capit eius dominium, vt cùm ex legato, vel ex testamento, vel mera donatione, vel quia sciens induxit ad alienandam in fraudem creditoris rem quã accepit iuxta dicta illo dubio 43.

Ad secundum, illam donationẽ, vel venditionem interdũ esse nullam, quia debitor nullã donationem potest licitè, aut validè facere, qua se reddat impotentẽ ad soluenda debita, sicut nec potest testamẽtũ, vel legatum validũ facere in fraudẽ credi-

torũ, vel inductus alienare in eorum fraudẽ, & licèt contractus esset validus, oriretur obligatio ex iniusta acceptione, quia sic accipiens infert damnum iniustè creditoribus.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad quartũ, negatur inde oriri scrupulos, quia non tenetur quis magnam diligentiam facere, vt intelligat an alius reddatur impotẽs, & in dubio post conuenientẽ diligentiam bene poterit ab eo accipere, & postea non tenebitur restituere, si cõtractus fuit onerosus, secus si titulo lucratiuo res ad eum peruenit, vel si sciẽs debitorem fieri impotentem ad soluenda debita, aliquid ab eo accepit. At dicit Nauar. quòd ille accipiens non peccaret contra iustitiam, licèt peccaret contra charitatem, non tamen si magni sua interesset rem illam habere, nimirum donatam, vel vili pretio emptam, vel alia ratione, lex enim charitatis huiusmodi permittit magis sibi, quàm tertio consulere. Sed dico quòd cùm vnus iniuste det, alter iniustè recipiat; ergò saltem ratione iniustæ acceptionis tenebitur restituere: subiungit autem Nauarr. & optimè. *Illud minimè vnquam confitebor, quod ait Anton. illo §. 17. Quòd si quis bona fide rem accepit, vel consumpsit, si postea cognoscat eum, qui donauit non esse soluendo, tenebitur ad restitutionem: si enim is non tenetur restituere, qui rem alienam accepit bona fide & consumpsit, quomodo non magis liber eris qui bona fide accepit, & consumpsit rem cuius verè dominium acquisiuit, quoniam ab eo donata illi est qui eius dominium pro tunc habebat, & ipse accipiens non erat eius incapax, cùm acceperit rem ignarus impotentia debitoris ad soluendum debita?*

Ex dictis deducuntur aliqua corollaria. Primum est, quid sentiendum de opinione asserente contractus celebratos cum vsurario de bonis propriis, per quos fit non impotens ad restituendum, validos esse, & eum qui per illos bona vsurarij accepit, non teneri ad restitutionem, quanuis teneatur restituere si per tales contractus debitor fiat ad restituendum impotens, ita vt si sciens acceperit, teneatur integrè restituere: si verò cum ignorantia inuincibili, id tantùm in quo factus fuit ditior? Quod tenent Sylvest. *vsura.* 8. *quæst.* 1. Ang. *restit.* 1. *à n.* 17. Caiet. *tom.* 2. *opusc.* 8. *quæst.* 4. & alij citati dubio præcedenti, opinione 2. Sed limitandum est cum Molin. ibidem. Num. 6.

Secvndvm est, non esse vniuersaliter verum quod ait Panormit. apud Sylvest. *vsura.* 6. *quæst.* 5. bona vsurarij non esse obnoxia restitutioni quando titulo oneroso distracta sunt; quando autem titulo lucratiuo, officio iudicis vendi posse ad vsurarum restitutionem: nã si debitor per distractionem factus est impotens ad restituenda debita, bona illa erunt obnoxia restitutioni in aliquibus casibus, vt diximus, etiamsi titulo oneroso distracta sint: si verò non est factus impotens, etiamsi titulo lucratiuo distracta sint, non erunt restitutioni obnoxia. Num. 7.

Tertivm, non esse generatim verum quod ait Host. apud Sylvest. ibi, bona vsurarij etiamsi comparata sint per pecuniam vsurariam, quacumque ratione perueniãt ad alium, siue titulo oneroso, siue lucratiuo, possidentem non posse molestari super illis à quouis Iudice, etiam propter restitutionẽ vsurarum: nã licèt hoc Num. 8.

Digitized by Google

hoc sit verũ quãdo debitor ex eo non fuit factus impotẽs ad restituendum, tamen si factus fuit impotens, fallit in multis casibus, vt dictum est.

Num. 9. QVARTVM, falsã esse apud Sylvest. resolutionem illius quæstionis, an si vsurarius ex pecunia fœnebri emit equum, vel prædium, & donauit, & deinde factus est nõ soluẽdo, qui rem accepit, teneatur eam restituere mutuatario? Raimund. affirmat, quod limitat Barbatius, quando talem rem ille habuit titulo lucratiuo, secus si emptione, vel alio titulo non lucratiuo, ac bona fide; & concordat Host. & Gofred. addens, si res illa ex causa lucratiua peruenit, & postea ad alium ex simili causa, & is vltimus cui vsuræ restituendæ erãt, liberatus est is cui primò data erat, vt contra eum agi non possit *ff. de actionib. & obligat. l. omnes debitores.* Cum hac resolutione trãsit Sylvest. qui eam sequitur *vsura* 8. *quæst.* 1. Sed falsa est, quia si vsurarius, quãdo rem alteri tradidit, erat soluendo, licèt postea reddatur impotens, tamen res tradita nulli restitutioni obnoxia manet, etiamsi titulo lucratiuo data sit, quod *illa quæst.* 1. fatetur Sylvest. quando res non fuit habita per pecuniam vsurariam: eadem tamen ratio est de habita per pecuniam vsurariam.

Num. 10. QVINTVM, an qui vsurariis, furibus, vel similibus debitoribus impotentibus ad debita soluenda vendunt attinentia ad cibum, vestitum, vel alios quotidianos vsus, restituere teneantur, quæ in recompensationem ab illis accipiunt? Respondent aliqui, si illi ea vendunt sine quibus non possunt vitam conseruare, non teneri ad restitutionem, secus si illa vendunt, quæ ad vitæ conseruationẽ necessaria nõ sũt. Ita docere videtur Sylu. *vsura.* 8. *q.* 9. Gab. 4. *distin.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 16. *corol.* 4. Angel. *rest.* 1. *n.* 21. Sot. 6. *inst. q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. & Lopez.

Num. 11. SEXTVM corollarium, quid de famulis, qui debitoribus ad soluenda debita impotentibus ministrãt? Quidam distinguunt, si suis ministeriis tantùm vtilitatis afferunt bonis debitorum quantùm cum ipsis in victu, vestitu, & stipendio consumitur, ad nullam tenentur restitutionem, quia debitores propter ipsos non redduntur impotentes ad debita soluenda, neque peccant eos habendo, & cum ipsis prædicta consumendo: si verò famuli tales non sint, debitores peccant eos habendo, & famuli ipsi restituere tenentur creditoribus quantùm debitores ea de causa fuerint effecti impotentes ad debita soluenda Sylvest. *vsura.* 8. *quæst.* 6. Ang. *restit.* 1. *n.* 21. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 35. Gabr. 5. *corol.* 5. Sot. 5. Nauar. *cap.* 17. *n.* 270. Vide de famulis quod ex Molin. in calce dubij præcedentis diximus: notat etiam Tolet. famulos seruire coactos non teneri ad restituenda alimenta, & stipendia quæ accipiunt de bonis vsurariis. Hoc corol. habet etiam Lopez.

Num. 12. SEPTIMVM est, quid de vxore huiusmodi debitoris dicendum sit? Nauarr. *cap.* 17. *n.* 268. adducit Cardin. *Clem.* 1. *de vsuris. quæst.* 8. Imol. *ibi. n.* 55. affirmantes peccare vxorem si sciat maritum non habere plura bona quàm necessaria sint ad debita soluenda, & viuat ex eius bonis, cùm ex suis, aut consanguineorum bonis, aut ex suo labore honestè viuere possit. Sylvest.

Digitized by Google

autem *vsura.8. quæst. 2.* cum Archid. & Raimund. ait, teneri restituere quicquid consumit. Sed intelligit quando viuit de bonis vsurariis. Vnde cùm Raimund. ait, si sibi essent aliqua de iusto ex quibus viueret, etiamsi talia discerni non possint, non teneri ad restitutionem. Idem cum Archidia. ait, licèt discerni possint, si id maritus non permitteret. Vnde non rectè Sylvest. citat Molin. *disp.* 30. & Nauarr. *illo n.* 268. quasi velit Sylvest. vxorem consumentem de bonis propriis viri debere restituere. Rectè autem Mol. & Nauarr. consentaneè ad Medin. & Adrian. affirmant maritum ex bonis propriis posse tunc alere vxorem iuxta personæ qualitatem: patet; nam maritus nō tenetur debita soluere cum amissione status iustè acquisiti; ad suum verò statum pertinet vxorem alere iuxta personæ qualitatē: & ideo Sa. *n. 6. vsura.* ait: *plus tenetur vsurarius de rebus non in specie debitis, filiis, & vxori, quàm creditori.* Melius dixisset, de rebus propriis. Idem sentit Salon *art. 3. controuers.* 8. cum aliis recentioribus, & Sal. 5. Sed putat Nauar. dominiū vsurarum esse penes vsuriū, ideoque ait statum vxoris, & filiorum posse de his bonis sustentari, quod Mol. & alij meritò falsum putant, eò quòd dominium vsuratum non est penes vsuriū, vt superiùs diximus.

OBSERVAT autem inter alia Mol. si vxor sciens consumpsit aliquid cuius dominium ad maritum non pertinebat, teneri restituere domino totum quod ipsa inde consumpsit, quando maritus id non restitueret, quoniam tunc teneretur ratione rei acceptæ, ac acceptationis, seu consumptionis, quatenus vel iniustè rem consumpsit, vel si absque peccato, ac proinde non iniustè, quia id excusari non potuit, tenebatur rem consumere animo illam restituendi quando posset.

SED numquid poterit vxor viuente viro, & nec formaliter, nec virtualiter consentiente, restituere quæ vir iniustè acquisiuit? Respondet Astiensis *lib. 3. de vsura. tit. 11. art. 7.* quem citat, & sequitur Grasis *p. 2. lib. 2. cap. 24. n. 51.* nō posse, cùm nō sit domina rerū. Sed respondetur posse, si bona malè parta fuerint in propria specie, secus si sint consumpta: quia de bonis viri non potest disponere, etiam ad debita soluenda. Cùm autem aliena reddit propriis dominis, cauere debet, ne iterum ab illo, vel eius hæredibus restitutio fiat.

OCTAVVM corollarium, quid de filiis vsurarij, vel furis impotentis ad debita soluenda? Respondetur, si suo labore & industria tantùm parenti acquirunt, quantùm consumūt, ad nullā restitutionem tenentur, si verò non tantùm illi acquirunt, restituere tenentur, quantùm ea de causa parens impotens redditus est ad debita soluenda. Ita Mol. *disp. 330.* Sylvest. *vsura 8. quæst. 3.* Armil. *eodem verb. num. 39. & restitutio. n. 35.* Nauuar. *cap. 17. n. 269. & 270.* Lopez *illo cap. 71.* qui dicunt si huiusmodi filij labore proprio aliis seruiendo, vel aliqua alia ratione poterant se honestè sustentare, restituere teneri id in quo parens factus sit ad soluendum impotens. Si autem non poterant, non teneri ad restitutionem, quia in eo euentu parens sustentare illos tenebatur iuxta decentiam sui status: si tamen

Num. 13.

plus

Digitized by Google

plus consumunt, quàm status requirat, teneri id restituere. Consonant Sa §. & Merca *de vsura. cap.* 1. Plura agit Lopez de filiis §.

Num. 14. NONVM, quid de dote quam gener, aut filia ab huiusmodi debitoribus accipit? Molin. *disp.* 330. Sylvest. *vsura.* 8. *quæst.* 3. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 271. *& tit. de reddit.* quem citat Lopez, & sequitur *illo cap.* 81. aliíque, aiunt generum, aut filiam teneri restituere creditoribus quantùm qui dotem dedit, ea de causa impotens effectus est ad debita soluenda: addit autem Nauarr. si non sciuit, nec credidit, nec credere debuit gener socerum fieri impotentē ad soluēdum debita, non teneri ad restitutionem; quod verum esse ait Lopez, si dos data est de bonis propriis vsurarij, qualia nō sunt acquisita vsurariè: & consonat iis quæ Mol. Adrian. & Medin. docuêre, eum qui bona fide celebrauit cum vsurario contractus oneroſos, licet postea intelligat per illos factum fuisse impotentem ad debita soluenda, ad nullam teneri restitutionem, si bona illa erant propria ipsius vsurarij. In dote etiam à parentibus accepta specialis est ratio, quia ad eorum statum pertinet; competenter dotare filiam, quæ nec tenetur religionem ingredi, nec innupta manere: debita autem non sunt soluenda cum detrimento status. Ergo quanuis per dotem filiæ parentes reddantur impotentes, non tenentur filiæ, aut viri qui dotem competentem acceperūt iuxta exigentiam status soceri, vel parentum, restituere illam creditoribus, etiam si tempore quo promissa, vel soluta est, cognita fuerit talis impotentia. Falluntur ergo Vega *verb. vsura. casu* 37. *in fin.* & Emanuel *eod. verb. p.* 2. *cap.* 106. *n.* 9. dicētes generum qui recepit dotem etiam moderatam, vel non excessiuam à socero vsurario, cuius bona propria non sufficiunt ad soluendas vsuras, si id sciebat, vel scire debebat, peccasse, & ad restitutionem teneri, quia recepit dotem ab eo, qui nec dare, nec donare poterat: peccaréque etiam vxorem si cùm posset viuente, aut defuncto marito, dotem non restituat creditoribus patris; nam hoc solùm est verum cùm dos illi data est à parentibus aut excessiua, aut soluta in bonis quorum dominium parentes non habebant. Rectè autem Molin. Vega, Emanuel, & ferè alij in hoc corol. citati dicunt in eo euentu quo dos restitutioni obnoxia est, si qui eam dedit, haberet sufficientia alia bona ad soluenda debita certa, dósque solùm esse necessaria ad incerta debita soluenda, quæ proinde pauperibus essent restituenda, virum, & vxorem exigere posse ab Episcopo, vt ipsis tanquam pauperibus eam applicaret ad vitam transigendam, sustinendáque matrimonij onera. Addimúsque in eo euentu vsurarium posse propria auctoritate bona incertis personis debita, expendere cum vxore, filiis, & famulis, si pauperes sint, illíque indigeant ad proprij status iustè acquisiti conseruationem, neque possint illum conseruare nisi ex eleemosynis. Imò iam superiùs diximus, vxorem vsurarij sola bona vsuraria habentis, si non habeat vnde aliàs iuxta suum statum viuat, posse ab Episcopo impetrare, vt ipsi tanquam pauperi applicet vsuras incertis personis debitas. Quod etiam docent Vega *illo casu* 36. & Emanuel

Emanuel *illo cap.* 106. *n.* 8. addentes id quod etiam superiùs diximus; si vxor continuè maritum moneat, vt vsuras restituat, posse de bonis mutuatariorum iustam compensationem capere.

Num. 15. VNDECIMVM, quid de eo, qui mutuò huiusmodi debitoribus dedit? Sylvest. *vsura.* 8. *q.* 7. Ang. *restit.* 1. *n.* 22. aiunt, si sciebat, aut verisimiliter præsumebat illos mutuum velle ad inutiliter illud expendendum in ludis, deliciis, vel aliis similibus, non posse ab illis solutionem accipere: si verò illam accipiat, restituere teneri ipsorum creditoribus, quantùm illi mutui occasione, eiúsque solutione impotentes effecti sunt ad debita soluenda. Idem respondét, quãdo aliquis ab eis aliquid emit, sciẽtibus, aut præsumentibus eum illud velle ad inutilia, & quando simili modo cum eis celebrauit quemuis alium contractum. Idem sentit Mol. *disp.* 330. Lopez 2. *p. c.* 81. Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 16. *corol.* 2. Nauarr. *c.* 17. *n.* 264. qui tamen quod dictum est, mutuantem impotenti ad soluenda debita, & in rebus vanis cõsumpturo, non posse ab eo solutionẽ accipere, limitat ad forum conscientiæ, vel ad casum quo debita essent æquè priuilegiata iuxta dicta ab eo eodem *c.* 55. vbi cum Caiet. *verb. restit. c.* 8. dixerat priùs etiam soluenda debita per cõtractus licitos, quibus debitor non fuit effectus paupèrior: huiusmodi sunt contractus mutui, emptionis, &c. Sed Lopez ait debitũ vsurarum semper esse magis priuilegiatũ, quàm debitũ eiusmodi mutui, quia etiam hoc illicitè contractum est. Sed quo ordine vsurarum restitutio fieri debeat, differetur in materia de restitutione, & aliquid dicetur corollario sequenti, & dubio proximo: nunc tantùm dico mutuum ad necessitatem vitæ, vel status præferendum esse vsuris, etiamsi eius solutio restitutionem vsurarum omnino impediat: mutuum verò ad non necessaria postponendum vsuris esse, si earum impediat restitutionem.

Num. 16. VNDECIMVM, an vsurarius qui non habet bona vnde restituat vsuras, & vxoris dotem, teneatur potiùs vsuras soluere? Salon *art.* 3. *controu.* 9. ait tribus modis vsurarium posse dotem vxoris consumpsisse. Primò, sine consensu ipsius, vt ludis, meretricio, vel alia simili via, cui vxor nullatenus consenserit. Secundò, ipsa consentiente, vt in rebus domesticis vtrique gratis. Tertiò, per casum, vel infortunium ignis, furti, &c. Quo supposito cum quibusdam recentioribus statuit has conclusiones.

Num. 17. PRIMA est, cùm dos casu, vel infortunio consumpta est, vxor cuius debitum dotale anterius vsuris est, & similiter alij creditores anteriores mutuatariis possunt ex bonis nõ vsurariis, neque per vsurarias pecunias acquisitis ante mutuatarios solutionem accipere, licèt vsurarius non maneat soluendo mutuatariis; non tamen exigere, aut petere talẽ solutionem. Et quòd possint hanc solutionem recipere, probat, quia tales creditores habuêre ius in illa bona vsurarij, antequam mutuatarij, nec reddunt illum ipsi impotentem ad soluendas vsuras, sed ipse solus se impotentem reddit. Ergo possunt talem solutionem recipere: vtuntur enim iure suo, & vsurarius nullo iure impeditus est ad soluen-

dum

Digitized by Google

dum illud; & sic solutio valida est, quanuis ex parte solutionis illicita. Neque obstat contractus vsurarios quibus redditur impotens ad soluendum, inualidos esse: nam hoc intelligi debet de contractibus gratiosis, aut lucratiuis, aut de illis quibus distrahuntur res vsurariæ, vel per pecuniam vsurariam acquisitis, non de contractibus oneros is, quibus alia ab vsurario possessa distrahuntur. Quòd autem non possunt illi talem solutionē petere, probat, quia sic redderent vsurarium impotentem ad restitutionem, quod nō licet.

Num. 18. SECVNDA conclusio, creditores posteriores mutuatariis, & similiter vxor, si eius debitum dotale posterius est debito vsurarum, quando dos eius consensu consumpta fuit, non possunt solutionem vltrò etiam oblatam recipere; si vsurarius alia bona non habeat præter ea quæ ad restituendas vsuras necessaria sunt.

PROBAT primò, quia tunc mutuatarij priùs habent ius in illa bona: ergo posteriores cum ipsorum incommodo præferre iniquum est. Secundò, quia debita contracta cū maiori iniuria, priùs restituenda sunt. Sed debitum vsurarum contractum est cum maxima iniuria mutuatarij: ergo priùs soluendū est. Tertiò, cùm omnes pecuniæ vsurariæ post acceptas vsuras sint obnoxiæ restitutioni, donec vsuræ sint restitutæ, quicumque deinceps contraxerunt cū vsurario, non possunt ex pecuniis id onus habentibus solutionem accipere, quin priùs vsuræ soluātur. Vnde si vsurarius nō habeat alia bona præter ea quæ ad solutionē vsurarū necessaria sunt; perinde se habēt posteriores ij creditores, ac si vsurarius in ordine ad posteriora debita nulla propria bona haberet. Confirmatur, quia si creditor tunc sciat suū debitū esse posterius aliis iustè contractis, non poterit eius solutionem accipere: ergo nec sciens vsurarum debitū esse antiquius; eadem enim ratio est.

Num. 19. TERTIA conclusio, vsurarius nō habens alia bona quàm necessaria ad restituendas vsuras, iniquè agit priùs soluens aliis creditoribus, etiā anterioribus, vel vxori, cuius dos casu cōsūpta fuit, quā restituat vsuras.

PROBAT primò, quia sicut soluēda sūt priùs debita antiquiora, quàm posteriora, ita contracta cū iniuria, quocumque tempore contracta fuerint, priùs soluenda sunt, quàm iustè contracta: sed debita vsuraria sunt iniustè cōtracta: ergo priùs restituēda, licèt si creditores anteriores præferantur, factum teneat, sicut in prima conclusione expositum est. Secūdò, cùm omnia bona vsurarij substituantur loco vsurarij, sub eodē vinculo manent: ergo illa quibus indiget ad restituendas vsuras, nulli alteri conferre potest. Dices, vsurarius non potest præferre anteriores creditores: ergo illicitè illi recipiunt solutionem, quia eius cooperantur peccato. Respondetur, non cooperari quando vltrò ille solutionem offert, quia tunc non exigunt, neque consulunt, sed habēt se merè passiuè recipientes solutionē debiti adquod habēt ius maximè cū solutione quæ verè est soluentis.

Num. 20. QVARTA conclusio, qui dotem consumpsit sine vxoris consensu in ludis, &c. habētque alia bona præter vsuraria, & per vsurariam pecuniā parta, priùs debet soluere vxori dotē, quā mutuatariis vsuras, esto nulla bona ipsi maneāt ad ipsas soluēdas, quòd si dotē vxoris cū ipsius cō-

Digitized by Google

sensu consumpsit, ex huiusmodi bonis priùs debet vsuras soluere quàm dotem. Prima pars probatur, quia debitum contractum cum maiori iniuria, priùs est restituendum; sed debitum dotis quando vxor non consensit in eius ruinam, est cum maiori iniuria contractum, quàm vsuræ debitum. ergo, &c. Etiamsi dotale debitũ posterius sit, ratione enim maioris iniuriæ præferendum est etiam antiquioribus in foro conscientiæ, quanuis in externo antiquiora debita doti præferãtur. Ex quo infertur, vxorem tunc de illis bonis posse se, virum, & familiam alere, cùm bona illa, quantùm dos ipsa exigit, ipsius sint omnino, possítque de illis pro libito disponere. Secunda pars conclusionis probatur, quia debitum vsuræ contractum est cum iniuria; debitum autem dotis consensu vxoris consumptæ non est contractum cum iniuria.

Num. 21. QVINTA conclusio, vsurarius potest per aliquod tempus non soluere debita, & seipsum alere illo tẽpore, quo indiget ad computãda debita, & quo explorat, quid sit priùs restituendum, colligítque pecunias ex quibus restituat, nec solùm seipsum, verùm etiam vxorem, & familiam alere potest, dando illis sola necessaria, iuxta decentem sui statum, sicut in materia de restitutione dictum est. Quòd si per vsurarios, vel alios iniustos contractus statum comparauit, non potest se alere iuxta illum statum, neque aliquid aliud accipere præter necessaria naturæ. Hæc Salon. Quòd si iam non habebat bona vsuraria, sed alia iusto titulo acquisita, quanuis necessaria ad restituendas vsuras, ait creditores anteriores, & vxorẽ, cuius dos vsurã præcesserat, posse solutionem vltrò oblatam ab vsurario accipere, illámque exigere, tum, quia creditores isti exigunt, quæ iure sibi debentur, possúntque sibi potiùs quàm mutuatariis consulere, tum, quia eorum debita sũt antiquiora, ac proinde præferenda. Creditores verò quorũ debita posteriora sunt debitis vsurariis, posse solutionem ab vsurario oblatam recipere, etiamsi non maneãt illi bona, vnde vsuras restituat, quia ipsi non reddunt vsurariũ impotentem ad restituendum, sed recipiunt, quod verè illis debitum est ex pecunia, cuius vsurarius est dominus, & quam neque vsurariè extorsit, neque per vsuraria bona comparauit, sed alio titulo iusto habuit: nõ posse autem hos debita exigere, quia vsurarium redderent impotentem ad soluendas vsuras, quæ priùs essent soluẽdæ; quò fit vt vxor, si eius debitum dotale posterius est debitis vsurariis, viro sponte offerente solutionem dotis, possit illam recipere, non tamen exigere.

SED Salon non rectè refert sententiam Med. neque veram proponit. Primò enim nec Med. distinguit, nec distinguendum est inter bona per pecuniam vsurariam comparata, & alia iustè habita; sed de vtrisque idem est dicendum, quia vtrorumque vsurarius æqualiter est dominus, & vtraque æqualiter sunt obligata solutioni vsurarum, scilicet obligatione tantùm personali. Secũdò, falluntur Salon, & Med. existimantes quãdo vsurarius de propriis bonis priùs ei soluit, qui secundùm iustitiæ ordinem postponẽdus esset, eum qui solutionem accipit, nõ iniustè

Num. 22.

Digitized by Google

iustè accipere, licèt interdum iniustè exigat: nam quoties vsurarius iniustè soluit, creditor id sciens iniustè recipit, eo quòd vnus dãdo, alter recipiẽdo vsurarium reddit impotentem ad soluendum iis, qui secũdùm iustitiæ ordinem præferendi essent; & qui iustè accipit, iustè exigit, & è cõtrà, quia eadem est ratio de exactione & acceptione. Si ergo in aliquo euentu iniustè aliquis exigit, iniustè etiam accipit.

TERTIO, fallitur Med. putãs quoties vsurarius de bonis propriis soluit, licèt non seruet iustitiæ ordinẽ, accipientem tamen ad nullam restitutionem teneri, eo quòd solutio valida fuerit: licèt enim tunc debiti solutio valida videatur, nisi aliud iure positiuo dispositũ sit: tamen is qui illam accipit, contra ius aliorum creditorum facit, ideóque ratione iniustæ acceptionis, seu damni illati tenetur illis restituere, quanuis si bona fide accepit, licèt postea sciat debitorem ea solutione factum impotentem ad soluenda alia debita, quæ essent præferenda, ad nullam restitutionẽ teneatur, quia nihil alienũ habet, nihílque iniustè accepit, esto solutio illa interdũ per Iudices rescindi possit, qua recisa qui solutionẽ accepit, tenebitur restituere creditoribus, qui præferendi erant.

QVINTO, multa apud Doctores incerta, falsa, vel distinguenda miscet Salon, quæ non possunt hìc exactè discuti: sed in materia de ordine restitutionis; nempe debita iniustè contracta priùs esse soluenda, & inter iniustè contracta ea quæ cũ maiori iniuria contracta sunt, & inter ea quæ sunt eiusdem ordinis antiquiora, de quibus tamen aliquid dicemus dubio sequenti; nunc satis est debita priuilegiata (in quibus est dos) præferenda esse non habẽtibus priuilegiũ, siue contracta sint cum iniuria, aut maiori iniuria, siue non, siue antiquiora sint, siue posteriora; nihil horũ enim attẽdendũ est, quando alia debita sunt priuilegiata.

FALSVM quoque est quod ait Arag. *art. 3. dub. vlt.* de bonis debitoris solutionem debiti antiquioris vsuris licitè priùs recipi, & exigi: debiti verò recẽtioris licitè recipi, sed illicitè exigi, quãdo debitor per hoc fit impotens ad priorũ solutionem debitorum.

ADDE vlteriùs contra Salonem, maiori cum iniuria exigi vsuras, quàm dotem consumi, vt cùm vxor non admodùm est irrationabiliter inuita in eius cõsumptione: ac proinde non semper ratione maioris iniuriæ debitũ dotale præferendum esset debito vsurarũ, vt existimauit Sal. sed ratione priuilegij dotis.

SEXTO, verũ est quod Salon dicit, de bonis propriis non debere fieri restitutionem cum detrimento vitę, vel status iustè acquisiti; quod etiam docet Val. *disp. 5. q. 21. p. 3.* Nauarr. *c. 17. n. 63. & 268.* aliíque communiter hìc, & in materia de restitutione. Sed malè id limitat Sal. ad bona propria non comparata per pecuniam vsurariã: nam, vt diximus, de iis, & aliis eadem ratio est.

DVODECIMVM corollarium, ex dictis sequitur non esse omnino vera multa quæ absolutè docet Angl. *q. vlt. de vsura. art. 5. difficult. 2.* de obligatione restituẽdi nonnulla accepta ab vsurariis, sed partim reiicienda, partim distinguenda iuxta superiùs dicta, quod etiam intellige de aliis *Num. 23.*

Digitized by Google

dictis à Pala.4.*de contract. cap.*9.Arag. & Bannez *hîc art.* 3.

Num.24. NOTA autem quæ dicta sunt de vsurario reali,intelligenda etiam de mentali: nam teiam vsura mentalis obligat ad restitutionem,vt latè Val. *illo puncto* 3. Vega alios citans *verb. vsura.casu* 42.Salõ *hic art.* 3.*contro.* 12. Pala.4.*de contract.cap.* 9.*in fin.* Corad. *q.*264.Sot.6.*iustit. q.* 1.*art.* 4.*ad* 3.& nos latè initio huius materiæ.

DVBIVM XLIII.

An hæredes vsurarij ad restitutionem vsurarum teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Si vsurarij dum viuerent vsuras non soluerunt, eorum hæredes illas tenentur restituere; ac possunt ad id cogi in externo foro.*

2 *Vtrùm hæredes vltra vires hæreditatis teneantur?*

3 *An si vnus hæredum impotens effectus sit ad soluendum, aut ratione aliqua non restituat, cæteri teneantur?*

4 *De ordine in restitutione seruando.*

5 *An fures non stantes in propria specie prius sint restituenda, quàm debita contracta per licitos contractus?*

6 *Quid quando vtrumque debitum vsurarium est,alterum tamen antiquius?*

Num.1. RESPONDETVR, si vsurarij dum viuerent,vsuras non soluerũt, eorum hæredes restituere illas tenentur,atque ad id cogi in externo foro possunt, perinde ac vsurarij ipsi dum viuerent,vt habetur *cap. cùm tu. de vsuris.* quod etiam locum habet in omni damno temporali iniustè proximis illato, & non debito, defuncti actiones quippe actiuæ ad hæredes vt trãseũt,ita & passiuæ aduersùs eos transeũt, tametsi non ad soluendam pœnam pro delicto defuncti,quando delictum morte defuncti expirauit. Mol. *disp.*332. Couarr. 3.*Var. cap.*3. *n.*7. Caiet.*tom.*2. *opusc.*8.*quæst.*5. Emanuel.2.*p.cap.*106.*n.*3.Sylvest.*vsura.*6. *quæst.* 10. Sa *eodem verb.n.*14.Salon *hîc art.* 3. *contro.* 10. Aragon *conclus. vlt.* Bannez *dub.vlt* Med.*quæst.*4.*de vsuris.* Cor. *quæst.*233.Abul.Matth.5.*q.*267. *& duabus sequẽtibus,* aliíque referendi.

Num.2. VTRVM autem hæredes vltra vires hæreditatis teneãtur, consentiũt omnes non teneri, quando inuentarium confecerunt : quando verò illud non confecerunt, Mol. *disp.* 317. cum Couar.3.*Variar.cap.*3.*n.*8. docet teneri vltra vires hæreditatis etiam in foro interno,quanuis Couarr. excipiat hæredes vsurarij circa vsuras soluendas,quia *cap.quanquam. de vsuris. in* 6. præcipit satisfactionem vsurarum fieri iuxta vires hæreditatis. Sed Mol. *disp.*332.aït verba hæc non probare sufficienter hanc exceptionem : tum, quia textus non loquitur in illo euẽtu ,qui rarissimus est,quãdo hæredes inuentarium non confecerunt, tum,quia si textus vellet excipere hæredes vsurariorum, etiã in foro externo excepti essent,ita vt neque in illo cogerentur restituere integras vsuras quando inuẽtariũ non confecerunt , cùm de externo foro ibi sit sermo. Hoc autem est falsum, & contra glos. ibi, *verb. facultates.* ergo. Sed tenendum est non solùm in casu vsurarũ,sed etiam in aliis hæredes , qui inuentarium non confecerunt,non teneri in foro interno , sed externo tãtùm restituere vltra vires hæreditatis. Hanc esse communem sententiam fatetur ipse Mol.eam tenent

Digitized by Google

nent Sot. ẽ. Lopez 2. *p. cap.* 80. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 31. Salon *illa controu.* 10. Bannez *illo dub.* 4. Mercad. *de vsur. cap.* 11: Abulens. Emanuel, & Sa ẽ. idem significat. Ratio autem est, quia leges disponentes eos, qui non confecerunt inuentarium teneri etiam vltra vires hæreditatis, fundantur in præsumptione: ergo quãdo quis certus est de viribus hæreditatis non tenetur in conscientia vltra illas debita soluere.

SI autem hæredes multi sint, restituere vsuras, vt quæcumque alia debita, tenentur pro rata iuxta portionem hæreditatis secundùm Mol. Tolet. & alios suprà.

Num. 5. SED quid si vnus eorum impotens effectus sit ad soluendũ, aut ratione alia non restituat, an reliqui restituere teneantur, saltem quò vsque portiones suas exhauriant? Glos. *cap. tua nos. de vsuris.* & antiquiores Canonistæ arbitrantes omnia vsurarij bona esse hypothecata pro vsuris soluendis, affirmanter respondent. Recentiores verò, de quorum numero sunt Panorm. *cap. tua nos. citato.* & Anton. apud Sylvest. *illa quæst.* 10. *ver.* 3. aliíque affirmant eandem opinionem esse sequendam, & practicandam, vt defuncti anima integræ satisfactionis effectu citiùs à pœnis liberetur; in rigore tamen ad id non teneri, quia vsurarij bona hypothecata non sunt pro vsuris soluendis, & passiuæ actiones quæ aduersùs defunctum erant, hæreditariáque onera pro rata inter hæredes dispositione iuris diuiduntur, vt constat ex *l.* 2. *C. de hæreditar. actionib. & ex l. pacto succesſorum. C. de pactis. & disp.* 155. docet Molin. qui quantùm ad vsuras idem docet (ob rationem Panorm.) *illa disp.* 5. Sot. *illo art.* 4. *ad* 3. Sylvest. *illo ver.* 3. Salon *illa controu.* 10. dicens esse omnium Thomist. Confessorum Sum. *lib.* 2. *tit.* 7. *quæst.* 54. Eman. *tom.* 2. *cap.* 106. *n.* 3. Nauarr. 3. *de restit. cap.* 2. *p.* 2. *dub.* 17. vbi ad explicãdam obligationem restituendi vsuras quæ ad hæredes transit, dicit primò, filij, vel alij hæredes vsurariorum tenentur restituere pro viribus hæreditatis, *cap. tua nos. & cap. Michaël. de vsuris.* & colligitur ex *l. quæ persona. ff. de regul. iuris.* Et ratio est, quia cùm hæres succedat in honore, & bonis, debet etiam succedere in onere. Secundò, si hæredes succedant non solùm in bonis, sed etiam in crimine vsurarum, tenentur in solidum. ita decernitur *illo cap. tua nos. de vsuris.* Et ratio est, quia omnes participantes in iniusta acceptione tenentur in solidum, ita vt altero deficiente ipsi in integrum soluere debeant. Vnde in *l.* 2. *C. de fructib. & expens.* dicitur: *hæredis succedentis in vitium par fortuna habenda est.* Tertiò, si res in specie staret, tenerentur illam integram restituere. In his tribus omnes conueniunt.

ADDIT tamen quartò, verissimã esse sententiam Med. & aliorum asserentium, quòd si hæres, vel ignorãtia, vel alia causa nõ sucedit in crimine, sed tantùm in bonis defuncti, non tenetur restituere, nisi eam portionẽ debiti, quæ ad ipsum pertinet, etiamsi alter suam non soluat propter impotẽtiam, vel aliam causam, quia in succesſione, & diuisione hæreditatis, sicut bona ipsius defuncti diuidũtur, ita etiã diuiduntur debita. Ergo quilibet hæres sicut in bonorum parte, ita in debitorum parte succedit, non in omnem obligatio-

Digitized by Google

nem,& æquitas postulat, vt qui honorem, & bona solùm in parte consequitur,solùm etiam in parte onus, & obligationem suscipiat, maximè cùm bona vsurariorum non sint pro vsuris hypothecata. Nauar. *cap.* 17. *n.* 278. tenet quando alij hæredes non soluunt, quia nolunt, vel non possunt, quemlibet teneri ad integram restitutionem, donec suam portionem exhauriat. Probat ex *cap. tua nos. de vsuris.* vbi dicitur,hæredes ea esse districtione cogendos vsuras soluere, qua defunctus cogeretur,si viueret: constat autem quòd si ille viueret, & media suorum bonorum pars periret, teneretur de residua satisfacere. Ergo cùm stent eadem bona eadem obligatione ad hæredes descendentia, si bona in altero hærede pereant, vel ab eo exigi non possint, tenetur hic de illa residua parte creditoribus satisfacere. Hanc sententiam tenet Ang. *quæst. vlt. de vsuris.art.* 3. *in fin.* Abulen.Matth.25. *quæst.*268.cum Host.*in Sum. tit. de vsuris.* §. *qua pœna.* Sa *verb. vsura. n.* 14. & in eandem tanquam in securiorem,probabiliorem, & magis iuridicam, rationique consentaneam propendent Vega *verb. vsura. casu* 37. Lopez 2.*p. Instructor. cap.* 80.*quæst.*10. Eandem tenet Palac. 4. *de contract. cap.*9.*pag.*342.*col.*2.quanuis *pag.*344. *col.*2. expressè doceat oppsitum cum Almai. 4. *dist.*15.*quæst.*2. Hanc etiam tenet Ancharr. *reg. peccati venia. de regul. iuris.in* 6. cum communi Canonist. apud Sylvest. *illo ver.* 3. Ego eandem probabiliorem iudico, ad quam defendendam non est necessarium dicere, omnia bona vsurarij esse tacitè hypothecata,seu obligata obligatione reali pro vsuris soluendis;sed satis est esse obligata obligatione personali, quæ etiam transit ad hæredes; nam defuncti personam repræsentant.Et certè,vt notat Abu. & Host. sæpe hæredes tenentur ad id ratione delicti, quia deberent curare, vt debita soluerentur antequam hæreditas diuideretur, aliisque suæ portiones traderentur. Nec leges in contrarium vrgent;solùm enim præcipiunt debita ab hæredibus pro rata restitui, non autem præcipiunt, nec volunt, si vnus non restituat,reliquos non teneri ad integram restitutionem. Tenendo tamen priorem opinionem ad *cap. tua nos.* respondent Medin. Molin.Nauarr. & Nauarra, & alij communiter, ex eo solùm colligi obligationẽ restituendi transire ad hæredes; quod intelligendum est pro rata hæreditatis, non ita vt quisque alio deficiente teneatur in solidum. Secundò, respondet Nauarr. textũ loqui de hærede participante in crimine vsurarum: ait enim filium succedentem in crimine vsurarum teneri,sicut parens si viueret teneretur; idémque de extraneo, scilicet succedente in crimine. Ex quibus colligit Nauar. multo minùs legatarium teneri restituere deficiẽtibus hæredibus, maximè quando ex legato defunctus non fit impotens ad soluendum. Idem docet Medin.

Num. 4. DE ordine autem quem vsurarius, & eius hæredes, aliique debitores in restitutione seruare debent, multa hîc dici possunt, quæ tamen potissimè pertinent ad materiã de restitutione, de quibus Caiet. *verb.restitutio.cap.*8. Sylvest. *restitutio.*6. *quæst.* 5.*vsque ad* 8.*& vsura.*6.*quæst.*10. *dicto* 1. Ang. *restitutio.*2. §. 16. Armil. *eodem*

Digitized by Google

eodem verb. n. 35. Tabien. §. 25. Grafis *part. 1. lib. cap. 133.* Medi. *de restitut. quæst. 2.* Nauar. *cap. 17. art. 47.* Nauarra *6. de restitut. per totum.* Philiar. *lib. 6. cap. 29.* Gab. *4. dist. 15. quæst. 2. dub. 6.* Palud. *quæst. 3.* Angles *quæst. de restitut. art. 3.* Aragon, Salon, Bannez *2. 2. quæst. 62. in fine.* Val. *disp. 5. quæst. 6. p. 10.* Bald. *l. pro debito. C. de bonis auctor. iudicis possiden.* Antoni. *2. p. tit. 2. cap. 7. §. 3.* Medin. *1. Sum. cap. 14. §. 33.* Mol. *disp. 536. in 2. tom.* Sa *verb. restitut. n. 62. & sequentibus.* Tolet. *lib. 5. cap. 25.* Lopez *1. p. cap. 110. & 111.* Emanuel *2. p. cap. 46.*

Num. 5. QVOD magis ad hanc materiam pertinet, est, an vsuræ non stantes in propria specie priùs sint restituendæ, quàm debita contracta per licitos contractus? Quidam dicunt hæc priùs esse soluenda quàm contracta per vsurarios, vel alios illicitos contractus. Caiet. Bartol. Medi. Tole. Philiar. Tabien. Val. Sa, Angl. Grafis, & Emanuel §. Corona *cap. 6. n. 24.* Lopez §. *& 2. p. cap. 81.* Nauar. *cap. 17. n. 52. & 264.* Quod verum est si cætera sunt paria, & quantùm ad ratam cuiusque creditoris: & ratio est optima, quia in debitis contractis per vsurarios, vel alios illicitos contractus creditor voluit rem quæ ab ipso iniustè extorta est, dare simpliciter, & sine vlla conditione futuræ restitutionis, ideo minùs ei debetur, quàm quod alij debetur ex contractu licito, qui omnino voluit postea sibi fieri solutionem. Vnde non est verum quod generatim dicunt Ioann. Medin. §. Salon §. *& quæst. 78. art. 3. controuers. 9.* priùs esse soluenda debita per rapinam, vel furtum contracta, quàm quæ per contractus licitos contracta sunt, vt docent Lopez, Grafis, Emanuel, Salon, & Ioan. Medin. cum Bonau. quòd in furto, & rapina non procedit ratio in vsuris facta. Fateor etiam quod dicunt Salon, Ioann. Med. & Val. priùs esse restituenda debita ex rapina quàm ex furto, scilicet per se loquendo, & cæteris paribus, quia retentio est æquè inuoluntaria creditoribus; & maior fuit iniuria in rapina, quàm in furto. Dixi autem cæteris paribus priùs esse soluenda debita iustè contracta, quàm orta ex contractu iniusto, quia alia interdum præponderant, vt antiquitas debiti, necessitas creditoris, & similia, quæ considerandæ sunt ad præferendum vnum debitum alteri, in sua tamen rata, quia debita non priuilegiata pro rata soluenda sunt, & non in integrum, etiamsi vnum sit aliis antiquius, &c. Ideo Nauarr. §. *dub. 8.* Sylvest. §. *verb. restitutio.* Bannez, Arag. Ang. Molin. & alij dicunt, in restitutione nullum ordinem necessariò seruandum inter debita contracta licitè, & illicitè, quando nullum eorum habet priuilegium.

Num. 6. Sed quid, quando vtrumque debitum vsurariè contractum est; alterum tamen est antiquius? Guil. apud. glos. *cap. 2. de vsuris. in 6. verb. facultates,* dixit habēdam esse temporis rationem, & ei qui primò soluit vsuras, debere primò fieri integram restitutionem. Sylvest. autem cum Laur. de Rodulf. ait si bona vsurarij non sunt hypothecata pro vsuris soluendis (vt diximus §.) satisfactionem debere illis fieri pro rata, quod verum est; ita tamen vt si cætera sint paria, antiquior creditor in sua rata præferatur.

DVBIVM

DVBIVM XLIV.

An cooperantes ad vsuram peccent, & ad restitutionem teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Auctores referuntur.*

2 *Qui cooperatur ad vsuras ex parte mutuatarij, ad nullam restitutionem tenetur.*

3 *Qui cooperatur ex parte vsurarij consulendo, etiamsi vsuras non exigat, nec recipiat, esto peccet lethaliter, non tenetur ad restitutionem.*

4 *De eo qui apud vsurarium deponit pecuniam, non vt ea vsuras exerceat, attamen existimans ea vsurum esse ad vsuras, distinguendum est. Vera opinio explicatur, ad contraria fundamenta respondetur n. 5.*

6 *Domini, Iudices, aduocati, aut quicũque alij, qui statuto, precepto, aut quouis alio modo vsurarios iuuant in vsuris à mutuatariis exigendis, aut ad earum solutionem compellendis, peccant mortaliter, & tenentur restituere vsuras.*

7 *Quid de tabellione seu notario conficiẽte instrumentum contractus vsurarij dicendum sit? n. 8. 9.*

10 *Quid de testibus instrumento conficiẽdo intereſſentibus?*

11 *Quid de gestoribus negotiorum, factoribus, curatoribus, famulis, atque aliis qui dant ad vsuras, atque exigunt ac recipiunt?*

12 *Quid de ministris merè executoribus, aut scribentibus ad memoriam quãtum cuique ad vsurã sit datũ, de famulo custodiẽte fœnebrẽ pecuniã, de proxenetis, vel aliis? n. 13. 14. 15. 16.*

DE hac re Tol. *lib. 5. c. 36.* Vega *verb. vsura. casu 38. & sequentib.* Pala. *4. de contract. c. 10.* Emanuel *c. 106. n. 7.* Sal. *hac q. 78. art. 3. controuers. 11.* Aragon *eod. art. dub. vlt.* Bann. *dub. 5.* Val. *disp. 5. q. 21. p. 3.* Cor. *in Sum. q. 235.* Mercado *de contract. c. 11. ad fin.* Sot. *6. iustitia. q. 1. art. 4. in fin.* Villag. *de vsuris. q. 33.* & *verb. vsura. n. 12. & 13.* Mol. *disp. 331.* Medin. *q. 4. de vsuris.* Nauarr. *in 3. de restitut. c. 2. p. 2. dub. 18.* Nauarr. *c. 17. n. 267. & seqq.* Armil. *eodem verb. n. 39. & seqq.* Ang. *restitu. 1. à n. 4.* Angl. *q. 2. de restitut. art. 1. dub. 3.* Lopez *2. p. c. 82.* Palud. *4. dist. 15. q. 2. art. 3. & 5.* Abulenſ. Matth. *25. q. 285.* Anton. *2. p. tit. 1. c. 9. §. 13.* & aliis. Generatim autem omnes docent, eum qui cooperatur vsurario, & efficaciter infert damnum mutuatario, teneri ad restitutionem ex *regul. iuris. in 6. qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.* & alia reg. *si tua culpa datum est damnum, iustè super iis satisfacere te oportet.* & Rom. *1. digni sunt morte non solùm qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ergo à fortiori peccant, & tenẽtur restituere qui vsurariis cooperãtur. Sed vt res magis explicetur, quia multas continet difficultates. *Num. 1.*

DICO primò, qui cooperatur ad vsuras ex parte mutuatarij, ad nullã restitutionem tenetur, esto persuadeat vsurario, vt mutuum ad vsurã concedat, & esto persuadeat mutuatario, vt soluat vsuram, neque alia via vsurarius mutuũ offerat, & esto de consensu mutuatarij instrumentum conficiat, quo posteà mutuatarius vsuram soluere cogatur, quia sicut mutuatarius petendo ad vsuras nõ committit iniustitiam, ita neque qui partes illius cum vsurario agit, tametsi *Num. 2.*

Digitized by Google

tametsi scandali peccatū vsuras suadendo incurrere possit, sicut mutuatarius possit scandali peccatum incurrere incitando vsurarium ad vsuras: in eo autem quòd quis absque fraude & dolo suadeat mutuatario vt vsuram soluat, partes ipsius agendo, & non vsurarij, nulla fit ei iniuria, neque id est communicare peccatorum vsurario, sed tenere se ex parte mutuatarij. Ita Mol. Med. Nauarr. Nauarra, Val. & ferè omnes citati.

Num. 3. Dico secundò, qui cooperatur ad vsuras tenendo se ex parte vsurarij, & absolutè illi suadendo, aut consulendo vt mutuet sub vsuris, vel dando illi pecuniam, vt vsuras exerceat, etiamsi fiat sub conditione, vt pars ei cedat, seu contrahendo societatē cū vsurario, si nihil amplius faciat, id est, vsuram non exigat, seu recipiat, esto lethaliter peccauerit id suadendo, aut pecuniam ad id referendo, secundùm multos non tenetur ad restitutionem, quia non dat causam efficacem damni, præsertim cùm mutuatarius posset vsuram nō soluere. Ita tenet Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 2. *concluſ.* 3. Medin. & Tol. 5. Sum. Cōfess. *lib.* 2. *tit.* 7. *q.* 71. Angel. *restitutio.* 1. §. 4. Sylvest. *vsura.* 7. *q.* 2. cum Alex. Lombard. Monaldo, Rodonensi, & aliis. Idem videtur tenere Sa *verb. vsura. n.* 12. Mol. tamen ait contrariū omnino esse amplectendum: quod tenēt Sot. Nauarr. Arag. Bann. Sal. Val. Mercad. Cor. & alij cōmuniter 5. Veg. 5. *casu* 39. & 43. dicens esse omnium, Palud. *ille art.* 3.

PROBATVR, quia esse causā consulentē, vel pecuniam præbere ex fine vt vsuræ exerceantur, & damnū proximo inferatur, sufficit ad inducendā obligationē restituendi. Neque obstat quòd mutuatarius posset vsuras non soluere; nam sicut eo nō obstante vsurarius tenetur ad earū restitutionē, ita qui per consiliū suum, vel alio modo in causa fuit, vt mutuatarius damnum pateretur: teneretur tamē qui sic fuit causa damni, in defectū tantùm eorū restituere ad quos vsurarū cōmodū deuenit, qui eidem resarcire tenerentur, si quid loco illorum restituat.

Num. 4. Dico tertiò, de eo qui apud vsurarium pecuniam deponit, non quidem vt ea vsuras exerceat, attamen existimans vsurū ea pecunia ad eum finē, distinguūt D. Thom. *q.* 78. *art.* 4. *ad vltimum*, & alij secundùm Mol. 3.

QVOD si depositarius habebat, vel facilè habiturus erat pecunias alias, quibus exercuisset vsuras, qui deposuit, neque peccabit, quia solùm vsus est hoc peccatore ad depositū, & custodiam suæ pecuniæ; illi offerendo, quod ex malitia illius futurū erat illi materia peccati, cùm tamen defutura illi non esset aliūde similis alia materia: si autem depositarius habiturus non erat aliūde pecuniā ad vsuras exercendas, saltē in ea quātitate, tūc peccatū fuit absque ingēti necessitate deponere apud illum pecunias, eo quòd vitare tenebatur peccatū illius, & proximorū damnū. Sed rectè ipse Mol. ait, etiam in hoc casu deponētē non teneri ad restitutionem, quia non ex iustitia, sed ex charitate tenebatur non deponere, & non induxit ad vsuras, neque eas intendit, sed præter intentionem ipsius sequutæ sunt. Idem esse putat, si mutuō, aut quocumque alio iusto cōtractu eandē pecuniam vsurario dedisset, nō intendēdo

quòd ea ratione vsuras exerceret. In cuius doctrinæ illustrationem aduerte, vsurarium qui depositò vtitur ad exercendas vsuras, duo peccata committere: alterum iniustitiæ contra mutuatarium, alterum cõtra depositorem pecuniæ, quod peccatum infidelitatis appellãt Caiet. & Arag. *illo art. 4. ad vltimum.* Bannez ibi *dub.* 4. & Salon *controuers.* 4. Reuerà tamẽ etiam est iniustitia, quia depositarius distrahendo rem depositam, etiam in negotiatione alioqui licita, contrectat rem alienã domino rationabiliter inuito. Quod intellige quando id fit cum aliqua incommoditate depositoris, vel aliquo ipsius periculo, quæ si leuia sint, peccatum erit veniale, si grauia, mortale: si verò nulla interueniat incõmoditas, nullúmque periculum, eo quòd depositarius opportunè omnino aliam pecuniam deponenti reddere poterit, nullum erit peccatum. Quòd verò leui incommoditate, vel periculo interueniente veniale peccatum sit, docent omnes citati: & similiter qui sine vi depositario præbet occasionẽ distrahendi infideliter depositum, communicat peccato illius, vt iidem docent, præter Bannez qui putat, neque infidelitatis peccatum deponenti tunc imputari; & similiter meo iudicio hoc peccatum deponentis erit peccatum scandali. Sicut autem is, qui sine causa sufficienti præbet depositario occasionẽ infidelitatis, peccat peccato scandali contra charitatem, ita & multo magis qui sine sufficienti causa præbet ei occasionẽ exercendi vsuras, quas alioqui non exercuisset, saltem in tanta quantitate: & de hoc peccato manifestè loquitur D. Thom. in prædicta solutione. Et malè Caiet. cuius sententiam hac in re sequuntur Arag. & Bann. ait, neque secũdùm veritatem, neque secundùm D. Thom. in prædicto eũ. tu deponenti imputari peccatũ vsuræ, quod depositarius cõmittit. Meritóque Caiet. reprehendit Palac. 4. *de contract. c.* 10. Salon s. Val. *disp.* 5. *q.* 21. *p.* 4. qui rectè ait D. Thom. in ea solutione docere, deponentem dupliciter peccare posse ratione vsuræ quã committit depositarius. Primò quidem directè, vt si velit pecuniam deponere eo fine, vt depositarius vsuras exerceat. Secundò indirectè, vt si velit deponere non intendẽdo talem finem, præuidendo tamen depositario fore occasionem exercendi vsuras, quas alioqui non exercuisset: & primum peccatum est contra iustitiam, & ideo obligat ad restitutionem, vt rectè Mol. s. secundum autem solùm est contra charitatem, vt rectè docent Mol. & Val. Et sic potest intelligi Palac. s. qui absolutè ait deponenti imputari tunc peccatum vsuræ commissum à depositario. Sic etiam intelligi possunt Vega *verb. vsura. casu* 43. Eman. *tom.* 2. *c.* 103. *in fine.* & Cordub. *in Summ. q.* 5. *corol.* 7. contra Caiet. dicentes tunc depositorem mortaliter peccare. Vnde malè Salõ (quod etiam insinuat Sot. 6. *iustitiæ. q.* 1. *art.* 4. *in fine.*) censet tale peccatum esse contra iustitiam mutuatarij, ideóque deponentem obligari ad vsurarum restitutionẽ. Quod etiã valdè probabile putat Bannez, primò, quia D. Thom. in illa solutione ait quòd ille qui tunc deponit pecunias apud vsuriariũ fit particeps culpæ vsurarij; & certum est loqui de culpa quam vsurarius committit exercendo vsuras; sed illud peccatum

tum est iniustitiæ: ergo qui deponit pecunias est particeps iniustitiæ, & tenetur ad restitutionem. Secundò, qui deponit gladium apud hominē qui eo commissurus creditur homicidium, peccat peccato homicidij: ergo similiter, &c. Cōfirmatur, quia si quis deponeret arma apud eū qui ea occasione præuideretur illaturus iniustum bellum, peccaret peccato iniustitiæ: ergo similiter, &c. Tertiò, si depositarius reddat depositum volenti iniuriam inferre alteri, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem damni subsequuti. Ergo multo magis peccat cōtra iustitiam qui deponit proprias pecunias apud vsurarium paratum inferre iniuriā mutuatario. Patet consequētia: nam depositarius ille tenebatur aliàs iure naturæ reddere depositum, nisi adesset alia circumstantia: qui verò deponit proprias pecunias nulla obligatione, sed vltrò, deponit stante eadem circumstantia. ergo multo magis peccat. Confirmatur, si quis furi paratissimo ad furandū det clauem adulterinam, fit particeps furti illius. *l. si pignora. §. si feramus. ff. de furtis.* ergo similiter in casu proposito. Et hanc opinionem valdè probabilem arbitrari videtur Bannez, etiā quādo propter magnam suam commoditatem quis pecuniam deponeret apud eum cui videret fore occasionē exercendi vsuras. Quod sanè est falsissimum, & valdè alienum à mente D. Thom. & omnium, qui bene existimant, tunc neque committi peccatum contra iustitiam, neque contra charitatem. Vnde ipse Bannez fatetur D. Thomam intelligi posse quando depositor ex eo quòd deponat apud vsurarium, admittit suam commoditatem; tūc enim peccat peccato scandali, sed non iniustitiæ, quia non tenetur de iustitia à tali depositione abstinere.

Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, sicut qui suo exemplo alterū inducit ad peccatum iniustitiæ, si id non intendat, non peccat contra iustitiam, sed cōtra charitatem peccato scandali; ita qui materiam præbet exercēdi vsuras non eas intendens, non peccat contra iustitiam, sed contra charitatem vsurarij, & peccato scandali. Adde si mutuatarius ob vsuras constituatur in graui necessitate, depositorem mortaliter peccare etiam contra charitatem illius, & licèt nō constituatur in tanta necessitate, peccare venialiter contra charitatem eiusdem, quatenus sine vlla necessitate occasionem præbet inferendi illi damnum: & hæc peccata contra charitatem intendit docere D. Thom. in illa solutione. *Num. 5.*

Ad alia duo argumenta Bannez in sententia Caiet. quam probabiliorem censet, respondendum putat, esse maximum discrimē inter mutuatariū, qui soluit vsuras, & alios quibus infertur vis: nam mutuatarius mouetur ab intrinseco ad quærendū mutuum, etiam non obstātibus vsuris, propter suam commoditatem, & gaudet inueniens mutuatorem, etiā vsurarium; vnde non propriè anticipatur per vim vsurarij, neque cōqueritur de illo qui deposuit pecunias apud vsurarium; sicut meritò queritur qui percutitur, aut expoliatur de illo qui dedit gladium, vel ferramentum. Hanc tamen responsionem meritò impugnat Salon, quia licèt mutuatarius necessitate

Digitized by Google

coactus quærat mutuũ, etiã ſub vſuris, tamen adhuc patitur iniuriã ab vſurario, & vſurarius tenetur illi reſtituere. ergo. Idem dicendum videtur de illo qui vſurario præbet occaſionem irrogandi iniuriam mutuatario deponens pecuniam apud vſurarium, quem præuidet à mutuatario vſuras exacturũ. Melius ergo reſpondetur iuxta doctrinã. Mol. & Val. falſum eſſe id quod Bannez & Salon. ſupponunt, eum qui abſque cauſa ſufficienti præbet materiam, vel inſtrumentũ, quibus alteri damnum creditur inferendum, peccare contra iuſtitiam, teneríque ad reſtitutionem; ſolùm enim peccat contra charitatem: qui verò id facit vt alter damnum patiatur, peccat etiam contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi, quia directè cooperatur damno alterius; & ita intellige eam legem *ſi pignore*. Rectè ergo Caiet. & Arag. in priori euentu negarunt peccatum cõtra iuſtitiam; ſed malè negarunt abſolutè peccatum mortale, quod limita, niſi vſurarius eſſet paratus ad dãdum ſub vſuris: tunc enim depoſitor non peccaret mortaliter contra eius charitatem, vt rectè docet Salon; peccaret tamen contra charitatem mutuatarij, interdum mortaliter, interdum venialiter, vt diximus.

Num 6. Dico quartò, domini, aut Reſpublicæ, temporales Iudices, aduocati, & quicumque alij, qui ſtatuto, præcepto, patrocinio, aut quouis alio modo vſurarios iuuãt in vſuris à mutuatariis exigendis, & in eis ad earum ſolutionem compellendis, peccant mortaliter, & tenentur reſtituere vſuras, quæ eorum causâ ſolutæ ſunt, ſi illi ad quos deuenerunt, illas non reſtituant, & illis qui reſtituerint, reſarcire ipſas tenebuntur; Iudices etiam, ac domini temporales, quibus ex officio ius dicere incumbit, reſtituere mutuatariis tenẽtur vſuras, quas ſoluerũt, ſi corã ipſis repetãtur, nec tamẽ cõpellãt eas ſoluere, vt ex officio cõpellere teneãtur; non ſecus ac reſtituere eas tenentur quicumque impedierint earum reſtitutionẽ. Sylueſt. *vſura. 7. quæſt. 10.* Anto. *cap. citato.* per varios §§. Nauar. *cap. 17. n. 275.* Sot. Med. Mol. Salon, Bãnez, Arag. Cor. Nauar. Lopez, Vega, Emanuel, & alij communiter, quia ij omnes iniuſtè sũt cauſa dãni.

PRO prædictis notanda ſunt aliqua iura. nã *c. 1. de vſuris in 6.* Greg. X. cum Concil. Lugdunenſi præcipit Principibus, & communitatibus, ne vlli alienigenæ publicè vſuras exercẽti domos locẽt, vel habitare illum in ſuis terris permittant, ſed ab illis omnino illum expellant. & *cap. 4. de vſur.* Innocentius III. præcipit Principibus, vt compellant Iudæos ſoluere Chriſtianis vſuras ab illis acceptas; & *cap. per miſerabilem. eod. tit.* præcipit idem Innoc. compelli Iudæos per Principes Chriſtianos, & poteſtates ſeculares ad remittendas vſuras Chriſtianis. Vide Panormit. ibi, & Innocent. IV. *cap. quod ſuper. de Voto. n. 4. & 5. & in Clement. ex graui. de vſuris.* excommunicantur qui ſtatuta facere, ſcribere, vel dictare audent cõtinentia quòd vſuræ ſoluãtur, vel vſuræ non reſtituantur. Ait Nauarr. nõ reputari, teneri ad reſtitutionem quãdo vſurarios permittunt, nullum eis dantes auxilium, vel fauorem ob neceſſitatem, vel aliam iuſtam cauſam, pro qua adducit Syluest. *vſura. 7. q. 11.* ſecus ſi permitterent Iudæos à Chriſtia

Digitized by Google

Christianis accipere: nam mortaliter peccarent, vt habetur *cap. per miserabilē. de vsuris. & in Extrauag. Paul. III.* quæ incipit, *cupientes Iudæos.* Sed certè tāta posset esse necessitas, vt etiam Iudæis licitè permitterentur vsuræ, & tūc prædicti non tenerētur ad restitutionē. Vnde Sa *verb. vsur. n.* 15. absolutè ait: *domini sēporales possunt ob bonū publicū cogere soluere promissas vsuras.*

Num. 7. Dico quintò, de tabellione, seu notario conficiēte instrumētū cōtractus vsurarij communiter distinguūt Doctores. Anton. *illo cap.* 9. §. 6. Vega *verb. vsura. casu* 41. Abul. Mol. Sotus, Tolet. Cor. Bannez, Salon, Arag. Val. Lopez ꝛ. *in illo n.* 12. Ang. *restit.* 1. §. 6. Angles *quæst. de restit. ratione iustitiæ in iudicio commissæ, in fin.* Nauarr. *illo n.* 18. Si enim conficiat simulatum instrumentum, in quo vsura non appareat, & quo mutuatarius soluere vsuras cogatur, tunc in vsurarij defectū restituere tenetur vnusquisque eorum, si quas vsuras mutuatarius vi talis instrumenti soluerit, etsi confectioni instrumenti cōsenserit mutuatarius, nisi ad petitionē mutuatarij, & quasi partes illius agens illud cōfecerit; licèt enim in hoc posteriori euentu interdum peccet, non tamen restituere tenetur, vt cōclusione prima dicebamus; quia sciēti, & volenti non fit iniuria, nemóque patitur iniustum volens, & licèt iniustè faciat cōtra Rempub. cui se obligauit, tamē non facit iniustè cōtra mutuatariū; sicut tabellio qui profert in iudicio falsum instrumentū, peccat quidem mortaliter contra iustitiam, & obligationē officij sui, nō tamen tenetur ad restitutionem, si eo instrumento defendat innocentem contra eius persecutorem, qui damnū patitur ex innocentiæ defensione: nam tabellio persecutori nullā iniuriam irrogat. Quòd autem in confectione talis instrumenti vsurarij tabellio peccet, docet Mol. Addunt verò Syluest. & Ang. mortaliter peccare; rationem autem reddunt Nauarr. *c.* 17. *n.* 275. Anton. Bannez, Abulen. Cor. Vega, & Lopez, quia facit contra iuramentum de non conficiendis eiusmodi instrumentis, vel etiam contra præceptum sub excommunicatione de eadem re, quod in aliquibus locis est; quomodocumque autem instrumentum conficiat, accipere potest competens stipendium, quod restituere postea non tenetur, vt neque homicida tenetur restituere pretium quod pro patrando homicidio accepit. Ita Mol. Med. Arag. Nauar. Syluest. aliique communiter. Quod verò ait Antoni. licèt non teneatur restituere pretium ei qui dedit, debere tamen illud dare pauperibus, falsum est, nisi intelligatur de cōsilio, vt notat Sylueſt. Si tamē instrumentū palliatum non fit, non tenetur tabellio vsuras restituere quas mutuatarius soluit, quoniam vi illius cogi non potest eas soluere, quin potiùs ex ipso instrumento ostēdere poterit vsuram esse quod petitur, neque teneri illud soluere. Ita omnes citati, excipe, nisi instrumentum conficiat vbi iniustè præciperetur solutio vsuræ: tunc enim, quia mutuatarius ex vi talis instrumenti cogeretur vsuras soluere, teneretur tabellio vsuras restituere. Sylueſt. *illa q.* 7. cū Archidi. Antoni. *illo* §. 6. Vega, Salon, Arag. Cor. Nauarr. Mol. ꝛ. & alij communiter. Neque oppositum docet Med. quicquid Nauar. dicat. Si tamē propter bonum commune aliquāda

Digitized by Google

Iudices, vel Principes cogerent ad solutionem vsuræ, tabellio secundùm Arag. & Med. non peccaret, neque ad restitutionem teneretur conficiendo verum instrumentum, quo mutuatarius cogatur ad solutionem vsuræ, sicut nec conficiendo instrumentum venditionis, in qua aliquis læditur vltra, vel infra medietatem iusti pretij, quo instrumento iustè cogitur læsus ad standum contractui. Sed cum Nauarra existimo in his euentibus obligationē restituēdi nasci, nisi quemadmodum Principes & Iudices iustè propter commune bonum cogunt tales mutuatarios ad solutionem vsurarum, ita propter idem bonum iustè cogerent tabelliones ad conficienda eiusmodi instrumenta.

SED quid si tabellio timeat, vel suspicetur in contractu vsuram occultari? Respondet Salon, indicet illud contrahentibus, admoneátque ipsos, vt si ex responsis eorum colligat prudenter illis credendum esse, deponat suspicionem, & scrupulum, conficiátque scripturam, quòd si ex qualitate contrahentium, & modo contractus, aliisque circumstantiis videat (quicquid illi dicant) prudenter timeri posse contractum illum esse iniquum, & latere in eo vsuras, non conficiat instrumentum, quia non tenetur in re adeò prudenter dubia, ad exercenda ea, quæ sui muneris sunt. Sic intelligit Nauarr. *cap. 17. n. 277.* vbi ait: *qui dubitat de contractu, an sit vsurarius, necne, si antequam dubietatem rationabiliter deposuerit, testificetur, vel faciat instrumentum vsurarium, restituere tenetur.* Quæ verba etiam vsurpauit Lopez 5. Addit autem Nauarr. dubietatem licitè deponi per opinionem alicuius solemnis Doctoris ratione fultam; quod limitat Lopez, nisi sciat alios Doctores graues communiter tenere contrarium, melioribúsque niti rationibus; & id vsu receptum est. Bannez verò ait; si tabellio ignoret, vel dubitet, an contractus sit vsurarius, vel etiam si suspicetur esse vsurarium, si tamen rogatus, & ad instantiam vtriusque partis cōficiat instrumentum palliatiuum vsuræ, nullum est peccatum; quoniam ratione officij tenetur præstare fidem suam postulatus à ciuibus, & quoniam ista fides pendet in illo casu à narratione partium, quando ipse aliàs nescit contrarium, tunc verè reddit testimoniū, maximè si ipse moneat contrahentes ne pallient vsuram mendacio. Cùm igitur vtraque pars habeat certum ius erga tabellionem, vt reddat testimonium cōtractus quem illi faciunt, tenetur tabellio, etiamsi dubitet esse vsurarium, excercere suum officium in fauorem ciuium, quoniam in dubiis melior est conditio possidentis. Hæc Bannez. Existimo tamen debere cōficere instrumentum, quo fidem faciat, non quidem contractum esse iustum, aut habere circumstātias quales iustitia requirit, sed quomodo contrahentes dicant se contrahere. Tabellio enim solùm habet præceptum nō palliādi contractus, quos vsurarios, vel iniustos esse nouerit, & non affirmandi tāquam certum quod dubium est. Et sanè durum esset teneri ad examinandam iustitiam contractus, de cuius iustitia dubitat propter ignorantiam iuris, vel facti, idque esset valdè oneroſum ciuibus, quia hoc colore excusari tabelliones possētà conficiendis.

Digitized by Google

ficiendis instrumentis nullam iniustitiam continentibus, aut redolentibus.

Num. 9. AN verò peccent (licèt, vt diximus, non teneantur restituere) tabelliones qui instrumentum clarè vsuras continens conficiunt? Medin. Arag. & Bannez dicunt non peccare; quia veritatis fidem faciunt, & nulli irrogant iniuriam. Oppositum insinuat Abulens. & apertè tenet Armil. *illo n.* 41. Angles *in fin. illius quæstionis de restitutione ob iudicij iniustitiam commissam.* Emanuel, Cor. & Nauarra, quia putant esse contra iuramentum & positiuum præceptum, quod credo fingere.

RECTE autem Sylvest. *illa quæst.* 7. Ang. *illo* §. 6. cum Gerard. Odon. Vega *illo casu* 41. Mol. Nauar. Sot. & alij censent, in eo euentu in quo tabellio tenetur vsuras restituere, non teneri nisi in defectum vsurarij, vel aliorum ad quos vsuræ ipsæ peruenerunt: & ita si mutuatarius non ex ignorantia, vel impotentia, sed ex incuria, & negligentia solùm ab illis non abstineat, non poterit à tabellione eam exigere, nec tabellio tenebitur illam exhibere.

Num. 10. DICO sextò, de testibus instrumento conficiendo interessentibus perinde ac de tabellione id cõficiente iudicandum, nempe teneri, quando tabellio tenetur: itaque si instrumentũ erat palliatiuum vsuræ, & testes se tenebant ex parte vsurarij, tenentur ad restitutionem, aliàs non. Mol. Bannez, Cor. Arag. Nauarr. Salon, & Lopez 3. Angel. *restitutio.* 1. §. 7. Sylvest. *vsur.* 7. *quæst.* 9. Armil. *verb. vsura. n.* 41. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 277. Anton. & alij communiter. Circa hos tamen & quoscumque alios cooperatores, qui ratione iniustæ acceptionis, damnive illati tenentur, obserua, si bona fide ad contractum, vel actum concurrunt, quem inuicibiliter iniustum ignorant, ad nullam restitutionem teneri, quoniam non ratione rei acceptæ, quam suppono ad ipsos non peruenisse, neque ratione iniustæ acceptionis, eo quòd non peccauerint concurrendo, eo pacto excusante illos ignorantia. Ita Sot. Mol. Nauarra, Nauar. Cor. Pala. Arag. Bannez, Salon, Eman. Angles, Abulens. Lopez 3. Vega *verb. vsura. casu* 40. Sa *n.* 13. Sum. Confessorum, & alij. Addit verò. Mol. sæpe præsumendum esse de mutuatariis, non velle hos teneri ad restitutionem, sed solos vsurarios, quibus vsuras soluerunt.

Num. 11. DICO septimò: negotiorum gestores, seu factores, tutores, curatores, famuli, atque vniuersim quicumque aliorum nomine dant ad vsuras, atque exigunt, ac recipiunt, ad restitutionem tenentur in defectum eorum quorum negotia gesserunt, & ad quos vsuræ deuenerunt. Sylvest. *vsura.* 7. *quæst.* 4. Ang. *restitutio.* 1. §. 10. Angles *q.* 2. *de restit. art.* 1. *dub.* 3. Nauar. *cap.* 17. *n.* 267. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 9. §. 3. & 4. Med. Mol. Salon, Arag. Bannez, Mercado, Lopez, & alij.

Num. 12. DE aliis verò vsurariorum famulis, vel ministris qui sunt merè executores, & nudum exhibent ministerium, solúmque deferunt mutuum, scientes esse ad vsuras, vel solùm vsuras, aut pignora recipiũt, missi vel iussi à dominis, rectè 3. Sot. & 4. *iustit. quæst.* 7. *art.* 3. Armil. *verb. vsura. num.* 4. Sa *n.* 13. Vega cum Orellana *casu* 38. Lopez, Emanuel, Cor. Arag. Salon,

Digitized by Google

Salon,Bannez,Nauarr. & Sylu. ẽ. Palud.4.*dist.*15.*q.*2.*art.*3.*&* 5.Tabiena *vsura*,7.*q.*5,Antoni.*illo* §. 3. *&* 4. cum aliis quos citant, dicunt non teneri ad restitutionem, quia non cogunt ad solutionem vsurarũ executiuè,consultiuè, aut præceptiuè. Nauarr.tamen *n.citato.* & Med. *q.* 4. *de vsuris in fin.*apertè docẽt oppositũ, quod insinuat Palac. expressèque tenent Ang. *illo dub.*3.Caiet. *in Sum. & q.*62.*art.*7.Val.*disp.*5.*q.* 21. *p.*3. & tutius,ac probabilius putat Molin. quia isti verè sũt cõsciẽtiæ effusione vsurarij, saltem ij qui vsuras recipiunt.

Num.13. DE amanuensibus verò,qui videlicet neque vsuram recipiũt, neque vsuram dant, sed solùm scribunt ad dantis memoriam quantùm cuique ad vsuram fit datum,Mol.Angles,& Sot.dicunt non teneri ad restitutionem,quia parum,vel nihil cooperãtur: Contrarium tenent Nauar. & Val.Verúmque est, vt rectè ait Sal. quando illorum libri in iudicio fidem faciunt cõtra mutuatarios, qui ex vi illorum vsuras soluere coguntur. Sic etiam rectè Lopez, Mercado,Nauar.Emanuel,Cor.Sal. & Bãnez dicunt, si famuli auctoritatem à domino habent compellendi ad solutionem vsurarum, vel saltem illam simulant,vel minas, aut importunas preces violentiæ æquiualentes adhibent, & ita vsurarum solutionem obtinent, teneri ad restitutionem,quia cogunt ad vsurarũ solutionem. Item de famulis qui sunt merè executores dandi, recipiendi vsuras,pignora, &c. dicunt Palud. Sylu.Ang.& Antoni. peccare in eo ministerio;meliùs tamen Nauarr. id negat:nam si peccarent, tale peccatum esset contra iustitiam,& obligaret ad restitutionem,quod tamẽ ipsi negant.Ergo dicendum est non peccare.Quod intellige per se loquẽdo; nam per accidens peccarent contra charitatẽ, si cessare possent commodè ab eo ministerio, eáque cessatione impedire peccata vsuriariorum,& damna mutuatariorum,& tamẽ non cessarent.Deinde, quanuis peccarẽt, non esset cum Paluda. dicendum nõ posse salarium recipere, quia etiam pro actione praua, & iniusta potest pretium recipi, & retineri. Malè etiam Palud. ait eiusmodi famulos non teneri ad restitutionem, si absque ipsorum ministerio vsuræ essent dandæ,vel recipiendæ:nõ enim necessaria est ista limitatio; vnde ab aliis Doctoribus nõ adhibetur, quãuis ea circumstantia concurrente certius sit non teneri ad restitutionem,vt rectè cum Guiler.notat Anton *illo* §.4.

Num.14. DE famulo custodiente fœnebrẽ pecuniam quidam dicunt teneri ad restitutionẽ; sed meliùs Nauar. Sal. & alij communiter dicunt non teneri:intellige,nisi custodiat à mutuatariis impediendo iniustè ipsius recuperationem; quando sine suo incommodo posset illis permittere, vt suam pecuniã recuperarent; sed nõ teneatur de iustitia arcam illis aperire,aut claues dare,quibus ad alios impediendos arcam clausit.

IN casu quo famuli,vel alij ministri, aut factores vsuriariorũ tenentur restituere, licèt Nau. *n. citato* dicat teneri ad restitutionem non solùm in defectũ vsuriariorũ,sed æqualiter cũ ipsis,quia æqualiter,aut ampliùs peccauerũt:rectè tamen Lop. *illo c.*82.Antoni.cũ Hostiens.& aliis.

illo

Digitized by Google

illo §. 3. & 4. Sylu. Ang. Mol. & reliqui communiter affirmant non teneri, nisi in defectum, & subsidium vsurariorum, quia minùs peccauerunt, & licèt ampliùs peccauerint, tamen vsurarij vsuris potiti sunt, & in suam vtilitatem illas conuerterunt, vel conuertere potuerunt.

Num. 15. PROXENETÆ, siue intercursores, quos Itali *censales*, Hispani, *corredores* appellant, si vsurariorū partes agāt, quærendo qui ad vsuram accipiant, atque id illis suadendo, ad restitutionem tenentur, vt docent Sot. Mol. Nauar. Pala. Lopez, Contr. Nauarra, Salon Arag. & alij locis citatis. Antonin. 3. §. 13. quoniam cooperantur ad istum effectum. Contrarium contendit Sylues. *vsura* 7. *q.* 3. cum aliis quos citat, quando solùm cooperantur, vt mutuum eis detur ad vsuram, non verò, vt postea vsura exigatur, ac soluatur. Hæc tamen opinio reiecta est conclusione 2. cum multis, quibus adiunge Antoni. 3. §. 4. & 5.

ILLVD vniuersim de cooperatoribus, vt de testibus dicebatur, obseruat Mol. Conr. & alij, si de aliquo verisimiliter credebatur mutuatarium non velle illum ad restitutionē obligare, credendum est talem à restitutionis onere excusari; & regulariter multi ex cooperatoribus facilè veniam obligationis restituendi à mutuatariis obtinebunt, si id petant, eo quòd ratio id postulat, neque ad ipsos quidquam vsurarium deuenit, vsurariique ipsi ad integram restitutionem tenētur, quā mutuatarij exigere ab illis in foro interno possūt.

ID autem quod diximus, consulētes teneri ad restitutionem, intelligetiāsi ipsis nō cōsulētibus, alij cōsultores stetissent, quod cōmune est om-

Ioan. de Salas.

nibus consulentibus iniustā damnificationem, vt latè ratione & auctoritate ostendit Villaguta *q.* 33. *de vsuris. conclus.* 2. De qua re differunt Caiet. & alij 2. 2. *q.* 62. *art.* 7.

COOPERATORES, de quibus dictum est teneri ad restitutionē vsurarum, simul tenentur restituere mutuatariis lucra cessantia, & damna emergētia ex eo quòd vsuras ab eis acceperint, vel acceptas restituere distulerint. Quòd si mutuatarij superstites nō sint, restituēda hæc sunt ipsorum hæredibus. Si verò hæredibus carēt, pauperibus, vel piis operibus. *c. cū tu. de vsur.* Mol. *disp.* 332. *initio.*

ET hæc dicta sint de cooperātibus ad conuentionē, vel exactionē vsurarū: de cooperātibus verò ad earū cōsumptionē superioribus dubiis dictū est. Adde tamen Cor. *q.* 235. Lop. 2. *p. c.* 81. cum Caiet. *verb. restitutio.* docere vxorē, & filios, ex quorū victu, & vestitu fœnerator redditur impotēs ad restituēdū, licitè vti posse rebus alienis, dū sub vsurarij potestate sūt, & aliter viuere nequeūt iuxta exigētiā sui status, cū onere tamē restituēdi, quādo cōmodè potuerint, quod licèt verū esset, limitādū tamē esset ad casū, in quo coacti id facerent: coactio autē talis esse deberet, vt probabiliter timeant mortē, mutilationē, grauia verbera, aut aliquid huiusmodi, si potiùs mendicare velint, quàm talibus rebus vti: in eo enim euentu domini pecuniæ vsurariæ tacitè cōsētiēt, vel erunt irrationabiliter inuiti, & ideo prædictæ personæ non peccabunt; & quantūs eiusmodi damna magis timere possint vxor, & filij sub patria potestate existentes, tamen si eadem timerēt serui, filij, aut alij quicumque sub vsurarij po-

Num. 16.

Digitized by Google

testate non existentes, licitè possunt ex bonis vsurariis alij: imò sic coacti aliena bona vsurpare, & consumere. Probabilius tamen puto in eo euentu non manere obligationem restituendi, nisi id in quo quis ditior effectus fuerit, quia ad integram restitutionem nemo tenetur nisi ratione rei acceptæ, vel iniustæ acceptionis, vel contractus, quorum nullum tūc interuenit. De bonis autem propriis mariti, aut patris possunt vxor, aut filij existentes sub patria potestate sic alij sine vllo onere postea restituēdi, non solùm quando vxor attulit sufficientem dotem, sed etiam quādo nullam attulit, quia sic alere vxorē, & liberos pertinet ad statum viri, & patris, licèt in hoc posteriori euentu Lopez 3. dicat, onus restituendi manere, quia vxor in Hispania non potest de bonis durante matrimonio lucratis suam medietatem accipere, quin soluat medietatem debitorum, quæ durante matrimonio contracta sunt. Ergo tenetur ad restitutionem vsurarum, quæ eo tempore à marito sunt acceptæ. Sed hoc solùm probat teneri ad restitutionem de bonis lucratis durante matrimonio, non verò de bonis dotalibus, vel de aliis bonis propriis.

Recte autem Lopez ibi, Vega *verb. vsura. casu* 46. Palud. 4. *d.* 15. *q.* 2. *art.* 5. dicunt, eum qui bona fide, vel ad necessaria mutuum vsurario dedit, posse de bonis vsurarij solutionē accipere, etiamsi ex solutione reddatur impotens ad vsuras, vel alia debita soluenda, secus si mala fide, & ad inutilia mutuum dedit, vt docuimus *dub.* 44. *art.* 10. cum Gab. Mol. Nau. & aliis.

De cooperantibus ad vsuras aliqua Tab. *restit.* 6. *q.* 3. &c. quæ maiori ex parte consonant iis quæ in hoc dubio dicta sunt.

DVBIVM XLV.

Ad quodnam tribunal spectet cognoscere de crimine vsurario?

SVMMARIVM.

1 *Tria Molina dicta referuntur.*
2 *Quid dicant alij?*

Molina *disp.* 333. ait primò crimen hoc secundùm se esse seculare, ac proinde cognoscere de illo ad secularem Iudicem spectare: est quippe solùm contra ius naturæ, atque iustitiam, non secus atque homicidium, adulterium, & similia alia crimina, quorum cognitio ad seculares Iudices pertinet. Ita Couar. 3. *Variar. c.* 3. *n.* 1. Sylvest. *vsura.* 9. *in princip.* cum Panorm. & plerisque aliis quos citat. Num. 2.

Secundo ait, declarare, num vsura peccatum sit, & num in contractu aliquo vsuræ peccatum interueniat ad Ecclesiæ iudicium spectare, eiúsque definitioni ea ex parte standum esse: cohibere etiam vsuræ vitiū Ecclesiasticis pœnis, quin & aliquibus temporalibus, si animarū saluti expedire fuerit iudicatum, ad Ecclesiam attinere.

Tertio ait, vt bene Couarru. 3. obseruat, cùm quondam ciuiles leges non omnes vsuras prohiberēt, Ecclesia hoc vitium vniuersim prohibere, ac punire cœpit, saluti animarū prospiciens, atque inde ortum habuēre canones vsuram inhibētes, illiúsque punitionem pœnis variis statutis Iudicibus Ecclesiasticis cōmit

Digitized by Google

mittentes, quin cùm à multis seculis in defectum ciuilium legum, atque ad secularium Principum negligentiam supplẽdam consueuerit Ecclesia cognoscere de hoc crimine, illúdque punire, eatenus Iudices Ecclesiastici in vnaquaque prouincia possunt, ac debẽt se intromittere in punitione, ac prohibitione huius criminis, quatenus consuetudine fuerit in ea receptum, nihil impediente quòd crimen secundùm se ad tribunal seculare spectet: quo loco memineris cohibitionẽ peccatorum omnium paterna, ac pastorali correctione ad Prælatos Ecclesiæ spectare, tum ad eruendos delinquentes ipsos à peccatis, eósque deinceps in officio continendos, tum etiam ad resarciendum aliorum scandalum. Hæc Molin. Sa verò *verb. vsura. n. 16.* tantùm ait: *de vsura inter seculares potest cognosci, etiam à lex secularis, siue de iure, siue de facto quæratur*, vbi satis significat Sa, etiam ad Iudices seculares spectare, declarare quando contractus aliquis vsurarius est. Quod verum cẽseo, quia ipsi rationem naturalem, & Canones consulere possunt, quamuis Pontifices & Concilia infallibilem auctoritatem habeant in definiendo, qua tamen carent non solùm Iudices seculares, sed etiam alij Iudices Ecclesiastici.

Num 2. SALON. *hac q. 68. art. 3. controu. vlt.* aliquid addit his quæ à Molin. dicta sunt, ait enim: sunt qui existimẽt ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere definire in re dubia quando vsura committatur, punitionem verò huius delicti ad Iudicẽ secularem pertinere, eiúsque auctoritate, quando solutæ fuerint vsuræ, esse restituẽdas, apud ipsúmque repetẽdas. Prius illud ostendunt ex *cap. illa vos. de pignorib.* vbi Innocentius III. explicat, fuerítne contractus quidam vera vẽditio, vel vsuraria impignoratio. & *cap. ad nostram de empt. & vendit.* explicat contractũ quẽdã vsurariũ fuisse, licèt prætextu emptionis, & venditionis fuerit celebratus. Posterius verò docent ex *cap. post miserabilẽ. de vsuris.* vbi Pontifex præcipit compelli Iudæos per Principes Christianos ad remittendas vsuras Christianis. Verior tamen & communior Theologorum & Iuristarum sententia docet, quãdo apertum fuerit contractum aliquem esse vsurarium, huiusmodi delictum esse mixti fori, ita vt sit locus præuẽtioni, posséque huius delicti reum, vbi nõ vertitur in dubiũ esse vsurariũ, tam ex mãdato Iudicis secularis, quàm Ecclesiastici cõpelli ad restitutionem, & ratione delicti puniri. De seculari patet ex d. *cap. post miserabilem.* De Ecclesiastico verò ex *cap. tua nos. de vsuris.* vbi Alex. III. præcipit ad restitutionem vsuratum cõpelli vsurarios, eorúmque hæredes, quia verè Iudæi sũt eis subiecti: ideo *cap. quamquã. de vsuris* præcipitur secularibus Principibus Christianis, vt eos compellãt ad vsurarũ solutionẽ; Christianos verò vtrique Principes, & Iudices cõpellere, & punire possũt: cùm enim vsura omni iure sit prohibita, quatenus iure naturali, & ciuili prohibita est, possũt Principes, & Iudices seculares compellere, ac punire vsurarios; quatenus verò diuino, & Ecclesiastico iure prohibita est, id pertinet ad Ecclesiasticos: vbi verò res fuerit dubia, ad Ecclesiasticos pertinet, & declare an contractus vsurarius sit, & vsurarium ad restitutionem compellere, ac punire; quæ

Digitized by Google

omnia cõmuni vſu tribunalium ſeruantur. Hæc Salon. In quibus illud probandum non eſt, quod etiã ſentit Pala. 4. *de contractib. cap. vlt.* Principes, & Iudices ſeculares in dubio declarare non poſſe, quãdo contractus aliquis vſurarius ſit. Rectè enim Couar. & Sa ꝛ. dicunt de crimine vſurarum etiam ſecularem Iudicem cognoſcere poſſe, ſiue quando ſit iuris, ſiue facti. Illud tamẽ placet quod ait etiam Pala. Principes, & Iudices Eccleſiaſticos nõ poſſe directè, & per ſe compellere Iudæos ad ſolutionem vſurarum, neque eos punire ob earum acceptionem, aut retentionem, cuius contrarium tenet Villagut. *queſt.* 11. *de vſuris.* & probat primò ex gloſ. *cap. poſt miſerabilem. de vſuris. verb. denegari.* vbi gloſ. ait: *non eſt dubium quin pœna corporali puniantur Iudæi per Eccleſiam, & etiam pecuniaria. cap. ſæpe in fin. 28. queſt. 1. cap. conſtituit. 17. queſt. 4. ita tamen vt vſque ad vindictam ſanguinis non procedatur. cap. in Archiepiſcopatu. de rectorib. Sed contrà, quia nihil ad nos de his quæ foris ſunt. cap. multa. 2. queſt. 1. & cap. gaudemus. de diuortiis. Solutio, quod dicitur ibi nihil ad nos. &c. intelligitur in quãtum Deum offendunt; ſed in quantum hominem offendunt, ſecus eſt, vel poteſt intelligi de directa coercitione quam in eos non exercemus, ſecus de indirecta, vt hîc, & cap. de terris. 16. de decimis. cùm etiã præter delictum efficiantur de foro noſtro. cap. nouit. de iudiciis. & cap. cùm ſit generale. de for. comp. & cap. placuit. 6. queſt. 3. & cap. 1. de raptoribus. & hoc dictum eſt cap. ita quorundam. de Iudæis.* Hæc illa gloſſa.

SECVNDO probat Villagu. ex Panorm. *cap. quanto. de vſuris*, notante, quòd ratione vſuriæ prauitatis etiam Iudæi ſortiũtur forum Eccleſiaſticum; vnde directè compelluntur per Eccleſiam ad reſtitutionem; & in *illo cap. poſt miſerabilem*, dicente, Iudæos ad reſtituendas vſuras poſſe æquè compelli per Iudicem Eccleſiaſticum, ſicut per ſecularem, cùm vſura ſit crimen merè Eccleſiaſticum: quod verò in textu dicitur per Iudices ſeculares, ait Panorm. non dici quia Eccleſiaſtici nõ poſſunt, ſed quia faciliùs id poſſunt exequi laici habentes miniſtros armatos.

TERTIO probat ex Inn. IV. *c. quod ſuper. de voto. n.* 4. & 5. vbi docet, Papam, & alios Prælatos Eccleſiaſticos exiſtentes vbi Iudæi degunt, poſſe eos punire pro tranſgreſſione præceptorum moralium (licèt non pro tranſgreſſione Euãgelij) quia à Chriſto omnium Domino poteſtatem accepit Papa tanquã eius Vicarius etiã in Iudæos, & alios infideles, cùm Dominus dixerit Petro, *Paſce oues meas*, & Iudæi ſint oues Chriſti per creationẽ, licèt non ſint de ouili Eccleſiæ Chriſti; vnde ſubdit ſe credere quòd ſi gentilis quiſque non habens niſi legem naturæ faciat contra illam, poteſt puniri per Papam, ſi vires habeat, cùm ſit Vicarius Chriſti, qui puniuit Sodomitas peccantes contra legem naturæ. Geneſ. 19.

QVARTO probat ex Conr. *de contract. queſt.* 25. qui expreſsè tenet eandẽ ſententiã, & ex Abulenſ. Matth. 25. *queſt.* 284. malè tamen pro ſe citat Couarr. 3. *Variar. cap.* 1. *n.* 8. quia ibi nihil ad rem.

QVINTO probat ex duodecim caſibus, in quibus Iudæi per Eccleſiã puniũtur, quos latè ibi enumerat, & ſumpſit ex Conr. ꝛ. longúmque eſſet recenſere, ideo eos omitto, maximè cùm hoc pertineat ad materiã de fide, vel de legibus, vbi agitur de poteſtate

Digitized by Google

ſtate Papę, & ad materiã de dominio, vbi inquiritur, an Papa habeat dominium proprietatis, vel iuriſdictionis in totum orbem? Ad illud autem Pauli *quod ad nos.* &c. reſpondet Villagut. & Conr. primò, loqui de punitione per excommunicationẽ quam tulerat in quendam Chriſtianũ, qui vxorem patris ſui habebat. Secundò, loqui de cõpulſione infidelium ad recipiendam Chriſtianam regulam, ſeu Religionem, ſecus ad obſeruantiam legis naturæ. Sed mihi magis placet quod dixit illa gloſ. *cap. poſt miſerabilem.* Apoſtolũ velle Prælatos Eccleſiæ non poſſe directè cõpellere, vel punire eos qui Baptiſmum non ſuſcepêre: quòd ſi in caſu vſurario, vel alio ſimili id poſſunt, non eſt ex poteſtate Eccleſiaſtica, ſed ex poteſtate temporali, quã aliquando habẽt, vel ex conceſſione Principum ſecularium, vt rectè Palac. 5. Optimè autem Molin. Contr. Salon, Sa, & Palac. dicunt, quoad vſurarios Chriſtianos crimen vſuræ eſſe mixti fori: Eccleſia enim cùm ad ſupernaturalem finem expedire iudicauerit, poteſt compellere directè pœnis à Iudice, vel à iure inflictis ad obſeruantiam legis naturalis, quod circa vſuras expedire iam iudicaui. Cur autem Iudex Eccleſiaſticus magis ſe intromittat in pœna vſurariorum quàm furum, vide Grafis *p. 2. lib. 2. c. 24. in fin.* qui etiam *n.* 38. multa affert ad præſens dubium ſpectantia.

DVBIVM XLVI.

Qui ſint vſurarij notorij, ſeu manifeſti?

SVMMARIVM.

1 *Qui ſint notorij vſurarij notorietate facti, qui notorietate iuris?*
2 *An argumenta aut indicia, quòd quis vſuras exerceat vnà cum infamia eiuſdem ſufficiãt vt manifeſtus vſurarius dicatur? & quæ indicia euidentia dicantur?*
3 *Confeſſio extraiudicialis interdum ſufficit ad notorietatem requiſitam pro pœnis incurrendis. alij quatuor modi vſurarij manifeſti n. 4.*
5. *Quomodo hoc delictum probetur?*

MOLLINA *diſp. 333.* ait illos imprimis dici notorios, ſeu manifeſtos vſurarios, qui tales ſunt notorietate facti, quales ſunt qui in conſpectu populi vſuras exercent, tot id conſpicientibus, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari (quem tamen notorietatis modum attigit Sa *verb. vſura. n.* 7.) ad quod neceſſe non eſt, vt multos vſurarios actus exerceant, vt quidam ſunt arbitrati, ſed ſatis eſt ſi vnum publicè eo modo exerceant, vt Nauarr. *cap.* 17. *num.* 280. cum Panorm. & aliis affirmat: neque item eſt neceſſe, vt mutuo formali vſuram exerceant; ſed ſatis eſt ſi eam virtuali mutuo exequantur vendendo rem cariùs iuſto pretio rigoroſo ob dilatam ſolutionem, vt Nauarr. ibi & Syluester *vſura.* 9. *quæſt.* 2. cum Panormitan. *cap. ad noſtram, de emptione, & vendit.* aliiſque conſentaneè ad textum ibi affirmant. Deinde notorij, ſeu manifeſti vſurarij dicuntur, qui tales ſunt iuris notorietate, nempe illi qui manifeſta Iudicis ſententia de eo crimine condemnati Num. 1.

Digitized by Google

sunt, vel qui recto iuris ordine id crimen de se ipsis coram Iudice sunt confessi, vel de ipsis per idoneos testes coram Iudice plenè est probatum, vt cum Panorm. *cap. quia in omnibus. de vsur. n. vlt.* affirmant Couar. *3. Variar. cap. 3. n. 4.* Sylvest. *vsura. 9. quæst. 1.* Nauarr. §. & communiter Doctores.

Esto autem quis laboret infamia vsurarij, quia apud multos, & probos viros ea est opinio de illo, non dicetur notorius, seu manifestus vsurarius, vt modò loquimur, nisi simul notorius sit aliquo ex prædictis modis, quin esto infamia coram Iudice probetur, & simul cum ea sit testis vnus, aut multi qui omni exceptione maiores non sint, & qui cum infamia plenam non efficiant probationem, notorius vsurarius non dicetur, imò verò esto ea de causa à Iudice dãnetur pœna aliqua extraordinaria, ac arbitraria, non dicetur notorius vsurarius. Cõsentit Couar. §. Multi etiam testes singulares, id est, qui contestes nõ sunt circa eundem numero actum vsurarium, sed quorum vnus testificatur de vno, & alius de alio, non censentur plena probatio, vt quis notorius vsurarius dicatur, pœnáque ordinaria puniatur, nisi tot essent, vt Iudicis prudentis arbitrio plenæ probationi æquipollerent, præsertim concurrẽte infamia, & aliis similibus circũstãtiis. Lege Couar. §. & Ang. *vsur. 2. n. vlt.* in *l.* autem 4. *tit. 6. lib. 8. nouæ collectionis.* admittuntur duo, aut tres testes singulares omni exceptione maiores ad probãdum vsuram palliatam.

Num. 2. An verò argumenta, aut indicia, quòd quis vsuras exerceat, vnà cum infamia eiusdem sufficiant, vt manifestus, seu notorius vsurarius dicatur? Respondetur, non alia sufficere quàm quæ euidenter ostẽdunt illum vsuras exercere; atque de eiusmodi indiciis loquitur *c. cum diœcesi. de vsuris.* vbi sermo est de notorio vsurario notorietate facti, vt patet *cap. illud inuenii.* quicquid Sylvest. & Ang. locis citatis, aliíque in contrarium dicant. *l.* autem *citata* probatio per indicia manifesta admittitur in crimine vsuræ. Hæc Molin. qui addit, licèt glos. *cap. 2. de vsur. in 6.* dicat, cùm quis coram Sacerdote, & testibus confessus est se vsurarium esse, restituíque vsuras præcepit, & libros rationum tradidit, censendum esse manifestum vsurarium ad effectum, vt pœnis subiaceat manifesti vsurarij à iure statutis; atque eam glossam approbant multi, quos Sylvest. §, & alij referunt, & sequuntur. Ego verò non alios modos notorij vsurarij in iure comperi quàm qui explicati sunt, nec credo confessionẽ aliquam extra iudicium efficere confitentem notorium peccatorem; nobíque videtur consentire Nauar. §. non commemorans inter reliquos hunc notorij vsurarij modum. Huic Mol. doctrinæ consonat Bernard. Diaz, & Azeuedo in *Pract. crimin. cap.* 89. vbi huius notorietatis modi non meminerunt, & Sot. *lib. 5. cap. 36.* dicens notorium dici qui in iudicio per testimonia sufficientia conuictus est, vel in iudicio sponte confessus est vsuram, vel de ea damnatus est, vel cuius factum fuit notoriũ, putà quia publicè ad vsuras dedit; & Lopez *2. p. cap.* 85. Emanuel *2. p. cap.* 107. dicentes vsurarium manifestum esse qui clarè, & notoriè mutuat sub vsuris, aut cariùs summo pretio res vendit

dit ob dilatam ſolutionem, neque opus eſſe, vt alij dicunt, dare ad vſuras nō id petēti, ſed ſufficere delictū eius eſſe manifeſtū per ſententiam, aut notorietatem facti: pro qua re Lopez citat Panorm. & Anton. de Butr. *cap. ad noſtram. de emptione.*

Num. 3. SED exiſtimo confeſſionem extraiudicialem interdū ſufficere ad notorietatem requiſitā pro pœnis incurrendis, vt tenēt Ang. *vſura. 2. n. 19.* Tabi. *vſura. 1. queſt. 5.* Sylueſt. *vſur. 9. queſt. 1.* Armil. *eod. verb. n. 53.* Federic. *conſ. 8.* qui tamen malè limitant ad caſum articuli mortis: nam ad notorium ſat eſt, quacumque via rem in multorum phyſicè, aut moraliter notitiam euidentem deueniſſe. Ad hoc autem ſæpenumerò ſufficit confeſſio extraiudicialis cū quibuſdam circumſtantiis, ſiue fiat corā Sacerdote, & in articulo mortis, ſiue non. Conſentiunt Couarr. & Villaguta *queſt. 25. de vſuris. not. 1.* vbi ponunt quatuor modos manifeſti vſurarij.

Num. 4 PRIMVS eſt, quādo quis palàm & publicè fœneratur, ita vt ipſa patrati ſceleris euidentia nullam excuſationem habeat, iuxta *cap. euidentia. de accuſation.* in quo omnes Doctores conueniunt.

SECVNDVS eſt, quando quis in iudicio confeſſus eſt ſe vſurarium eſſe, facit *cap. veſtra. de cohabitatione Clericor. & mulier. cap. olim. & cap. ſuper quibuſdam de verbor. ſignif.* & in hac ſpecie id docent gloſ. *c. 1. de vſur. in 6.* & Doctores *illic, & c. quia in omnibus. de vſuris.* & hoc verum eſt, licèt non dicat ſe eſſe manifeſtum vſurarium, ſed ſimpliciter eſſe vſurarium, vt tenet Franc. *illo verb. manifeſtus.* & Doctores ibi. Panormit. Anan. & alij *d. c. quia in omnibus.*

TERTIVS modus, per confeſſionē extraiudicialem: licèt enim confeſſio extraiudicialis non efficiat quem manifeſtum vſurarium *arg. c. fin. de cohabit. Clericor. & mulier.* Si tamē ea facta fuerit coram Sacerdote, & teſtibus publicè, ita vt in plurium notitiam deuenerit, manifeſtus vſurarius erit, vt docet gloſ. *c. quanquam. de vſuris. in 6. verb. manifeſtum.* quam etiam intelligunt Panorm. *d. c. quia in omnibus. col. 5.* Bald. *l. 1. col. 4. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Felin. *c. auditis. col. pen. de preſcrip.* quorum opinio communis eſt ſecūdùm Socin. *conſ. 127. col. 2. lib. 3.* Et profectòſi eorum rationes conſideremus, non refert, an confeſſio extra iudicialis fiat coram Sacerdote, vel notario, modò ita facta fuerit coram teſtibus palàm, & publicè, vt in plurimorum notitiā deuenerit: nam ij Doctores ea ratione probant talem eſſe manifeſtum vſurarium, eo quòd ore proprio rem manifeſtam fecerit.

QVARTO, manifeſtus vſurarius eſt qui per ſententiam Iudicis damnatus ſit, ex *cap. fin. de cohabit. Cler.* Vnde non dicetur manifeſtus vſurarius qui conuictus in iudicio eſt, niſi ſuperueniat ſententia Iudicis. Hæc Villaguta, & Couar. 5. cum quibus quantùm ad hoc quòd conuictus, & nondum damnatus in iudicio manifeſtus vſurarius non ſit, conueniunt Bernard. Diaz in *Pract. crim. cap.* 89. Panorm. *d. cap. quia in omnibus.* Ioann. Andr. *ibi. & cap. 1. eod. tit. in 6.* & Federic. *conſ. 64.* Panorm. *conſ. 2. lib. 2. & conſ. 34. lib. 1.* Hoſtienſ. & Panorm. *cap. cum in diœceſi. de vſuris.* Iaſ. *conſ. 78. n. 3. lib. 3.* Menoch. *caſu 238. in fine.* Sed Sa ait, *in foro interno, ſi vulgatum nondum ſit multis aliquem omnino conuictum*

Digitized by Google

Etum esse in iudicio, manifestus vsurarius censebitur, licèt condemnatio nondum secuta sit.

ADDVNT Villag. & Couar. §. *n.* 5. prædictis quidem modis dici quempiam manifestum vsurarium ad incurrendas pœnas statutas *d. cap. quia in omnibus.* non tamen ad statutas *c. quanquam de vsur. in 6.* sed oportere esse manifestum primo modo, quia nō est verisimile tam graues pœnas statutas fuisse aduersùs eum qui semel mutuum sub vsuris dederit, & eas acceperit, licèt id confessus fuerit publicè in iudicio, vel extra, aut eadem de causa à Iudice dānatus fuerit: nec item in eum, qui secretè & occultè vsurarios contractus fecerit, quanuis eius criminis accusatus, vel confessione, vel aliis probationibus condemnatus fuerit. Quod meritò impugnat Mol. *illa disput. 334. not. 5.* tum, quia ex *d. c. quanquam.* id nō colligitur, & vbi textus non distinguit, nec nos distinguere debemus: tum etiam, quoniā cæteri Doctores id nō affirmant: tum denique, quia ille textus etiam loquitur de pœnis *c. quia in omnibus.* quod supponit, vt de prohibitione Ecclesiasticæ sepulturæ: & ideo in contrarium facta tā non probat non sufficere esse manifestum vsarium tribus vltimis modis, quàm debere esse assuetum vsuris, siue eas palàm, siue occultè exercuerit, modò iam res manifesta sit. Et certè verisimile est, pœnas positas cōtra manifestos vsurarios non incurri, nisi ab eo qui vsuris assuetus fuerit, & cuius vsuræ ipso tempore erunt manifestæ ex ipso modo faciendi, etiāsi in omnibus pœnis manifesti vsurarij fatentur Couar. & Villagut. Secundum verò docent in pœnis *cap. quamquam.* Sed in omnibus vtrumque docere videntur Bart. & Bald. nam Bart. *l. 2. n. 3. ff. de furtis.* Vbi autē quandoque quæritur an quis dicatur delinquens, seu peccator manifestus, vt fur, vel vsurarius respectu certi, & determinati delicti, & tunc requiritur apprehēsio, seu acclamatio contra eū in ipso actu delinquendi, vel in iis quæ sunt proxima delicto, quandoque quæritur, an aliquis sit manifestus peccator alicuius delicti in genere, & tunc non sufficit quòd fecerit semel, vel bis illud delictum, sed requiritur quòd constet publicè paratū esse ad illud faciēdū, vt facit meretrix in prostibulo, vel vsurarius ad bancum; vt in *l. palàm. in princip. ff. de ritu nuptiar.* & quod notatur *c. vsuris in 6.* Item si non faciat ita palàm, sed quasi, vt putà, si mutuat in camera sua cuilibet volenti. Bald. autem *l. 1. C. de sacros. Eccles. col. 4.* ait, ad hoc vt quis sit vsurarius manifestus, non sufficere quòd probetur vsurarium esse, sed requiri publicam probationem. Et sanè cùm pœna debeat esse proportionata culpæ, si culpa vsurarij leuis sit, eo quòd rara, vel in materia leui, non esset tot, tantarúmque pœnarum reus in foro externo, aut interno.

Num. 5.

QVOMODO autē hoc delictū probetur, & an in eius probatione admittendi sint testes singulares vltra ea, quæ ex Mol. retulimus, nota quæ docet Azeuedo in *Pract. crimin. c.* 88.

DVBIVM XLVII.

De pœnis manifestorum vsuriorum, & quorundam illis fauentium.

PRI

SVMMARIVM.

1 *Prima pœna, infames esse.*
2 *Secunda, non posse ad sacros ordines admitti.*
3 *Tertia, si Clericus est, suspendendum ab officio, & beneficio.*
4 *Quarta, esse degradandum ab officio, & beneficio iam accepto.*
5 *De pœna pecuniaria vsurarij.*
6 *Sexta pœna, non esse admittendum ad Eucharistiam.*
7 *Septima, eius oblationes in Ecclesia accipiendas non esse.*
8 *Octaua, Ecclesiasticam sepulturam eis denegandam.*
9 *Quædam circa prædictam doctrinam digna obseruatione.*
10 *An valeat vsurarij testamentum?*
11 *Nona, decima & vndecima pœna vsurarij n. 12. 13.*

Num. 1. PRIMA pœna eorum vsurariorum est, esse infames. *l. improbum fœnus. C. quibus de causis irrogat. infam.* (vbi Albericus) *& cap. infames. §. porrò. 3. quæst. 7. cap. inter dilectos. de excess. Prælato.* Refert autem, & non refellit Bernard. Diaz in *Pract. crimin.* Bald. *d. l. improbum fœnus.* asserentem, vsurarios manifestos etiã post restitutionem vsurarum, & peractam pœnitentiam esse infames. Sed Azeuedo notat ibi docuisse Bald. contrarium *l. casus. ad fin. ff. de solut.* vbi ait: *quod si vsurarij pœniteant, & vsuras restituant, de æquitate canonica famam recuperant.* Quem sequuntur Felin. *cap. 1. col. 12. verb. limit. 8. de probation.* & Matth. de Afflict. *sing. 196.* Hanc pœnam ab vsurariis occultis non incurri, rectè asserit Couar. *illon. 2.* Villagut. *quæst. Ioan. de Salas. 35. de vsuris. conclus. 2.* Salic. *d. l. improbum.* & alij communiter.

SED an hæc pœna incurratur ab exercente vsuras iure ciuili communi permissas? Communior & verior opinio est, quam referũt, & sequuntur Mol. *disp. 334.* & Couar. *3. Variar. c. 3. n. 2.* Villagut. *quæst. citata.* glos. *d. l. improbum.* etiam in illis habere locum, quia pœna illa statuta est exercentibus vsuras prohibitas; omnes verò sunt prohibitæ: & *l. vlt. tit. 6. lib. 8. noue collectionis*, hęc pœna ad omnes vniuersim vsurarios extenditur.

Num. 2. SECVNDA pœna manifesti vsurarij est, non posse sacris ordinibus insigniri. Azeuedo ꝛ. ex *cap. maritum. 33. dist. & cap. si ditionarius. 46. distinct.* colligitur etiam ex *cap. infames. 6. quæst. 1.* vbi postquam dictum est infames esse omnes quos Ecclesiasticæ, vel sæculi leges infames pronunciant (inter quos sunt manifesti vsurarij, vt vidimus) subiungitur; *vt omnes nec ad sacros gradus debent promoueri.*

Num. 3. TERTIA pœna manifesti vsurarij, si Clericus sit, est, suspendendum esse ab officio, & beneficio. *cap. præterea. de vsur.* quanto autem tempore suspendatur, cùm textus nõ appellet, videtur arbitrio Iudicis relictum: sed fortè erit suspendẽdus perpetuò, donec à potestatem habente absoluatur. Cùm autem is nõ sit ipso iure suspensus, vt patet intuenti textum, quicquid dicat Ang. *vsura. 2. n. 7.* etiãsi celebret, nõ fiet irregularis, vt latè Lopez *2. p. Instructo. conscientia. c. 85.*

Num. 4. QVARTA pœna est, esse degradãdum, & deponendum ab officio, & beneficio iam adepto. Probat Mol. ꝛ. ex *capit. 1. de vsuris.* vbi dicitur, *Ecclesiastici officij periculum patiatur.*

Digitized by Google

Idem colligit ibi Panorm. *not. vlt.* Alex. autem *conſ.* 72. *vol.* 1. probat ex *capit. præterea. de vſuris. & c. inter dilectos. de exceſſib. Prælat.* Sed Bernard. Diaz ait ex nullo horum duorum capitũ probari; ita quòd ſi Clericus deſiſtat à crimine vſurarum degradationis pœnam euadat. Sic intelligit Hoſt. prædicta iura; pro quo etiam refert Gofred. & hunc intellectum bene ſuſtinet *littera d. c.* 1. *de vſuris.* dum ait, *niſi ſtat.* facit *c. Epiſc.* 47. *diſt.* & Concil Elibertinum *can.* 20. relatum *c. ſi quis.* 47. *d.* vbi dicitur: *ſi quis Clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit degradari & abſtineri.* Vide etiam *c. quoniam multi.* 14. *q.* 1. *& c.* 1. 47. *diſt.* quin & talis Clericus repellendus eſt ab obtinendo beneficio. *d. c. inter dilectos. & c. de Petro.* 47. *diſt. & reg. infamibus. de regul. iur. in* 6. quæ ſic ait, *infamibus portæ non patent dignitatis.* Covar. 3. *Var. c.* 3. *n.* 3. cum Hoſtienſ. ait, Clericum vſurarium primò ſuſpendendum eſſe: deinde verò ſi contumax ſit, & perſeueret, deponendũ eſſe. Panorm. verò *d. cap. præterea.* innuere videtur poſſe vtramque pœnam indifferẽter imponi, cùm vtraque in iure ſtatuta inueniatur. Ac ſanè, vt notat Mol. iura non ſonant, vt priùs ſuſpenſio imponatur, & poſtea depoſitio, tametſi æquũ ſit, vt ordo ille ſeruetur, quandoquidem vtraque pœna imponi poteſt, & grauiorem decet vltimò imponi.

GLOSSA *d. c. præterea.* ait, Epiſcopum diſpenſare poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem poſſe cum Clerico vſurario, vt habilis ad Eccleſiaſtica beneficia ſit: quod etiam docet Villagut. *illa q.* 35. *concluſ.* 14. & Bernard. Diaz *illo cap.* 88. & Panormit *c. inter dilectos.* eámque gloſ. communiter eſſe receptam affirmat Couarr. Poſtea verò cum alia gloſ. *cap. inter dilectos.* ſic reſtringit, vt intelligatur ad beneficia obtenta, non ad obtinenda. Quam etiam videtur tenere Azeuedo *illo cap.* 88. Molin. tamen arbitratur gloſ. *cap. inter dilectos.* non negare, poſſe Epiſcopum poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem reddere habilem Clericum vſurarium ad obtinenda beneficia, quæ de nouo vacent, & ad quæ de nouo poſt talem pœnitentiam ius acquirat (quo pacto intelligenda eſt gloſ. *cap. præterea.*) ſed ſolùm aſſerere, ad ea beneficia obtinenda, ad quæ ante pœnitentiã, & ſatisfactionẽ erat electus, & habebat ius, nõ poſſe reddi habilẽ per Epiſcopũ; ſed eſſe omnino ab eis repellendum, conferendáque eſſe alteri; poſſe tamen diſpenſare vt maneat in iam obtentis, quia licèt poſſit eum deponere ab illis, poteſt etiã non deponere; ſed ſuſpendere illum ad tempus, iuxta *d. c. præterea.* & poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem poteſt eum relinquere in proprio beneficio iam obtento.

QVINTA pœna eſt: vſurarij amittunt formale, vel virtuale mutuatarij, quod ad vſuram eis dedit, & inſuper tantundem, dimidium quidẽ fiſco Regis, & dimidium alterius dimidij accuſanti, & reliquum in refectionem murorum, aut ſi locus nõ eſt, de hoc in aliis. Quòd ſi poſt hanc condemnationem iterum labantur in idem crimen, amittunt dimidium omnium ſuorum bonorum ſimili modo diuidendum. Si verò poſt hanc pœnam iterum labantur, amittunt omnia ſua bona ſimiliter diuidenda. *l.* 4. *& ſeq. tit.* 6. *lib.* 8. *noua collectionis.* De ſimili autem pœna in Luſitania

idem

idem Mol. ꝛ. optimè tractat.

SEXTA pœna est: vt manifesti vsurarij ad communionem altaris non admittantur, *cap. quia in omnibus. de vsuris.* quod est Concil. Lateran. quod licèt Panorm. *ibi. & cap. cùm su. eodem tit.* & Ang. *vsura. 2. n. 5.* & alij intellexerint, quòd sacrificio altaris, vt erubescant, interesse non sinantur eo pacto, quo excommunicati interesse non permittuntur: & Ioan. Anan. *eod. c. quia in omnibus.* eandem sequens expositionem dicat vltra montes obseruari textum: tamen id non sonat, sed quòd ad Eucharistiæ perceptionem non admittantur; vt Mol. cum Syluest. *quæst. 4. citata.* Couarr. ꝛ. *n. 5.* Innoc. & Ioann. Andr. aliique affirmant, vt Toletus *lib. 5. cap. 36.* citans Sot. *6. iustit. quæst. 1. art. 1.* Villaguta verò *illa quæst. 35. conclus. 3.* vtramque expositionem bonam esse affirmat, & relinquit lectoris arbitrio, vt & Tabien. *vsura. 1. q. 5.* Sed secundâ sequitur Pala. 4. *de contract. c. 3.* Sa. *verb. vsura. n. 7.* addens, hos ad nullum Sacramentum admittendos esse ante satisfactionem, vel saltem sufficientem cautionem, quod etiam docet Tolet. *illo cap. 36.* & Nauar. *cap. 17. n. 279.* Sed vnde collegerint, ignoro.

Num. 7. SEPTIMA pœna: *c. quia in omnibus. de vsuris.* sancitum est, vt oblationes in Ecclesia ab iis non accipiantur. Obseruat autem Villagut. *quæst. citata conclus. 4.* eleemosynas horum posse recipi si inde non fiant inhabiles ad restituendas vsuras, vt Doctores eodem *cap.* probant, & Ioann. Andr. *c. cum voluntate. de sentent. excommu.* & Theologi 2. 2. *quæst. 32. art. 7.* Similiter posse ab iis recipi decimæ. Item Clerici, accipientes oblationes de manu vsurariorum manifestorum illas restituere tenetur, & executione suorum officiorum carent, donec satisfaciant ad arbitrium Episcopi, vt habetur *eodem cap. quia in omnibus.* & docet Villagut. ꝛ. *q. 16.* In illis autem verbis contineri suspensionem ipso facto, contra Bart. & Host. docet Ang. *vsura. 2. n. 7.* cum Panormit.

OCTAVA pœna: *eod. cap. quia in omnibus.* est statutum, vt si eo peccato ex hoc vita decesserint, Ecclesiastica careant sepultura, & qui eos Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit, donec arbitrio Episcopi satisfecerit, sit suspensus: quod intelligit Ang. loco proximè citato cum Panorm. ibi, Molin. ꝛ. Tabien. *vsura. 1. quæst. 5.* & communiter alij de suspensione ipso facto. Constitutionem hanc præcipit Greg. X. in Concil. Lugdunens. *Clem. de vsuris.* sub interminatione diuinæ maledictionis inuiolabiliter obseruari. Posteáque *Clemen. 1. de sepultur.* sancitum est, vt qui manifestos vsurarios scienter sepelire præsumpserit, sit ipso facto excommunicatus, neque absoluatur quousque Episcopi arbitrio satisfecerit; & *cap. quamquam de vsuris. in 6.* decretum fuit, vt quamuis manifesti vsurarij in suo testamento, aut quacumque alia vltima voluntate restitui præcipiant vsuras, siue exprimendo earum quantitatem, siue non, eis non tradatur Ecclesiastica sepultura donec de vsuris, prout eorum facultates patientur, plenariè fuerit satisfactum, aut sufficiens præstetur cautio; idque vel iis quibus faciēda est restitutio, si præsentes sint, vel aliis qui de iure possunt illis acquirere (vt sunt filij, serui, & personæ aliæ ad id à

iure expreſſæ, de quibus gloſ. ibi & Angel. *vſura. 2. num.* 8. Lopez 2, *part. cap.* 85. vel iis omnibus abſentibus Ordinario loci, aut eius Vicario, vel Rectori Parochiæ in qua defunctus habitabat, coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia, aut coram tabellione, vel notario publico de mandato Ordinarij. Inſuper præcipitur, ſi de vſurarum quantitate conſtat, vt ea ipſa quantitas in cautione exprimatur, ſi autem non conſtat, exprimatur veriſimilis quantitas arbitrio cautionem recipientis, qui ſi ſcienter minorem veriſimili poſuerit, ad reſtitutionem teneatur vſque ad veriſimilem quantitatem: ibidémque ſubiungitur, ſi Religioſus aliquis manifeſtos vſurarios aliter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admiſerit, incurrat pœnam ſuſpenſionis ſtatutam *d. cap. quia in omnibus.* Præcipitur quoque vt nullus interſit illorum teſtamentis conficiendis, & vt nullus eos ad confeſſionem admittat, aut illos abſoluat antequam vel reſtituant, vel prædicto modo cautionem præſtent. Inſuper ſtatuitur, vt manifeſtorum vſurariorum teſtamenta aliter confecta (quàm ſcilicet ſatisfactis vſuris, aut cautionem modo explicato præſtent) ſint ipſo iure irrita & nulla.

Num. 9. CIRCA quæ obſerua primò, hæc non habere locum in vſurariis occultis; his enim deneganda non eſt Eccleſiaſtica ſepultura, neque Euchariſtia, ſi publicè illam petant, ſed in conſcientiæ foro abſoluendi non ſunt niſi ſatisfecerint, aut ſatisfacere ſint parati, ſicut furibus occultis, & aliis debitoribus fieri conſueuit. Ita Molin. & alij ſ. Sa *illo n.* 7.

SECVNDO obſerua, in *d. cap. quanquam* non dici expreſsè præſtandam eſſe cautionem cum pignoribus, aut fideiuſſoribus, ſed ſolùm dici præſtandam idoneam cautionem, nomine tamen *idoneæ cautionis*, vt ibi notat gloſ. & conſentiunt Doctores, intelligitur cum pignoribus aut fideiuſſoribus, iuxta *l. ſi mandato Tit. §. vlt. ff. mandati. & l. 4. §. adiici. ff. de fideicommiſ. libertat.* Ita docet Villaguta ſ. *concl.* 5. Anchar. *d. cap. quanquam.* gloſ. *cap. fin. de pignor. verb. idonea.* Couarr. ſ. *num.* 6. Speculator *tit. de emption. §. 1. n. 9. & 10.* Anton. de Butr. Felin. & alij ſuper dictas gloſ. ſ. Hæc notant gloſ. Archidiac. Ancharr. & Dominic. *d. cap. quanquam.* & gloſ. *d. cap. cùm tu. de vſuris.* Ang. *vſura. 2. num.* 8. Sylueſt. *vſura. 9. queſt.* 4. Molin. & Villag. iuxta *cap. alma mater. §. illis. de ſent. excommun. in* 6. Quòd ſi quis in periculo mortis ſit, velítque ea omnia præſtare, neque poſſit, quia vel eſt in deſerto, vel in mari, vel tranfixus gladio, vel alia ratione ita affectus, vt tam celeris mors timeatur, vt locus non ſit ad ea præſtanda, abſoluendus eſt à quocumque Sacerdote, modò tempus ad id ſuppetat, iurétque ſe ex ipſis præſtiturum quæ potuerit. Si autem adſunt aliqui, coram illis proteſtetur ſe illa debere, ac præcipiat vt de bonis ſuis reſtituantur, Confeſſariúſque obtineat ab eo facultatem prædicta omnia manifeſtandi Ordinario, vt ſi couualuerit curam habeat Ordinarius illum cogendi ea omnia implere. Molin. & Salon ſ. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 280. Sylueſt. *reſtitutio. 6. queſt.* 1. Emanuel 2. *part. cap.* 17. *num.* 2.

TERTIO obſerua cum Villagut. ſ. con

§. *concluſ.* 7. ibi non eſſe ſermonem de reſtitutione damni illati mutuatario, ideo vſurarium manifeſtum, ſi reſtituat vſuras, licèt non intereſſe, non incurrere pœnas *d. cap. quanquã.* vt notãt ibi Anchar. Arch. & Domin. & confirmatur, quia in pœnis ſtrictior interpretatio facienda eſt, neque extendi debent *cap. in pœnis. & cap. odia. de reguli iuris. in 6.*

QVARTO obſerua cum Molin. & aliis nomine *Ordinarij* intelligi quẽcumque qui iuriſdictionem Epiſcopalem habet, vt *cap. ſede vacante.* eiúſque Vicarium, & Abbates, aliósque ſuperiores aliquibus in locis, eorúmque Vicarios.

QVINTO obſerua, ſi notarius publicus in hoc euentu de mandato Ordinarij nomine eorum ſtipuletur quibus reſtitutio vſurarum debetur, acquirere illis ius in foro externo; ſecus autem ſi id de mandato Ordinarij; non efficiat, vt notant gloſ. *cap. quanquam.* Molin. & alij communiter.

SEXTO obſerua, ſepelientes eum notorium vſuariũ, qui vſuras reſtitui iuſſit, antequam executioni mãdarentur ea quæ in *d. cap. quanquam.* ante conceſſionem ſepulturæ executioni mandari præcipiuntur, eſſe ipſo facto excõmunicatos, iuxta *Clem. 1. de ſepulturis*, quæ poſt illud caput condita fuit. Qui autem ſepelientes dicantur, rectè Villag. §. *concl. 9. & 17.* probat intelligi non ſolùm tumulantes, ſeu in foueam, aut ſepulturam mittẽtes corpus, ſed etiam Clericos portantes cereos, comitantes, aſportantes funus, aperientes, fodientes, ſeu fabricantes ſepulcrum, & alios eiuſmodi contra Zabarel. *Clemen. 1. de ſepultur. & concluſ. 11.* qui ait ſepultum non præmiſſa cautione dicta, ſi poſſit diſcerni ab aliis, debere exhumari, & à dicta ſepultura amoueri in odium tanti criminis, vt notant gloſ. *Clement. 1. de ſepulturis. verb. eis quibus Zabarella. in fin. eiuſdem Clement.* Imol. ibi *num.* 30. & communiter Doctores. Molin. etiam notat quòd quanuis ad incurrẽdas pœnas *d. cap. quanquam.* non requiratur notorietas primi modi poſiti à Couarr. & Villagut. dubio præcedenti, tamen teſtamentum eius vſurarij eſt valid um, qui ante mortem non erat notorius, eſto poſt mortem ſufficienter probetur illum vſuras exercuiſſe, eáque de cauſa damnetur, illiúſque hæredes præcipiantur illas reſtituere, atque adeò crimen fiat notorium; quia cùm teſtamẽtum morte teſtatoris confirmetur, teſtatórque ante mortẽ, aut mortis tempore nullum habuerit impedimentũ, tur teſtamentum validũ non erit? Si tamen teſtator ante mortem eſſet damnatus, & abſque ſatisfactione, vel idonea cautione decederet, teſtamentum eſſet ipſo iure nullum. Idem de codicillo, quod de teſtamento, atque alia quacumque vltima voluntate, vt ait Molin. Couar. §. *num.* 9. gloſ. vlt. *cap. quanquam.* communiter recepta. Sylueſt. *vſura. 9. queſt. 7.* Ang. *vſura. 2. num. 11.* Tabien. *verb. vſura. queſt. 5.* Armil. *eod. verb. num. 53.* Villagut. §. *concluſ. 9.* cum Archidiac. Anchar. Ioan. Andr. Franc. & Dominic. in *illo cap. quanquam.* Ana. *cap. quia in omnibus. de vſuris.* Patet, quia ea eſt mens illius legis, alioqui facilè poſſet elidi, & quia codicilli largè dicuntur teſtamenta, quia mentis teſtationes, *cap. placuit. §. ſed*

Digitized by Google

aliud. 113. quæst. 2. Instit. de testamentis in princip. & l. consciuntur. l. ab intestato ff. de iure codicillor.

QVOAD legata ad pias causas in eis relicta, cõueniunt Doctores non valere quando à notorio vsurario qui impœnitẽs decessit, relicta sunt: quando verò signa pœnitentiæ apparuerunt, quidam relati à Sylvestr. & Couarr. valere affirmant, tamen ve ea vltima dispositio quoad reliqua non valeat si ante mortem non restituit, aut idoneam cautionem non præstitit.

Num. 10. DE testamento notorij vsurarij infidelis, vel ad iurisdictionem Principibus Christianis subiecti, quanuis nonnulli validum esse censeant, tamen Molin. cum Couarr. inualidum esse putat, quoniam licèt in eum infidelem locum non habeat pœna spiritualis, tamen Summus Pontifex annullare eius testamentum potest, quatenus Principi Christiano subiectus est, & per consequentiam censendum est fuisse mentem ipsius in *d. cap. quamquam* licèt nihil de eo tunc cogitauerit, quia credẽdum est, si tunc interrogaretur an vellet ea lege illum comprehendere, quoad nullitatem testamenti, affirmanter eum responsurum. Sed probabilius existimo testamentum non esse inualidum, quia tales infideles per se non sunt subiecti Rom. Pontif. non constat autem ex consensu Principum Christianorum eam legem in eos etiam tulisse.

TESTAMENTVM eius notorij vsurarij qui ab vsuris iam destitit, nullum est si ante mortem non restituit, vel idoneã cautionem non præstitit. Ita Mol. cum Felin. & aliis quos citat, & sequitur Couarr. An autem testamentum ante præstitam cautionem ab vsurario notorio, vires assumat, aut conualescat, si vsurarius ante mortem idoneam cautionem adhibeat? Respondetur affirmatiuè cõtra aliquos cũ Mol. glos. Anchar. & Domin. *d. cap. quanquam.* Villag. *illa quæst. 35. conclus. 10.* glos. *Clem. 1. de sepultur. verb. manifestius.* Imol. *ibi n. 28.* & 29. Zabarel. *q. 21.* Anto. de Butr. & Anan. *cap. quia in omnibus. de vsuris.* Ioann. Andr. Bart. & aliis quos citat, & sequitur Sylvest. *ẽ. quæst. 6.* quia testamentum morte testatoris firmatur: eiusmodi autem testamentum ante mortem testatoris habuit omnia necessaria, vt esset validum: item, quia in fauorem testamentorum inclinandum est.

AN autem si notorius vsurarius post testamentum confectum caute quidem idoneè, sed post cautionem secretè vsuras exercuit, validũ censendum sit? Neganter respõdet Mol. quia præsumẽdum est pœnitentiam, & cautionem fictam fuisse. Ita etiam Couar. ẽ. & alij. Panorm. tamen *cap. quia in omnibus. de vsuris. n. 10.* validum esse innuit: quod verum esse arbitratur Mol. in foro conscientiæ, quando verisimiliter creditur absque fictione animo restituendi præstitisse cautionem: etenim secretè vsuras postea exercere inualidum illud non reddit. Ego absolutè existimo esse validum, quia licèt fortè non habuerit animum restituendi, tamen veram & sufficientem cautionem præstitit, vt ad restitutionem cogi posset.

AN verò si aliquis qui vsurarius non erat testamentum condidit, sed postea notorius vsurarius est effectus, testamentum reddatur nullum?

Molin.

Digitized by Google

Mol. cum Couarr. & aliis ab eo citatis affirmat, quia testamentum morte testatoris confirmatur: illud verò tempore mortis non habuit quæ necessaria erant, vt validum esset.

An verò Princeps statuere possit, vt testamentum manifesti vsurarij ante prædictam restitutionem, vel cautionem factam validum sit, vel vt possimus ei assistere? Rectè Villag. s. *concl.* 8. cum Bald. *cons.* 334. negant respondet, quia Princeps secularis non potest derogare legibus Pontificiis.

Num. 11. Nona pœna: *cap.* 1. *de vsuris in 6.* vt neque collegium, neque vniuersitas, aut persona aliqua singularis cuiuscumque status, aut ætatis sit, alienigenis & quibuscumque ex eadem Republ. non oriundis, qui publicè vsuras exercent, aut exercere volũt, domos conducant, vt in illis vsuras exerceant, vel conductas habere sinant, aut habitare in ipsorum terris, &c. Vide prædict. cap. & Mol. s. & Villagut. s. *conclus.* 3. Armil. *verb. vsura. 9. n.* 53. & 54. Sylvest. *vsura. 9. q. 4. particul.* 8. Angel. *vsura. 2. §. 13.*

Num. 12. Decima pœna: *Clement. in ea. de vsur.* vt cõmunitates, earum potestates, Iudices, aut quicumque alij Officiales qui condiderint, scripserint, vel dictauerint statuta, quibus vsuræ permittantur, aut solui compellantur, vel repeti prohibeantur, eo ipso excommunicati sint: similique pœnæ subiaceant, qui scienter iudicare præsũpserint, vt vsuræ soluantur, aut repetitæ non restituantur. Itémque vt nisi prædicta statuta intra tres menses deleantur ab iis qui ea delere possunt, sint eo ipso excommunicati, atque ij qui vel eam, vel similem consuetudinem seruauerint, eandem pœnam incurrant. Item cùm quis vsuram commisisse præsumitur, censuris ostendere cõpellatur codices suarũ rationum, vt inde res meliùs intelligatur.

Vndecima, si vsurarius ad vsuram aliquid accipit, & vsuram soluit alteri, neque ei, neque eius hæredibus conuenit repetitio, donec ipse vsuras ab aliis acceptas soluat. *cap. Michaël. de vsuris.* Si tamen aliquis Ecclesiæ, aut alicuius alterius nomine ad vsuras accepit, atque eas soluit, conceditur repetitio, esto qui nomine alterius eas soluit, vsurarius sit, restituendásque vsuras habeat. Panorm. *d. cap. Michaël.* Sylvest. *vsura. 9. quæst.* 4. Mol. & alij. Alia de his pœnis vide apud Doctores citatos. Num. 13.

DVBIVM XLVIII.

An licitum sit petere, & accipere mutuum sub vsuris?

SVMMARIVM.

1 *Quinque conclusionibus Molina respondet n.* 3. 4. 5.

6 *An qui ad finem venialem, vel ad superuacaneam causam petit sub vsuris, peccet mortaliter? duæ opiniones proponuntur, in quibus, & resolutione controuersiæ, distinctione vtendum. n.* 7. 8.

9 *Non peccat mortaliter qui ad res indifferentes petit mutuum à parato dare sub vsuris.*

Molina *disp.* 335. statuit has conclusiones. Prima est, accipiens mutuum sub vsuris nõ committit Num. 2.

mittit iniuſtitiam aduersùs vſurarium. Hæc eſt notiſſima, quia in eo nullam illi iniuriam infert, ſed potiùs mutuatarius eſt, qui ab vſurario iniuriatur.

Num. 2. SECVNDA cõcluſio, mutuatarius poteſt iniuſtitiam committere contra vxorem, & filios ſuos accipiendo ad vſuras, vt ſi in eorũ præiudicium æs multum alienum contrahat: præſertim *mohatras* quas vocant exercẽdo, & diſſipando bona ſua. Hæc etiã eſt perſpicua, eámque affirmant Sot. *6. iuſtitia. quæſt.* 1. *art.* 3. Nauar. *cap.* 17. *n.* 263. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 37. Vega *verb. vſura. caſu* 45. *&* 47. Lop. 2. *p. Inſtruct. conſcientiæ. c.* 83.

Num 3. TERTIA concluſio, nefas eſt inducere vſurarium ad mutuandum ſub vſuris, quoniam cùm ille abſque peccato efficere nõ poſſit, eſſet illũ ad peccãdum inducere, quod eſt per ſe & intrinſecè malum. Ita D. Thom. in *hac quæſt.* 78. *art.* 4. vbi Bannez *dub.* 1. Arag. & alij, Caiet. *eod. art. & tom.* 1. *opuſcul.* 31. *reſponſ.* 13. Val. *ſuſp.* 5. *quæſt.* 25. *punct.* 4. Tabiena *vſura.* 8. *in princip. & q.* 3, citans Diuum Bernardin. Sylueſt. *vſura.* 7. *q.* 1. Ioan. Bapt. Conrrad. *in Summ. q.* 236. Nauar. *c.* 17. *n.* 262. Antoni. 2. *p. tit.* 1. *c.* 9. §. 14. Villagut. *q.* 34 *de vſuris.* Grafis *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 108. *n.* 3. Intelligitur autem etiamſi homo paratus eſſet ad mutuãdum ſub vſuris, vt notat Caiet. locis citatis, & Val. s. vbi meritò impugnat Sot. *illo art.* 5. aſſerentem licitum eſſe inducere paratum; niſi fortè Sotus intelligat, vt intelligere videtur, de inductione impropriè dicta, ſcilicet de petitione mutui ab eo quẽ ſcis eſſe paratum dare ſub vſuris, neque aliquid aliter daturum; non verò de inductione propriè dicta, quæ habet pro obiecto mod mutuãdi, ſcilicet ſub vſuris: actus enim qui reſpicit mutuationem, vt affectam tali modo, eſt malus ex obiecto, neque vlla ratione poteſt honeſtari. Vnde etiam non eſt admittendum quod ait Tolet. s. Innoc. & Panormit. communiter recepti à Canoniſtis. *cap. ſuper eo. de vſuris.* in extrema neceſſitate licitum eſſe inducere alterũ, vt det ſub vſuris, niſi intelligant, vt intelligũt, de conditione conditionali, ſcilicet ſuadendo, vt ſi non velit donare, aut gratis mutuare, ad quod tenetur, ſaltem det ſub vſuris, quod eſt minus peccatum quàm omnino non dare, & licitè poteſt conſuli: nam, vt dicemus dubio ſequenti, licitum eſt conditionaliter cõſulere minus malum, vt vitetur maius: & ita Panor. interpretatur Tabien. *illa quæſt.* 3. & Innoc. Nauarr. & Sylueſtr. s. in eodémque ſenſu idem docent Salon *art.* 4. *controuerſ.* 1. *in fin. & controuerſ.* 2. *in princip.* Villagut. & Grafis s. Ang. *vſura.* 2. *n.* 2.

SI petas quodnam peccatum ſit inducere ad dandum ſub vſuris? Reſpondetur, ſi inducat quis ad dãdum eo modo alteri, eſſe peccatum contra charitatem mutuantis, & iuſtitiam mutuatarij, cuius damnum iniuſtè inferendum ſuadetur: ſi verò inducat ad dandum ſub vſuris ipſi inducenti, eſt tantùm peccatum contra charitatem mutuantis, maximè ſi neque actu, neque habitu erat paratus dare; & ſemper eſt peccatum mortale, ſi materia eſt grauis, etiãſi alius ex conſilio non credatur moueri, neque in mala voluntate confirmandus, aut augmentum aliquod habiturus, quia tunc quantùm in ſe eſt, & affectu ſuo efficaci cauſat damnum

Digitized by Google

num ſpirituale mutuantis, & temporale mutuatarij, niſi fortè ideo perſuadeat ipſi mutuationem vſurariam, quia nouit eo conſilio, & ſuaſione non mouendum, neque notabiliter confirmandum, vel augẽdum in praua voluntate, neque ipſe velit damnum ſpirituale mutuantis, aut tẽporale mutuatarij; quia in eo euẽtu fortè non eſſet peccatum mortale vſuras conſulere, ſed veniale tãtùm, eo quòd conſilium, licèt ſit malum ex obiecto & intrinſecè, non tamen eſt notabiliter pernicioſum in affectu, aut effectu: ſicut quando quis detrahit proximo nolens eius damnum, & credens non futurum, eo quòd fides illi non adhibebitur, non peccat mortaliter in falſa illa detractione, ſed venialiter tantùm.

Num. 4. QVARTA concluſio Molinæ: nefas eſt abſque neceſſitate aliqua afferre alicui occaſionem nouæ lethalis culpæ mutuum ab eo exigendo quem ſcis vſuras petiturum, eſto ille paratus ſit habitualiter ad eo pacto mutuandum. Ratio eſt, quia ſub reatu lethalis culpæ lege charitatis teneris vitare peccatũ lethale proximi, ſi abſque tuo incommodo, aut graui moleſtia id poſſis, eſto ex parte illius ſcandalum non ſit puſillorum, ſed Phariſæorum.

Num. 5. QVINTA concluſio Molinæ: ſi quis vel mediocriter pecunia indigeat, aut propter lucrum notabile quod ſperat, aut vt negotiatione vitam ſuſtentet, aut quòd in neceſſitate, preſſuráue ſit aliqua, neque facilè poſſit pecuniam habere aliũde, licitè poterit mutuò petere, nihil impediente quòd intelligat eum à quo mutuò petit, exacturum vſuras, quin ſubintelligat illum non aliter eſſe daturum mutuum niſi ipſe vſuram offerat, poterit dicere, da mutuò 90. & reddam 100. aut da 90. & vide quid vis inſuper tibi reddam, quia hoc nõ eſt cooperari peccato illius: ſed ex rationabili cauſa vti peccato illius in vtilitatem propriam, offerréque illi ex cauſa rationabili occaſionem peccati, ſcandalíque Phariſæorum, oſtẽderéque ſe paratũ ad ita accipiendum, ſi aliter dare noluerit.

AN autem qui ad finem venialem, Num. 6.
vel ad ſuperuacaneam aliquam cauſam, vt ad ludos, vel ſpectacula petit ſub vſuris peccet mortaliter? Nauarr. *c.* 17. *n.* 262. Caiet. *hîc art.* 4. & *verb. vſura. c. vlt.* & Sotus *illo art.* 5. Salon *hîc controu.* 3. Arag. *eod. art.* 4. Cor. *in Sum. q.* 236. Armil. *verb. vſura. n.* 38. Sa *n.* 5. Tolet. *illo c.* 37. Vega *verb. vſura. caſu* 46. & 47. exiſtimãt in eo euẽtu ad ſummum eum qui mutuũ petit, peccare venialiter. Molin. autem ãit, id damnare non auderem, quãdo alij eiuſdem ſtatus ad illa eadem exhibenda concurrerẽt, indecorúmque quodammodo eſſet pecuniã ad vſuram petenti illos non ſequi. Ceterùm, quando commodè id vitare poſſet ad quod vult eam pecuniam, rationabiliúſque eſſet, vt id vitaret, dicere ſi auderem illum non peccare lethaliter; Contradúſque *de cõtractib.* eum lethaliter peccare affirmat. Hæc Mol. Alij aſſerunt pro eo opere illicito ſumẽtem ſub vſuris peccare mortaliter. Val. *diſp.* 5. *q.* 21. *p.* 4. Bannez *hoc art.* 4. *dub.* 3. Sylueſt. *vſura.* 7. *quæſt.* 1. Tabien. *vſura.* 8. *n.* 2. & 3. Angel. *vſura.* 2. *n.* 2. qui alios referunt. Idem tenet Ricard. 4. *diſt.* 15. *art.* 5. *q.* 5. *ad* 2. Gabr. *quæſt.* 11. *art.* 3. *dub.* 14. Duran. 3. *diſt.* 37. *quæſt.* 4.

Digitized by Google

Paludan. *quæstione* 2. *articulo* 1. Grafis 1. *parte*, *libro* 2. *capite* 108. *numero* 3. & 4. Antoninus 3. *parte tit.* 1. *c.* 9. §. 14.

SVADETVR primò ex his quæ dicuntur à D. Thom. *quæst.* 43. *art.* 7. & 8. & ab aliis in materia de scandalo, vt debere mulierem, ne alicui sit scandalo domi se continere, & non respicere per feneſtram quando cómodè sine suo, vel aliorum detrimẽto ab his abstinere potest, præsertim si aliter peccatum est nó ex malitia, sed ex ignorantia vel passione. Secũdò, quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Eccleſiastic. 17. Tertiò, quia quisque debet quando sine suo, vel aliorum detrimento id potest, vitare damnum temporale alterius, vt si conflagraret vicini domus, & facilè queat subuenire: ergo à fortiori debet quando sine suo, vel aliorum detrimento potest vitare damnum spirituale alterius, & multo magis quando alioqui tenetur sub mortali, vel veniali abstinere ab eo quod proximo est causa ruinæ spiritualis. Quartò, quia D. Thom. *hîc art.* 4. non aliter licere concedit petere mutuum ab vsurario, nisi ratione alicuius boni quod sibi succedat, id damnum vitet.

Num. 7. EGO priorem opinionem veriſſimam puto, quando alter est actualiter paratus ad dandum sub vsuris, siue quia reuerà tunc erat in illa voluntate actuali, siue quia paulo antè eam habuit, & postea eam non retractauit, propterea̅que censetur in eadem manere, & licèt actum physicè repetat, non censetur moraliter illum repetere, sed in eodem actu manere, ipsúmque continuare, quia tunc damnum spirituale proximi, cuius est occasio, modicum est, nempe aliquantulùm continuare actum, vel intendere, aut ipsum consummare opere externo. Præbere autem occasionem modici damni spiritualis non est peccatum, saltem mortale, etiamsi fiat absque neceſſitate, vel magna vtilitate, etiam cum peccato alioqui veniali, vel mortali: licèt enim alioqui teneat abstinere à tali opere, nihilominùs non teneor saltem sub mortali ab eo abstinere, ne sequatur aliud leue detrimentum spirituale proximi. Quando verò alter non esset sic actualiter paratus ad dandum sub vsuris, tutior, & valdè probabilis est secunda opinio, asserens esse peccatum mortale petere ab eo sub vsuris ad opus alioqui illicitum, etiam venialiter tantùm.

SED nihilominus distinguerem, *Num.* 8. nam vel facile est ab eo opere abstinere, vel difficile. Si primum, credo peccatum mortale esse, occasionem illius spiritualis ruinæ præbere proximo, quia teneor sub mortali abstinere cùm commodè, & facilè possum abstinere ab omni eo quod est proximo occasio spiritualis ruinæ: & hoc probant argumenta secundæ opinionis. Si secundum, credo non esse mortale vno forte, nec veniale præbere illam occasionem, quia non teneor saltem sub mortali abstinere cum magna mea incommoditate, vel difficultate ab eo quod alteri erit occasio spiritualis ruinæ, vel temporalis detrimenti. Salon vtitur alia distinctione,

Digitized by Google

ctione, dicens ad offerendas à principio vsuras vsurario, requiri necessitatem aliquam inuitabilem, & non sufficere voluntariam, & euitabilem, esto sit licita, vt quæ decet statum, sed non est ad illum necessaria: ad acceptandum autem vsuras quas vsurarius petit, nullam necessitatem requiri, & non esse mortale etiam ob finem venialem eas acceptare. Sed hæc sententia non placet, quia quòd vsuræ offerantur à principio, vel acceptentur postea, per se videtur impertinens ad honestandam, vel vitiandam mutui petitionem, quicquid ille latè doceat *contron.* 2. licèt per accidens possit conducere, quia si à principio non offerantur vsuræ, sæpe mutuator illas non petet à mutuatario. Quidam etiam ex auctoribus primæ opinionis eam restringere videntur ad eum qui petit mutuum à parato dare sub vsuris, vt Sotus, Vega, Villaguta, Nauarr. & Lopez. Sed durum est dicere omnes qui absque magna necessitate, vel vtilitate, aut ad rem venialem petunt à parato dare, peccare mortaliter. Vnde Caiet. Salon, Sa, & Armill. sine distinctione de parato, & non parato, dicunt in tali euentu non peccare mortaliter. Dubitat tamen Salon *illa controuers. 3. in fin.* an qui propter finem mortalem, vt qui propter fornicationem petit mutuum à parato dare sub vsuris, peccet peccato scandali? Caietanus, Sotus, Lopez, & Corad. malè citans Bannez, tenet peccare tantùm peccato fornicationis, idémque dicit quando quis paratum inducit ad fornicationem. Val. verò, Syluester, Bannez. Dur. Paludan. Antoninus, & alij, peccare etiam mortaliter peccato scandali. Salon ibi ait, si vsurarius ex malitia & prauo habitu paratus erat, veram esse priorem sententiam, quia cùm iam sit lapsus in peccatum, nulla ei offertur occasio ruinæ: secus si ob infirmitatem, fragilitatem, seu vehementem passionem, vel ignorantiam paratus erat. Sed friuolum est, quia etiam in hoc posteriori euentu iam erat lapsus: ergo non præbetur ei occasio ruinæ: Existimo tamen, licèt sit mortale, esse tamen veniale peccatum scandali, quatenus sine sufficienti causa præbetur ei occasio continuandi, intendendi, confirmandi, aut externo opere consummandi prauam voluntatem: quoties autem quis iuxta superiùs dicta sub mortali, vel veniali tenetur abstinere à petitione mutui propter vitandam ruinam proximi, peccat mortaliter, vel venialiter peccato scandali: videntur enim Caiet. Sotus, Tol. Armil. Nauarr. Lopez, Arag. Sa, & alij tenere, quando quis propter vanitatem, vel delectationem venialem petit à parato dare, peccare eo peccato ad quod pertinet prauus finis.

VTCVMQVE sit, verum existimo quod ait Angelus *vsura.* 2. §. 2. cum Panormitano, Hostiens. & Anania *capite super eo. de vsuris.* non peccare mortaliter eum qui ad res indifferétes id est, neque bonas, neque malas secundùm se, quæ non sunt necessariæ, neque valdè vtiles, petit mutuum à *Num. 9.*

Digitized by Google

parato dare sub vsuris, licèt id reiiciat Tabiena *vsura.* 8. *num.* 2. & 3. Probabile etiam iudico, omnem qui sine necessitate, vel magna vtilitate petit è parato dare, peccare mortaliter, quod præter citatos docet Palacios 4. *de contract. c.* 10. Certum etiam puto, quando maior timetur ruina proximi, maioré difficultatem superandam, & maiorem commoditatem relinquendam esse ex præcepto charitatis. Et quæ dicta sunt de abstinentia à mutuo propter vitandum vsurarij peccatum, intellige de abstinentia à deposito, mutuatione, vel donatione vsurario faciendis, qui per pecuniam depositam, donatam, vel mutuatam incumbit vsuris. De qua re vide dicta dubio 44. Tabien. *vsura.* 8. *quæst.* 4. & *q.* 5. *in fine.* Bosel. *rest.* 9. §. 1. D. Thom. *de malo. quæst.* 13. *art.* 4. *ad* 18.

PER hæc limita quod ait Sa *verb. peccatum. num.* 5. non esse mortale facere rem licitam, etiamsi scias alteri futuram occasionem peccati mortalis, etsi quidam aliter sentiant.

DVBIVM XLIX.

An licitum sit suadere minus malum ad maius vitandum?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur titulus quæstionis.*
2 *Sententia negans cum suis fundamentis.*
3 *Sententia affirmans tenenda est, explicatur, & suadetur n.* 4.
5 *Quorundam limitatio.*
6 *Aliquæ resolutiones.*
7 *Ad argumenta contraria respondetur.*

VERBI gratiâ, an licet inducere eum, qui subuenire gratis non vult extremè indigenti, vt saltem subueniat mutuãdo sub vsuris, vel inducere eum qui sumere vindictam de aliquo illum interficiendo decreuit, vt mitioré aliquam de illo vindictam sumat, quando aliter eum remouere non potest, aut qui vult committere adulterium, vel furtum grauius, vt potiùs simplicem fornicationem, aut leuius furtum committat? *Num.* 1.

PARS negans suadetur, primò, quia *non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Rom. 3. Sed consulere minus malum, est cooperari ad illud, ac proinde ipsum efficere. Ergo illicitum est, etiamsi fiat intuitu tanti boni, quantum est vitare maius aliquod malum. *Num.* 2.

SECVNDO, nefas est vsurario facere minus malum, vt euitet maius: ergo nefas etiam erit id illi consulere, quia quod non licet alteri facere, non licet ipsi consulere.

TERTIO, consulere minus malum ad maius euitandum, est consulere malum, ad illúdque inducere, quod sanè memini licet. Cõfirmatur: nam cõparatiuũ supponit positiuum: ergo suadere, & velle minus malum, est suadere, & velle malum; hoc autem nunquam licet. ergo, &c.

QVARTO, nefas est ab aliquo petere, aut consulere id quod sine peccato facere non potest, sed ille non potest absque peccato facere minus malũ, vt euitet maius. ergo nefas est id ab illo petere, aut id illi cõsulere.

PROPTER hæc Val. *disp.* 5. *q.* 21. *puncto* 4. *notab.* 2. tenet, neque absolutè, neque conditionaliter, seu comparatiuè

Digitized by Google

paratiuè oportere consulere minus malum, vt vitetur maius. Citat pro se Caietan. *hoc art.* 4. & Gabr. 4. *dist.* 15. *quæst.* 11. *art.* 3. *dub.* 14. Sed malè ab eo, & aliis isti pro hac sententia referuntur, solùm enim loquuntur de consilio absoluto, non de conditionali, & cõparatiuo. Eam tamen sententiam tenet Conrrad. *de contract. quæst.* 26. *corol.* 1. *& 2. post* 2. *conclusionem.* Fauet Syluest. *matrim.* 7. *quæst.* 5. *dicto* 9. Villaguta *illa quæst.* 12. *de vsuris.* Pro illa prima sententia malè citat Couar. *de sponsal. cap.* 4. *p.* 1. *n.* 9. *circa* 1. potiùs enim insinuat oppositum ex *cap. nerui.* 13. *dist.* & Aristot. 5. Ethicorum cap. 3. dicentẽ, minus malum boni locum habere si maiori malo comparetur. Quam tamen sententiam videtur apertè tenere Sa *verb. peccatum. n.* 6. & Angl. planè tenet oppositũ, vt referemus.

Num. 3. DICENDVM ergo est, quanuis nefas sit suadere minus malum ei quem alia ratione arcere possumus à maiori malo, quanuis item nefas sit solùm vt præueniamus executionem praui habitus alicuius ad maius aliquod malum, vt ad sodomiam, suadere ei vt exercere incipiat minus aliquod malum, putà simplicem fornicationem; fas tamen est suadere illi vt potiùs executioni mandet minus aliud malum, quod est consulere minus malum conditionaliter, & comparatiuè. Ita docent Molin. *disp.* 335. Sot. 4. *iustit. quæst.* 7. *art.* 3. ante solutionem argumentorum, & latiùs *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 5. Ang. *vsura.* 2. *n.* 8. Syluest. *vsura.* 7. *quæst.* 1. Tabiena *vsura.* 8. *quæst.* 3. Villaguta *quæst.* 12. *& 34. de vsur.* Nauarr. *cap.* 17. *n.* 263. Innocen. & Panorm. *cap. super eo. de vsuris.* Adrian. *quodlib.* 3. *art.* 2. §. *iis præmissis. & quodlib.* 9. *art.* 3. ante solutionem tertij argumenti principalis. Angles *quæst. de eo qui tenetur ad restitutionem. art.* 1. *difficult.* 8. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 37. Grafis *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 108. *n.* 3. Aragon *hac quæst.* 78. *art.* 4. ante dubitationem circa solutionem tertij argumenti. Salon *eod. art. controuers.* 1. Pala. 4. *de contract. lib. cap. vlt. in fin.* & latiùs *cap.* 10. Medin. 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 6. Lopez 2. *p. Instruct. cap.* 84. Conrrad. *quæst.* 237. Caiet. *verb. Tyrannus. & tom.* 2. *opusc.* 31. *cap.* 23. *dub.* 3. quo in loco conciliat quæ dixerat *hic art.* 4. cum his quæ dixerat 3. *quæst.* 93. *art.* 8. *in fine.* vbi in hanc etiam sententiam inclinauit. Quare immeritò multi putant Caiet. *illo art.* 4. docuisse non esse licitum cõsulere minus malum conditionaliter, & comparatiuè ad vitandum maius: solùm enim docuit Caiet. non esse licitum inducere absolutè ad minus malum, quanuis liceat offerre, & ministrare materiam minoris mali, vt caueatur maius.

Num. 4. HÆC sententia probatur, quoniam qui ei quem aliter à maiori malo patrando non potest retrahere, consulit, vt minus potiùs exequatur, aut id ab eo petit, non consulit, aut petit vt faciat id quod minus malum est, sed petit commutationem minoris pro maiori, præelectionẽ verò minoris, posito quòd sua nequitia alterũ facturus sit: hoc autem obiectum non esse malum, sed bonum, iuxta regulam topicam, seu potiùs Concil. Tolet. VIII. *cap.* 2. relati *cap. duo mala. dist.* 13. ex duobus malis minus est eligendum: vbi Concilium loquitur de malis culpæ. Quam etiam suadet Grego. 32. *Moral. cap.* 20. relatus

Digitized by Google

cap. nerui. 13. distinct. Ergo consilium ac petitio illa non est mala, sed bona ex obiecto.

SECVNDO, qui ignorantia inuincibili perplexus, & inter duo quorum alterum necessariò est facturus, & vtrumque arbitratur esse peccatum, vtique non peccat id eligendo quod sibi videtur minus, vt omnes concedunt, consonátque Grego. ꝛ. Peccaret autem si eligeret quod sibi videtur maius. Ergo electio minoris mali ad vitandum maius non est in se mala; sed potiùs bona, posito quòd malum sit futurum, atque adeò consiliū ac petitio huius electionis erit bona, posito quòd ex malitia illius cui consilium datur, alterū illorum malorum sit futurum. Confirmatur, quia quisque potest sibi consulere, & conditionaliter eligere minus peccatum, vt dicendo, si aliquod istorum facturus sum, id faciam, vel volo facere quod est minus. Ergo etiam alij licitè possunt ei conditionaliter & comparatiuè consulere minus malum.

TERTIO, si eiusmodi consilium malum esset, id propterea esset, quòd proximus induceretur ad peccatum. Consequens est falsum, quia cùm ille peccare decreuit, eo consilio non inducitur ad peccandum, sed ad minuendam culpam, quod est desistere à parte culpæ, ac proinde bonum est. ergo consilium bonum est.

IN qua sententia apertè est Aug. *illo cap. si quod verius.* vbi ait, *si facturus est quod non licet, puta vel vxorem occidere, vel dimittere, iam facit adulterium, vt si faciat homicidium*: licèt subdat Aug. neutrum debere facere. Ex quo patet malè Angl. ꝛ. vt notat Lopez dixisse, quando minus malum, est malum intrinsecè, non esse licitum consulere minus malum ad vitandum maius, secus quando solùm est malum extrinsecè, seu ex lege positiua: tunc enim licitum est consulere id ad vitandum malū prohibitum lege naturali. Quam opinionem priùs retulerat, & reiecerat Conrad. *illo corol.* 2. sed malè adiecit, in neutro euentu licere minus malum consulere.

ALIQVI verò limitant hanc sententiam, dicentes licitum esse consulere minus malum, modò non vergat in detrimentum tertij. Ita Molin. Lopez, Conrad. & Sal. ꝛ. Et sunt qui hanc limitationem limitent, vt vera sit quando tertius non tenetur illud damnum pati, secus si tenetur illud pati, vt si Petrus firmiter constituisset occidere Regē, vel plebeiū, posſū (inquiunt) consulere Petro, vt occidat plebeium, quia plebeius tenetur vitam pro Rege exponere; & similiter volenti adulterare, non licet consulere, vt fornicetur cum muliere non parata, secus cum meretrice, quæ quandiu sic exposita manet, tenetur copiam sui facere cuicūque poscenti. Sed aliter distinguendum est, vt non sit licitum consulere minus malum quando est in damnum tertij, cui teneor magis prospicere. secus quando non teneor magis illi prospicere. Exemplum secundi est quod ponit Augu. ꝛ. de homicidio & adulterio commisso in personam, cuius cura specialiter consulenti non incumbit, & in eo qui vult furari à paupere: licitum enim est, vt potiùs furetur à diuite, consulere: ergo & volenti comburere oppidum magnum, licitum est consulere, vt potiùs comburat exiguum; & volenti

Digitized by Google

lenti occidere Petrum licitum est consulere, vt potiùs mutilet Paulum, & volenti furari 100. ab vno, vt potiùs furetur nonaginta ab alio, & volenti à consanguineo, vt furetur potiùs ab extraneo. Exemplum autem primi est in volente adulterare cum extranea, cui non est licitum consulere, vt potiùs fornicetur cum vxore, vel filia, vel sorore consulentis; & volenti furari 100. ab alio, non est licitum consulere vt furetur 90. à pupillo, patre, vel filio consulentis.

Num. 2. Ex quibus patet falsum esse quod Sotus 4. *iustit. quæst.* 7. *art.* 3. ante solutionem argumentorum dixit, & approbauit Salon ꝛ. peccatum esse cum onere restituendi si quis alicui consulat minus malum vnius, vt vitetur maius malum alterius: nam in tali consilio rarò interuenit peccatum, saltem iniustitiæ. Ergo rarò interuenit obligatio restituendi. Dixi rarò: nam aliquando interuenit, vt tutor de iustitia tenetur prospicere bono pupilli, vnde si consuleret alicui, vt furaretur ab eo nonaginta potiùs quàm abalio centum, teneretur restituere pupillo, secus si vterque à quo aliquis vellet furari, esset extraneus; quiquid dicant Sotus & Salon.

Ex dictis etiã sequitur quid dicẽdũ sit de illo facto Lot, Gen. 19. qui filias suas Sodomitis obtulit, vt illis abuterẽtur, &c. Ambr. *n.* 1. *de Abrahã. cap.* 6. Chrysost. *hom.* 43. in Genes. Aug. *lib. de mendacio. cap.* 7. D. Thom. *de malo. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 14. sentire videntur rectè fecisse; & expresè Caiet. *ibi, & in hoc art.* 4. & Ioannes Arboreus 10. *Theosoph. cap.* 1. rationem insinuant Chrysost. Ambros. & D. Thomas, & expresè Caietan. *d. art.* 4. & Arboreus, quia minus malum consuluit, vt vitaret maius, vel propter eundem finem occasionem minoris mali obtulit. Sed hoc meritò reiiciunt Pererius Gen. 19. *disp.* 1. *tom.* 3. Sot. 6. *iustit. quæst.* 1. *art.* 5. Ferus, Lyra & alij Gen. 19. Mol. Lop. Palac. Villagut. Arag. & Conr. ꝛ. quia in eo euentu licitum non erat consulere minus malum, seu minoris mali occasionem offerre, quia Lot magis tenebatur consulere filiarum pudicitiæ, quàm vitare illam in hospites nequitiam Sodomiticam.

ALIAM rationem reddit Caietanus Geneseos 19. quam signat Sa ibi, & probabilem putat Pererius, & expresè sequitur Molina, nempe prostitutionem illam fuisse hyperbolicam, non animo vt res ita fieret, sed ad ostendendum quàm molestum ipsi esset eam molestiam hospitibus irrogari; eo sensu quo quis ad ostendum quàm ægrè ferat aliquid effici, dicere consueuit; potiùs me interficias, quàm hoc facias.

ALII verò sentiunt Lot in eo euentu illicitum quid fecisse, excusatum tamen fuisse à tota culpa, vel eius parte, propter animi perturbationem, & indeliberationem, aut ignorantiam. Ita Sotus, Pererius, Angles, Palacios, Villaguta, Lopez, Aragon, Coraddus, & Salon ꝛ. glossa interlinearis, Thomas Anglicus, Lypomanus, Lyra, & Ferus, Genes. 19. Addit autem Salon, Ambrosium, & Chrysostomum, non approbasse factum Lot, sed zelum. Quòd verò Lot 2. Pet. 2.

appe

Digitized by Google

appellatur iustus, refertur à Palac. & glos. ad carentiam vitij Sodomitici: vnde non obstãte hoc testimonio Petri dici potest in ea filiarum oblatione peccasse mortaliter.

QVOD autem licitum aliquando sit consulere minus malum, vt vitetur maius, confirmatur ex Chrysost. *hom. 26. ad populum.* vbi assueto iurare per Deum consulit, iura per filium tuum, iura per te ipsum, ita non carnifex meis instet lateribus, &c.

Num. 7. AD primum argumentum, negatur minor: non enim est cooperari ad illud, vt in se malum, sed ad præelectionem minoris mali, supposito quòd is cui id consulitur, non vult desistere à malo: ea autẽ præelectio bona est.

AD secundum, negatur consequẽtia, quia in eius potestate cui consilium datur, est vitare etiam minus malum, ideo peccat illud faciendo: at verò in potestate consulentis nõ est eum arcere omnino à peccato, ideóque fas illi est consulere vt saltem culpæ partem vitet efficiendo minus malum.

AD tertium cum sua confirmatione, iam patet ex dictis illud non esse consulere malum, vel ad illud inducere, sed potiùs consulere bonũ, quia præelectio minoris mali bona est. Vel respond. illud non esse consulere malum absolutè, sed cõditionaliter, quod est consulere malum secundùm quid, neque est illicitum.

AD quartum, negatur maior, quãdo id non petitur absolutè: sed posito quòd is à quo petitur, desistere nõ vult à peccato, postulatúrque ab eo tanquam præelectio minoris peccati, diminutióque culpæ quam decreuerat.

TRACTATVS

TRACTATVS DE CENSIBVS.

EXPEDITA materia de emptione, & venditione, & vsura, de censibus à Doctoribus ac simul de cambiis solet disputari. Disseremus de his etiam duobus sequentibus tractatibus, tametsi de his non disserat D. Thom. Ratus nimirum, facilè posse ex his quæ à Doctore de emptionis, & venditionis iustitia & iniustitia tradita sunt, iustitiam & iniustitiam quorumcumque contractuum diiudicari.

Auctores referuntur.

Num. 1. DE hac re Mol. *tom. 2. disputat. 381. & sequentib.* Med. Val. Salon, Bãnez, Arag. post tractatum de vsuris, Sot. *6. iustitia. quæst. 5.* Felician. Petrus Gregor. Anton. Gomez iunior, Benedictus Bonius, & Emanuel in tractatu de censibus, Conrrad. *de contract. à quæst. 72.* Gab. *4. dist. 15. quæst. 12.* Maior *eadem.* D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 8.* Verginius de Voccatiis Iurisconsl. Romanus *tract. de interdicto, vti possidetis: & alio tract. de censib.* Molinæus *tractat. de vsur.* qui anno 1582. sub nomine Caballini prodiit expurgatus, vt refert Felician. *to. 2. de censib. lib. 2. cap. 1. n. 11.* Palacios *4. de contract. à c. 6.* Sarmiento *7. Select. c. 1.* Couar. *3. Variar. c. 7. 8. & 9.* Nauarrus *c. 17. à n. 234. & Comment. de vsuris. à n. 69.* Sylueft. *vsur. 2. q. 12. & 13.* Tabien. *vsura. 14. & vsura. 15. §. 9.* Angel. *vsura. 1. n. 77. & 78.* Armil. *eodem verb. n. 52.* Iurisperiti *c. in ciuitate. de vsuris.* Petrus Bellug. *in speculo Principum, Rubrica de censualib.* Tolet. *lib. 5. à c. 42.* Henrric. *quodlibeto 1. quæstione. 39. & quodlibeto 8. quæstione 24.* Miranda *in Summa Conciliorum.* post Trident. Sa, Vega, & Emanuel *verb. census.* Corradus *in Summa. q. 239.* Lopez *lib. 1. Instructo. negotiant. à cap. 54.* Angles *in 4. quæst.*

Digitized by Google

de censibus. Mercad. *tract. de cambiis. c. vlt.* Corona 2. *p. cap.* 8. §. *penult.* Philiar. *lib.* 5. *de officio Sacerdotis, à cap.* 17. Franciſc. Garſia, Læſius, Rebellus, Albornoz, Comitolus, Gaſpar Rodericus, & alij in progreſſu referendi.

DVBIVM I.

Quid ſit cenſus, & quotuplex, & quæ eius origo.

SVMMARIVM.

1 *Cenſus variæ acceptiones.*
2 *Vera acceptio.*
3 *Cēſus prima diuiſio in reſeruatiuum, & conſignatiuum.*
4 *Secunda, in realem, & perſonalem.*
5 *Tertia, in fructualem, & pecuniarium.*
6 *Quarta, in perpetuum, & temporalem.*
7 *Quinta, in redimibilem, & irredimibilem.*
8 *Quædam aduertenda.*

Num. 1. CENSVS à *cenſendo*, id eſt, *eſtimando*, dictus eſt, æſtimatio quippe bonorum cuiuſque, vt iuxta illorum quantitatem, ac valorem tributum imponeretur, cenſus dicta eſt, vt habetur *l. fin. l. vitia. l. per diſcurſum l. forma. de cenſib. l.* 1. 2. *& 3. Cod. de cenſibus. lib.* 11. & aliis iuribus, quæ citant Couar. 3. *Variar. c.* 7. *n.* 1. & Valaſcus *de emphyteuſi. q.* 32. Inde nomen accommodatum eſt, tum ad ſignificandum facultates, & bona cuiuſque, eo quòd cenſeri ac æſtimari conſueuerint, vt intelligeretur, quantùm quiſque ſubuenire in bello Reipub. poſſet, vel etiam ad tributum imponēdum, iuxta id, *Dat cenſus honores, cenſus amicitias*: tum ad ſignificādum tributum ipſum, quod ex eis ſoluebatur; & in hac ſignificatione ſumitur *l.* 2. *C. ſine cenſu, &c. & c. quæſitum.* 1. *quæſt.* 3. & apud Titū Liuium lib. 1. cùm ait, Seruium Tullium Romanorum Regem cenſus ciuium conſtituiſſe. Inde verò extenſum eſt nomen ad ea etiam tributa ſignificāda, quæ per capita imponebantur, præſertim in ſubiectionis ac dominij iuriſdictionis recognitionē, quo pacto ſumitur *c. omnis anima. de cenſibus.* & Matth. 22. *licet cenſum dare Cæſari*, &c. & Dauid, quia ſic cenſuit, ſeu numerauit populum, pœnas dedit. 2. Reg. 24. ſic Lucæ 2. *Exiit edictum à Cæſare Aug. vt ſcriberetur vniuerſus orbis.* Sumitur etiam aliquando pro eo quod datur in ſignum ſuſceptionis in protectionem. *c. recipimus. de priuileg.* vbi recepti in protectionem Papæ, in ſignū talis receptionis ſoluerunt cenſum. Pan. *d. c. omnis anima. n.* 3. Graf. 2. *deciſionum. c.* 118. *n.* 2. Sumitur etiam latiùs *cenſus* iure Canonico pro eo, quod annuatim præſtatur alicui, etiāſi ſit inferior Principe, ratione ſubiectionis, fundationis, aut alterius iuſtæ cauſæ, vt Aluarus Valaſc. ait, atque ex variis canonibus, & ex aliis iuribus confirmat *tract. de cenſib.* vbi cum Panorm. & aliis ſubiungit; cùm eiuſmodi cēſus ex variis cauſis ſolui poſſit, eſto quis probet ſibi deberi, ac ſolitum præſtari fuiſſe, niſi cauſam in particulari probet, non conuincere ſibi in ſubiectionis ſignum deberi. Addit cum Otalora ſumi etiam *cenſum* generaliſſimè pro quocumque onere alicui impoſito. Dicebatur etiam *cenſus* deſcriptio illa, & enumeratio ciuium quæ Romæ fieri ſolebat

ad

Digitized by Google

ad distinguendos status, iuxta quos munia publica belli, & pacis inter Romanos distribuerentur, vt refert Budęus in Pandectis ad *l. vlt. ff. de Senatorib.* & Couar. 5. Vnde & liber huiusmodi descriptiones continens, siue patrimoniorum, siue singulorũ ciuium, *census* appellari cœpit. Vnde Marcellus *l. census. ff. de probation.* ait, census & monumenta publica potiora esse testibus.

Num. 2. IN nulla harum acceptionũ agimus modò de censibus, sed sumendo *censum* pro pensione per aliqua tempora soluẽda, impositáque personæ, vel rei ipsius immobili, & fructiferæ, vel pro iure ad exigendam talẽ pensionem, vel pro contractu, ex quo tale ius resultat. Quam *census* significationem colligit Nauarr. *Com. de vsuris. n. 69.* ex *c. peruenit. de censib. & c. praterea. de iure patron.* Hinc rectè Sot. *6. iustitiæ. q. 5. art. 1.* definit censum, vt sit pẽsio, quam quis super suis bonis, vel persona constituit, aut ius percipiendi pẽsionem in fructibus, pecunia, vel alia re vtili. Illa verò definitio quæ ponitur à Toleto *lib. 5. c. 42.* Philiar. *lib. 5. c. 17.* Valen. *disp. 5. q. 22. punct. 1.* Arag. *q. 78. in fin.* vt sit ius exigendi pensionem ex re vtili alterius, censui reali conuenit, non personali. Vnde meliùs definit Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 1.* census est ius percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius.

Num. 3. CENSVS sic acceptus diuiditur primò in reseruatiuum, & consignatiuum. Reseruatiuus est, quãdo aliquis transfert dominium directum suorum bonorũ, vt domus, vel agri, in alterum reseruãs sibi aliquã pẽsionẽ singulis annis reddendã in pecunia, fructibus, vel alio æquiualente. Talẽ censũ constituit Ioseph in omnibus terris Ægyptiorũ, præter Sacerdotales, Gen. 47. vers. 24. Cõsignatiuus autẽ, quando quis retinet dominium directum, & vtile rei, obligat tamen illam ad solutionem annuæ pensionis, vel obligat præcisè personam.

SECVNDO, iste census diuiditur in realem, & personalem. Realis est, qui super re alicuius constituitur, qua pereũte perit census, quia solùm ex illa debebatur. Perſonalis verò, qui super personam. Quibus possumus addere mixtũ, siue realem simul & personalẽ, qualis est, qui ita imponitur bonis, vt illis pereuntibus, nihilominùs persona obligata maneat ad solutionem pensionis, qui etiam appellatur census personalis cũ hypotheca, quæ datur ad solã solutionis securitatẽ. Vnde ex ea non est soluenda pensio nisi quando aliter solutio nequit à persona debitoris obtineri; vt ait Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 2.* Num. 4.

TERTIO, diuiditur in fructualem seu fructuarium, & pecuniariũ. Fructuarius est, quando pensio soluenda est in fructibus. Pecuniarius, quando in pecunia. Fructuarius, alius certus est, & definitus, vt cùm certa fructuũ quota assignata est, siue annuis fructibus abũdet, siue sterilis existat; alius verò incertus, vt cùm assignatur quarta, vel quinta pars fructuũ, qui colligentur. Num. 5.

QVARTO, diuiditur in perpetuũ, & tẽporalẽ, & tẽporalis in eũ, qui durat certo tẽpore, vt 20. vel 30. annis, & in eũ, qui durat tẽpore incerto, vt per vnã, vel duas vitas (qui appellatur vitalitius) vel toto tempore, quo nõ redditur pretiũ rei vẽditę. Num. 6.

Digitized by Google

Num. 7. QVINTO, diuiditur cēsus in redimibilē,& irredimibilē. Redimibilis est,cùm is,qui cēsū vēdit, potestemptorē cogere ad redimēdū illū eodem pretio, & sic se suáque à pensione liberare. Irredimibilis verò est, quando non potest ad id emptorē cogere. Vide Maiorem 4. *d.* 15.*quæst.* 34.Aduertendum autem est,à Val. Rebello 2. *p. de oblig. lib.* 10. *quæst.* 1. Anton. Gomez *l.*68. *Tauri.* & aliis, debitorem census appellari censuarium: creditorem autem seu emptorē appelari censualistam. Palacios verò 4.*de contract.cap.*6. ait frequētiùs creditorem dici censuarium, & censualistam (licèt alij etiam debitorē censualistam appellent) & vtroque nomine vtrumque appellari posse.Nos Val.sequemur *disp.*5.*quæst.*22.*punct.*1. & alios superiùs citatos.

Num. 8. ADVERTENDVM est etiā pensionem appellari redditum à reddēdo, secundùm aliquos, à Mol. verò *disp.* 383. & passim,& à Plantino, & aliis appellari reditum à redeundo,quia à tempore in tempus soluenda redit: & hanc etymologiam, scribendíque rationem sequemur.

Ex illis autem quinque diuisionibus,sex censuum genera potissimè colliguntur. Primum est census reseruatiuus. Secundum, cōsignatiuus perpetuus redimibilis.Tertiū,irredimibilis.Quartum, census vitalitius. Quintum, census debitorius, nimirum soluendus, quandiu non soluitur pretium rei emptæ. Sextum,census personalis, de quibus & in communi, & in particulari disseremus: de eorum verò origine parum attinet dicere, constabitque differendo de singulis in particulari. Interim videri potest Salō *disp. de censib.art.* 1.

DVBIVM II.

An census realis perpetuus tam redimibilis, quàm irredimibilis, licitè ematur?

SVMMARIVM.

1 *Quædam suppositio.*
2 *Sententia tenens licitum esse emere censum gratis iam donatum & constitutum,iniustum autem & vsurarium emere censum qui eadem emptione constituatur; cum suis fundamentis.*
3 *Vera sententia affirmans censum realem perpetuum, siue redimibilem, siue irredimibilem licitum esse probatis quibusdam conditionibus.*
4 *Suadetur hæc opinio sex argumentis.*
5 *Ratio à priori.*
6 *Ad argumenta in contrarium respondetur.*

SVPPONIMVS tanquam certissimum, & ab omnibus receptum, præsertim à Soto 6. *iusti.quæst.*5. *art.*1. Aragone 2. 2.*quæst.* 78. *in fin.* vnumquemque posse in bonis suis, modò libera sint, censum constituere. Potest enim quisque bona sua libera, vel pensionem super illa, vel ius ad pensionem gratis donare, seu bona sua gratis onerare, quod est censum in illis cōstituere,secus si libera non sint, vt libera non sunt bona maioratus. Solùm ergo est difficultas, an per venditionem possit quis in bonis suis liberis censum cōstituere, ita vt non solùm ipse non peccet contra iustitiam (quod clarum est) sed neque emptor ipse, quin potiùs contractus ex parte emptoris iustus sit. Num. 9

QVIDAM existimant licitū quidem

Digitized by Google

dem esse emere censum gratis iã donatum,& constitutũ,vt licitè emuntur tributa, & alia iura, quæ quis in alterum habet; iniustum autem & vsurarium esse emere censum, qui eadem emptione constituatur. Ita Henrr.*quodlib.1.quæst.39.& quodlib.8. quæst.* 24.Salicet.*auth. ea lege.C.de vsuris.* citans Gregor. Ariminiens. pro eadem sententia. Sotus,Læsius, Val. Felician. & alij communiter citant Ioannem Andream,& Innoc. *cap. in ciuitate. de vsuris.* Mol. autem ait, hos non perspicuè id docere. Pro eadem citat Felicianus Antoni. de Butr. & Alexandr. de Neuo *d. cap. cùm in ciuitate.* Refert etiam Pizarrum ad statutum Guadalupése glos.1.& 2.asserentem, hos contractus esse periculosos, suspectos, odiosos, exterminándosque à Republ.

Sententia hæc suadetur primò, quia in eiusmodi contractibus qui emptiones dicuntur,formaliter, vel virtualiter datur mutuò pecunia cum incremẽto per partes restituenda;accipere autem vi mutui formalis,vel virtualis aliquid vltra sortem iniustitia, & vsura est. ergo. Maior probatur, quia in eiusmodi contractibus datur pecunia postea per partes soluenda in maiori quantitate quàm data sit. Ergo in his interuenit verum mutuũ cum incremẽto,quod solùm datur propter mutuationem: per se enim & generaliter loquendo non est alius titulus ratione cuius detur tale incrementum. Confirmatur: nam qui pro 90. aureis alium obligaret ad 100. postea simul soluendos, vsurarius esset, eo quòd pro mutuo formali, vel virtuali aliquid vltra sortem exigat. Ergo similiter si obliget ad soluendos illos 100. aureos per partes, seu per certa temporum interualla, nihil enim referre videtur,quòd simul,vel per certa interualla soluendi sint.

Confirmatvr secundò: nam per 90. emere ius ad 100. per partes soluenda, perinde est ac emere ipsa 100. seu potiùs commutare 90. pro 100.quod quidem mutuare est:nam pecunia ipsa cùm sit pretium, & mẽsura omnium rerum,non est merces, nec venalis, vt patet *l.1.ff. de contrah. emptio. ff.de rerum permutat.* Aristot.5. Ethicor. cap. 5. & 1. Polit. cap. 6. mutuare autem 90. pro 100. est vi mutui aliquid vltra sortem exigere. ergo contractus est vsurarius.

Secvndo,licèt daremus eiusmodi contractum non esse vsurarium, tamen non videtur negari posse quin sit iniustus, & prohibitus iure naturæ non minùs quàm contractus vsurarius, quia eadem habet incommoda:nam imprimis qui census emunt, viuere volunt de alieno sudore cum suo proprio otio, vnde terras nõ colunt, neque exercent alias negotiationes Reip. vtiles. Deinde via præcluditur exercendi charitatem in multos, dum poscenti mutuum protinus qui pecunias habet, offerat, vt censum vendat,quem ipse, vel alius pecunias habẽs emat. Præterea, qui census vendunt,depauperantur valdè grauando bona sua annuis reditibus quos soluunt. Vnde in censu conuenit, quod de vsura dixit Lucanus:*vsura vorax auidúmque in tẽpore fœnus.* & quod dixit Bern.Sylvest.(falsò enim hic liber tribuitur D.Ber.& inter eius opera ponitur) *lib. de cura rei familiaris*, ꝙ est vsura venenũ patrimonij,ꝙ est vsura legalis, latro prædicẽs ꝙ intẽdit.Et ꝙ Chrys.hom.5.in Num.5.

Digitized by Google

Matth. in fine: Nihil huius seculi vsura turpius, nihilque crudelius. & quod ait hom. 38. vsurarium esse veluti homicidam. & multa quæ Plutarc. lib. de fœnore. & Antioch. hom. 12. & alij Patres citati *dub. 2. de vsur.* dixerunt. Vide Sarmi. 7. *select. cap. 2. in fin. & cap. 14. n. 4.*

TERTIO, talis contractus videtur iniustus, quia in eo non seruatur æqualitas inter datum, & acceptum: dantur enim 14. verbi gratiâ, pro vno quotannis soluendo, si census sit redimibilis, 30 autem si sit irredimibilis; & in censu redimibili habetur sors, & aliquid amplius: in irredimibili autem 30. & adhuc supersunt multæ pensiones soluendæ. Ergo amplius recipitur, quàm datur, ac proinde emptor injustitiam committit. Si dicas pro pretio illo non accipi pensiones ipsas, sed ius ad illas, & ideo inter datum, & acceptum æqualitatem seruari. Contrà, quia ius certum, & facile ad pensiones recipiendas non minùs valet, quàm ipsæ. Ergo sicut esset iniustum pro pretio illo ipsas pensiones accipere; ita etiam ius ad illas.

QVARTO, si contractus isti iusti essent, seruaretúrque æqualitas inter pretium, & mercem, deberet esse excessus pretij temporalis ad pretium census perpetui, qui secundùm durationē est inter perpetuum, & temporale, & quæ est aggregati pensionum soluendarum in vno censu ad aggregatum pensionum soluendarum in alio. Ergo sicut census perpetuus in duratione excedit infinitè temporalē, & aggregatum pensionum census temporalis perpetui infinitè excedit aggregatum pensionum census temporalis, ita pretium census perpetui deberet infinitè excedere pretium census temporalis, quod tamen non ita contingit. ergo.

CONFIRMATVR primò, quia quicquid licitè emitur numerata pecunia, licitè emitur pecunia credita: sed non est licitum emere hos census pecunia credita, vt patet ex Bulla Pij V. de censibus. ergo neque pecunia numerata. Confirmatur secundò: quando aliquid potest licitè emi pro aliqua quantitate pecuniæ, licitè etiam potest commutari pro aliqua possessione eiusdem valoris: nam & possessio dotalis dum datur æstimata pretio, emptitia esse videtur. *l. si inter. C. de iure dotium.* & quasi pecunia est quod datur in pecunia æstimatum, Consequens est contra dictam Bullam Pij V. vbi prohibetur emi censum pecunia credita. ergo.

QVINTO, si mutuet Petrus Ioanni 100. aureos ea lege, vt interim dum eos nō soluit, det fructus aliquos, vel certam pecuniæ summā non cōputandam in sortem, vsuram committit. Simile autem accidit in emptione census redimibilis: in eo enim Petrus dat 100. Ioanni, pro quibus totidem recipit, quando census redimitur, & interim recipit pensiones non computandas in sortem. ergo etiam iste contractus est vsurarius.

NIHILOMINVS tenendum est, census realem perpetuum, siue redimibilem, siue irredimibilem licitum esse seruatis conditionibus postea ponendis. Molin. *disp.* 385. Medin. *quæst.* 1. 2. *& vlt. de censibus* seu *quæst.* 12. *de vsuris.* Conrad. *de contract. quæst.* 37. 75. 79. *&* 82. Sot. *6. iustitia. quæst.* 5. *art.* 1. *&* 3. Couarr. *3. Variar. cap.* 7. *num.* 2. Gab. 4. *dist.* 15. Num. 3.

Digitized by Google

15. *quæst.* 12. Maior *quæst.* 43. & 44. Panormit. *in suis quæstionib. quæst.* 5. & *cap. in ciuitate. de vsuris.* vbi Host. Ancharr. Cardinal. Annan. Bero. & alij. Nauar. *comm. de vsuris. not.* 22. *à n* 69. Læsius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 5. Petrus Gregorius *lib.* 1. *de vsuris. cap.* 3. *n.* 15. Gaspar Rodericus *de annuis reditibus. lib.* 1. *quæst.* 4. citans multos. Rebellus *de vblig. p.* 2. *lib.* 10. *quæst.* 2. Cenedus *p.* 3. *collectan.* 24. *n.* 1. Cassan. *catalog. gloriæ mundi. p.* 12. *consid.* 99. Medin. 1. *Summa. c.* 14. §. 16. Alciatus *lib.* 12. *parergon. cap.* 6. Rebuf. *tom.* 2. *tit. de constitut. redit.* glos. 1. *ex n.* 1. Brunorus à Sole *quæst.* 2. 3. & 4. *legali.* Spin. *in speculo testam. in glos.* Rub. 13. *p. n.* 36. Matien. *lib.* 5. *noua collection. l.* 1. glos. 1. *n.* 3. Tiraquel. *de retractu linag.* §. 1. glos. 6. *ex n.* 15. *volu.* 1. *commun. opinion. pag.* 13. *verb. annui reditus.* Ioann. Garsia *de expensis & melior. cap.* 9. *ex n.* 37. Redoan. *de rebus Eccles. non alien. ex pag.* 107. Bursatius *consil.* 214. Salazar *de vsu & consuetud. c.* 11. Ludo. Veia *casu* 25. Caualcan. 2. *p. decis.* 2. Petrus Ledes. 2. *p. Sum. cap.* 24. *con.* 3. Vinsfeld. *de vsuris. ad cap. in ciuitate. quæst.* 12. Aluarus Valascus *de iure emphyt. quæst.* 32. *n.* 8. & 9. Castillo, Palacios Rub. & Anton. Gomez *l.* 68. *Tauri. n.* 2. Grego. Lopes *l.* 28. *tit.* 8. *part.* 5. *verb. à censo.* Baptista Conrra. *in Summa. quæst.* 339. Sylues. *vsura.* 2. *quæst.* 12. Aragon & Bannez *quæst.* 78. *in fine.* Salon *disp. de censibus. art.* 3. *controuers.* 2. & *art.* 4. *controuers.* 1. Val. *disp.* 5. *quæst.* 22. *punct.* 5. Palacios 4. *de contract. cap.* 6. Toletus *lib.* 5. *Summa. cap.* 44. Mer. *de contractib. lib.* 4. Felician. 1. *de censibus. cap.* 7. dicens, rem esse adeò certam, vt temerarium sit eam negare. Sa *verb. census. n.* 1. & 2. Vega *casu* 10. Petrus Gregor. *quæst.* 3. *de censibus.* Emanuel *tract. de censib.* Lopez 1. *Instruct. negotiant. cap.* 56. Garsia 2. *p. de contractib. cap.* 2. 3. & 4. Philiarc. *lib.* 5. *cap.* 17. Corona 2. *p. cap.* 8. §. *pen. n.* 237. Angles *quæst. de censibus. art.* 2. & 4. Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 8. Ang. *vsura.* 1. *n.* 44. & alij referendi.

Num. 4. MOLINA probat hanc sententiam, supponendo in eo contractu interuenire emptionem, & venditionem, cùm in eo vera mors reperiatur, nempe ius quod pro pretio venditor census tribui, atque obligatio quam in suis rebus suscipit ad annuam pensionem, quod ius, vel obligatio est immediatum obiectum emptionis, & venditionis, & non ipsæ pensiones, quanuis ipsæ pensiones esse possét immediatum obiectum emptionis, si census esset fructuarius, licèt nondum existeret: nam quod est in spe, vt fructus vineæ, & pisces qui ex iactu retis sperantur, partus futurus, & alia eiusmodi, vendi possunt. Deinde licitã esse emptionẽ census perpetui realis fructuarij pretio aliquo finito, & limitato, probat Mol. quia licitũ est cõstituere censũ realem alio titulo, vt aduersarij fatentur, nempe donationem, qua quis in agro suo puellæ, vt nubat, vel alteri concedat annuos reditus, aut data lege iusta, vt ex vno quoque agro tantùm soluatur in tributum, vel pro expensis faciendis in aquæductu, vnde agri illi rigentur. Ergo etiam erit licitum constituere censum titulo emptionis, quippe cùm ij census eodem pretio æstimabiles sint, idémque valeant quocumque titulo constituti sint.

SED hæc ratio non vrget, quia quando census perpetuus constituitur

tur alio titulo quàm emptionis, nulla apparet ratio iniuſtitiæ, ſecus quando titulo emptionis, quia per 100. emitur ius ad infinitas penſiones, quod longè maioris valoris videtur. Vnde meliùs arguitur ſecùdò à ſimili: quia licitum eſt pretio finito emere perpetuam ſeruitutem, quæ de nouo in prædio aliquo conſtituatur, vt itineris per alienũ agrũ, ſtillicidij, altiùs non tollendi, & ſimilium, quæ ſunt iura realia cum obligatione in prædiis, in quibus cõceduntur. Item, vt habetur *l. neceſſaria. §. vlt. ff. de periculo, & commodo rei vendita*, licitũ eſt pretio finito emere vſumfructum agri alicuius qui de nouo concedatur: is autem vſusfructus non eſt aliud quàm ius percipiendi fructus illius agri manente in alio proprietate. Ergo licita ſimiliter eſt emptio cenſus realis perpetui qui de nouo conſtituatur: quippe cùm nihil aliud ſit, quàm ius accipiendi ex agro in quo conſtituitur certam penſionem fructuum. Cõſequentia patet, quoniam huiuſmodi cenſus non eſt aliud quàm pars quædam maioris iuris quam proprietarius in eo agro habebat, ſicut etiam vſusfructus, & aliæ ſeruitutes non ſunt aliæ quàm partes quædam iuris quod proprietarius habebat, quas à ſe abdicat, & in alium transfert, nõ ſecundùm identitatem numericam, ſed ſpecificam, pereunte iure quod proprietarius habebat.

TERTIO probatur, quia licitum eſt pretio finito emere prædium aliquod, quoniam ad plenum dominiũ, & integrum ius in illo prædio, etiãſi fructus ex prædio percipiẽdi in perpetuũ pertineant ad emptorẽ, quoniam valor eorum, vt ſunt in potẽtia prædij non efficit ipſum valoris infiniti; ſed emptio cenſus realis perpetui in aliquo prædio, nõ eſt aliud quàm emptio partis iuris ad fructus quod habebat proprietarius. Ergo iuſtè fit pretio finito minori, quàm emeretur idem prædium pleno iure. Sed negari poſſet conſequentia, quia emens prædium, vt infinito tẽpore fructus colligat, deberet infinitas expenſas, & labores ponere. Vnde non eſt iniuſtum pretio finito rẽ emere infinitos fructus allaturam; emens autem cenſum perpetuũ nõ eſt poſiturus infinitos labores, aut expẽſas. ergo nõ videtur licitè emere pretio finito ius ad infinitas penſiones.

QVARTO probat Mol. & alij ex *Extrauag. communi* 1. *&* 2. Martini V. & Calixti III. & ex Bulla Nicolai V. quam ponit Petrus Gregor. 3. & ex alia Bulla Pij V. de cenſibus, quæ cõmuniter circunfertur, & alia Greg. XIII. cuius meminit Felicanus 1. *de cenſibus. c.* 1. *&* 7. in quibus definitur emptionem cenſus realis perpetui redimibilis licitam eſſe cũ quibuſdam conditionibus quas ponũt. De irredimibili verò licèt non agant Pontifices, quia de illo non ſunt interrogati, tamen de illo idem dicerent, quia de illo ſemper fuit minor dubitatio, cùm minorem habeat vſuræ ſpeciem.

SED hoc argumentum non vrget, quia, vt refert Conr. *de contract. q.* 82. quidam Iuriſperitus Viennenſis *titulo de cenſib.* approbans emptionem cẽſus perpetui redimibilis, reprobauit emptionem cenſus perpetui irredimibilis: nam per eam magis grauatur venditor, quàm per emptionem cenſus redimibilis, imò quàm per vſu

Digitized by Google

vſuras, quia ab onere cenſus redimibilis, vel vſurarũ poteſt ſe ipsũ reddito capitali liberare: non autem ab onere cenſus perpetui irredimibilis.

QVINTO probatur, quia *l. vlt. C. de rerum permut.* approbatur contractus quo quis bona ſua concedit alicui cũ pacto, vt accipiens teneatur ſingulis menſibus, aut annis ei ſoluere certũ quid; vbi licèt ſermo ſit de cenſu reſeruatiuo, vt in *c. conqueſtus. de religioſ. domib.* tamen ex eo argumentari licet ad censũ conſignatiuũ, de quo nũc agimus, tũ quia pro domo, pro fũdo, vel alia re valoris finiti licitè exigitur cenſus reſeruatiuus perpetuus. Ergo ſimiliter pro pretio finito licitè emi poteſt cenſus cõſignatiuus perpetuus. Tũ quia cẽſus reſeruatiuus, poſtquã eſt cõſtitutus, poteſt emi finito pretio: ergo, & conſignatiuus, quia eiuſdem valoris eſt; quod etiã probãt Mol. & alij ex *authent. ſi qui obligata. §. qui autem, verſ. licebit.* vbi tutoribus, & curatoribus præcipitur, vt de pecunia minorũ illos emãt annuos reditus, in quo præcepto approbari videtur emptio cẽſus: nulla verò magis licita apparet, quàm ea de qua loquimur; ergo de ea videtur intelligendus textus, præſertim cùm ea ſit magis vtilis ipſis minoribus; quam aliam Cæſarum Nouellam referunt Franciſc. Octau. & Couar. Feliciã. *illo c. 7.* Mol. & alij, quæ in communibus codicibus non habetur, in qua emptio eiuſmodi cẽſuũ magis approbatur. Tolet. etiam probat ex *Inſtitut. lib. 2. tit. de vſufruct.* vbi habetur, poſſe aliquem legare alteri vsũ, vel vſumfructum rei; id quod etiam facere aliis ſtipulationibus, & pactionibus poteſt: ergo licitum erit emere, & vendere cenſum vſufructuarium. Sed negari poſſet conſequentia loquendo de emptione finito pretio, quia ibidem dicitur, *variis modis extinguitur, & finitur vſusfructus; alioqui proprietas eſſet inutilis.* Vnde videtur res temporalis, ac proinde, quæ iuſtè emi poſſit finito pretio; cenſus autem de quo loquimur, eſt perpetuus, ideo videtur iuſtè emi non poſſe finito pretio.

SEXTO probatur, quia aduerſarij fatentur cenſum perpetuum iam conſtitutum licitè emi finito pretio. Ergo idem dicendum eſt de cenſu qui per ipſam emptionem, & venditionem conſtituitur, cùm eundem habeat valorem.

OMISSIS autem his argumentis quæ ſunt ad homines, vel à ſimilibus, ratio à priori eſt, quia ſicut venditor cenſus realis perpetui obligatur ad infinitas penſiones, vel abſolutè, ſi cenſus irredimibilis ſit, vel ſub conditione, quòd venditor nolit eum redimere, ſi cenſus redimibilis ſit; ita emptor infinitam quandam ſuſcipit incommoditatẽ, quia infinito tẽpore periculũ habebit amittendi cenſum pereũte re in qua eſt conſtitutus, & nũquam poterit, licèt maximè indigeat, vt in tanto tẽpore neceſſe erit indigere, integram ſortem exigere, ſed per magna interualla, & paulatim recipiet pẽſiones; ita pecuniæ emolumẽtis in infinitũ ſe priuat, ſingulíſque annis in perpetuũ laborem, & curam habebit in recuperãdis pẽſionibus, imò & periculũ maximũ ſuſcipit, quia in tanto tẽpore non poſsũt, moraliter loquẽdo, deeſſe pericula, labores, & moleſtiæ in pẽſionibus exigẽdis. Ergo per finitũ pretiũ cũ iis incõmodis infinitis ſufficienter cõpenſatur ius, Num. 5.

Digitized by Google

quod emptor accipit ad infinitas pensiones.

ADDE ex Mol. *disp. citata ad* 5. homines non adeò de successoribus curare, præsertim si valdè distantes sint, sicut de seipsis, & rem præsentè magis æstimari, quàm quæ post longissima tempora habenda est; tũ, quia hæc plurimis subiacet periculis; tũ, quia ea proximè frui, ac negotiari non possunt; tum denique aliis de causis: ideo ius ad pensiones in infinitum recuperandas paulo plus valere, quàm ad pensiones 100. annorum, verbi gratiâ. Cùm ergo ius ad has iustè emi possit finito pretio idẽ erit dicendum de iure ad infinitas pensiones, præsertim si ematur cum pacto retrouendendi, vt in censu redimibili; nam hoc pactum valdè minuit pretium. Hæc ratio non minùs in pecuniario cẽsu, quàm in fructuario procedit. Ergo etiã pecuniarius licitus est, vt docẽt etiam omnes auctores citati, & citandi pro secunda opinione.

CONFIRMATVR primò, quia postquam census fructuarius licitè est emptus, & collocatus in aliquo prædio, licitus est cõtractus permutationis, quòd debitor illius census velit potiùs se adstringere ad soluẽdum valorem eius in pecunia, aut in aliquibus aliis fructibus, quorũ prędium ferax non sit, & qui plus minúsue sperentur quotannis eundem valorem habituri. Ergo licitus fuit à principio contractus, quo census in eodem prædio emeretur in pecunia, aut in fructibus, quorũ prædium nõ esset ferax. Consequentia perspicua est, quoniam ex formali, vel potiùs virtuali coniunctione illorũ cõtractuũ facta à principio nullũ sequitur absurdum. Antecedens eorũ est manifestũ, quoniam commutatio æquialẽtis pro æquialẽti ex se est licita, quãdo res tales non sunt, quæ sint prohibitæ commutari.

CONFIRMATVR secundò, quia æqualis est valor census fructuarij, & census pecuniarij, quando pensiones sunt æquales in valore: eodémque modo subiacent periculo solutionis. Ergo sicut iusta est emptio cẽsus fructuarij in prædio aliquo pro aliquo pretio, ita iusta erit emptio æqualis pensionis pecuniæ quoad valorem in eodem prædio, pro eodẽ pretio. Consequentia est notissima, & similiter antecedens, quia valor census attenditur penes valorẽ pẽsionis posita æqualitate in periculo, & aliis.

CONFIRMATVR tertiò apertissimè (inquit Mol.) adeò vt locus dubitationi non relinquatur, quia cẽsus qui in Extrauag. Martini V. & Calixti III. approbãtur pecuniarij erãt, vt legenti constabit: multíque eorũ constituti erant super domos, vt ex eisdem liquet: in domo autẽ nõ alius census constitui potest, quàm pecuniarius, vel in fructibus, quorũ domus non sit ferax. ergo.

QVARTO, quia pecuniaria pensio certa esset inuariabilis quoad valorẽ, ac proinde aptior, vt iuxta illam valor, ac pretium census meliùs cõstituatur absque iniustitia, & deceptionis periculo. Pensiones verò in fructibus incõstantes admodùm sũt quoad valorẽ, cùm tritici mensura vno anno valeat 10. alio 20. & ita de aliis fructibus: atque adeò pensio in fructibus ineptior est, vt iuxta illam pretiũ census cõstituatur, id quod in causa fuit, vt in hoc Regno *l.* 4. *tit.* 1 §. *lib.*

lib. 5. noua collect. prohiberetur omnes census fructuarij, cum pacto de retrouendēdo, solique pecuniarij permitterentur: ergo hic liciti sunt.

CONFIRMATVR quintò, quia vt aduersarij fatētur, si pecuniarius cēsus licitè à principio constitutus fuit in aliquo prædio titulo donationis, aut aliquo alio, potest postea licitè emi pro pecunia finita. ergo pari ratione potuit sic emi à principio. Et ita præter citatos pro secunda opinione tenent Ancharr. *reg. peccati venia. de regul. iuris in 6.* Sarabia *Instruct. mercator. c.* 15. Roman. *cons.* 302. Paris. 75. *n.* 27. *vol.* 4. Tiraquel. 1. *de retract.* §. 1. glos. Ricard. Villagut. *in speculo Principum, Rubr.* 41. Octauian. *decis. Pedemont.* 95. *n.* 5. 6. Matien. *l.* 1. *tit.* 15. *lib.* 5. *noua collect.* glos. 1. Med. 2. *Sum. c.* 14. §. 26. Rauer. *c. in ciuitate. de vsuris.* & communiter alij Theologi, & Canonistæ.

ID QVE suadet communis vsus hominum. Vnde malè Henrric. *quodlib.* 8. *q.* 24. *& quodlib.* 2. *q.* 15. ait, iis cēsibus nullū contradicere, quia in iudiciū non deducuntur, & mala per patientiam non tolerantur, & Theologos, ac Religiosos huiusmodi cēsus approbantes non esse in hac parte sapientes. Malè etiam quidā, quorū suppresso nomine meminit Molin. 2. inter quos est Sarmient. 7. *Select. c.* 1. *à n.* 1. damnant census pecuniarios tanquam manifestè vsurarios, quia putāt ius ad pecuniam non posse esse materiam emptionis, & venditionis. Quinimò pecunia absens, & periculis exposita emi potest præsenti, vt ait Læsius *lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 3. & latiùs *c.* 23. *dub.* 4. Malè etiam Sarmi. ibi ait, licèt cōstituto censu fructuario fructus possent reduci ad pecuniam, non tamen posse à principio reduci, cuius oppositū meritò docet Mol. *illa disp.* 385. Garsia *illo c.* 3. Sot. 3. Lopez 1. *Instruct. negotian. c.* 57. aliique communiter.

AD primū argumentū communis responsio est, ob id in emptione census perpetui vsuram non interuenire, quia in ea non interuenit mutuū, sed alius contractus: in explicando autem quis sit iste contractus varij sunt modi dicendi. Num. 6.

PRIMVS est Albornoz 3. *de contract. tit.* 2. dicentis in censu perpetuo emphyteusim contineri, excogitauit enim in eius constitutione hunc progressū, & ordinem contractuum implicitè inueniri, vt Ioannes cōferens Petro mille aureos super domū, aut fundū, qui cēsui supponitur, emat re ipsa à Petro domū, vel fūdū sine pacto de retrouendendo, quādo census est irredimibilis: cū pacto autem de retrouendendo, quando census est redimibilis, in vtroque autē censu emptio, & venditio fiat cū pacto celebrandi statim contractū emphyteusis pro eodem pretio, præter quæ duo pacta scilicet retrouendēdi, & celebrandi contractū emphyteusis pro eodem pretio, res quæ absolutè valet mille, iustè emitur, verbi gratiā, pro centum.

EX quibus infert primò iniquum esse, vt in censu postuletur fideiussor, quia in emphyteusi iniquè postulatur.

SECVNDO, censū in persona, aut in re mobili constitui non posse, quia emphyteusis in his constitui nequit.

TERTIO, emptorē cēsus habere dominiū proprietatis rei subiectæ cēsui, vēditorē autē solū habere dominiū vtile talis rei, vt in emphyteusi.

Digitized by Google

QVARTO, docet cēſus hoc modo cōſtitutos nō eſſe malos, nec tamē bonos, & ſibi non conſtans ait eſſe malos, & Reipub. nociuos, eo quòd eorum occaſione pauperes ſpoliantur, ceſsātque homines ab exercēdis honeſtis negotiis, & artib⁹ Reip. vtiliſſimis. Vnde infert omnia oracula ſacra, & Doctores teſtamēti, & iura quę dānant vſurā, hos etiā cenſus dānare. Ad extrauag. autē Martini V. & Calixti III. quæ eos approbare videtur, reſpōdet primò, non habere vim legis, quia non continentur in decreto, aut decretalibus. Secūdò, loqui de cēſibus fructuariis, nō depecuniariis. Tertiò, has extraua. peiores eſſe legibus Romanorū cōcedētibus vſuras, cùm illæ leges ſolū approbarint triētalem, & ſemiſſem vſuram: centeſimam verò reprobarint, quam tamen extrauagātes iſtæ approbare videtur. Hunc modū dicendi, quantùm ad id quod ait in cenſu emphyteuſim contineri, ingeniosū, ſubtilē, & probabilem putant Garſia 2. *p. de contract. c.* 3. Lopez 2. *Inſtruct. negotiant. c.* 66. licèt ſimpliciter aliud doceāt. Pala. autem 4. *de contract. cap.* 6. Salone, & aliis impugnatoribus omiſſis.

SIC Albornoziū reiiciendū puto. Primò, quia qui cenſū emit, nō intēdit emere rem ſubiectā cenſui, neque venditor illā vendit, neque intendit contractū emphyteuſis inire, ſed ſolùm emere, & vendere penſiones, vel ius, aut obligationem ad illas. ergo non eſt cōtractus emphyteuſis: actus enim agentium non operātur vltra eorum intentionē. *l. non omnis. ff. ſi certum petatur.* & alioqui cenſuarius non poſſet ſine facultate cenſualiſtæ vendere, vel alienare rē ſubiectam cenſui, & vt facultatem illam obtineret, deberet laudemium ſoluere, caderétque in commiſsū ſi per trienniū (vel apud nos per quadriēniū) annuā penſionē non ſolueret, vt in emphyteuſi accidit, quæ omnia aliena eſſe à cēſu nemo ignorat. Vnde etiam rectè Nauar. *Cōm. de vſuris. n.* 65. meritò reprehendit Mirādam *in ſumm. Cōciliorum*, eo quòd referens extrauagantem illā Martini V. & Calixti III. dixerit primam conditionē iuſti cenſus iuxta illas extrauagantes eſſe, vt vēdens cenſum vendat prædiū ſuper quo imponitur, & Sarmient. 7. *Select. cap.* 1. *n.* 24. dānat eos qui cenſus iſtos ſic iuſtificāt, vt in eis ematur prædium, & poſtea vendatur, retentis fructibus, quoniā non eſt talis intentio contrahentiū, & iā cenſus iſte nō eſſet conſignatiuus, ſed reſeruatiu⁹. Vnde tabelliones, & alij cùm inſtrumēta cenſus fiūt, non dicūt emi, aut vendi res ſubiectas cenſui, neque emphyteuſim conſtitui, ſed emi cenſus, reditus, aut penſiones, &c.

SECVNDO, quia irreuerēter, & temerariè loquitur Albornozius de illis extraua. quod enim ait nō habere vim legis, quia nō continētur in decreto, aut decretalibus, ridiculū eſt: nā Clemētina, & aliæ extrauagantes etiā quæ nō habētur in corpore iuris vim legis habent, & extra iudiciū, & in iudicio admittūtur. Neque obſtat quòd iſtæ extrauagantes ad priuata quædā Regna dirigātur, tū quia pleræque aliæ decretales priuatis Eccleſiis, vel Epiſcopis miſſæ, & corpori iuris inſertæ ad ius cōmune pertinent. Tum quia ius quod declarant idē eſt apud omnes: neque verò dicēdum eſt erraſſe hos Pontifices hac in parte; nā in rebus fidei, & morū errare nō poſsūt, ſi definiāt vt Pontifices,

quo

Digitized by Google

quo pacto definisse videntur,& licèt definirent vt priuati Doctores, magnæ auctoritatis essent illæ extrauagãtes,q2 ex doctissimorũ cõsilo factæ sũt. Dicere autẽ solùm loqui de cẽsu fructuario, falsissimũ est, vt superiùs ostẽdi, quãuis autẽ de solo illo loquerẽtur, tamẽ propter rationis paritatem ad pecuniariũ essent exẽdendæ.

SVPPOSITA ergo falsitate illius modi dicẽdi Albornozij, & quòd res subiecta cẽsui nõ ematur, alij dicunt emi pẽsiones fructuũ rei subiectæ cẽsui, & deinde in pecuniã cõmutari, hósque duos cõtractus in cẽsu pecuniario implicitè contineri; pro qua opinione multos refert Salõ s. quorũ nullus eã asserit. Sed eã docet Garsia 2.*p. de cõtra. n.* 3. in eãdẽq; inclinare videtur Lopez *ille c.* 56. licèt postea cõmunẽ opinionẽ referẽdã sequatur.

HIC tamẽ modus dicẽdi facilè reiicitur, quia nõ est intẽtio cõtrahentiũ emere, aut vẽdere immediatè fructus, & deinde pro pecunia illos cõmutare, sed immediatè agũt de dãda pecunia: in cõtractibus autẽ mẽs cõtrahẽtiũ attẽdẽda est, *l. insulã. ff. de præscriptis verbis. l. si cũ vno. ff. locati. & l. si olei. C. eodẽ tit.* quod etiã docet Couar. cum aliis 2. *Variar. c.* 4. *n.* 9. & quod opus est emere primùm fructus, & deinde cõmutare eos pro pecunia, cùm immediatè ius, actio, seu obligatio ad pẽsiones pecuniarias emi possit, sicut emi posũt alia iura, actiones, & obligationes. Fateor tamẽ cũ emitur ius ad pẽsiones fructuarias fructus ipsos emi: idẽ. n. est emere illos, & emere ius adillos, & cõtrà. Et fortasse idem dici potest de pecuniaria pẽsione: licèt enim pecunia secũdũ se nõ sit res venalis, tamẽ vt cẽsualis, est, venalis esse videtur. Vnde Mart. V. & Calixt. III. *in extrauag. citatis*, & cõmuniter alij multi dicũt emi ipsos redit⁹, aut pẽsiones, & tot aureos cẽsus, &c. q tamẽ intelligi possunt de emptione pẽsionum, redituũ, vel aureorum, nõ in se, sed in iure, & obligatione ad illos.

QVOD autẽ in his cõtractibus ius ipsũ, & obligatio ad pẽsiones ematur, certũ est, docẽtque Nauarrus *Com. de vsuris. n.* 77. Conr. *quæst.* 75. *de contract.* Vega *verbo census. casu.* 1. Couar. 3. *Variar. c.* 7. *n.* 2. Sarmient. Corrad. Medin. Mol. Sot. Val. Sa, Bannez, Arag. Pala. Læsius, Petr. Greg. Gaspar Roderic. Gabr. Garsia, Lopez, Tol. Angl. Sylu. & alij citati pro secunda opinione.

SI obiicias, quia ius illud est ens rationis: ergo est nullius valoris, ac proinde nõ potest esse obiectũ emptionis, & vẽditionis. Respõdet Mol. *ille disp.* 385. *ad* 3. ius illud licèt sit ens rationis, esse pretio æstimabile, non ratione suæ entitatis, sed ratione pẽsionis, ad quã est ius: rerũ enim valor nõ attẽditur penes entitates, sed penes vtilitates, & cõmoditates. Cõsonat Medi. *quæst.* 2. *de censib.* Val. *disp.* 5. *q.* 22. *puncto* 1. dicẽs facultatẽ, seu ius percipiẽdi pẽsionẽ, licèt non sit reale ens extraneũ, sed tãtũ relatio quædã rationis; tamen moraliter loquendo magni æstimari, & tãti quãti pecunia: id quod satis est vt possit, pecunia emi, & vẽdi; nã æqualitas iustitiæ nõ attẽditur secundùm res ipsas moraliter, sed proximè secũdùm æstimationem quam communiter homines habent de rebus. Sed hæc solutio non placet, quia ens rationis & fictum nullius momenti, aut vtilitatis est: ergo nec ratione vtilitatis, au commoditatis habet valorem moralem.

RESPONDETVR ergo: cùm dicimus emi ius, non loquimur de

Digitized by Google

iure ſumpto pro relatione rationis, ſed pro eius fundamento, quod eſt negatio vel denominatio extrinſeca, ſcilicet venditorẽ ex vi verborũ quæ protulit, & animo quem habuit, peccaturum contra iuſtitiam, ſi penſionem non reddat, vt cũ Ocham docet Gab. 4. *d.* 15. *queſt.* 12. *art.* 1. *not.* 1. & hoc eſt magnæ æſtimationis, & ratione illius inter bona immobilia computantur iura. Clem. 1. *de verb. ſignifi.* §. *cúmque annui reditus.* & §. 1. *de non alienand. reb. Eccleſ.* in Nouella.

Ex eo autem quòd in huiuſmodi contractu pecùnia præſenti ematur ius, colligit Salon *illo art. 3. controu.* 1. in eo nullam inueniri vſuram, quia ad vſuram requiritur mutuum formale, vel virtuale: hîc autem non eſt mutuum formale, cùm contractus ſit emptio, neque virtuale, cùm non anticipetur pretium, neque epectetur ſolutio mercis, ſed ſimul tradatur pretium, & comparetur ius, quod eſt res empta.

SED hoc non placet, quia ſi quis per 100. de præſenti emat ius ad totidem, vel plura poſtea danda, licèt contractus formaliter ſit emptio comparatione iuris, tamen formaliter etiam eſt mutuatio comparatione pecuniæ, in primo quidem euentu licita: in ſecundo autem vſuraria ſimiliter; ergo qui dat 100. dum quotãnis recipiat certam pẽſionem, licèt formaliter emat ius, tamen formaliter videtur etiam mutuare pecuniã recepturus paulatim ſortem, & aliquid amplius, quod videtur vſurarium.

CONFIRMATVR, quia emere ius ad 100. quotannis recipienda, & emere illa, pro eodem reputatur, reſpectu autem illorum eſt anticipata ſolutio: ergo in cenſu eo interuenit mutuum virtuale; aliunde autem videtur propter tale mutuum recipi aliquid vltra ſortem, ac proinde contractum eſſe vſurarium.

RESPONDETVR primò: tranſeat in eo cõtractu interuenire mutuum virtuale, imò & formale, ſed non inde ſequitur interuenire vſuram; quia quod recipitur vltra ſortem, non recipitur ratione mutui, ſed ratione obligationis amittendi ſortem, ſi pereat res in qua cenſus eſt cõſtitutus, & ratione incommodorum, & periculorum, quæ ex mutuo illo ſortis paulatim per tot, ac tanta interualla recipienda ſequuntur per ſe loquendo, vt in ſeptima ratione dicebamus.

RESPONDETVR ſecundò, in eo contractu non interuenire mutuum formale, neque virtuale, quia, vt patet ex. *l. cùm quid. ff. ſi certum petatur.* mutuans poteſt pecuniam reuocare, & omne mutuum expoſcit obligationem reddendi ſortem, vel quando mutuãs eam petierit, vel breui tempore definito, vel ſaltẽ nõ poſt longa tantùm tempora, nec tantùm per magna, ac multa interualla: quod non reperitur in cenſu perpetuo, quia non poteſt emptor pretium reuocare. Hæc ſolutio magis eſt conſentanea communi doctrinæ: nam Sot. Conrrad. Mol. Val. Salon, Arag. Bannez, Garſia, Tolet. Lopez, Emanuel, Mercado, Palacios, Vega, & alij communiter omnino negant in cenſu interuenire mutuum. Dices: illud ius non extat; ergo non poteſt vendi. Reſpondet Læſius primò: etſi nunc non extet, tamen paulo pòſt extabit, ſicut hæreditas futura, & iactus retis futurus vendi poteſt. Ita Med. *de vſuris. queſt.* 12. Secundò reſpondet Læſius,

Digitized by Google

Læsius, hoc ius tunc extare in vendente: hic enim ius habet percipiendi pensionem ex re sua, quanquam tunc non vocetur census; quod ius sicut alteri donare potest, ita & vendere. Per hæc patet ad primum principale.

AD primam eius confirmationem respondetur, eum qui 90. aureis alium obligaret ad simul postea 100. soluendos, si non post multum tempus solutio facienda esset, vsurarium esse per se loquendo. Idémque esset si solutio per pensiones breui tempore facienda est, quia in eis euentibus incurrerentur per se incommoda, & pericula, quorum ratione aliquid vltra sortem per se exigi posset. Si tamen solutio tota, vel per pensiones post multum tempus facienda sit, emptor non erit vsurarius, quia per se loquendo non possunt in tanto tempore non incurrri incommoda, & pericula, quorum ratione aliquid vltra sortem exigatur; siue talis contractus appellandus sit mutui, siue non.

AD secundam confirmationem respondetur, licèt emere ius ad 100. per pensiones soluenda sit veluti emere ipsa, tamen non est mutuare 90. pro 100. quòd sors non est breui recuperanda: & licèt esset mutuum, non esset vsura, quia vltra sortem nihil recipitur pro mutuo, sed pro incommodis & periculis per se coniunctis tali generi mutui.

Num. 7. AD secundum argumentum respondetur, non solùm eiusmodi contractum non esse vsurarium, sed neque per se illicitum, aut prohibitum iure naturæ. Rationem reddit Mol. *disp.* 285. *in fine*, quia ea omnia incommoda quæ in argumento mala, ac absurda reputantur, non minùs, imò plus ex eo sequũtur, quòd prædia emi iusto pretio possint ab iis, qui pecunia indigent: qui enim pluribus abundant prædiis viuere æquè possunt in otio, sudore, ac labore aliorum ea illis locando; atque illi in otio viuunt, qui multos habent census emptos: ij etiam qui prædia vendunt faciliùs in paupertatem rediguntur, quàm qui census in prædiis vendunt, præsertim si redimibiles sint. Quare sicut ob hæc non sequitur emptionem prædiorum iusto pretio factam, illicitam esse, ita neque sequitur illicitam esse censuum emptionem.

SED ratio non satisfacit, quia cùm in iis reperiantur incommoda sicut in vsuris, ita videntur iure naturæ prohibiti sicut vsuræ, quæ propter similia incommoda prohibitæ sunt iure naturæ, vt tractatu de vsuris dictum est. Vnde addendum est, in vsuris per similia incommoda non vitari maiora, secus in censibus, & in emptione prædiorum, in quibus si emptio quæ fit, non esset licita, descẽdẽdũ esset in pretio alioqui iusto propter ementis necessitatem, & ascendendum propter necessitatem vendentis, quod esset absurdum, quia cogerentur homines ex iustitia cum suo detrimento aliorum necessitatibus succurrere: non ascendere autem in pretio, neque descendere propter talem necessitatem, neque aliquid vltra sortem exigere propter necessitatem mutuò petentium æquissimum est, quia afflictis non est danda afflictio, neque est vllus iustus titulus ad id faciendum.

AD tertium respondetur, in eo contractu seruari æqualitatem, quia infinitas

infinitas pensionũ cõpensationes infinita sequũtur incommoda, quibus per se loquendo subiacet qui census perpetuos emit, vt ostensum est.

Ad quartum respondetur, non esse seruandũ illum excessum in pretio, quia per infinita incommoda cõpensantur, sicut prædium quod infinitos fructus laturum est, quoniam infinita habet incommoda laborandi, & expendendi in cultu ipsius, iustè emitur finito tẽpore, neque oportet vt pretium eius infinitè excedat pretium vsusfructus finiti temporis.

Ad primam confirmationem Sot. *6. iustit. q. 5. art. 1. in fin.* contra Mirand. ẽ. ait, quòd conditio illa, quòd pretium statim detur, non sit necessaria. Nauarr. autem *Com. de vsuris. n. 85. & 88.* necessariam esse putat. Illum sequitur Lopez *illo c. 56. ad 4.* & præter constitutionem Pij V. rationem reddit; tum quia non est præsumendũ de venditore quòd velit pretiũ credere, tũ quia præsumeretur vsura in foro exteriori, si emptor non statim pretiũ daret. ergo §. *plus autem. Instit. de actionib.* Sed hîc agimus in foro interno, quod non ducitur præsũptione, sed veritate. Et contingere potest vt vẽditor pretiũ credat seruata omnino eius æqualitate, & tũc neque erit vsura, neque fundamentũ præsumendi vsuram; & §. ille non est ad rem: vnde respondetur, si eiusmodi census emerentur per pecuniã creditam, saltem ad multũ tempus, nulla, vel pauca incommoda emptor incurreret, ideóque nihil esset ratione cuius summam illam vltra sortẽ exigeret, ideo emptio esset iniusta, secus si ad modicũ tempus pecunia crederetur: tũc enim emptio non esset iniusta ex naturâ rei: an verò iure positiuo, dicemus infrà examinãtes conditiones propositas à Pio V.

Ad secundam confirmationẽ respondetur, commutationem illam possessionis pro censu ex vi rei licitam esse, vt ait Lopez *illo c. 56. ad 5.* Sed quia solet habere incommoda, eo quòd qui census vẽdunt nõ possunt per possessionem, sicut per pecuniam præsentem sibi prouidere, & quia in ea possunt multæ fraudes esse, & ne facilè census constituãtur prohibita est à Pio V. An verò quantùm ad hoc constitutio Pij V. seruãda nunc sit, dicemus agentes de conditionibus positis ab eodem Pio V.

Ad quintũ respondet Mol. *disp. 385. ad 1.* ex Conrad. *de contract. q. 83. ad 1. 2. & 3.* si in cõtractu illo Petrus sibi non reseruet facultatem repetẽdi illos 100. aureos, sed in Ioanne sit facultas illos reddendi, vt extinguatur ius exigendi pensionem, contractũ reuerà esse censualem, neque interuenire in eo mutuũ, esto à contrahentibus mutuũ appelletur, quia in contractibus potiùs attendendũ est ad id quod in re celebratur, quàm ad verba contrahentiũ, vt habetur *l. 3. C. plus valere quod agitur*, & per totũ titulũ. Quòd autem in eo contractu mutuũ non interueniat, probat Mol. quoniam mutuũ in sua ratione includit ius repetendi quod mutuò datur, aut in termino aliquo, aut quando mutuans voluerit. Præterea, quia sors non periit mutuanti quocũque alio pereũte. Contrariũ verò cernimus in illo contractu. Addit Mol. si autem in eo contractu Petrus sibi reseruet facultatẽ repetendi 100. illos aureos, pereũtéque prędio Ioannes non maneat liber tam à

cen

Digitized by Google

censu,quàm à restitutione 100.illorum aureorum,quos accepit,concedendū est cōtractū esse vsurariū.Petrúmque cōputare debere in sortem. Hæc Molin.Sed dicendum est,etiam. si in eo contractu dans pecuniā non teneatur pereunte prædio amittere sortem,& pensionem nondum solutas,nullam interuenire vsuram, vel quia ibi nullum interuenit mutuū, vel quia ratione mutui nihil vltra sortem accipitur, vt statim docebimus, probātes contra Mol. & alios in emptione census personalis(quæ cernitur in tali contractu) vsuram non interuenire. Quod verò dixit Mol.in priori alio contractu nō interuenire mutuū, probabile est, vt diximus,sed etiam probabile est oppositum,quod qui voluerit defendere,ad primam rationem Mol. respōdeat,non esse de natura mutui quòd sors reddenda sit in termino aliquo certo,vel quando mutuans voluerit, si intelligatur de redditione totius sortis simul;nam etiamsi per interualla reddenda sit,vt in eo cōtractu reddenda est,mutuū erit. Ad secūdā verò,quòd sors non periit mutuanti quocūque alio pereūte,nisi aliud deducatur in pactum, vt deducitur in censu reali, vnde rectè in eo potest inueniri ratio mutui.

DVBIVM III.

An emptio cēsus personalis licita sit?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans proponitur cum suis fundamentis.*

2 *Sententia affirmans censum personalem Ioan.de Salas.*

licitè emi posse minori pretio quàm sit latitudo pēsionum,preferatur, & probatur n. 3.

4 *Ad argumēta cōtraria respōdetur,vbi aliqua scitu digna tradūtur. n. 5.6.7.*

PRIMA sententia affirmat *Num.1.* esse illicitā.Nauarr. *Comēt. de vsuris.n.*81.citās Hostiēsē,Innoc.Ioan.And.Ancharran. Butrium, Zabarellam, Panor. & Ananiam *c. in ciuit.de vsuris.* Eandē tenet Molina *tract.2.de iusti.disp.*387. Lop. *in Instructo.negoti. lib.*1.*c.* 58. Aluarus Valascus *de iure emphyt.q.*32.*à n.*10. Lassarte *de decim.vendit. c.* 10.*à n.* 5. Grego.Lopez *l.*28.*tit.*8.*part.*5.*in glossa magna.*Gutierrez 2.*quæstionum pract. q.* 177.*n.*7.Cassan.*in catalogo glor.mundi. consid.*98.*&* 99. Laur. de Rodulphis *c.cōsuluit.de vsur.p.*2.*q.*12.quem citat, nec refellit Anto.2.*p.tit.*1.*c.* 8.§. 10. idem tenet Alciatus *respon.*3.*n.*7. Didacus Perez 8.*ordinam.situ.*2.*ad finem Rubrica.*Ioan.Baptista Lupus *tract. de vsuris.commēto* 2.§.2.*n.*63. Vega *in Sūma,& Epit.verb.cēsus.casu* 10.Anto n. Gomez iunior *tract.de censib.c.* 2.*n.*7. Angel.*vsura.*1.*quæst.*44.*&* 78.Excipit autem nisi venditor cēsus solitus sit operas suas locare: tunc enim super personam suam tanquam super rem fructiferam potest censum constituere quem alius licitè emat. Consonat Angles *quæst. de censibus. art.* 5. docens quando persona suo labore, & industria nihil lucratur,non posse licitè censum super ea constitutū ab alio emi,secus quādo persona suo labore,& industria lucratur,vt mercator, mercenarius, miles,artifex, aduocatus, procurator, & alij huiusmodi: nam si persona sit eo modo fructifera, perinde est super

Digitized by Google

ei censum constituere, ac constituere illum super alia re fructifera. Eādem sententiam cum eadem limitatione docet Garsia 2. *p. de contract. c.*4. ait enim censum personalem vitalitium iustè emi posse, non verò alios census personales. Eandem sētentiā multi alij amplectuntur, quos postea referam.

SVADETVR primò, quia Martinus V. Calixtus III. & Pius V. in extrauag. de censibus solùm approbarunt census reales in rebus immobilibus fructiferis constitutos.

SECVNDO, quia in censu personali pro vsu pecuniæ quā emptor tradit, aliquid vltra sortem accipit, ac proinde vsum pecuniæ vendit: vendere autem vsum pecuniæ est vsura iuxta D. Thom. *q.* 78. *art.* 1. & alios. ergo in tali censu vsura interuenit.

CONFIRMATVR, quia ibi non emitur domus, aut prædiū aliquod, non fructus illius, non persona, quæ libera est: quidergo aliud emitur nisi vsus pecuniæ? Ergo non potest fructificare per se, sed tantùm exposita negotiationi, & subiecta periculo exponentis; sed in censu personali non exponitur negotiationi cū periculo exponentis, quia eius periculū subiit censuarius, sicut periculū rei mutuatæ subiit mutuatarius; ergo emptio talis census vsuraria est. Confirmatur, quia qui emit possessionē, vel alia ab eis qui illis carent, & illa quasi essent pro annuis pensionibus locat, vsurarius est, vt docet Angel. *vsura.* 1. §. 7. Sylvest. *vsura.* 2. *q.* 6. Maior 4. *dist.* 15. *q.* 46. & alij cōmuniter; & similiter vsurarius est qui emit ius ad tales possessiones, vel talia alia. Ergo pari ratione vsurarius est qui ab aliquo emit ius, & obligationē ad pēsiones non imponēdo cēsum super re aliqua fructifera, sed super sola tantummodo persona.

SECVNDO, præcipuè arguitur, quia ciuili lege cautū est, vt persona libera in pignus dari non possit constituendo in ea ius reale, ita vt vēdi ob debitū possit, aut in seruitutē redigi, aut cogi ea de causa seruire, quin potiùs si quis liberā personā in pignus accepit, amittit debitū, atque incidit in alias pœnas pecuniarias, & corporis, vt constat *l. ob æs alienum. & l. sequenti. C. de actionib. & obligation. & l. filios. C. quæ res.* &c. *& auth. nulli Iudicum. §. quia verò. col.* 9. *& c.* 2. *de pig.* ergo iniqua est emptio census personalis.

TERTIO, de ratione emptionis est, vt periculū rei emptæ perfecto contractu ad emptorem spectet; si autem census in persona constituatur, & non in aliquibus determinatis bonis, periculum census nunquā ad emptorem spectabit, quia semper persona ipsius cum eius hæredibus, obligata manebit ad census solutionem. Ergo iniqua est emptio personalis, vt pote cum emptionis natura pugnans.

QVARTO, quia in nulla Republica Christiana census personalis receptus vnquam fuit, & ponere censum super personam, est reuerti ad duritiem antiquam & Barbarorum.

QVINTO, quia si emptio talis cēsus licita est, nemo mutuum dabit, sed petenti mutuum respondebit, vt vendat illi censum personalem, quē quilibet vendere potest, & hoc erit occasio magna debita contrahendi, quia innumeri constituent super se hos census non solùm ad res necessarias, sed etiam ad ludum, aliásque res inutiles. Quibus, & aliis rationibus

Digitized by Google

bus parui momenti quæ à Nauarro, Lop. & aliis proponuntur neglectis.

SEXTAM hanc sententiam suadet Mol. *disp.* 386. & 387. quia emptione census personalis non aliud emitur quàm ius ad exigendum, & recipiẽdum pensiones; ius autem illud non minùs valet si nullũ timetur periculũ, quàm ipsæ pensiones, vt ius ad recipiẽdum hinc ad annũ, vel ad duos, aut tres, aut plures annos 50. solùm valet 50. Quare sicut census personalis recipiendi ad paucos aliquos annos certam aliquam pensionem non potest iustè emi minori pretio quàm sit latitudo omnium pẽsionũ; ita census personalis multorum annorum, vel perpetuus, siue redimibilis sit, siue irredimibilis, nunquam iustè emi poterit minori pretio quàm sit latitudo pensionum, nisi per accidens ratione periculorum quibus pensiones soluendæ subiacẽt, vel ratione lucri cessantis, damni emergentis, & similiũ, eo addito quòd is qui censum emit, non est potiturus illis in infinitum, aut post longissimum tempus, sed successores in bonis ipsius. Quare eiusmodi cẽsus quantùm est ex se, & ex pretio etiam cum hypothecis, quibus ad securitatem emi consueuit, ex natura rei est iniustus, atque vsurarius, eáque de causa nunquam antea definitus iustus à summis Pontificibus, imò meritò hodie à Pio V. in Bulla de censibus prohibitus: tales tamen interuenire possent circumstantiæ, vt propter illas, quantùm est ex natura rei, reddi posset licitus; si enim quis emere vellet possessiones, quæ in perpetuũ ei parerent annuos reditus æquè securos, aut emere vellet censum realem perpetuum in magna ac secura possessione alterius, atque alius ab eo peteret vt potiùs in gratiã ipsius ab eo emeret censũ personalẽ perpetuũ, quantùm est ex natura rei, id posset fieri licitè ex capite lucri cessantis, quoniã tãtũdem ipsi valerẽt possessiones, aut census reales, quos emere volebat, & tã securè tantundẽ redderent, quãtùm ex eo cẽsu personali sperat. Itẽ tantũ esse posset pretiũ finitũ pro censu personali perpetuo, vt habita ratione lucri cessãtis, ex eo quòd æqualis quãtitas longissimo tẽpore non perueniat ad manus emẽtis, qua in decursu tẽporis empturus erat prædia, aut negotiaturus, si eũ censũ non emisset, tantúmque extenuari potest valor pensionum, quæ ex eodẽ censu post longissimum tẽpus sperãtur, tũ quòd illis nõ potiatur emptor cẽsus, sed successores remoti ipsius: tũ etiã quòd tẽpore lõgissimo multis subiaceant periculis, vt emptio cẽsus perpetui personalis iusta esset pretio finito, attẽta cõditione emẽtis cẽsum, aliisque circumstantiis quia tamen personales cẽsus nõ solẽt ita iustificari, iure optimo eorum emptio prohibita, irritáque est facta à Pio V. vsuariúsque est pronunciatus is cõtractus, nõ secus, quàm si pretiũ mutuò daretur soluendum eo modo per partes. Hæc fusiùs Mol. ẽ. qui suã sẽtentiam confirmat triplici ratione quæ ibi videri potest.

HANC sententiã tenet Eman. *tract. de censibus fund.* 1. *& condit.* 1. Azeuedo *lib.* 5. *nouæ collectionis. tit.* 13. *l.* 1. *n.* 7. Sarmiẽto 7. *Select. p.* 1. *n.* 31. *& seqq.* Ioãnes de Lignano *c. final. de vsur.* Carrãza seu Mirãda *in Summ. Conciliorũ*, post Florentinũ, dũ refert extrauag. Martini, & Calixti: ait enim ex natura rei

Digitized by Google

emptionē census personalis iniustā esse & vsurariā. Pro eadem sententia Caballin. seu Molinæus *tract. de vsuris. n.* 22. & cū eo Salon *controuer. 5. de censib.* refert Bonau. *tract. de contract.* vbi de censibus; & Bernard. Senens. *de Euang. aterno. sermone* 41. *cap.* 2. & Aretin. *cons.* 151. *Viso themate. colu.* 3. Eandem tenet Felicianus 1. *de censibus. c.* 8. *n.* 3. & citat Pizarrum ad statutum Guadalupen. glos. *de su trabajo.* Albornoz 3. *de contract. tit.* 2. Auendaneum *resp.* 12. Sarauiam *in Instructione mercatorum. c.* 15. Salazar *de vsuris & consuetud. c.* 11. Videtur etiā hæc opinio Petri Greg. *illa quæst. 5. n.* 20. & cōmunē esse fatentur Couar. & Matienzo ꝯ. Hanc etiam sententiam tenet Rebellus *de oblig. p.* 2. *lib.* 10. *q.* 3. tribuens Panorm. *in suis quæstionib. q.* 5. *col. vlt.* Ludouico Lopez *lib.* 1. *Instruct. negot. c.* 54. *de censib.* & addit Rebellus, *licèt contraria opinio sit aliquo modo probabilis, longè tamē probabilior est hac, imò omnino certa videtur.* Ex parte eandem tenet Philiar. *lib.* 5. *c.* 17. dicens census personales prohibitos fuisse per Piū V. sed addit, *qui tamen antea tanquam non prohibiti, liciti habebantur.* vnde insinuat nō esse illicitos iure naturæ, ac proinde nec modò vsurarios. Idē videtur sentire Medi. 2. *Sum. c.* 14. §. 26. vbi hāc conditionē, quòd census ponatur super bonis immobilibus, & alias nonnullas, ait non requiri ex natura rei, sed de iure positiuo. Sa etiā *verb. census. n.* 11. ait, *vbi Bulla Pij V. recepta est negant quidam licere censum super persona constitui, & super communitate, & super bonis incertis, scilicet possessis, & possidendis. Alij concedunt licere, etiam vbi recepta est, si census sit perpetuus, quod ego non concesserim.* Hæc ille.

Num. 2. SECVNDA opinio, mihíque probabilior est, censum personalem licitè emi posse minori pretio, quàm sit latitudo pensionum (nam de æquali non dubium, vt ait Molin.) Ita docēt Maior. 4. *dist.* 15. *q.* 34. item *q.* 44. in vltimis verbis. Gab. *q.* 12. *art.* 2. *concl.* 1. Conr. *de contract. q.* 74. 75. & 79. & *q.* 73. *concl.* 13. Ioan. Med. *q.* 1. *de cēsib.* & 2. seu *q.* 11. *de vsur.* §. *sed quæ vt.* Sot. 6. *iust. quæst.* 5. *art.* 1. *conclus.* 4. Salon *disput. de censib. art.* 3. *controuers.* 5. Bannez, & Aragon 2. 2. *post quæst.* 78. *tract. de censib.* Tolet. *lib.* 5. *c.* 46. Val. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 22. *puncto* 2. Couar. 3. *Variar. c.* 7. *n.* 5. & 6. Palacios 4. *de contractib. cap.* 7. Tiber. Decian. *consil.* 3. *n.* 70. *volum.* 1. Andr. Gail. *lib.* 2. *observa. practi. observa.* 7. *n.* 13. Angl. *in floribus.* 4. *q. de censib. art.* 5. Felicia. *tom.* 1. *lib.* 1. *de censib. c.* 8. *n.* 4. & *sequentib. & tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 1. eādem tenet Matienzo *lib.* 5. *noua collectio. tit.* 15. *l.* 1. glos. 1. *n.* 5. Molinæus & Caballinus s̄. Læsius *lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 4. Thomas Boninsignius *c.* 4. *n.* 7. *tract. de censibus.* Henrric. de Assia *tract. de contract. p.* 12. *c.* 2. Rebellus pro hac sententia citat Molinam *disp.* 387. sed reuerà, & expresè tenet priorem. Hāc verò tenet Antonius Gomez *l.* 68. *Tauri. n.* 2. Medina *in Summa. lib.* 1. *c.* 14. §. 26. etiam existimat hos contractus esse licitos stando in solo iure naturæ; & Phil. vt retulim⁹, idē tenet *lib.* 5. *Sum. cap.* 17. nec aduersatur Sa in verbis citatis, licèt hi tres existimēt hos cōtractus esse prohibitos in Bulla Pij V. Hanc etiā tenet Vinsfeld. *q.* 10. *de vsuris.* super *cap. in ciuitate.* Henrricus Hoita *de contract. dub.* 2. Graf. 2. *decisionum. c.* 118. *n.* 16.

IMO ex Doctoribus, qui à Nauarro & aliis pro cōtraria sentētia afferuntur, vt notāt Mol. & Læsius, multi nō negant licitū esse censū personalem

lem in ſenſu quo auctores proximè citati licitum eſſe affirmãt. Auctores quippe proximè citati nõ in eo ſenſu affirmãt licitũ eſſe emere cenſũ perſonalẽ, quaſi emptor cẽſus cõmparet ius in perſonã, ita vt deficiẽtibus bonis vnde perſona ſoluat, poſſit eã redigere in ſeruitutem, aut eam cogere vt pro valore annuæ penſionis ad tempus ſeruiat: ſed in eo ſenſu arbitrantur cenſum ſuper perſonã cõſtitui poſſe, quòd perſona ꝓ pecunia quã accepit, poſſit ſe obligare ad annuas pẽſiones, quarũ collectio pretiũ excedat, eo modo quo qui rẽ creditò emit, manet obligatus ad pretij ſolutionem, & quo aliis cõtractibus aſſueuerũt homines ſe obligare ad aliquid, ratione cuius obligationis cõpetit creditori perſonalis actio, & nõ realis. Quia verò huiuſmodi actiones, & obligationes tantũ ſunt tam actiuè, quàm paſſiuè ad hæredes, eo ipſo quòd hæreditatem adeũt, cõſequẽs eſt, vt perſonalis cenſus ea ratione durare in perpetuum poſſit; ſi tamẽ extingueretur perſona, quæ cẽſum debet, neq; relinqueret ſufficiẽtia bona, eáq; de cauſa nullus vellet cũ tãto onere eſſe hæres illius, tũ eo ipſo exſpiraret cẽſus perſonalis, ſolũq; ei manerẽt obligata ſi quæ bona defũctus reliquit, ſicut & ad reliqua eiuſdẽ defũcti debita. Et ſanè Panor. *illa q. 5. col. pen. ver. aut quærimus. & verſ. ſequẽt.* apertè affirmat cesũ perſonalẽ perpetuũ licitũ eſſe in ſẽſu proximè explicato: & fortè alij quos Nau. Couar. & alij pro prima sẽtẽtia referũt, vt Mol. & poſt eum Læſius aduertit.

Num. 3. Hæc verò ſecũda ſentẽtia probatur primò, quia homo capax eſt obligationis in ſenſu explicato, vt de ſe eſt notiſſimum, & ſicut poteſt titulo donationis ſe eo modo ad cenſũ obligare promittẽdo annuã penſionẽ pro dote orphanæ mulieris, vel in ſubſidiũ hoſpitalis, &c. atque, ſicut is, cui fit promiſſio, poteſt ius illud titulo donationis cõparatũ iuſto pretio vẽdere, ꝙ ſanè non erit infinitũ, neque æquale in q̃titate toti collectioni pẽſionũ; ſed finitũ, & min⁹: ita is qui ſe obligauit, potuit à principio inducere in ſe obligationẽ illã ꝓ pretio finito, & minori, q̃ ſit collectio omniũ pẽſionũ, & ſtultus eſſet qui pretium in quãtitate æquale toti collectioni pẽſionũ pro tali cenſu daret. Ergo cẽſus ille iuſtè emitur pretio minori in quãtitate, quã ſit latitudo pẽſionum.

Secvndo, quia cẽſus perſonalis licitè poteſt lege ſtatui: lege enim Eccleſiaſt. decimæ perſonales perſoluũtur, vt ex cõparatis artificio, negotiatione, militia, & aliis ſimilibus, *c. decimæ. 16. q. 1. c. nõ eſt. & c. Apoſtolica. & c. paſtoralis. de decimis.* quæ conſuetudo ex parte perſeuerat in aliquibus Eccleſiis. Imò famuli ex ſtipẽdio, quod pro ſuo ſeruitio quotãnis accipiunt, decimas in nõnullis diœceſibus ſoluũt: in lege etiam veteri perſonales decimæ ſolui videbantur, vt Deut. 12. innuitur. & 2. Eſdræ 10. fideles conſtituerunt annuum reditum tertiæ partis ſicli pro fabrica tẽpli, panibus propoſitionis, & ſacrificiis, idque tãtùm ſuper perſonas ſuas. Principes etiam ſeculares iuſta de cauſa poſſunt perſonale tributũ quotannis ſoluẽdum inducere, quod erit perſonalis cenſus. Atque hũc cenſũ aiunt Doctores Auguſtũ induxiſſe Lucæ 2. Hos autẽ cẽſus lege ſtatutos nemo ſanæ mẽtis emeret à dominis sũma nõ minori, quàm ſit latitudo penſionum: ergo eadem poſſunt licitè emi

Digitized by Google

ab eo, qui pro pecunia velit super se illos constituere, vt sanè potest: nam quæ fieri possunt per statutum, possunt etiam fieri pacto ciuium, vt habet glossa *in Rubric. C. de decurionibus. lib.* 10.

TERTIO probatur, quia constituere census super nuda persona sine vlla cautione præter solam fidem pauperis debitoris, magis est commodum venditori, & incommodum emptori, quàm super bonis generaliter, vel specialiter hypothecatis, & cum fideiussore. Ergo si hoc nullam vsuram, vel iniustitiam continet ex parte emptoris, multo minùs illud, quicquid enim alleuiat, vel minùs grauat debitorem, & deteriorem facit conditionem creditoris, eleuat, vel minuit suspicionem & rationem vsuræ: quod argumentum Molinæo, & Caballino visum est manifestissimum, ideo contrariam opinionem irrationabilem censuêre. Eodem argumento vtitur Salon. Dici tamen posset etiam cum hypotheca generali, & speciali dari posse censum personalem, nimirum quando non deducitur in pactum, vt pereunte re in qua census est constitutus, nulla sit obligatio reddendi pensionem, aut capitale, & talé censum illicitè emi minori pretio, quàm sit latitudo pensionum, secus si sit census realis propriè, ita vt pereunte re in qua est collocatus, nulla maneat obligatio soluendi pensiones aut capitale.

SED contrà: nam si propter hoc periculum, quod subit emptor, potest recipere aliquid vltra sortem, cùm per se loquendo maius sit periculum in censu personali, nullam habente cautionem pignoratitiam, hypothecariam, aut fide iussoriam, multo meliùs poterit aliquid vltra sortem recipere.

CONFIRMATVR primò: nam census realis propriè dictus à personali eo solùm differt quòd in reali pereunte re, in qua est constitutus, extinguitur omnis obligatio censuarij: non verò in personali; aliquando autem, moraliter loquendo, perire non potest res, in qua census est constitutus, vt si sit ager, vel ingens sylua, &c. Ergo tũc ratione huius conditionis parum, vel nihil poterit vltra sortem accipi, sed ratione aliarum quæ inueniuntur, etiam in censu personali: ergo in eo etiam licebit aliquid vltra sortem accipere, nimirum propter magna pericula, & incommoda quibus subiacet, qui censum emit, iuxta dicta dubio præcedenti ratione septima.

CONFIRMATVR secundò: nam in censu reseruatiuo pro re valoris finiti dantur pensiones in infinitum siue res pereat, siue non: ergo similiter per pretium finitum potest emi ius personale ad pensiones in infinitum recipiendas.

CONFIRMATVR tertiò: nam seruitutes reales in infinitum iustè emuntur pretio finito, quæ tamen possunt plus valere quàm personales: ergo etiam hæ iustè emi possunt pretio finito, ac proinde etiam census personalis perpetuus, qui potest non plus valere, quàm seruitus realis, aut personalis perpetua.

CONFIRMATVR quartò: quis enim dicat, ius personale perpetuum recipiendi ab aliqua communitate, vel ab aliqua priuata persona, & eius hæredibus quotannis vnum obolum æreum plus valere, quàm mille nummos aureos de præsenti?

Digitized by Google

senti? ergo tale ius iustè emitur mille aureis præsentibus, sicut etiam iustè emeretur pretio aliquo finito obligatio', qua communitas aliqua in perpetuum se obligaret ad efficiendum aliquid quotannis pro alia communitate, aut persona priuata, eiúsque hæredibus, vt ad laborandum in vineis, agris, itineribus, &c. mutuandum, vendendum, locandum, &c.

CONFIRMATVR quintò: nam Martinus V. & Calixtus III. *in* 1. *&* 2. *extrauag. communi de emptione, & venditione*, approbant census perpetuos redimibiles, abstrahendo à realibus, & personalibus; neque enim ponunt conditionem quòd pereunte re, in qua census est constitutus, extinguatur omnis obligatio censuarij, sed quòd adhuc venditor non teneatur reddere capitale: ergo emptio census personalis perpetui licita est. Quo argumẽto vtuntur Sot. Couarr. Salon, & Felicianus. Retorsit autem Molina, quia non rectè ponderauit verba Pontificũ, & putauit PP. agere de contractu, in quo deficientibus possessionibus extingueretur omnis obligatio censuarij. Melius argumentum sumitur à Vinsfeldio, & Salone ex Nicol. V. qui fuit posterior Martino V. & prior Calixto III. & in sua extrauag. de censibus pro Regno Siciliæ, ait posse obligari personas, carúmque proprietates, reditus, iura, iurisdictiones, census, & omnia ac singula mobilia, & immobilia.

CONFIRMATVR sextò: nam ferè omnes census, qui olim fuerunt, & nunc sunt in vsu, videntur personales, & non reales propriè, & strictè intelligendo, scilicet per reales eos, in quibus pereunte re extinguatur omnis obligatio censuarij: quanuis enim in illis detur hypotheca quasi in pignus ad securitatem ex *l. fundus quem. ff. de annuis legatis.* vbi Bart. & alij illud annotarunt, tamen nisi aliter illud expressè conuentum sit, etamsi res pereat, manet obligatio ad pensiones, donec capitale reddatur, vt docent Matienzo 3. *n.* 6. Sot. Mercad. Felician. Couaruu. & Salon ex *l. creditor qui nolit. ff. si certum petatur.* & ex *l. aduersus. C. de actionib. & obligat.* licèt id cũ aliis reiiciat Mol. *disp.* 383. quos dubio 33. inferiùs impugnabimus. Ergo emptio census personalis perpetui licita est, non solùm ex natura rei, sed etiam stando in iure positiuo, saltem ante Bullam Pij V. quid verò post illam dicendum sit, postea explicabimus. Adde secundùm Salonẽ primò, Nicolaum V. in Bulla de censibus, quam refert Summa Coron. approbasse etiam census personales, dum ait, se facultatem dare vendendi, & emendi census redimibiles, dummodo annualis census decimam capitalis partem non excedat, & obligandi personas, earúmque proprietate, &c.

SED hoc argumentum leue est: nam etiam in censu reali obligantur personæ: vnde ex illis verbis non colligitur, censum personalem licitum esse, quanuis id aliqualiter colligi possit ex eo quòd ibi census redimibilis abstrahendo à reali, & personali approbatur. Idem ex eo probant Gabr. Arag. & Salon, quia lege naturæ & veteri Leuit. 25. Deut. 15. Exod. 21. quilibet potest se ipsum vendere, & in seruitutem tradere: ergo & aliquam pensionem super se constituere. Item, quia opera mercenarij

Digitized by Google

narij ſunt digna pretio, ideóque poteſt illa locare, ſeu vendere. *l. qui operas. & l. in operis. ff. locati.* ergo & obligare ſe ad dandũ tertio partem valoris, ſeu pretij quod pro illis accipiet, & hanc obligationem vẽdere, quod eſt vendere cenſum perſonalem. Sed hæc argumenta non vrgent, quia nõ dubitamus an liceat vẽdere, & emere cenſum perſonalem, ſed an liceat illum emere minori ſumma; quàm ſit tota collectio penſionum. Quod licitũ eſſe confirmat Læſius primò, quia ius ad pẽſiones in omni Repub. longè minùs valet quàm penſiones ipſæ, ſi eſſent præſentes, valerẽt; ergo minori pretio emi poteſt. Secundò, quia cenſus realis perpetuus licitè emitur minoris quàm ſint penſiones ſperatæ: ergo etiam perſonalis: par enim eſt ratio. Tertiò, quia cõmuni hominum iudicio pluris æſtimatur cenſus realis ſuper ampliſſimo agro, vel copioſis decimis fundatus, quàm cenſus perſonalis cũ hypotheca: ergo ſi ille minoris emi poteſt, etiam hic. Quartò, alias damnãdi eſſent plerique cenſus in Belgio, Germania, & Gallia. Nam plerique antequam certo modo realizentur coram magiſtratu (quod ſæpe nõ fit, aut non fit, niſi poſt lõgum tempus) ſunt merè perſonales cum hypotheca generali omnium bonorum, & emuntur ad rationem 16. in ſingula: non eſt aut facilè damnãdum, quod tot viri docti & Religioſi in tot prouinciis faciunt. Aduertunt autem Gab. Ioan. Med. Læſius, & alij, debere perſonam eſſe fructiferam, id eſt, poſſe lucrari ſua opera, & induſtria, vel habere in re, vel ſpe aliqua bona; vnde ſoluere poſſit: alioqui ius ad penſiones nullius eſſet valoris, quod explico ad tertiam confirmationem ſeptimi argumenti.

Ad primum argumentum reſpõdetur, Martinum V. & Calixtum III. approbaſſe cenſus cum hypothecis abſtrahendo à cenſibus realibus, & perſonalibus propriè dictis, vt ſuperiùs vidimus: & licèt ſolos cẽſus reales approbaſſent de quibus erant cõſulti, tamẽ non reprobaſſe perſonales, vt notat Molin. *diſp. 387. in fin.* & Salon *illo art. 3. controuerſ. 5.* & Læſius ẽ. Pius autem V. non reprobauit cẽſus perſonales iam conſtitutos, ſed prohibuit in poſterum conſtitui, & voluit, ſi conſtituantur, cẽſendos eſſe vſurarios, id eſt, quoad pœnas: nã quoad ſubſtantiam, ſi antea non erãt vſurarij, neque poſtea vſurarij eſſe poterant. Hanc verò Bullam Pij V. ſaltem in Hiſpania vim non habere, niſi in quantum eſt declaratoria iuris naturalis, ac diuini, peculiari dubio cõſtabit. Præterea licèt Vinsfel. & alij dicãt cẽſus perſonales prohibitos eſſe à Pio V. alij tamen probabiliter tenent ſolùm dediſſe formam conſtituendi cenſus perpetuos redimibiles.

Ad ſecundum, negatur in cenſu perſonali pro vſu pecuniæ aliquid vltra ſortem accipi, ſed pro periculis, & incommodis, quibus per ſe loquendo emptor ſubiacet in tanto tempore, propter quod illud ius minoris æſtimatur quàm pẽſiones ſperatæ ſi eſſent præſentes.

Ad primam confirmationem reſpondetur, emi ius ad pẽſiones, quod licèt ſecundùm ſe non minùs valeat quàm collectio omnium pẽſionum; tamen minoris emitur propter pericula, & incommoda, quibus per ſe loquendo emptor ſubiicitur, & quã-

uis

uis interdum aliquis nõ ſubiiciatur, tamen Reſp.& vſus fori in imponẽdo pretio ad ea reſpicit, quæ cõmuniter contingunt, vt ait Læſius *dub. 4.n.31.*

A D ſecundam confirmationẽ reſpondetur, non ſic cõtingere in cẽſu perſonali, quia in eo nihil vltra ſortem accipitur pro vſu pecuniæ, nec pro mutuo,ſed pro aliis,vt dictũ eſt.

A D tertiam confirmationem reſpondetur,quanuis in cẽſu perſonali pecunia quæ datur venditori cenſus non exponatur negotiationi cũ periculo, quod in ſe ſuſcipiat emptor,ita vt ſi pereat,velit ſibi perire, tamen ipſe ſubeſt periculo non recuperandi illam,nec penſiones,aliiſque incõmodis,& propterea licitè poteſt aliquid accipere vltra ſortẽ.

A D quartam confirmationem reſpondetur,nullius eſſe momẽti:nam licèt vſura ſit emere, & deinceps locare res nõ extantes,quia in rei veritate ibi interuenit mutuum cũ incremento ratione ipſius, tamẽ emere ius ad res non extantes,itavt alter obligetur eas dare, nulla eſt vſura, vel iniuſtitia : idémque eſt de emptione iuris ad penſiones quas alter dare teneatur,etiamſi earum collectio capitale excedat.

AD tertium reſpondent Salon,& Molin. locis proximè citatis,ſolùm probare ex diſpoſitione iuris humani in illis iuribus;& in *l.Senatus.§.vltimo.ff.de legat.1.& l.3.tit.13.p.5.* non poſſe ita conſtitui cenſũ in perſona libera,quaſi emẽs cenſũ cõparet ius in illã,ita vt poſſit illã vẽdere,aut in ſeruitutẽ redigere pro ſolutione cẽſus,& quaſi cenſus ſit realis eo modo collocatus in illa perſona,quo in mancipio ius reale,& dominiũ cõparari poteſt; nõ verò probare in eo cenſu nõ poſſe eſſe cenſũ perſonalẽ, quòd perſona eũ vẽdẽs maneat ad illũ obligata perſonali ſolùm obligatione,ſiue ſimul ſubiiciat hypothecę in ſecuritatẽ eiuſdem cẽſus alia ſua bona,ſiue non.Addit Mol.in aliquibus euẽtibus poſſe hominẽ redigere ſe in ſeruitutẽ,& tũc ſecundùm gloſſas,& Doctores poſſe in perſona cõſtitui obligationẽ realẽ ad aliquid ſoluẽdũ.Sal.etiã putat ex mẽte quorũdã Iuriſperitorũ hominẽ poſſe in perpetuũ ſuas operas officiales, ſeu artificiales locare, quia hoc non eſt redigere ſe in ſeruitutẽ,ſecus omnes ſuas operas in perpetuũ locare.Felicianus etiã *1.de cenſib.c.8.n.8.* ait, hominem liberũ nexu pignoris teneri poſſe ex tex.celebri in *c.ex reſcripto.de iureiuran.*nec cõtrariũ probari ex *c.2. de pign.*quia ſolùm dicit,hominẽ liberũ nõ poſſe teneri pro debito, idque legibus improbatũ eſſe,quod ita accipiendũ eſt,vt nõ poſſit teneri tãquã ſeruus,aut intelligendũ eſt de perſona alia à debitore, ex *l.qui filios.C. quæ res pignori obligari poſſ.*& ratio eſt, quia pignus debet eſſe de bonis debitoris, non de alienis.*l.rem alienam.ff.de pign. action.* Quòd verò in illo canone ſermo ſit de perſona alia à debitore,cõſtat ex integra decretali, quã ibi refert Felicianus ex Antonio Auguſtino minotisad primã collectionẽ decretaliũ *lib.3.tit.13.c.2.* Præterea in *d.l.ob as alienum.*ſolùm dicitur; *ſeruire liberos creditoribus compelli iura nõ patiũtur.*Nullus ergo textus probat hominẽ liberũ nõ poſſe ius pignoris in ſe cõſtituere,& licèt id daretur, nõ ſequitur non poſſe cenſum ſuper ſe conſtituere, quia hoc minoris ſeruitutis eſt: nã qui daretur pignori, teneretur manere sẽper apud creditorẽ,qui verò in ſe cẽſũ cõſtituit,po-

Digitized by Google

test quocũque velit abire. Hæc Felicianus.

Ad quartum respondet Mol. periculum rei emptę nũquam pertinere ad emptorem, nisi quando res empta perit: censum autem personalem nunquam quoad obligationem vendentis perire, nisi vendens pereat, & omnia bona illius, quæ defuncti loco subiacẽt omnibus obligationibus personalib. defũcti, eáq; de causa nunquã censũ personalem perire emptori, nisi hæc omnia pereant.

Secvndo respondet, quanuis id sit de natura emptionis, tanquam cõcomitans, seu consequens, ac consẽtaneũ naturæ illius, non tamẽ de essentia illius, aut proprietatem ab ea inseparabilem: quæ autem talia sũt, remitti posse pacto aliquo quin ea de causa contractus reddatur inualidus, præsertim, si ea de causa fiat iusta compensatio in pretio, neque positiuo iure irritus sit talis cõtractus.

Ad quintũ respondetur, in nulla Republ. Christiana receptum fuisse personalem censum cũ iure redigẽdi in seruitutem ipsum venditorem, si non habeat bona vnde soluat, secus secũdùm modum explicatum, in quo nulla barbaries, aut durities constituta est: vnde Aragon s. ait, passim constitui censũ personalẽ, vt quando super aliquẽ populũ constituitur, obligãdo singulas personas.

Ad sextum respondetur, per hũc censum non sequi, vt nemo det mutuũ: quia securius diuitibus est aliquid mutuare pauperibus, quàm cẽsum personalem ab eis emere, vnde pauperes occasione eius census non poterunt multa contrahere debita: & licèt contraherent, magis esset in damnum ementium census, quàm in damnum vendentium; quare non sequitur emptionem esse illicitam.

Ad septimum respondetur, licèt ius ad 50. simul, vel successiuè, nõ post multum tempus dãda, valeat 50. tamen si post multũ tẽpus danda sint, præsertim diuisa in multas partes, minùs valet propter pericula, & incommoda, quæ per se loquẽdo habet adiũcta: & ideo tale ius minoris emi potest, quàm sit cumulus omnium pensionum.

Ad primam confirmationem respondetur, in contractu reddẽdi sortem integram post longum tempus, & interim singulis annis aliquid aliud, nõ esse propriè mutuũ, sed cẽsum, & licèt cõcederetur esse mutuũ, non tamẽ vsuram; quia nihil recipitur vltra sortem ratione mutui, sed ob incommoda, & pericula, quæ tali mutuo per se annexa sunt. Num. 5.

Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo illum contractũ esse licitum, & similiter vltra sortẽ accipere fructus pignoris moderatos, quãdo debitum post 30. annos soluendum est.

Ad tertiam confirmationem respondetur, emptionem cẽsus ad certum annorũ numerũ licitã esse, etiãsi cumulus pensionũ sortẽ excedat, vt sequẽti dubio docebimus. Quicquid autẽ de hoc sit, certũ est, stãdo in solo iure naturæ, censũ personalẽ vitalitiũ licitũ esse, vt fatentur Garsia, & Lopez s. Nã emẽs talẽ cẽsũ exponit se periculo amittẽdi citò sortẽ cum magna parte pensionũ, ratione cuius periculi potest per partes aliquid vltra sortẽ accipere. Quod autẽ dicunt Angel. *vsur.* 1. *n.* 44. Angl. *q. de censibus. art.* 5. Sal. *art.* 3. *controuers.* 5. *cõcl.* 1. scilicet censũ personalẽ super persona pau

Digitized by Google

paupere, inutili, & infructifera emi non posse, falsum omnino est: nã in tali censu maius est emptoris periculũ. Ergo magis erit licitũ emere talẽ censũ minori pretio, quàm sit pẽsionum cumulus, quàm emere alios census securiores emptori. Ex parte autẽ vẽditoris videtur iniustitia interuenire: nam ius in persona paupere, quæ nullo modo sperat meliorem fortunam, nec potest suo labore, industria, aut eleemosynis soluere capitale, aut pensionem, parui, vel nullius momenti videtur: ergo pro tali iure parũ, aut nihil potest accipere ab eo, in quẽ illud transfert. Et fortè hoc tãtùm voluerũt Angelus, Angles, & Sal. proximè citati. Gab. Ioan. Medin. & Læsius remotiùs relati, Vinsfel. & Hoita suprà. Vide alia apud Felicianũ, & Salonẽ suprà. Vide etiam Ricardũ *quodlibeto 2. q. 23. art. 6. & art. 7. dub. 3.* vbi expresse approbat census personales etiã perpetuos, emptos finito pretio, quia pecunia reddenda post longũ tẽpus, maximè successoribus & remotis, minoris æstimatur absque dubio, quàm præsens. Vide etiã quæ de honestate census personalis irredimibilis dicimus dubio 30.

VIDE quoque Gasparum Rodericũ, qui *lib. 1. de annuis reditibus. q. 4.* sententiam nostram latè docet præter citatos referens pro ea Modern. Paris. *in consuetud. Paris. 1. p. §. 11.* & Andreã Gail. *lib. 2. obseruationum, obserua. 7. n. 13.* vbi dicit, generali cõsuetudine passim receptã esse, & eam in imperiali camera obseruari. Petrum Surdũ *tract. de alimẽtis. tit. 7. q. 33. n. 16.* Redoanũ *de rebus Ecclesiæ non alienan. in Rubrica de constitutione annuorũ cẽsuũ. n. 55.* Tiberium Decianum, qui plures refert *cõsilio 2. lib. 1. n. 73. & n. 141.* Deinde ipse Rodericus probat hanc sententiã, quia actio personalis quæ est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur, *instit. de actio. in prin.* vendibilis est. *l. si nomẽ, cum seq. ff. de hared. vel actione vend. l. nominis venditio. C. eodem.* ergo similiter obligatio reddẽdi annuas pensiones vendi potest iusto pretio, nẽpe minori quàm sit pẽsionũ collectio: nec in hac re est vsura cùm non sit mutuum, eo quòd in mutuo non est perpetua alienatio pretij. Nec per hoc debitor seruus efficitur, vt per Alex. *consil. 18. n. 2. & 3. lib. 5.* & plus quàm manifestè patet: aliàs in omni obligatione personali infringeretur libertas, & personæ pignus contraheretur, quod est absurdum. Item Nicolaus V. & Greg. XIII. in suis extrauagantibus de censu editis pro Regno Siciliæ expressè constituunt personam in censu obligari posse, imò personæ obligationẽ esse præcipuam, & rerũ accessoriam iure pignoris & hypothecæ ad securitatẽ debiti, vt cõstat ex verbis Põtificum relatis à Feliciano *1. de censib. c. 8. n. 7.* & Redoano *illo n. 55. & 56.* & Rodericus ipse *n. 33. & 34.* Hoc autem non esset verum, si census essent penitus reales: ergo approbãtur ibi census personales; & alioqui nullus motus proprius in Hispania esset bene constitutus. *Ego quidem,* inquit, *hactenus non vidi reditum pecunia emptum, nisi super obligatione personali adiunctis specialiter certorum prædiorũ, deinde generaliter omnium bonorum hypothecis, & persæpe prædibus, & fideiussoribus: & quotidie videmus tam debitorum, quàm fideiussorum personas capi, & in carcerem detrudi pro soluendis redituum pensionibus, quod neutiquam fieret, si reditus*

creari nõ posset nisi super obligatione personali. Dixerat antea idem Rodericus *eod.n.34.* quanuis à principio reditus creari possit super obligatione tantùm personali absque bonorum hypotheca, nõ tamẽ videtur posse fundari super sola reali obligatione, & bonorũ hypotheca, quia hypothecaria obligatio, vt accessoria, sine personali à principio nõ cõstituitur, vt probat textus *l. is qui promisit.l.si legati. ff.depigno.* docet Barto. *l.fideiusso.obligari in princip.* per textum ibi *de fideiussor.* Negusan. *de pignor. 6.p.memb. 2.n.5.* Hugo Donel *eod. tract.c. 2. versi. illud videamus.* Felicianus *de censib. lib. 3. c. 4.n.3.* sed postea meritò hoc reiicit, quia reditus potest constitui super fundo limitatim, ita vt constituẽs & eius hæredes non teneantur ad soluendum reditum, nisi ratione rei, & quandiu illam possederint, vt per Paris. Modern. *in consuetu. Parisien. 1.p. §. 11.n.15.* Couar. *3. Variar. c. 7.n.5. vers. quarò.* & hoc putat sibi velle Pium V. in Bulla de censibus, dum ait, nullo modo posse constitui nisi in re immobili, qua pereunte ex toto, vel ex parte, voluit censum ex toto, vel ex parte perire.

Pro qua doctrina ponderat textũ optimum *l. si fideicommissum. §. tractatu. vers. quod tamen. ff. de iudi.* per quem dixit Bald. *l. 1. C. si certum petatur.* quòd si testator posuit onus super aliqua re, non diuiditur inter hæredes, sed rei possessorem sequitur. Eodem modo potest imponi census super solo aliquo prædio, quem censum solus prædij possessor soluere tenebitur. Ibidem Rodericus, & ante ipsum Felician. *illo n. 7.* Couarr. *3. Vari. c. 7. n. 5. vers. primum etenim.* Soto *6. iusti. quæst. 5. art. 1. vers. secunda illius actoris conditio.* Matienzo. *l. 1. tit. 15. de lus censos. lib. 5. noua compil.* glos. *1. n. 6.* Ex extrauagantib. Martini V. & Calixti III. non sequitur obligationem personalem in censu poni non posse: nam ex illis potiùs colligitur, peremptis bonis adhuc manere obligationem ad pensiones. ergo approbant census, qui partim, imò præcipuè erant personales.

Confirmatvr: quia etiam anno quo nullus colligitur fructus, soluenda est pensio, vt ait Sa *verb. census. n. 9.* ergo non solùm res in qua census constituitur, obligatur, sed etiam persona vltra eius vires. & sic census isti sunt mixti ex realibus, & personalibus, & quatenus personanales, illiciti non sunt.

Et similiter liciti esse possunt merè personales empti minori pretio, quàm sit pensionum cumulus; quia in eo non reperitur mutuum, vt ostendimus, ac proinde nulla interuenit vsura; & pretium est iustum, quia ius percipiendi pretium per tot & tam longa interualla non plus valet in æstimatione hominum propter periculum, & damna emergentia, & lucra cessantia emptori: de quibus non oportet moneri venditorem, nec cum illo paciscí, vt volunt Molina, & Rebellus, quia per se sunt annexa, & illis inspectis à vulgo, vel Rep. aut Principe positum est pretium illi iuri, vel censui, vt optimè docet Læsius. Quando verò census esset ad breue tempus, vt ad percipiendas pensiones in anno per singulos menses, non posset emi minori pretio quàm sit pensionum cumulus, nisi venditor admoneretur de damno emergẽte, & lucro cessante, & nisi auctarium deduceretur in pactum

Num. 6.

Digitized by Google

pactum, vt rectè admonet Valen. 2.2. *disp. 5. quæst. 22. punct. 3.* & ideo quãdo Ioann. Medin. dicit, in mutuo posse aliquid recipi ratione periculi recuperandi sortem, meritò reprehenditur à Rebello *de oblig. p. 2. lib. 9. q. 12. & lib. 10. q. 3.* si intelligat posse auctarium accipi, si non deducatur in pactum: si verò deducatur, rectè dixit.

Nec vrget quod aliqui dicunt, per emptionem census personalis nihil posse emi, quia nihil aliud ibi est, nisi obligatio ad pensiones; hæc autem non potest emi cum fiat emptione ipsa. Respondeo enim futurã obligationem siue realem, siue personalem cùm fit ipsa emptione, emi posse, vt exemplis patet. Vnde nõ debuit Rebello id intellectu difficile, aut falsum videri. Sed esto nõ esset hic contractus emptionis, esset alius contractus licitus innominatus, qualis sũt, facio vt facias, do vt facias, facio vt des. Sic ille dicit, si æquè probabilis sit spes lucri, & timor damni in vtroque contrahente contractum, licèt non sit emptionis, & venditionis, ac proinde nec propriè censualis, esse tamen iustum, & posse vocari fortunæ, aleæ, aut sortiũ: vt si mutuò dem 100. per 10. annos ea lege, vt si ante 10. annos moriaris, reddas tantũ 80. si verò eò vsque viuas, reddas 120.

Sed obiicit Rebellus, quia per huiusmodi cẽsus personales obstruitur ostium gratuitò mutuum petentibus: si enim indigeas, & mutuò petas à me, respondebo, vt potiùs censum pecuniarium super personam tuam imponas, saltem ad tempus, pro pecunia quam dabo. Aperitur præterea ostium ad palliãdas vsuras sub pretextu talis census personalis. Respondeo, nullo modo per hãc opinionem impediri mutua gratuita, quia census personales non habent locum, nisi sint perpetui, vel ad longum tempus, & cùm capitale est notabilis quantitatis, quam nemo prudens dabit pauperi non habenti bona quæ censui subiicere, vel hypothecare possit: mutuò autem parua quãtitas & ad modicum tempus peti, & concedi solet cum pignore, aut scriptura aliqua, & sic minus est quod periculo exponitur, & ipsum periculum est longè minus, & non solet lucrum cessare, aut damnum emergere mutuanti, quia breui tempore potest pretium reuocare. Nec in censu hoc est periculũ vsuræ, quia cùm non possit homo pretiũ reuocare, nec formale, nec virtuale mutuũ interuenit.

Ex his colligitur licitam esse emptionem census personalis irredimibilis minori pretio quàm sit pensionum cumulus, vt significat Med. *q. 12. & 15. de vsur.* Sotus *6. iust. q. 5. art. 1.* & clarè dicit Læsius *lib. 2. cap. 22. dub. 5.* probãs primò, quia minor est species vsuræ in hac emptione, quàm in emptione personalis cẽsus redimibilis, cùm in censu redimibili cogatur emptor ad redimendum, quando venditori placuerit: ergo si redimibilis potest emi minori pretio quàm sit pensionum cumulus, etiam irredimibilis: in quo tamen pretium debet esse maius, cùm maius onus subeat venditor. Secũdò, quia certũ est hominem posse sibi talem obligationem imponere, quæ ad solos hæredes transeat secundùm vires hæreditatis, nec pereat re aliqua pereunte: sed hic est census personalis, & vẽdibilis minori pretio, quàm sit cumulus pensionũ. ergo licita est emptio personalis minori pretio, quã sit sũma pẽsionũ. *Num. 7.*

Digitized by Google

CONFIRMATVR, quia si vir aliquis opulentissimus tale onus sibi suisque posteris in perpetuum imponeret, illúdque publicè venale proponeret, nemo tanti illud æstimaret, quanti omnes pensiones, si præsentes essent, sed longè minoris; atqui pretia rerum & iurium ex communi hominum æstimatione pendét. ergo. Tertiò, quia pretium census realis irredimibilis minus est, quàm sint pensiones speratæ; sæpe autem census reales sunt multo meliores, & securiores, quàm personales: ergo etiam pretium iustum census personalis irredimibilis minus est quã omnes pẽsiones speratæ.

NEQVE obstat quòd pretiũ census personalis irredimibilis maius esse deberet, quàm pretium census realis irredimibilis nudè considerati, eo quòd venditor ibi maius onus sustineat: etsi enim eius bona omnia pereant, non tamen perit obligatio huius census, cùm sit personalis, sed tantùm consopitur, donec melior fortuna obtigerit. Quia si census realis annexum habeat pactum assecurationis, non est minori pretio dignus quàm census personalis perpetuus: atqui pretium eius tunc est minus, quàm omnes pensiones speratæ: ergo etiam pretium census personalis.

DVBIVM IV.

An census temporales ad certum annorum numerum, vt ad 20. vel 30 annos tam reales, quàm personales licitè emantur minori pretio, quàm sit pensionum cumulus?

SVMMARIVM.

1 *Sententia tenens talem emptionem esse absolutè illicitam.*
2 *Sententia docens censum illum temporalem siue realem, siue personalem licitè emi minori pretio, quàm sit pensionum cumulus.*
3 *Sententia affirmans illicitè emi censum personalem temporalem, licitè verò realem temporalem.*
4 *Sententia secunda præfertur, & suadetur.*
5 *Molinæ solutionibus occurritur, & ad argumenta respõdetur.*

PRIMA opinio absolutè ait talem emptionem esse illicitam, nisi incrementum recipiatur ratione periculi, cui census subiaceat, vel ratione damni emergentis, aut alterius iusti tituli in pactum deducti. Ita Gabriel 4. *distinct.* 15. *quæst.* 12. *concluſ.* 3. Sotus 6. *iustitia. quæst.* 5. *art.* 2. *ad* 2. Toletus *lib.* 5. *cap.* 49. Lopez 1. *Instructor. negotiant. cap.* 56. citans Pennam. Garsia 2. *p. de contractib. cap.* 5. Summa Coron. *tit. de vsura in censibus. pag.* 290. ante Bullam Nicolai V. Matienzo *lib.* 5. *nouæ collectio. tit.* 15. *l.* 1. glos. 1. *n* 4. Sarmiento 7. *Select. cap.* 1. *num.* 31. *& sequentib.* Vega *verb. census. casu* 9. Angles *de censibus. art.* 4. *dubio* 1. inter quos Lopez, Corona, Angles malè pro hac sententia citant Ricard. *quæst.* 8. tum quia non indicant quæ sit hæc quæstio 8. tum quia Ricard. potiùs videtur sentire oppositum 4. *dist.* 15. *art.* 5. *quæst.* 5. & expressiùs *quodlib.* 2. *quæst.* 23. *art.* 6. *& art.* 7. *dub.* 3. vbi approbat censum personalem perpetuum. Ergo à fortiori temporalem emptum *Num.* 1.

Digitized by Google

emptum minori summa quàm sit latitudo pensionum. Sed hanc sententiam tenet Pan. *in suis quæstionib. quæst.* 15. *col. penult.* & Rebell. 2. *p. de oblig. lib.* 10. *quæst.* 4. malè citans Ioann. Medin. *quæst.* 12. *de vsuris.* eandē tenet Vega *in summ. & Epitome verb. census. casu* 9.

Num. 2. SECVNDA opinio affirmat, censum illum temporalem, siue realem, siue personalem licitè emi minori pretio, quàm sit pensionum cumulus. Ita Conrr. *de contract. quæst.* 79. *& quæst.* 8. *conclus.* 4. Couar. 3. *Variar. cap.* 7. *n.* 4. Nauar. *in Summa. c.* 17. *num.* 230. *& Com. de vsuris. n.* 71. *& n.* 98. glos. 18. quanuis, vt vidimus dubio superiori, reprobauerit emptionem census personalis perpetui. Nec rectè ait Molin. potiùs debuisse approbare perpetuum, quàm temporalem, nam magis videtur illicitum recipere vltra sortem infinitas pensiones, quàm finitas, ideo Nauarrus finitas concessit licitè recipi posse, de infinitis verò negauit. Hanc verò secundam opinionem tenent Salon *art.* 3. *de censib. controuers.* 23. Antoni. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 8. §. 10. *&* 11. cum Ioann. And. & Laurentio de Rodulphis, pro eadem sententia citatur; cùm tamen expressè teneat oppositam, quando census ipsa emptione constituitur. Hanc verò sententiam tenet Molinæus & Caballinus *de vsuris. quæst.* 62. 63. *& sequentib. & quæst.* 71. Palacios 4. *de contract. lib. cap.* 7. Medin. 2. *Summæ. cap.* 14. §. 26. Emanuel *de censib. fundamento* 2. Bannez *dub.* 3. Val. *disp.* 5. *quæst.* 21. *punct.* 5. Grafis 1. *p. lib.* 2. *cap.* 118. *n.* 20. Felician. 1. *de censib. cap.* 7. *n.* 18. *& lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 22. citans Benedictum Bonium *art.* 14. *de censib.* Rom. *cons.* 302. *n.* 2. expressè D. Thom. *opuscul. de vsuris. p.* 2. *cap.* 1. Læsius *lib.* 2. *de iustitia. cap.* 22. *dub.* 6. *n.* 42. *&* 43. Idem tenet Ioann. Medin. *quæst.* 3. *de censib.* quando census temporalis est ad longum tempus, secus si ad breue. Et rectè pro hac sententia citatur à Nauarro, quidquid dicat Rebellus, Petrus Ledes. 2. *p. Summa. tract.* 6. *cap.* 34. *post* 7. cum Orellana idem tenet.

Num. 3. TERTIA opinio Molin. *disp.* 386. illicitè sic emi censum personalem temporalem, licitè verò realem temporalem. Priorem partem probat primò Mol. quia si sors esset integrè soluenda in fine 30. annorū. v. g. & vlteriùs aliquid esset dandum, esset vsura: ergo idem est si sors sit soluenda per partes in 30. annis, quia ad rationem mutui, & vsuræ nihil refert, quòd solutio simul, vel successiuè per partes fieri debeat, & quia in eo quòd annuæ pensiones solui cōcedantur simul in fine anni, gratia est quæ venditori census fit, non grauamen. Ergo si in hoc casu committit emptor iniustitiam & vsuram, à fortiori in illo.

SECVNDO, si quis id quod ad summum pecunia numerata valet 180. vendat creditò 200. soluendis per partes intra decennium, cōmittit vsuram, vt ex se liquet, nisi contractus ex lucro cessante, aut ex alio simili capite iustificetur. Ergo pari ratione si det pecuniam, vt illam per partes in eodem incremento recipiat, vsuram committit.

TERTIO, si tibi dem 200. aureos, interímque dum illos non soluis accipiam à te pignus reddens quotānis 20. aureos fructuum, qui computandi non sunt in sortem, contractus est vsurarius ex *cap.* 1. *&* 2. *de vsuris.*

Digitized by Google

vsuris. c. cùm contra & c. significasti. de pignoribus. Sed perinde est deducere in pactũ vt pro 200. aureis mihi quotannis vsque ad decennium soluas 20. aureos. ergo cẽsus personalis pro minori pretio quàm sit latitudo pẽsionum vsurarius est.

POSTERIOREM verò partem probat, & declarat hoc modo. Sicut licitus est census realis perpetuus pro minori pretio quàm sit latitudo pensionũ, esto res in qua collocatur certissima sit, ita licitus est ex natura rei cẽsus realis ad certum annorum numerum pro minori pretio quàm sit latitudo pensionum illarum.

PRIMO, quia in censu reali emitur pars iuris in re, seu dominij pleniſſimi rei dependenter ab ipsamet re, quare non emũtur pensiones nisi vt sunt in potentia rei, depẽdentérque ab ipsa; itaque periculum earũ vt sic ad emptorẽ census spectat, eáque ratione minùs valent, vt sunt sic in potentia quàm valeant eo tempore quo percipiuntur: sicut enim integrum rei dominium minùs valet quàm omnes fructus iam collecti, qui deductis expensis ex ea re in perpetuum sperantur, & sicut pars iuris ad percipiendam ex ea re in perpetuũ certam annuam pensionẽ minùs valet, quàm pensiones in se iam perceptæ, quæ tempore emptionis in futurũ sperantur, ita pars minor eius iuris, videlicet percipiendi solùm pensiones ad certum annorum numerum minùs valet, quàm pẽsiones ipsæ, quæ ex ea re, dependentérque ab illa percipi sperantur.

SECVNDO, census realis temporalis plus interdũ valeret, quàm perpetuus eiusdem pensionis, quod est absurdũ; sequela patet: nã si perpetuus in quo vnum soluitur in perpetuum, rectè emitur per 30. de præsẽti, temporalis verò 40. annorum nõ potest emi nisi per 40. plus valet tẽporalis, quàm perpetuus.

NIHILOMINVS secundã opinionem teneo, quam probabilem putãt Garsia, Lopez, & Vega suprà, expresséque tenet Medin. *q. 3. de cens.* quanuis à Mol. pro prima opinione citetur: & quidem quòd attinet ad censum realẽ temporalem consentio Molinæ propter eius rationes; quãtùm verò ad temporalẽ personalem ab eo dissentio cum Læsio *lib. 2. c. 22. dub. 6. n. 43.* Num. 4.

PRIMO, quia centum nummi præsentes pluris æstimantur quàm centum absentes per plura & longa interualla recipiendi.

HAC ratione vtuntur non solùm Conr. Couarr. Valen, Læsius, Lopez, & alij; sed etiam D. Thom. & immeritò reiicitur à Soto, Sal. Ioan. Med. Mol. Sarmiento, Lopez, Bannez, & aliis, eo quòd sic omnis vsura esset licita. Sed falluntur, nam quanuis pecunia post plura, & longa interualla recipienda minùs valeat, quàm de præsenti propter pericula, & incommoda, lucra cessantia, & damna emergẽtia, quæ communiter, & per se loquendo habet adiuncta, vt in censu contingit, tamẽ quando post breue tempus recipienda est, nõ minùs valet, cùm per se loquendo non habet ea incommoda & pericula adiuncta. Vnde nõ poterit ius ad illam iustè minoris emi. Hanc rationẽ de lucro cessante non admittit Sotus, quia generatim tenet ratione lucri cessantis nihil vltra sortẽ exigi posse, quem retulimus, & cum communi reiecimus latè in materia de vsuris.

Digitized by Google

ris. Mol. autem, Rebell. & alij eā reiiciunt, quia ratione lucri cessantis, & damni emergentis nihil vltra sortē exigi potest, nisi probabiliter intelligatur emersurum damnum, & cessaturum lucrum; & nisi deducatur in pactum: quæ duo nō reperiūtur in omni censu temporali personali. Ergo ex illis capitibus non sēper iusta est emptio talis census. Respondeo, quando per se cessat lucrū, vel damnum emergit, vt in cēsu lōgi temporis, licèt per accidens id non contingat, nec probabiliter cōtingere possit in aliquo euentu, licitè exigi aliquid vltra sortem, etiamsi non deducatur in pactum: quia rebus, & iuribus à communiter accidentibus pretia imponuntur à Rep. Principe, & vulgo: ergo cùm vulgus propter dicta damna, pericula, & lucra communiter cessantia minoris æstimet illud ius quàm sit latitudo pensionum, minori pretio emi poterit. Vnde id rectè

Secvndo probat Bannez; nam emptio census certi temporis ita ab omnibus celebratur, vt pretium sit minus, quàm tota collectio pensionū, & stultus iudicaretur qui æquali summa illum emeret. ergo emptio pro minori summa licita est.

Tertio probāt Conr. Bānez, Salon, & alij, quia census perpetuus, etiā personalis, iustè emitur minori summa quàm sit cumulus pensionū: ergo & tēporalis, alioqui interdū tēporalis plus valeret, quàm perpetuus eiusdē pēsionis. Nam si perpetuus iustè emitur pro 30. & tēporalis 34. annorū non potest iustè emi nisi pro 34. plus valet tēporalis, quàm perpetuus. Propter quod argumentū Mol. negat censū personalē perpetuū esse licitū. Sot. autem, qui id concessit, nescio quo pacto possit argumento satisfacere, maximè cùm ferè omnes rationes factæ dubio præcedenti in censu personali perpetuo, maiorem vim habeant in temporali. Et confirmatur: nā si huiusmodi census esset antea cōstitutus, licitè emeretur minori pretio quàm sit cumulus pēsionum, vt cū aliis fatetur Antoni. *illo* §. 11. ergo & in prima sui constitutione.

Qvarto probat Bannez, quia multa pecunia simul vtilior est, & aptior ad quamlibet negotiationem quàm si sigillatim, & per partes possideatur; ideo plus valent 10. de præsenti quàm 10. recipiēda per 10. annos. Ergo qui dat 10. de præsenti, plus potest exigere quàm 10. sigillatim sibi dāda per 10. annos. & eodem pertinet ratio Bartholomæi Medinæ, & Emanuelis, quam probabilem putant Garsia, Lopez, & Vega, quia obligatio non exigendi 8. nisi per 8. annos est alicuius valoris: ergo pro ea aliquid exigi poterat vltra sortē. v.g. vnum. Vnde secundū istos tēpus 8. annorum longum est, & sufficiens ad emptionem census temporalis pro minori summa, quàm sit cumulus pensionū. Imò D. Thom. & Nauarr. tēpus 6. annorum ad hoc sufficiens arbitrari videntur, & Bannez, licèt malè referat Cōradū de quinquennio loquentem. Ego sanè quātùm ad rem præsentem attinet, non arbitrarer tēpus sufficiens nisi 10. annorum, in quo multi exemplum ponunt, vel saltē 8. aut 7. Nec certū existimo quod ait Bart. Med. 3. si pēsionū cumulus duplo pretiū excedat pretiū esse min' iusto: sed ex circūstātiis tēporis & loci pēsāda est iustitia

Digitized by Google

pretij. Nam generaliter & bene Sa *verb. census. n. 6.* ait pretium iustũ census esse, quo publicè vendi solet.

Sed iam quintò probatur nostra sententia, quia licitè emitur vsusfructus fundi, vel reditus ad certum tẽpus pro minori pretio quàm sit cumulus pensionum, vt colligitur ex *l. 4. & §. ff. de vsufructu. l. & pus. §. & puto. ff. familiæ erciscundæ glos. l. omnibus. ff. de seruitutib.* ergo & census ad certum numerum annorum.

Confirmatvr: sicut pensiones census realis pendent à re in qua est census collocatus, & ideo ius ad illas iustè emitur minori sũma, quàm valeat earum collectio; ita pensiones census personalis pendẽt à persona in qua collocatur, & ab eius bonis quæ facilè perire possunt. ergo sicut ea ratione census realis secundùm Mol. poterit emi minori pretio, quàm sit cumulus pensionũ, ita census personalis.

Num 5. Hvic argumento triplicem solutionem assignat Mol. sed nulla satisfacit: potissima est, non ex eo solùm cẽsum realem iustè emi minori pretio, quàm sit latitudo pensionũ, quia pendet à re quæ perire posset, sed quia minùs valẽt fructus in potẽtia, & iure illo, quàm in actu & re ipsa.

Qvæ tamẽ solutio nulla est, quia ideo minùs valent in potẽtia, quàm in re & actu, quoniam dum nõ sunt actu, subiacent per se loquẽdo multis periculis, & eorum carentia annexas habet incommoditates. Idem autem inuenitur in censu personali, maximè si constituatur in fructibus rei hypothecatæ, sine vlla tamẽ obligatione amittendi censum ea perditẽ, in quo euẽtu, licèt census sit fructuarius, erit personarius) ergo etiã census personalis est licitus. Quod si concedatur in fructuario, pari ratione concedendum erit in pecuniario.

Sexto probant aliqui, quia Mart. V. & Calixtus III. approbarũt census redimibiles, vt erant in vsu in aliquibus prouinciis: sed ibi erant in vsu temporales ad certum annorum numerum pro pretio minori, quàm sit latitudo pensionum: ergo.

Ad primum argumentum Molinæ respondetur, idem fieri posse in cẽsu reali temporali, & sicut in reali non valet secundùm Mol. ita neque in personali valere. Vnde illud soluit Bannez negando consequentiã: quia pecunia simul plus valet, quàm diuisa per longa tẽpora, secus per breuia; vnde non fit gratia creditori quòd sic diuisa reddatur, quin potiùs magis in eo grauatur, quàm si post multos annos tota simul reddenda esset. Ego verò probabilius puto pecuniam reddendam simul post longa tempora minùs valere, quàm præsentem, quia sic communiter æstimatur, neque immeritò, cùm præsẽs per se loquendo plures habeat commoditates, quàm futura post longa tempora, præsertim cum sit verisimile non venturam ad manus emẽtis censum, aut proximorũ eius successorum, sed remotorum.

DVBIVM V.

An emptio cẽsus vitalitij seu in incertum annorũ numerũ licita sit?

SVMMARIVM.

1 *Sententia tenens talem emptionem, & recuperationem pensionum, quarum*

cumu-

cumulus capitale excedit, illicitam & vsurariam esse.

2 *Sententia affirmans hunc contractum licitum esse, si seruetur iustitia pretij, præfertur.*

3 *Ad contraria argumenta respondetur.*

Num. 1. HENRICVS *quodlib. 1. quæst. 39. & quodl. 2. q. 15.* tenet talem emptionem, & recuperationem pensionum, quarum cumulus capitale excedit, illicitam, & vsurariam esse; quia in tali contractu propter mutuum aliquid vltra sortem recipitur. Pro eadem sententia communiter citantur Raimund. & Gofred. *in Summ. de vsuris.* eandem tenet Antonin. 2. *p. tit. 1. c. 8. §. 11. & 12.* quando census ipsa emptione constituitur. Vnde malè à multis, inter quos est Coua. Salon, Felicianus, & Vinsfeldius, in contrariũ citatur; dubius etiam videtur manere Sarmiento 7. *Select. c. 1. n. 29. in princip.*

SED certum est, hunc contractũ, si seruetur iustitia pretij (vt seruari potest, etiamsi contingat cumulum pẽsionum sortem excedere) licitũ esse. Ita D. Thom. *opusc. 73. de vsuris. p. 1. c. 9.* Ricard. *quodlib. 2. q. 23.* Conrad. *de contract. q. 81.* Ioan. Med. *q. pen. de cens. fol. 161.* seu *de vsuris. q. 14.* Sot. *6. iust. q. 5. art. 2. ad finem.* Couarr. 3 *Variar. c. 7. n. 3. & 4.* Læsius 2. *de iust. c. 22. dub. 6.* Salon *art. 5. de censib. controu. 1.* Medin. 1. *Sum. c. 14. §. 26.* Valen. 2. 2. *disp. 5. q. 22. pun. 4.* Lopez 1. *Instr. negoti. c. 55.* Bannez *de censib. dub. 1.* Palac. 4. *de cõtractib. c. 8.* Didacus Perez *in promio. tit. 2. lib. 8. ordinament. pag. 30. col. 2. versic. 4. sit con.* Albornoz 3. *de contractib. tit. Iuro o censo depor vida.* Matienz. *lib. 1. tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis.* glos. 1. *n. 4.* Benedictus Bonius *art. 1. p.* Emanuel Rodriguez *de censib. fund. 2. Sa verb. census.* addens non fuisse prohibitum à Pio V. Vega *in Epitom. verb. census. casu 9. & 10. & in Summa. p. 1. colu. 412. & seq.* Vide etiam *casu 14.* Vinsfeld. *de vsuris super. c. in ciuitate. q. 11.* Henricus de Assia 2. *p. de contr.* Laurentius *c. consuluit. de vsuris. 2. p. q. 15.* Bald. Cynus, Salicet. & alij. *l. si ea pactione. de vsur.* Ancharran. *consil. 30.* Gab. 4. *dist. 15. q. 12. art. 2. concluſ. 3. & art. 3. dub. 2.* Maior *q. 44. & 34. con. 2.* Felician. 1. *de censib. c. 7. n. 19.* Nauarr. *Comm. de vsur. n. 17.* (dicẽs, malè aliquos oppositum tribuisse Decio *cons. 123.* Panor. *in suis quæstion. q. 5. n. 9.* seu *penult. & c. in ciuitate. de vsuris.* vbi Innoc. Anton. de Butr. & Aug. Bero. *n. 9.* Archidiacon. & Turrecremata *c. quicumque. 14. q. 4.* Garsia 2. *p. de contr. cap. 5.* Philiar. *lib. 5. cap. 18.* Tolet. *lib. 5 cap. 44. & 49.* Molina *disp. 388.* Grasis 1. *p. lib. 2. cap. 118. n. 17.* Corona *tit. de vsura circa census. n. 7. q. 2.* Angel. *vsura. 1. n. 44.* Sylvest. *vsura. 2. q. 12. dicto 5.* Bald. *cons. 18. & 416. lib. 1. & cons. 154. lib. 2. & cons. 133. lib. 3. & cons. 292. lib. 5.* Romanus *cons. 302.* Host. *in Summ. tit. de vsuris. §. in aliis autem. vers. quid de his qui emunt.* Ioan. de Ligniano. *clem. vnica. de vsuris.* Mollinæus, & Caballinus *q. 72. de vsuris.* Oldrad. *cons. 207.* Iason *l. cunctos. C. de Summ. trinit. n. 63. 64. & 65.* & alij communiter.

PROBATVR primò: nam census vitalitius per legatum, aut donationem antea constitutus, licitè emi potest: ergo etiam quando constituitur, præsertim cùm in eo contractu tam emens quàm vendẽs periculo amittendi se exponant, sicut & probabilitati lucrandi, propter incertitudinem durationis vitæ, qua finita nihil de capitali restituẽ-

Digitized by Google

dum ; sed integrum illud amittit emens : cõtractus verò cum pari certitudine lucri, & damni censentur iusti. *l. si ea. lege. C. de transact. l. de fideicommisso. C. de transactio.* notatúrque à Doctoribus *l. si pater puellæ. ff. de inofficioso testam.* Ad idem possunt accommodari *l. si ea pactione. C. de vsuris. & l. si iactum. ff. de actio. empti. l. soleo. C. de vsur.*

SECVNDO, quia licitus est contractus precariarum, quo Ecclesia possessionem aliquam alicui concedit quantùm ad vsumfructum pro vita illius pro aliqua alia possessione, quam post mortem etiam Ecclesiæ reddat. 10. *quæst. 2. c. 2. §. si œconomus; & cap. precariæ, eadem causa, & quæst. & auth. de non alienand. §. si quis autem.* & aliis iuribus citatis à Mol. *disp.* 298. Eiusmodi autem contractus nihil aliud est quàm concessio vitalitij pro aliquo pretio, ergo, &c.

OBSERVAT tamen Molin. *disp.* 388. in his precariis, quia prædium pro censu vitalitio ex deuotione datur, plus valere solere.

TERTIO probatur, quia *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* habetur Prælatum, exigente id necessitate, vel vtilitate Monasterij, posse pro pecunia concedere alicui possessionem aliquam, vel annuum reditum ad vitam illius seruatis quibusdam solemnitatibus : id autem est concedere vitalitium pro pecunia. Ergo census vitalitius pro pecunia constitutus super reali, licitus est; idémque de constituto super persona fatetur Molin. si æquale sit vtrumque periculum, æqualísque spes plus minúsue. Sed malè ait, regulariter vitalitium personalem esse vsurarium, & prohibitum fuisse in Bulla Pij V. clausula 1. quod repetit *disp.* 389. Sed reiicitur, quia Pius V. de vitalitiis nõ egit, sed de perpetuis redimibilibus, vt in sequẽtibus dicemus : & iure naturæ tam licitus est cẽsus vitalitius personalis, quàm realis. Malè etiam Couarr. ẽ. ait; *Decius cons. 123. probare nititur emptionem annui reditus ad vitam ementis constituti, & pecuniam soluendi esse licitam, & præsumi vsurariam ex coniecturis, vtitúrque plurimorum auctoritate, quibus ipse consentio, modò non quibuslibet coniecturis, nec omnibus & singulis quæ per Dec. referuntur, locus sit ad vsuræ, & fraudis præsumptionem inducendam, sed Iudicis rectissimi, ac prudentissimi arbitrio ea res omnino delegetur.* Hæc Couar. quibus omissis

QVARTO sententiam hanc probat Salon, & alij, quia hîc non est mutuum, cùm nulla sit obligatio reddendi sortem. ergo nulla vsura.

SED facilè responderi posset, esse obligationem reddendi sortem successiuè sub conditione vitæ alicuius, idque satis esse ad mutuum, quod quanuis concedatur, nego interuenire vsuram, quia nihil pro mutuo recipitur vltra sortem, sed pro periculo capitalis & pensionum, aliísque incommodis per se annexis tali mutuo.

QVINTO, quia licita est emptio, & venditio vsusfructus ad vitam vsufructuarij. *l. necessariò. §. cùm vsumfructum. ff. de periculo. & commodo rei venditæ.* docétque latè Iason *l. cùm dubitatur. n. 106. C. de iure emphyt.* Couar. *3. Variarum. cap. 8. n. 7.* ergo etiam est licitum emere annuum reditum, etiam pecuniariũ pro vita alicuius.

SEXTO probat Læsius, quia quòd pensiones simul iunctæ superẽt sortem,

Digitized by Google

tem, est fortuitum: sicut enim possunt superare, ita & superari. Nec obstat quòd interdum certius est superaturas, quia non emuntur pensiones, sed ius ad illas exigendas, quod minùs longè valet, quàm pensiones præsentes, tum ob commoditatem pecuniæ præsentis, tum quia multis modis tanto tempore fieri potest, vt nihil ex eo possit percipi. Septimò, quia nemo emeret censum nisi speraret maiorem pretio fore cumulum pensionum: ergo communi æstimatione emi potest minori pretio, quàm sit cumulus pensionum. Vnde falsum est quod ait Rebellus 2. *p. de obliga. iustitiæ. lib.* 10. *quæst.* 4. hunc contractum ex natura rei esse illicitum, nisi sit æqua spes, æquúmque periculum vtriusque contrahentis, & ne tunc quidem esse verum contractum census, sed aleæ, sortis, & fortunæ, & prohibitum esse per Bullas Martini V. & Calixti III. maximè verò Pij V. Nam hi de censibus vitalitiis non disserũt. Vnde ipsemet *quæst. vltima. diffic.* 5. fatetur hos census licitos esse, etiam vbi Bulla Pij V. recepta est.

Num. 3. ARGVMENTA aduersariorum leuissima sunt, & facilè diluuntur à Conr. Felician. Molin. & aliis.

SOLVM est difficultas de iusto pretio vitalitij tam redimibilis, quàm irredimibilis, de quo Vinsfel. Salon, & ferè omnes s. sed nos j. Nunc solùm nota, malè Panor. *illo n. penult.* dixisse emptionem census vitalitij Clericis esse prohibitã; de quo alibi.

DVBIVM VI.

An conditiones positæ à Martino V. & Calixto III. extrauag. 1. *&* 2. *inter communes de empt. & vend. à Pio V. extrauag. de censibus, relatæ à Nauarr. cap.* 17. *n.* 234. *à Salone art.* 3. *de censib. controu.* 3. *Molin. & aliis, ad iustitiam census requirantur?*

SVMMARIVM.

1 *Quædam conditiones ad hunc contractum ab auctoribus assignatæ referuntur.*

2 *An Bulla Pij V. obliget in Hispania & omnibus Christiani orbis partibus? Sententia Molinæ proponitur, & suadetur, & doctrina sequenda assertione quadam explicatur n.* 3. 4. 5.

MIRANDA *in Summ. Conciliorũ*, post Florentin. priùs compendio relatis extrauag. Mart. V. & Calixti III. subiicit conditiones, sine quibus censet nulla ratione tolerandos hos contractus, affirmátque quarundam earum omissionem reddere contractus ex natura rei vsurarios. Easdem conditiones ponit Nauarr. *Comm. de vsuris à n.* 72. colligunt autem conditiones illas ex extrauag. Martini V. & Calixti III. Num. 1.

PRIMA, quòd census collocetur in aliqua, vel aliquibus rebus determinatis, quæ solæ census solutioni maneant obligatæ, & non persona nisi ratione rei, neque alia bona personæ. Secũda, quòd census iusto commẽsuratóque pretio ematur. Tertia, quòd pretiũ integrè soluatur tẽpore quo contractus celebratur. Quarta, quòd vẽditori cẽsus facultas in cõtractu cõcedatur censũ in totum, aut in partẽ quãdocũq; voluerit, pro eodem

pretio redimẽdi. Quinta, quòd venditor non obligetur ad censum aliquando redimendum, sed liber semper maneat ab obligatione illum redimendi. Sexta, quòd pereunte re in qua census est collocatus, census pereat omnino emptori, ita vt venditor deinceps nec soluere censum teneatur, nec reddere pretium. Septima, quòd res in qua census collocatur, tantùm vt minimum reddat, quantus est census soluendus: parum autem refert (inquit Mol. *disp.* 389. & Salon *illa controuers.* 3.) quòd Miranda has conditiones redegerit ad sex, & Nauarrus in octo diuiserit, sicut Pizarro in statut Guadalup. vbi omnes conditiones necessarias putat: inter quas sexta non deducitur ex illis extrauag. non enim habetur, quòd pereunte re, in qua census est collocatus nulla maneat obligatio soluendi pensiones, sed quòd nulla maneat obligatio reddendi pretium, vt contra Molin. Nauar. & alios aduertimus dubio 3. cum Soto & aliis. Addit verò Molina, has conditiones præter vltimam contineri quidem in extrauag. illis, ita vt probentur censuales contractus, qui eas habuerint, de quibus contractibus consulti tunc fuêre Pontifices, non tamen reprobentur, qui eis caruerint, quò fit, vt ex illis extrauag. minimè colligatur censuales contractus, qui eis caruerint, illicitos esse, vt fatetur Nauarr. *Com. de vsuris. n.* 78. Salon *illa controuers.* 3. *& contro.* 6. 7. & 8. Sotus 6. *iust. quæst.* 5. *art.* 1. Arag. *quæst.* 78. ferè in vltimis verbis. Læsius *lib.* 2. *de iust. cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 75. licèt de hoc fuerint contrariæ opiniones inter Doctores, vt refert Bannez *de censib. dub. vlt.* imò Nauar. vt ipse refert *num.* 74. & 75. licèt in duabus editionibus Manualis senserit cõditiones positas à Martino, & Calixto, non esse necessarias; ibi tamen *num.* 75. *& sequentibus* sigillatim docet omnes esse necessarias, tum quia id insinuant illi Pontifices solùm approbando census, qui illas habent, tum ob rationes peculiares sũptas ex natura rei.

QVARE examinandum restat, an ex natura rei, aut ex motu proprio Pij V. de censibus omissio illarum, vel aliarum conditionum contractum reddat illicitum? quod multa continet dubia in sequentibus tractanda. Nunc verò solùm est generatim examinandum, an in nostro Regno & in aliis Christianorum terris constitutio Pij V. recepta sit, & omnino seruanda? Et quidem Molin. *disp.* 392. *clausula* 12. & alibi interdum insinuat alicubi receptam non esse: ait enim, *vbi hæc Bulla recepta est*, non tamen explicat vbi recepta, aut non recepta sit. Eodem modo loquitur Sa *verb. census.* §. 11. Bannez autem *de censib. dub. pen. in fin.* ait, Bullam Pij V. in hoc Regno, & aliis seruandam esse, quia Resp. ciuilis Christiana subdita est Ecclesiasticæ in omnibus quæ pertinent ad salutem animarum; sed ad salutem animarum pertinet, vt ait Pontifex, per hanc Bullam multis malis occurri: ergo obligat in foro conscientiæ. Neque valet (inquit) dicere quòd istæ sanctiones, vel conditiones non sunt acceptatæ, quia reuerà in tribunalibus Regiis admittuntur, & viri timoratæ conscientiæ ita seruant. Neque aliquando fuit supplicatum abhuiusmodi cõstitutionibus apud ipsum Pontificem. Idem ait Corrad. *in Sum-*

An Bulla Pij V. obliget in Hispania & omnibus Christiani orbis partibus.

Sum. quæst. 239. *in fine.* Medin. etiam 1. *Sum. cap.* 14. §. 26. *in fin.* hanc Bullam absolutè obligare docet: quod etiam videntur tenere Garsia 2. *p. de contract. cap.* 4. Lopez 1. *Instruct. negotiant. cap.* 55. & 56. sed maximè 57. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 46. & 48. Vega *verb. census. casu* 2. Antoni. Gomez iunior *tract. de censibus, cap.* 3. & alij.

SENTENTIA hæc suadetur primò, quia lex Pontificia circa ea in quibus versatur animæ periculum, etiamsi non contineat legem naturalem aut diuinam, seruanda est in vtroque foro ab omnibus Christi fidelibus, & vbique gentium. *cap. vlt. de præscrip. cap. cùm sit generale. de for. comp. cap. nouit. de iudiciis. cap. cùm contingat. de iureiurand. cap. licet mulieres. eod. tit. in* 6. *cap. quanuis pactum. de pactis in* 6. *cap.* 1. & 2. *de secund. nup. cap. iuxtà. qui filij sint legit.* & aliis iuribus. Denique glossa celebris *cap. possessor. de regul. iur. in* 6. quam receptam dicit Nauarr. *Cons. de vsuris. num.* 106. Sed hæc constitutio lata est circa ea, in quibus vertitur maximum animæ periculum, nempe ad tollendas varias fraudes vsurarias, quæ sub titulo censuum sæpe exercentur: ergo obligat totius orbis fideles.

SECVNDO, quia condere leges declarantes quid sit iustum, vel iniustum, pertinet ad potestatem collatam Petro, & eius successoribus, Matth. 16. 18. Lucæ 22. Ioan. 21. *cap. in nouo. distinct.* 21. *cap. ita Dominus. dist.* 19. *cap. omnes. dist.* 22. *extrauag. vnam sanctam. de maiorit. & obed. cap. solita. eodem tit. cap. cùm aduenient. cap. quodcumque.* 14. *q.* 1. *cap. ad Apostolicæ. de re iudic. in* 6. *cap. nouit. de iudic. cap. per venerabilem. qui filij sint legit.* Vide Nauar. *d. cap. nouit. notab.* 6. *in princip. n.* 11. Sed in hac extrauag. hoc præstat Pontifex circa census: ergo erit ab omnibus fidelibus seruanda.

CONFIRMATVR, quia explicare qui contractus sint vsurarij, pertinet ad Summum Pontificem, vnde in hac materia id fecerunt Nicolaus I. Mart. V. & Calixtus III. à fidelibus consulti. Ergo idem potuit efficere Pius V. & eius constitutioni standum est, & fauet cap. Deut. 17. vbi præcipitur sub pœna mortis decretis Sacerdotis stãdũ esse; & Matth. 23. *super cathedram Moysis, &c. quæcumque dixerint vobis facite.* & Greg. *cap. præceptis. dist.* 12. *Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quæ à Sancta Romana. Eccles. & Apostolica auctoritate visa sunt salutifera impleantur, si eiusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput nostrum, communionem habere desideratis.* Vide etiam *cap. inquisitionis.* §. *vlt. cap. vlt. & penult. de hæreticis. in* 6. *c. vlt. & penul. de secund. nuptiis.* vbi dicitur, legem Pontificiam circa spiritualia seruandam esse, & Host. *cap. de treuga & pace.* ait: *Superioris lex præceptiua non desinit obligare, eo quòd non recipiatur à subditis.* & Bart. *l. omnes populi. ff. de iust. & iure. n.* 53. cui omnes ferè Iurisperiti subscribunt, docet appellationem non impedire, neque suspendere vim, & effectum statuti respicientis totam communitatem. Ergo quanuis in hoc Regno Bulla hæc non esset recepta, & ab ea esset supplicatum, adhuc obligaret. Pro qua sententia multa alia adducit Felician. 1. *de cens. cap.* 9. *n.* 1. qui tamen *n.* 2. absolutè docet hanc Bullam in hoc Regno non obligare, nisi quatenus conuenit cum iure naturali & diuino, quod etiam docet Azeuedo super Bernar. Diaz *in Pract.*

Digitized by Google

Tract. criminali. cap. 88. Emanuel *tract. de cenſib.* §. *pueſtos eſtos fundamentos.* Salon *art.* 3. *de cenſ. controu.* 4. *& contro.* 5. *con.* 3. & alibi ſæpe. Gaſpar Rodericus *lib.* 1. *de annuis reditibus. q.* 4. *n.* 28. *& q.* 3. *n.* 3. Gutierr. *in Practicis. lib.* 2. *q.* 177. *in fine.* Laſſarte *tract. de decim. venditio. cap.* 10. *n.* 2. *& n.* 20. *in fine.* Anton. Gomez dicens rem eſſe manifeſtam *tract. de cẽſib. cond.* 4. *n.* 18. Quia in Comitiis Matriti habitis an. 1583. vel vt alij referunt, 1585. vel 1587. *c.* 2. *fol.* 28. petitio in hunc modum Regi facta eſt.

E L Papa Pio V. *de felice recordacion en el año paſſado de* 1559. aliàs 1569. num vt cõſtat ex motu proprio quẽ multi referunt editus eſt an. 1567. 14. Kalend. Februarij *hizo publicar vn motu proprió que trata de que los cenſos ſe impongan y ita en dineros de preſente ante el eſcriuano y teſtigos de la eſcritura, en el qual aſſimiſmo ſe contiene otras muchas coſas tocantes ala materia de cenſos y ſobre la guarda y obſeruãcia del motu proprio ha hauido y ay muchos pleitos y diferencias en eſtos Reynos y ſententias contrarias vnas de otras, porque algunos Iuezes le mandan guardar, y otros dizén que no ha ſido Receuido de eſtos Reynos; y que eſta ſuplicado de el, y eſcuſar ſeyan muchos pleitos, inconuenientes, y daños ſi ſe declaraſſe y entendieſſe lo que en eſto ſe hade tener y guardar. Supplicamos a V. M. ſea ſeruido de declarar ſi ſe ha de guardar en eſtos Reynos el dicho motu proprio, y ſi eſta ſuplicado de el, y en caſo que ſe aya de guardar deſde que tiempo ha de ſer para que ceſſen y ſe acauen los dichos pleitos y diferencias.* Reſpondit autem his verbis Rex. *A eſto vos reſpondemos, que el motu proprio que de zis, no eſta receuido, antes ſe ha ſuplicado de el por el fiſcal de nueſtro conſejo a donde ſe ha hecho inſticia en los caſos que ſe han offrecido y ſe hara en lo de adelante, y con ſu ſanctidad la inſtancia que parecera neceſſaria.*

NEC mirum eſt ab eo motu proprio ſupplicatum fuiſſe, nam in *c. ſi quando. de Reſcript.* dicitur, quando mandata, aut literæ Apoſtolicæ ad aliquorum Prælatorum, vel Principum manus peruenerint, integrum eſſe, ſi aliqua incommoda iudicẽtur continere, Pontifici indicare, vt ſua reuocatione, & moderatione prouidere dignetur; ſi autem taceat, cẽſetur reuocare, quia petitioni annuere, ſeu cõſentire videtur. Et quidem legem vim non habere niſi ſit ſufficienter promulgata, & à populo acceptata, vſúque recepta, vel ſaltẽ ſi in deſuetudinem abierit, docent gloſ. Innoc. Ioann. Andr. Gofred. Calderin. Butrius, Cardinal. Panorm. & alij multi *c.* 1. *de treuga & pace.* Prepoſ. *c. quia Eccleſia. de conſang. & affinit.* (vbi textus ipſe id cõfirmat) Anchar. *conſ.* 278. Imol. *c.* 1. *& c. vt quiſque. de vita & honeſtat. Clericorum. & cap. cùm olim. notab. 2. de Cleric. coniugat.* Anani. *c.* 1. *de torneamentis.* Alex. *conſ.* 6. *n.* 2. *vol.* 1. Bald. *l. rem non nouam. in fine. C. de iudiciis.* vbi Iaſ. *n.* 5. Bart. *l.* 1. §. *ſed cùm antiquitas. C. de curator. furioſ.* Sylueſt. *verb. lex.* §. 9. Archid. Geminian. & vterque Cardinalis *c. in iſtis.* §. *leges. d.* 4. Paul. de Lalazar, Matthæus, & Cardinalis *in proœmio inſtitutionum.* Lucas de Penna *l. euidenter. n.* 2. *& 3. C. de excuſat. munerum. lib.* 10. *& in l. priſco. n.* 1. *C. de palatinis ſacrarũ largitionibus.* Montaluus *l.* 10. *tit.* 11. *p.* 3. gloſ. magna *ad finem.* Oroſcius *l. de quibus. n.* 58. *ff. de legib.* Guillermus Benedictus *c. Raynutius. de teſtam. verſ. vxorem nomine ad Eccleſiam. n.* 235. Segura *direct. Iudicum Eccleſ. p.* 2. *n.* 27. Gutierrez *c.* 18. *n.* 9.

Num. 3.

PRO

PROBATVR ex *c.in istis.§.leges.dist.* 4.vbi dicitur: *leges si instituuntur, cùm promulgantur, confirmantur, cùm moribus vtentium approbantur.* Et sermonē esse de lege Ecclesiastica patet ex *vers. vnde illud.* vbi refertur decretū quod. dam Thelesphori Papæ, quod quia non fuit moribus vtentium approbatum, nō obligat. Eadémque ratione idem colligitur ex *c.denique & vltimò. ead. dist. & ex c. de Syracusana. §. Ecclesia.28. dist. & c.de libellis.* iuncta glos. vlt. *20.dist.c.in synodo.63.dist.d.cap. cùm olim.de clericis coniugatis.* De lege autem ciuili idem probat tex. *l.2. in princip. Cod. de constituend. pecunia. Auth.de hered.& falcid.c.1.l.de quibus. ff.de legib.l.1.§. sed etsi. C. de veteri iure enucleand.l. 1. in princip. C. de caduc.tollend.§.sed & actione. Inst. de obligationib.quæ ex delicto. & Instit.de testament. in princip.* & in vtrisque legibus verum habet, leges per contrariā consuetudinem abrogari. *cap. fin.de consuetud.* saltem legislatore sciente & consentiente, & à fortiori verum est legem non obligare, si à principio non recipiatur, vt in proposito accidit, de quo multa alia Felician. *n.2.& sequentib.* Et confirmatur: nam Bulla hæc recepta non fuit in Regno Neapolis citra & vltra Farum, ideóque ibi non est seruanda, vt ait Corona dū agit de censibus *n.15.* ergo eadem ratione, neque etiam in hoc nostro Regno.

Num.4. PRO maiori autem explicatione nota, vbi Bulla hæc recepta est, seruandam non esse quoad ea quæ non pertinent ad ius naturale, seu diuinum, neque sunt necessaria, aut valdè vtilia ad animarū salutē, nisi Principes seculares aliud velint, aut terræ sint tēporaliter subiectæ Romano Pontifici. Ita docent Nauarr. *Com. de vsuris.à n.105. vsque ad 108.* Salon *illa controuers.4.& 5.* Mol. *disp. 392. clausula 12.* Philiar. *2.p.Sum.lib.5.c.17.* Exempla ponit Nauar. Philiarc. & Salon in prælatione quæ datur emptori census, quantùm ad emptionē rei censui subiectæ, & in denunciatione quam redditurus censum debet facere ante bimestre, & in obligatione, qua denuncians teneatur, velit, nolit, redimere cēsum primo anno post denunciationem. Molina verò exempla ponit in aliis, scilicet quòd census creari non possit, nisi in pecunia numerata coram tabellione, & testibus: & in eo quòd creari nō possit ex permutatione rei, vt mancipij, prædij, equi, aut alterius rei pro censu.

ASSERTIO ergo probatur, quia Summ. Pontif. non habet potestatē circa temporalia nisi quoad necessaria sunt, aut valdè vtilia ad spiritualia. Ergo non potest obligare ad seruandum conditiones aliquas in censibus, quæ non sunt necessariæ, neque valdè vtiles ad salutem animarum: quod fortè voluit glos. *c. 2. de arbitris.* & alibi, asserens leges canonicas in foro canonico, & ciuiles in ciuili obseruari debere. & glos. *Clem. dispendiosa.de iudiciis. verb. vsura.* ait illi Clementinæ, quæ inducit formā in repetendis vsuris non esse locum in foro seculari, & placet Nauarro *Com. de vsur. n.106.* quia ille modus procedendi non est necessarius, vel valdè vtilis ad salutem animarum; ideo Principes seculares non tenētur illum seruare.

CONFIRMATVR, quia, vt constat *capite nouit. de iudiciis.* summi Pontifices non intendunt in suis

Digitized by Google

constitutionib. perturbare iurisdictionem rerum circa gubernationē ciuilē, & temporalem suorum subditorum. Vnde glos. *c.2.de arbitris. in 6.& c.cùm contingat. de iureiuran.* docet, leges Summi Pontificis quæ nō continent, neque declarant ius naturalē, aut diuinum circa temporalia, non esse necessariò seruandas in foro seculari.

DIXI autem quoad ea quæ non pertinent ad ius naturale, aut diuinum, nam ad ea quæ sunt de iure naturali, aut diuino omnes vbique & semper tenentur secluso omni præcepto humano, vt Panorm. *c. fina. de præscription.* Felin. *c. fina.de constitutionib.*& omnes docent ex *c. quod iure. dist.8.* vbi dicitur; *quod iure naturali, aut diuino institutum est, vbique & ab omnibus obseruandum est.* Non dixi autem quatenus declarat ius naturale, aut diuinum, quia Bulla hæc non est declaratoria, vt malè interdum loquuntur Nauarr. Salon, & alij: sed merè præceptoria, & irritatoria. Si autem esset declaratoria iuris naturæ, vel diuini, non dubium quin eatenus seruanda esset semper & vbique, etiam quoad contractus ante illam factos; idémque esset si esset declaratoria iuris humani antiquioris: nam omnis constitutio declaratoria iuris antiqui extendit se ad præterita. *cap.ex antiquis.distinct.54.*

Num.5. ILLVD verò minimè placet quod ait Nauar. etiā vbi hæc Bulla recepta est, non obligare in his quæ sunt tātùm iuris humani, etiamsi ad salutē animarum valdè vtilia sint: vel vt ipse loquitur, etiāsi quæ fiunt cōtra Bullam, habeant præsumptionē vsuræ, sic coram Deo quis non est vsurarius, quia lex (inquit) fūdata super præsumptionem neminē obligat in foro cōscientiæ seu Dei, si contrariū eius quod præsumitur est corā Deo: verū iuxta *c.tua.& c.15.qui de sponsalib.& c.humanæ aures. 22. q. 5.* cum eis annotatis, quanuis Iudices debeant hos punire ac si essent vsurarij. Idem insinuat Philiarc. ꝯ. & expressè tenet Val. *disp.5. q. 22. puncto 2.in fin.* id probans ex verbis illis Pij V. *omnes alios contractus posthac sub alia forma celebrandos fœneratitios.* Videamus quod solùm intelligi potest secūdùm præsumptionē: nam iure naturæ liciti sunt sub alia forma.

SECVNDO, quia ad propositū Pontificis quod erat arcere homines ab alia forma emendi census, satis erat obligare in foro externo: communiter enim nolunt homines contrahere, ita vt non possint recursum habere ad forum externum.

TERTIO, quia similiter non nisi ex præsumptione procedit alia Bulla Pij V. edita eodem ferè tenore, quę vetat in cambiis pacta de lucro cessante, vt rectè notat Nauarr. *c. 17. n. 301.* aliàs *283. litt. m.* Sed hæc nō vrgent, vt contra omnes ferè dicamus hanc Bullam solùm obligare in foro externo quantùm ad ea, quæ non sunt iuris naturalis, aut diuini: est enim mens Pontificis constituere ea, quæ quanuis non sint de iure naturali, vel diuino; necessaria, vel valdè vtilia videbantur, vt sub prætextu censuū non exercerētur vsurę, quod non est fundari in præsumptione, nec præcipere tantùm vt propter vsuræ præsumptionem puniantur à Iudicibus qui tales conditiones non seruant; coram Deo verò sint liberi, si veritas præsumptioni est contraria: sed est præcipere media necessaria,

Digitized by Google

ria, vel valdè vtilia ad salutem animarum. ergo etiam quando cõditiones præceptæ reuerà non sint de iure naturali, aut diuino, seruandæ sũt in foro conscientiæ, maximè quòd ad obuiandũ peccatis aliud non sufficeret, quia venditores censuũ possunt iudicare se teneri in foro externo ad solutionẽ cẽsus, illúmque soluerent etiam quando reuerà est vsurarius, & sic emptor tempore lucri exerceret vsuras sub colore census, quod vt non faciat, irritat Summus Pontifex contractus in quibus non seruatur èa forma quæ illi seruanda visa est, vt caueãtur vsuræ. De Bulla autem cambiorũ suo loco dicemus. Ex superioribus patet falsum esse quod dixit Bannez 2. & Ioan. Baptista Conrrad. *q. 239. in fin.* in hoc Regno supplicatum non esse à Bulla Pij V. rectéque Palac. *4. de contract. c. 6.* dixisse apud nostrates hanc Bullam nõ seruari, nec practicari, neque esse vsu receptam. Incertum autem est quod ait Sa *verb. cẽsus. n. 3. Quædam in dicta Bulla prohibentur ob præsumptionẽ fraudis, quæ si absit, licent. Itaque potest pretium non statim solui, potest & priùs solui, & fieri pactum, ne redimatur ille census.* &c. Vide alia de hac re *dub. 8 difficul. 2. & dub. 32.*

DVBIVM VII.

In quibus rebus census collocari possit, & an seruanda sit necessariò prima clausula Bullæ Pij V. quæ sic habet? Nostra cõstitutione statuimus cẽsum, seu annuũ reditum creari, constituive nullo modo posse nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

SVMMARIVM.

1 *Prima difficultas, an super annuis reditibus seu alio censu census collocari possit? vbi duæ referuntur opiniones n. 2.*

3 *Secunda difficultas, an vbi Bulla Pij V. nõ seruatur, possit constitui census in re mobili, & an id fuerit licitũ ante Bullam Pij V. Refertur sententia negans, & affirmãs præfertur n. 4.*

5 *Tertia difficultas, an census in re quæ non sit fructifera, vbi nõ est recepta Bulla Pij: seu antequam edita esset, possit collocari? sententiæ negans & affirmans proponuntur, sed distinctione vtendum, & tria notanda n. 6. 7. 8.*

9 *Quarta difficultas, an census necessariò debeat collocari in re quæ nominatim certis finibus sit designata? Auctoris placitum tribus assertionibus n. 10. 11. 12.*

13 *Quinta difficultas, an census generaliter super omnibus bonis censuario constitutus, sit realis, an personalis? duæ opiniones referuntur, & vera refertur, talem scilicet censum parum differre à purè personali n. 14. 15.*

16 *Sexta difficultas, an quãdo res, in quibus census constituitur, ad varios possessores pertinent, singuli ad solutionem census in solidũ teneãtur?*

17 *Septima difficultas, an cùm vnus census super alio fundatur, & prior redimitur, censuarius teneatur an-*

Digitized by Google

nuas pensiones soluere?

18 *Octaua difficultas, an census possit cõstitui super iure & actione, quam quis habet ad exigenda alia debita, quæ census non sunt?*

Num. 1. SIRCA quam clausulam est prima difficultas, an super annuis reditibus, seu alio censu census collocari possit? Emanuel *tit. de censib. ead. conditione. dub. 2.* resolutionẽ huius difficultatis pẽdere ait ex resolutione alterius, scilicet an reditus isti bona immobilia cẽseãtur? qua in re sunt duæ opiniones.

PRIMA affirmans fundata in *Clement. exiuit de Paradiso.* seu *prima.* §. *cumq; annuus reditus. de verb. significat.* Cui concordat *cap. 1.* iuxta glos. receptã *in verb. iura, de non alienand. in 6. &* §. *de non alien. rebus Eccles.* in Nouella. & alia iura, quæ postea referemus: & ita inter bona immobilia computari tenet Petr. Grego. 2. *de vsuris. cap. 3. n. 15.* Sa *verbo census. n. 12.* & multi alij referendi dubio 45. Tiraquel. 1. *de retractu linagier.* §. 1. glos. 6. *n. 4.* Xuarez *lib. 2. tit. de los emplazamientos. n. 28. lib. 2. fori.* Couarr. *3. Variar. cap. 7. n. 2.* Molin. 2. *de primogeniis. cap. 10. n. 6.* Mieres *de primogeniis. part. 1. quæst. 40. n. 6.* Rebellus *de oblig. iustitiæ. p. 2. lib. 10. q. 6. n. 4.* qui tamen cum limitatione dicit super veteri censu nouum creari posse, nempe pro toto tempore quo prior non fuerit extinctus, sicut nec vinea, nec domus, aut similia, immobilia esse desinunt, incapaciáque censuum sunt, licèt præsciãtur per fluminis cursum, vel alia ratione peritura: & sicut census perpetuus non censetur res mobilis, licèt cẽsuali stæ, vel permissione eius vt redimatur. Læsius etiam 2. *iustitiæ. cap. 22. dub. 12.* ait vnum cẽsum in alio fundari posse etiã redimibili, modò vẽditor paratus esset in alia re fructifera censum collocare, si prior redimeretur, alioqui redempto priori, posterior periret, vel maneret personalis. Valen. etiam 2. 2. *quæst. 22. punct. 2.* cũ Med. *q. 11. de vsura*, quæ est 1. *de cẽsibus*, tenet vnum cẽsũ in alio fundari posse, quia est bonum immobile.

SECVNDA opinio negat esse bona immobilia, quam tenet Molinæus *in consuetudinibus Parisiensib.* Num. 2. *p. 2. tit. 6. n. 29.* Cifuentes *l. 7. Tauri. quæst. 15.* Emanuel autem ait, si reditus annui sint perpetui, & irredimibiles, inter bona immobilia computantur, & consequẽter in illis potest census constitui, quia Pius V. dixit cõstituendum in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, vt defendunt Bald. *l. hac edictali.* §. *is illud. Cod. de secund. nupt.* & multi alij relati à Tiraquel. 1. *n. 7.* & à Purpurato *l. ex conuentione. n. 73. ff. de pactis.* Et sic intelliguntur iura citata pro prima opinione, quia eorum tempore non erant in vsu reditus redimibiles. Si verò reditus annui sunt redimibiles, computantur inter bona mobilia, & sic non potest super ipsos census constitui, vt contra Couarr. 1. *n. 5. verf. Primò etenim.* docet Aluarus Vaez *de iure emphyteutico. q. 32. n. 15. vers. alia insuper.* Quæ probatur, quia tales reditus pereunt per redemptionem. Iémque pereunte re in qua sunt collocati, vt in hac Bulla docet Pius V. ergo non sunt res immobiles; & sic nequit in eis census cõstitui. Limitat Emanuel, nisi venditor census redimibilis obligetur ex pretio alium censum emere: sic enim

Digitized by Google

enim census redimibilis censetur res immobilis. Hæc Emanuel, quem (vt solet) transcribit Vega *in Summa. verbo, census. casu 16. colum. 418. & in Epitome. eodem verb. casu 16. n. 3.* Molina autem *disp. 389.* & absolutè ait cũ Nauar. *Comment. de vsur. n. 87. & n. 112. quæst. 12.* vnum censum in alio maiori, vel æquali collocari posse. Deinde id limitat dicens, censum, in quo alius potest collocari, debere esse irredimibilem, alioqui censu redempto periret census in eo collocatus, aut transiret in personalem, si venditor secundi cẽsus teneretur adhuc illum soluere: quod tamen Pius V. hac clausula, & sequentibus prohibet; postquam verò census vnus collocatus esset in alio irredimibili, vẽdi primus non posset sine onere alterius census similiter realis in eo collocati: quare redimi posset, neque aboleri ab eo in quo esset collocatus, quia sẽper retinere debet onus alterius cẽsus interim dum res in qua census est collocatus, integra perstiterit. Hæc Molina. Sa etiam ait, reditum annuum etiam esse rem immobilem, ideóque in eo census collocari posse. Quotidiéque ita fit, ait Mastrillus, quẽ citat Felician. *2. part. de censib. cap. 3. nu. 32. ver. 9. reddendum.* Vbi Felician. ait: licèt Casaneus in consuetudinibus Burgundiæ *titu. de censib. rubrica 11. verb. le segmeur. censier. nu. 5.* reditum super reditu constitui posse, non tamen censum super censu dicat; sed oppositum tenendum cum Fabro §. *adeo. Institu. de locat. & conduct.* nam siue census sint irredimibiles, siue redimiles, inter bona immobilia referuntur *Auth. de alienand. & permutandis rebus Eccle. & l. Iurisperitos. ff. de excusat. tutor. & l. sufficit. ff. de condict. indebiti. & Clement. exiuit de Paradiso. §. cúmque annuus reditus. ff. de verbo signif.* & non obstante Bulla Pij V. super censu redimibili, & irredimibili cẽsum collocari posse, modò dominus prioris census in secundi constitutione obligetur ad non acceptandam redemptionẽ census irredimibilis, vel ad emendum alium æqualem censum, si de facto census redimibilis, vel irredimibilis redimatur, nam alioqui non constituitur secundus census in re perpetuò duratura, quæ sola ad dictum effectũ immobilis censetur à Pio V. Itẽ quia si ea obligatio non interueniat, grauabitur emptor cẽsus, soluétque plusquã valet, nã secũdũ leges huius Regni nõ potest emi cẽsus redimibilis nisi dãdo 14. pro vno, quod est pretiũ excedẽs, quando res, in qua cẽsus collocatur, nõ est perpetua; sicut est æquale quãdo est perpetua, vnde vbi nõ seruatur Bulla Pij V. neq; est obligatio emẽdi censũ pretio determinato; licitum erit emere illũ super alio cẽsu sine prędicta obligatione, dummodo minuatur pretiũ iuxta quantitatẽ dictæ obligationis, quia tũc vẽditor nullã inferet iniuriã emptori similiter minuẽdo pretiũ, licitũ per se erit cõstituere cẽsũ maiorẽ in minori; cõstitui enim potest in rebus minoris valoris, quàm sit census, vt docet Bannez *de censib. dub. 1. conclus. 2. corol. 2.* vt ex sequẽtibus intelligetur.

Ex his patet verũ esse ꝙ ait Mol. *disput. 389.* in iuribus & reditibus annuis aut mẽstruis, vt in iure gabellarũ, & in aliis iuribus perpetuis sitis in ciuitate, oppido, sylua, piscatione, macello, &c. posse cẽsũ cõstitui: nam iura ista perpetua pro rebus immobilibus habẽtur, & cũ eis cõputãtur.

Digitized by Google

SECVNDO patet verum esse quod dicunt Felician. §. *n.32.* Follerius *numero 42.* in officiis perpetuis quæ perpetuos habent fructus posse censum cõstitui, quia sunt bona immobilia fructifera: excipiunt ij cum Benedicto Lyno *in decisionibus. art. 9. vsque ad 56.* officia deputata ad iustitiæ administrationem: non tamen video cur excipienda sint, si sunt perpetua & fructifera.

TERTIO patet, vbi seruatur Bulla Pij V. Super debita ab aliis mihi soluenda, seu super obligationes quas alij habent mihi soluendas, non potest census cõstitui, qui tales obligationes nõ sũt res immobiles quãdo non sunt ad soluendum aliquid in perpetuum, secus si essent ad soluendum aliquid in perpetuum, vnde de iis vltimis loquendo verum dicunt qui affirmant super huiusmodi obligationes censum constitui posse, quia sunt res immobiles.

DE prioribus autem obligationibus verum est quod ait Emanuel *illa cond. 1. dub. 1.* censum in illis constitui non posse, quia sunt res mobiles: quod probat ex quibusdam legibus, in quibus tutori conceditur, vt possit absque auctoritate Iudicis vendere tales actiones seu obligationes in bonum pupilli, quod non posset facere si essent res immobiles. Quod confirmat ex Bart. *l. tutor qui repertorium.* §. *fina. ff. de administrat. tutor.* & ex Pinel. *1. p. relectionis. Cod. de bonis matern. num. 24. & sequentib.*

Num. 3 SECVNDA difficultas est, an vbi Bulla Pij V. non seruatur constitui census possit in re mobili, & similiter, an id fuerit licitum ante Bullam Pij V. Quidam partem negatiuam tenent, vt Emanuel *de cens. conditione 1. in princ.* qui citat Aluarum Valascum, vel Vaez *de iure emphyt. quæst. 32. num. 10.* Micras *tit. de maioricatu. p. 1. quæst. 41. num. 9.* Salazar *de vsu & consuetudine. cap. 8. num. 49.* Idem tenet Nauarr. *Comment. de vsur. num. 105.* Philiard. *2. p. Summ. lib. 5. cap. 17.* qui duo censent esse de iure naturæ, vt census constituatur super re immobili. Eandem opinionem tenet Carranza seu Miranda *in Summa Cõciliorum,* post Florentinum. Grafis *1. p. lib. 2. cap. 118. num. 21.* Vega *verb. census. casu 16.* Suadetur primò, quia hæc conditio ponitur à Martino V. & Calixto III. qui quidem, imò & Pius V. eam posuisse videntur, eo quòd sit necessaria iure naturæ, quod indicat Molin. *disp. 389.* dicens: quia verò census de quo in hac Bulla est sermo perpetuus est, tametsi redimibilis, ideo meritò effectum est, vt à numero rerum, in quibus collocari possit, excluſæ sint res omnes mobiles, eo quòd perpetuæ non sint; & quanuis aliquæ longissimæ sint durationis, maximique valoris, & quasi perpetuæ, vt gemmæ, quia tamen reditus non habent, ac proinde dominium earum non continet ius percipiendi ex illis annuum reditum, cuius quasi quædam pars esse deberet census realis, qui in eis collocaretur, inde etiam effectum est, vt hæ quoque res mobiles, quanuis pretiosæ, & duraturæ, à numero rerum, in quibus census perpetuus collocaretur, sint excluſæ. Hæc Molin. qui ibidem docet, omnem censum personalem siue redimilem, siue irredimibilem, siue ad certum numerum annorum per hanc Bullam excludi, eo quòd sit illicitus iure naturæ. Lopez etiam *1. Instruct. negotiant.*

Digitized by Google

gotiant. cap. 57. sentire videtur necessarium esse iure naturæ, vt census super re immobili constituatur, quia contractus censualis natura sua perpetuitatem intendit, quam nisi in re immobili census constituatur, obtinere non potest. Item quia per talem contractum reditus annuales perpetui emuntur, quos res mobiles reddere non possunt. Eodem tendit ratio Nauarri, & Philiar. scilicet quia res mobilis sine sui totius, vel partis consumptione non potest fructum reddere: census autem est quidam fructus qui de aliqua re sine eius peremptione percipitur.

Num. 4. NIHILOMINVS vbi non seruatur Bulla Pij V. & ante illam necessarium non puto censum constitui in re immobili. Pro hac sententia Emanuel s. refert Pizarrum ad statutum Guadalup. eandem tenet Soto *6. iustitiæ. quæst. 5. articul. 1.* Valent. *disput. 5. quæst. 22. part. 2.* Angles *quæst. de censibus. art. 6.* Med. *quæst. 1. de censib.* Palac. *4. de contractib. cap. 6.* Conr. *de contract. quæst. 74. & quæst. 83. conclus. 13.* Salon *art. 3. de censib. controuers. 5. concl. 3.* citans Innocen. Panorm. & Ananiam *cap. in ciuitate. de vsur.* Laurent. de Rodulph. *cap. consuluit. eod. tit.* Ioann. de Lignano *cap. fin. eod. tit.* Petrum Bellug. *in Speculo Principum. dub. de censualib.* Sarmientum *Select. cap. 1.* Couarr. *3. Variar. cap. 7.* Idem tenet Felician. *2. de censib. cap. 3. num. vlt.* vbi ait, quanuis nauis sit res mobilis, & ideo vbi recepta est Bulla Pij V. non possit super illam census collocari, tamen vbi recepta non est, super naui, vel quacumque alia re mobili collocari posse. Idem Mol. & Caballin. *de vsuris num. 22.* & omnes, qui licitum putant censum personalem. Vnde Bañez *de censib. dub. 1.* ex eo quòd census super nuda persona constitui potest, colligit constitui posse in bonis incertis, & minoris valoris quàm sit census, & facilè perituris non pereunte censu. Idem ait Salon, qui Ioannem Medinã impugnat, quia dixit constitui non posse in reb. vsu consumptibilibus: & Nauarrum, quia dixit constitui non posse in re quæ minores pensione fructus ferat.

PROBATVR primò, quia secluſa Bulla Pij V. conditio hæc non requiritur propter extrauag. Martini, & Calixti, nec propter ius naturæ: ergo non requiritur omnino. Consequentia patet, quia non est aliud ius vnde requiratur. Prima pars: antecedens probatur, quia illi Pontifices non posuerunt hanc, vel alias conditiones quasi necessarias ad iustitiam contractus, sed quasi sufficientes, vt legenti patet, & notat Sot. s. *art. 1. & 3.* Val. *punct. 2. & 7.* Tolet. *lib. 5. & 45. in fine. & 46. in fine.* Coua. *3. Variar. c. 7. n. 6.* Felician. *1. de censib. cap. 7. num. 5.* Aragon *quæst. 78.* fere vltimis verbis. Moli. *disp. 389. 392. in principio.* Salon *art. 3. de censib. controu. 3. & controu. 5.* & passim alibi, *conclus. 3.* Palac. *4. de contractib. cap. 6.* quod affirmat Nauarr. *Comm. de vsuris. n. 72.* licèt sæpe aliàs dicat in Bullis illis insinuari, eas conditiones esse necessarias, & Vinsfeld. *super cap. in ciuitate. de vsur. quæst. 12.* dicit censum personalem esse ex natura rei licitum, licèt sit illicitus stantibus extrauagantibus Martini V. Calixti III. & Pij V.

SECVNDA autem pars probatur, quia census constitutus super nuda persona licitus est iure naturæ, vt superiùs,

Digitized by Google

superiùs, & docet Angles *quæst. de censib. art. 5.* Tolet. *lib. 5. cap. 47.* licèt prohibitus fuerit à Pio V. vt docet Molin. ꝛ. & Tolet. *cap. 46.* & Felicia. *lib. 1. cap. 9. num. 8.* Vega *verb. census. casu 2. & 9.* ergo à fortiori licitus erit census, super re mobili, quæ simul obligata maneat cum ipsa persona.

CONFIRMATVR: nam secundùm Medin. *1. Summ. cap. 14. §. 16.* Vegam *verb. census. casu 2.* hæc est de conditionibus, quæ non sunt necessariæ iure naturæ, sed propter Bullam Pij V. ergo vbi hæc non obligat, hæc conditio necessaria non est. Vnde Nicolaus V. in Bulla de censib. edita pro Regno Siciliæ an. 1491. relata à Coron. *de censibus. num 10.* approbat contractus cēsuales, in quibus bona mobilia obligabantur: seruanda tamen est iustitia pretij, quod minui debet, si census in sola persona, aut in ea, & in rebus mobilibus solis collocetur, alioqui venditor census iniustus erit. Iuxta hæc rectè Philiarc. *2. p. Sum. lib. 5. c. 17.* dixit ante Pium V. iustū fuisse cēsū constitutū super nuda persona, & super bonis in communi, & Val. censum constitui posse in animalibus, vt rectè Ioan. Medin. ꝛ. & in rebus vsu cōsumptibilibus; si tamen sint in statu fructificandi, vt in pecuniis negotiationi expositis, quod bene notauit Sot. *illo art. 1.* Sed hæc limitatio ad sequentem pertinet difficultatem.

Num. 5. TERTIA difficultas, an census in re, quæ non sit fructifera, collocari possit, vbi non est recepta Bulla Pij V. seu antequam edita esset? Partem negatiuam tenet Emanuel *de censibus. conditione 2. in principio.* imò addit, rem in qua constituitur census, talem esse debere, vt eius fructus vel excedant, vel saltem adæquent pēsionem. Idem tenet Ioan. Med. *tract. de censibus. q. 1.* Lauren. de Rodulphis *tract. de vsuris. q. 12.* Miranda *in Summa Conciliorum*, post Florentinū. Grego. Lop. *l. 37. tit. 8. partit. 5.* Angl. *de cēsib. art. 6.* Val. *2. 2. disp. 5. q. 22. pun. 2.* Nau. *Comment. de vsuris. n. 105.* Philiar. *2. p. Sum. lib. 5. n. 17.* qui duo probāt, quia est contra naturam census, qui est quidam fructus, capi de re infructifera. Eandem sententiam tenet Mol. *disp. 389.* dicens illam in cōstitutionē Pij V. sic debere intelligi, vt in re, quæ culta vel nullos fructus ferat, vel tam modicos, vt ad soluendam pensionem deductis laboribus, & expensis in eis colligendis, sufficiētes nō sint, census cōstitui nequeat. Et rationem Pōtificiis ait esse, quia nemo emeret censum merè realem in re, quæ culta, non tantum redderet, quanta esset pensio, quoniā cessione eius rei liber maneret debitor census ab eius solutione. Necesse ergo esset miscere aliquid de censu personali, scilicet vt persona obligaretur ad solutionem census, etiam deficiente re, in qua esset constitutus; & ita census esset vsurarius: quia omnis census merè personalis, vel mixtus ex reali, & personali, est vsurarius; ideóque statuit Pontifex, vt in re illo modo fructifera cēsus collocaretur: & hūc esse legitimū sensum huius cōditionis ait docere Nauarrū *Commētario de vsuris. n. 79. & 85.*

OPPOSITAM sententiā tenet Sot. *6. iustitia. q. 5. art. 1.* Couar. *3. Vari. c. 7. n. 5.* Medin. *1. Summa. c. 14. §. 26. i nfine.* Veg. *verb. census. c. 2. in fine*: qui duo has & similes conditiones putāt nō requiri de iure naturæ, sed de iure tātùm positiuo inducto à Pio V. Ad idē sūt qui dicunt, *Num. 6.*

Digitized by Google

dicunt, censum posse cõstitui in nuda persona, etiãsi non sit fructifera; quod tenet Bãnez post *q.78. tract. de censibus. dub.1.con.2.* Vega *verb. census. casu 10.in fine.* quanuis Angles & Valentia ꝑ.exigant, vt persona sit fructifera. Quod etiam exigit Salon *art. 3.de censibus controuersia 5.con.1.* & nihilominus *con.3.* ait, in quibuscũque bonis censum constitui posse, modò persona sit fructifera: & reprehendit Medin. ꝑ.asserentem, non posse constitui censum in rebus vsu consumptibilibus. Nam si potest constitui in nuda persona, etiam poterit in quibuscumque, cùm omnia obligentur obligata persona.

Num.7. SED distinguendum est. Nam cẽsus dupliciter constituitur in aliqua re, primò vt percipiendus, aut perceptibilis ex illa: quod fit emendo ius ad percipiendã portionẽ aliquã fructuũ eius, vel aliquid tali portioni æquiualens, quando fructus ex re sperari nõ potest. Et in hoc sensu est vera prima opinio. Quod rectè probat Nauarr. *illo n.79.* ex Angelo *vsur. 1.§.7.* Syluest. *vsura.2.q.6.* Maiori *4.d. 15.q.46.* & communi sententia asserente vsurarium esse cùm quis fictè emit animalia, vel aliqua alia quæ alter non habet, & ea ipsi locat, vt aliquid vltra sortem accipiat. Nam sicut hîc vsura interuenit, quia aliquid vltra sortẽ accipitur pro mutuo, cùm locatio sit ficta; ita in nostro casu interuenit iniustitia, quia venditur ius ad fructus, qui nõ sunt, neque erunt, aut ad aliud æquale illis; quia venditio est iniusta & nulla, cùm tale ius nullum sit. Eodem modo non potest census collocari in persona fructifera, emendo scilicet ius ad fructus eius, vel ad aliquid illis æquales.

SECVNDO constituitur census in re aliqua non vt percipiendus, vel perceptibilis ex illa ad modum explicatum: sed obligando rem ad solutionẽ, & sic in re infructifera potest constitui census; in eóque sensu vera est secunda opinio. Nec tũc refert, quòd persona ipsa sit, vel nõ sit fructifera. Hanc distinctionem insinuauit Toletus *lib.5.c.47.* vbi docuit, quosdam census ex natura rei constituendos esse in re fructifera, quia in illis venduntur fructus, vel ius ad illos: alios verò constitui posse in re infructifera, imò & in nuda persona. Hinc etiam conciliantur dicentes, illicitè constitui census in re, cuius fructus sunt minores pensione, cum asserentibus licitè constitui. Nam priores, de quorũ numero sunt Valentia, Emanuel, Grego. Lopez, Nauarrus, Laurentius de Rodulphis, Ioan. Medina ꝑ.Sylu. cum aliis, *vsura.2.q.12.parti.4.* Petrus de Rauenna apud Couar. ꝑ.verum dicunt loquẽdo de censu prima ratione collocato in re: posteriores verò, de quorum numero sunt omnes citati pro secũda opinione, verum dicunt de censu secunda ratione collocato in re.

NOTA autẽ primò, stãte Bulla Pij V. nõ sufficere quòd res sit fructifera per accidens, eo quòd sit in statu fructificandi, vt quando pecunia est negotiationi exposita; petit enim Pius quintus esse ex natura sua fructiferam. Excluſa autem Bulla Pij quinti ad censum constitutum primo modo in re, sufficit esse Num.8.

Digitized by Google

fructiferam per accidens, vt probat Valentia: quia etiam ex rebus vsu cõsumptibilibus existentibus in tali statu fructificandi, verè habet quis ius percipiendi vtilitatem, quod ius potest alteri vendere.

NOTA secundò, cùm conditio hęc quòd res afferat tantum fructũ, quãta est pensio, sit constituta in fauorẽ emptoris, si venditor eum decipiat, dicens tantundem valere, posse illũ agere ad interesse aduersùs venditorem, vt cũ Grego. Lopez docet Emanuel *illa cond. 2. dub. 1. Dubio* autem 2. docet, censum super domo posse cõstitui, quia est res immobilis & fructifera; quod manifestum est.

NOTA tertiò, rectè Molinam s. impugnare eos, qui arbitrabantur, illis verbis Pium V. excludere voluisse censum eius pensionis, cuius non esset ferax res, in qua cẽsus collocaretur, vt census tot mensurarũ vini in oliueto, tot mensurarũ tritici in vinea. Nam cùm ea verba non significent rem debere esse fructiferã eorũdem fructuũ in specie, qui soluendi sint, sed solùm debere esse in genere ex natura sua fructiferam: & census realis in fructibus alterius speciei ab eis, quos res in qua collocatur, immediatè fert, licitus ex natura rei sit, & approbatus extrauagantibus Martini V. & Calixti III. vt superiùs vidimus, dicendum proculdubio est, huiusmodi census à Pio V. non excludi, maximè cùm cõstitutio à iure communi, & naturis rerum exorbitans, extendenda non sit, sed coarctanda potiùs, quantùm sensus ipsius id patitur, explanatúmque esset si longè aliud fuisset in illis verbis intentum Pij V.

Num. 9. QVARTA difficultas, an census necessariò debeat collocari in re quę nominatim certis finibus designata sit? Ex superioribus patet, hanc conditionem, vbi locum habet Bulla Pij V. in conscientia seruandam esse. Eam verò putat Molina *disp. 389.* positam esse ad excludendos census, qui super omnia bona tam præsentia, quàm futura ipsius venditoris constituti essent: tunc enim bona solùm videntur subire rationem hypothecæ, censúsque videtur esse personalis, totum periculũ reiicitur in venditorem, quia census nulla re pereunte perit: quia ergo cẽsus personalis etiam cũ hypotheca illicitus est iure naturæ, ideo Pontifex hanc conditionem ponit. Eãdem ratione assignat Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 12.* Addit Molina, neque posse constitui cẽsum super aliqua re designata addendo, & super cæteris rebus etiam futuris, quoniam tunc census non periret pereunte re illa determinata; & sic non esset realis, sed personalis, ac proinde illicitus, vt ait Nauarr. *Commentario de vsuris. n. 129. & 130.* vnde *n. 85.* docet hìc excludi omnes census personales, & etiam mixtos, siue hypothecam habeant, siue non; quia obligatur implicitè persona. Idem ait Læsius s. Inde verò, inquit Molina, census constitutus ante eam Bullam nõ redderetur inualidus, vt Nauar. *illo n. 130.* subiũgit, quoniam cùm verè esset realis super re illa particulari collocatus, additio collocationis super cæteras res non esset aliud quàm admixtio contractus assecurationis cẽsus realis in re illa constituti, qui licitus est secluſa Bulla Pij V. vt suprà dictũ est, modò tamen pretium sit æquale attenta assecuratione.

Ego

Digitized by Google

Num.10. EGO hac in re imprimis certum iudico, cùm Pius V. dicit censũ collocandum esse in re designata, intelligere, vna, vel pluribus, vt Molina docet s. cũ Nauarr. s. *n.* 113. & patet, quia nihil referre videtur, quòd res subiecta censui sit vna, vel plures, modò omnes sint res immobiles & fructiferæ, & specialiter designatæ.

Num.11. SECVNDO, certum iudico, vna, vel pluribus rebus huiusmodi specialiter nominatis, & designatis, quibus pereuntibus pereat census, si generaliter addatur, & super cæteris rebus præsentibus & futuris censum esse licitum, & validum, etiam vbi seruatur Bulla Pij V. quia antea erat licitus, & validus, vt fatentur Molina & Nauarrus: ergo & postea; cùm Pius V. non prohibeat talem additionem, eáque nihil officere videatur: quia etiam tunc partim, vel omnino destructis rebus designatis, census ipse pro rata periret; non verò destructis aliis rebus, quæ solùm adduntur per modum hypothecæ ad securitatem solutionis dum census durat.

Ex hac conclusione patet falsum omnino esse quod dicunt Miranda seu Carranza *in Summa Conciliorum*, post Floren. Nauarrus *Com. de vsuris. n.76.* etiam ante Bullam Pij V. necessarium fuisse, vt sola res, in qua census constituitur, maneat obligata. Hoc enim nec petunt extrauagantes Martini, & Calixti, nec ipsa rei natura. Vbi aduerte postquam census constituitur in aliqua re, & additur super cæteris rebus, duplicem sensum habere posse. Primus est, vt cæteræ obligentur ad solutionem census, dum res illa durauerit apud se; perituri tamen pereunte illa re, in qua est constitutus, & soluendi ab alio si transit ea res ad illum, & sic cẽsus est realis. Secundus est, vt cæteræ res obligentur ad solutionem census non perituri pereunte re, in qua est cõstitutus, & sic census est personalis cum hypotheca seu obligatione specialis vnius rei, & generali aliarum.

IVXTA hæc bene Felicianus 1. *de censibus. c. 8. n.* 10. ait. Quinimò stante motu proprio Pij V. de forma creandi census adiici posse generalem, & specialem bonorum obligationem arbitror verissimum, vt etiam docet Petrus de Salazar *tract. de vsu & consuetudine. c.* 11. *n.* 82. Gutierrez 2. *practicarum. q.* 177. *n.* 8. Etenim cõstituto cẽsu in re certa, & suis limitibus definita, alias res obligari ad census solutionẽ nõ vetat Sũmus ille Pontifex, & hoc iure vtimur, vt vẽditor se obliget, & sua bona generaliter, & specialiter, vt scribit Matienzo *l.* 1. *tit.* 15. *lib.* 5. *noua compilationis.* glos. 1. *n.* 5. *&* 6. Neque mali speciẽ habet, & futurorum obligationem adiicere, tametsi contrarium prolixè nimis & inefficaciter persuadere conetur Pizarro ad statutum Guadalupense, glossa *y futuros.* imò eodẽ *n.* 10. censet Felician. solam hypothecam generalem ad censum sufficere, & citat pro ea multos authores quos *con. seq.* referemus; & *tom.* 2. *de censibus. lib.* 1. *c.* 4. pro eadẽ sentẽtia citat And. Gail. *lib.* 2. *obseruationum practicarum. obseruat.* 7. *n.* 13. & Antonium Thos. *decisio. Pedemont.* 154. *n.* 3. qui asserit esse valdè probabilem; & Bursatiũ *consil.* 224. *n.* 10. *volum.* 4. Valascum *de iure emphy. q.* 32. Sal. 2. *tom. de iust. disp. de censib. art.* 3. *controuers.* 18. *& contr.* 5.

vers. quod autem. vbi ait esse cõmunẽ opinionẽ Theologorum & Canonistarum; & esse magis communem & receptam confitetur Blasius Florez, Diaz *1. p. additionum ad decisiones Antonij Gamæ. decisione 42.* quanuis ipse in contrariam inclinet.

Num. 12. TERTIO, vbi Bulla Pij V. non est recepta, & ante illam census generaliter & specialiter constitutus super omnibus bonis præsentibus, & futuris possessis, & possidendis licitus erat, & nunc quoque licitus est. Hanc cõclusionem teneo cõtra Molinam, & Nauarrum s. & Emanuelem *tract. de censibus. conditione 12. dubio 2.* Cassaneum *in catalogo gloriæ mundi. parte 12. consideratione 98. fallentia 25. & in consuetudinib. Burgundiæ. rubrica 11. §. 6. in princi. & consil. 63. n. 6.* Redoan. *de rebus Ecclesiæ. rubrica de constituendo annuo censu. ex num. 41.*

SED nostram conclusionem tenet Felicianus *illo n. & to. 2. lib. 1. c. 4. n. 1.* citans multos à me relatos *con. præced. & lib. 1. c. 8. n. 10.* citãs Ioannẽ de Lignano *c. fin. de vsuris. q. 1.* Innoc. Panorm. Ananiam, & Beroum *c. in ciuitate, eodem tit.* Laurẽtiũ de Rodulphis *tract. de vsur. parte 2. q. 13.* Aluarum Valascum *de iure emphyte. c. 31. n. 11.* Petrum Bellug. *in speculo Principum. rubrica 41. §. leges Regni.* Sarmient. 17. *Select. c. 1. n. 26.* Cont. *de contract. q. 83. con. 1 3.* Sotum *6. iust. q. 5. art. 1.* Med. *q. 1. de censib.* Maior. *4. d. 15. q. 44.* Conr. *de contract. q. 74. & 75.* Couar. *3. Var. c. 6. n. 5. & 6.* Palac. Matienzum, Antonium Berardutium auctorem Summæ Coronæ, quos ferè omnes citat, & sequitur etiã Valen. 2. 2. *disp. 5. q. 22. pun. 2.* Salon *art. 3. de censib. controu. 5. con. 3.* Bãnez *tract. de censib. dub. 1. post 2. con.* Angles *de censib. art. 6.* Cuius opinionem sequerer ego, inquit Emanuel s. quãdo reditus annui bonorum immobiliũ præsentium æquarẽt pensionẽ; si verò non æquarent, existimo scrupulosã, motu proprio Pij V. reprobatã, & si præsentia bona nõ designarẽtur nominatim, existimo falsam.

SED nostrã opinionẽ absolutè etiã tenet Toletus *lib. 5. c. 45. n. 3. & c. 47. n. 4.* & Valen. s. cũ Maior. Ioan. Med. Soto, Conrrado & Couar. Probatur, quia in extrauagãtibus Nicolai V. & Grego. XIII. superiùs citatis expressè cauetur, & speciatim, & generatim omnia bona subiici posse cẽsus præstationi: nec cõtrarium docẽt extrauagãtes Martini V. & Greg. XIII. & ex natura rei non est illicitum, quia etsi talis contractus sit census personalis cum hypotheca seu obligatione bonorũ, licitus erit iure naturæ, vt ex superioribus cõstat. Idem probat Sarmient. s. Toletus *illo c. 43. n. 2.* quia sicut potest quis vendere ius ad fructus vnius rei suæ, sic ad fructus omniũ rerũ suarũ, licèt modo designari soleat res aliqua, in qua cẽsus cõstituatur, & ita debeat fieri propter decretũ Pij V. præcipiẽtis cẽsũ cõstitui in re determinata, & certis limitibus designata. & *c. 47. n. 4.* ait Toletus hypothecã bonorũ nõ debere esse talẽ, vt vẽditor nullatenus possit absque facultate emptoris vllã rẽ suam alienare, quia hæc cõditio iniusta esset, eo quòd valor cẽsus cũ hac cõditione maior esset pretio, quod cõmuniter datur ab emptoribus. Sufficiet, vt res in qua cẽsus fundatur, ad quẽcũque trãsierit, maneat obligata: & cætera bona ita maneãt hypothecata, vt dũ durat ea res in potestate vẽditoris, sẽper maneãt obligata solutioni census. Hæc Toletus. Similiter ego

Digitized by Google

ego dicerē si census super omnibus præsētibus rebus cōstituatur, ita vt nō nisi omnibus illis pereūtibus, pereat, iniustā esse cōditionē pro cōmuni pretio, quia minùs valet quā cēsus cum prædicta obligatione, quæ maxima est. Addit Val. ſ. nō solū posse vēdi cēsū realē ex rebus immobilib⁹, vt ex domo, &c. sed etiā ex mobilib⁹: vt ex animalibus, sicut rectè asseruit Med. *q.11. de vsur.* & etiā ex vsu cōsūptibilibus; si tamē sint in statu fructificandi, vt ex pecuniis, si sint expositæ negotiationi, vt bene notauit Sotus *6.iust.q.5.art.1.* Ratio est clara: nam etiā ex rebus vsu consumptibilibus existētibus in statu fructificādi, verè habet quis ius percipiēdi vtilitatem: ergo verè habet quod vēdat quando vendit censum ex illis: secus si eiusmodi res vsu consumptibiles non essent in statu fructificandi, tunc enim non esset ius percipiendi ex eis vtilitatem, quod posset vēdi. Hæc Valentia, explicans se loqui stando in lege naturæ secluſa Bulla Pij V.

ADDIT Valen. *puncto 4.* censum perpetuū nec in persona, nec in rebus mobilibus cōstitui posse: secus verò temporalem, modò nō sit ad lōgius tēpus quàm res mobilis possit durare. Vnde ait falsò Nauarrū *Commen. de vsur. n.105.* indistinctè dixisse esse cōtra ius naturæ cēsū in re mobili constituere. Hinc nō rectè Vega *in Sum. & Epit. verb. census. casu 15.* absolutè docet, super boue, aut equo censum constitui non posse.

Num.13. QVINTA difficultas est, an census generaliter super omnibus bonis censuarij constitutus sit realis, an verò personalis? Grego. Lopez *l.8.tit. 8. part.5.* ait esse personalem, cum hypotheca tamen & obligatione accessoria omnium bonorum ad solutionem census ad maiorem securitatem. Idem tenent Molina & Læsius superiori difficultate relati, & Nauar. *Comment. de vsuris num.75.*

ALII tenent esse realem, vt Syluester *vsura 2.quæst.12. dicto 4.* quem sequitur Sotus *6.iusti.quæst.5.art.1.* ante solutionem argumentorū *corol. 2.*

REBELLVS autem *de obligationib. iustitiæ part.2. lib.10. quæst.6.* ait realem esse si censuarius per se primò intendat bona sua obligare & consequenter se ipsum ratione eorum, siue dependenter ab eis: secus tamē si se ipsū per se primò; bona verò sua cōsequēter ad securitatē cōtract⁹ obliget. Num.14.

ADDIT Rebellus: Verùm etsi iste census generaliter per se primò super omnibus bonis constitutus, realis sit, nec iure naturæ de se, saltem apertè prohibitus, iure tamen Canonico, præsertim in diplomate Pij V. expressiùs prohibetur: exigit enim, vt res nominatim certis finibus designetur. Quanuis non opus sit vt nomine proprio exprimatur: satis enim erit si per nomen commune aut circumloquium, distinctè tamen & expressè designetur.

SED quid, inquit, si ita te & rem simul velis obligare, vt pereunte re, maneas tamē obligatus, & te moriēte, res itidē maneat obligata? Respōdeo, cōtractū fore tunc mistū ex personali & reali cēsu, quē quaten⁹ personalis est, vt minimū, iure Canonico irritū esse cōstat. Hæc Rebellus.

Num.15. SED dico talē cēsū si cōstituatur super omnibus rebus præsētibus, & futuris, ita vt maneat dū aliquæ illarū fuerint; parū differre à purè personali, quia semper manet persona obligata solutioni census, vel absolutè,

vt cùm habuerit bona aliqua, vel conditionaliter, si in posterum illa habuerit: quæ conditio semper est possibilis, nisi in religiosis, & non in omnibus, nã scholares societatis emissis tribus simplicibus votis verè sunt religiosi, tamen sunt capaces proprietatis, vt alibi tractabo.

QVANDO verò census solùm constituitur super omnibus bonis præsentibus, ita vt illis pereuntibus pereat, multùm differt à personali; quia persona manens potest non esse obligata, nimirum pereuntibus omnibus bonis præsentibus, cõstitutioni census. Sed si persona quoque per se obligetur, erit mixtus ex reali & personali, &. quatenus personalis erit irritus tempore & loco vbi seruatur Bulla Pij V. & à fortiori merè personalis, vbi obligatur persona per se primò, non verò eius bona, nam transire ad alium possunt sine vllo onere.

Num. 16. SEXTA difficultas est, an quando res, in quibus census constituitur, ad varios possessores pertinent, singuli ad solutionem census in solidum teneãtur? Suppono in pluribus rebus constitui posse si vna non sufficit, vt ait Vinsfeld. *de vsuris. cap. in ciuitate. quæst.* 12. *concl.* 12. post Bullam Pij V. circa primam eius conditionem: quanuis enim Pius V. in suo diplomate dicat, in re immobili debere constitui; intelligitur tamen ab omnibus, & vsus habet, vt in re multiplici, seu multis rebus cõstitui possit. Tutius tamen est vt in vnica re constituatur, non solùm quia verba id sonare videntur: sed etiam quòd plures lites aut dubia oriantur, cùm super pluribus rebus, quàm cùm super vna dumtaxat constituitur. Etenim si contingat, vtres illæ diuersæ in diuersos quoque dominos & possessores transeant, necesse erit à pluribus pensionem exigere. Hoc supposito dico, licèt singuli earum rerum possessores ad soluendam pensionem teneantur, non tamen in solidum tenentur, sed pro rata, hoc est, vt tanto plus pensionis quisque soluat, quanto maioris pretij res ex numero earumdem rerum censitarum prouenit, iuxta Panorm. Couarr. *3. Variar. cap. 7. num. 8.* & alios, quos refert Aluarus Valascus *de iure emphyte. quæst. 32. num.* 15. quanuis ipse totum à singulis exigi posse defendat, *non quidem*, vt ait, *secundùm iuris regulas, quæ contrarium docẽt, sed attenta mente contrahentium*, qui ea ipsa de causa plures res designare videntur.

VERVM, vt bene ait Rebellus *de oblig. iustitiæ. p. 2. lib. 10. q. 6. cond. 1. & q. vlt. diffic.* 2. non debemus à priori communique sẽtẽtia recedere, quam sequi Lusitani proprij Regni lege tenentur. Probatur primò, quia contrahentes si nihil aliud exprimant, secundùm iuris regulas velle cõtrahere credendi sunt, nec contra eas obligatio census, quæ odiosa, & stricti iuris est, extendi debet, esto res dubia foret. Secundò, quia eadem est proportio vnius census ad omnes suos fundos censitos, quæ est eiusdem census ad omnes partes eiusdem fundi, supra quem creatus est, atqui pereũte parte talis fundi perit etiã proportionalis pars totius pensionis. Ergo similiter, si ex pluribus fundis censitis vnus fundus apud quemcumque pereat, peribit proportionalis pars totius pensionis: ergo in eo fundo solùm erat obligatio ad eandem partialem illi correspondentem

dentem pensionem, & non ad totalem. Et certè obligatio in solidum, maiori pretio digna esset, quàm quod communiter datur pro censu: ergo iniustè imponeretur pro communi pretio. Nec verò contrahentes quando aliud non exprimunt, ideo plures res designare credendi sũt, vt à singulis earum futuris possessoribus in solidum pensio soluatur, sed vt securior census sit. Hæc Rebellus. Sed quanuis conclusio placeat, de qua *dub.* 11. *diffic.* 1. circa decimam conditionem: *& dub. 39. ad finem*, tamen fundamẽtum illud, quòd re pereunte pereat census, &c. falsum est, vt dubio 30. ostendam.

Num. 17. SEPTIMA difficultas, an cũ vnus census super alio fundatur (quod fieri posse difficultate prima dictũ est) & prior redimitur, censuarius teneatur annuas pẽsiones soluere? Quæstio locum habet etiam in censu irredimibili, nã iste etiam redimi potest ex voluntate vtriusque contrahentis, licèt non ex sola voluntate venditoris, sicut redimi potest census redimibilis. Videtur ad nihil teneri dominum prioris census, quia extincta & pereunte re in qua census collocatur, census perit: ergo cùm perit prior census, perit etiam secundus in eo fundatus. Respondeo tamen priorem censum tunc non perire simpliciter cùm dominus pro illo pretium iustũ recipiat, ideo dominum antiquum illius census debere reddere annuas pensiones pro secundo, & fundare illum in alia re immobili, vel principale emptori & domino antiquo illius posterioris census, & alioqui iniquus fuisset contractus, cùm tam facilè venditor ab obligatione omni pensionis, & principalis pretij liberari posset

SIC etiam iniustus esset contractus census constituti super domum quam dominus sciret citò ruituram, vel super vineam, aut quid simile quod citò præsciretur destruendum, teneretúrque venditor census postea vel censum eodem pretio quod accepit, redimere, vel in re alia immobili, & per se loquendo perpetuò duratura ipsum collocare.

OCTAVA difficultas est, an census possit cõstitui super iure & actione quam quis habet ad exigenda alia debita quæ census nõ sunt? Respondetur, non posse, quia huiusmodi ius, vel actio ad pecuniam, rémve allam mobilem pertinens, non numeratur inter bona immobilia, vt tradit Rebellus 2. *p. de oblig. iustitiæ. lib.* 10. *quæst. 6. num.* 4. cum Sylvest. *verb. alienatio. n. 8.* Idem tenet Emanuel Rodericus *motu proprio de censib. conditione* 1. *dub.* 1. probans quia in multis legibus ciuilibus hæc numerantur inter bona mobilia. *l. à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iudicata. l. contuberniones. §. fin. ff. de pactis. l. potest. ff. de auctoritate tutorum.* & ideo tutores possunt vendere tales actiones, & iura minorum suorum; vt post Barto. *l. tutor qui repertorium. §. finali. ff. de auctoritate tutorum.* resoluit Pinel. 1. *p. relectionis. C. de bonis maternis. à num.* 24. Idem tenet Rebel. 5. *Num. 18.*

HÆC verò sũt contra Accursium *l. fin. verb. quærere. versic. respondere secundùm quosdam. Cod. in quibus causis in integrum restituatur.* asserentem huiusmodi iura, & actiones seu obligationes inter bona immobilia computari, & consequenter censum in illis constitui posse. Hæc tamen intellige stando in Bulla Pij V. nam illa

Digitized by Google

illa secluſa etiam in illis cenſus cõſtitui poſsũt, ſicut in aliis rebus mobilibus, quæ ſunt in ſtatu fructificãdi, vt docet Valentia 2.2. *diſp.5.q. 22. puncto 2.* & Medina *q.11.de vſuris.* vt in quarta difficultate retulimus.

DVBIVM VIII.

De ſecunda conditione poſita à Pio V. vt non valeat cenſus niſi fiat pecunia numerata præſentibus teſtibus, & notario in actu celebrationis inſtrumenti: non autem priùs recepto integro, iuſtóque pretio.

SVMMARIVM.

1 *Prima difficultas, an ſtãdo in iure naturæ licitum ſit emere cenſum pecunia, vel parte pecuniæ credita? ſententia negans, & affirmans referuntur. Secunda admittitur, & ad contraria argumenta ſit ſatis n.2. 3.*

4 *Quarta difficultas, an ſit licitum conſtituere cenſum ex maſſa argentea, vel aliis mercibus loco pecuniæ datis, vel ex pecunia aliquo titulo cẽſuario debita? ſententia affirmans præfertur, & probatur, & ad contraria argumenta reſpondetur n. 5.6.*

7 *An iure poſitiuo prohibitum ſit cenſum mercibus, vel debito conſtituere ad modum in ſuperioribus explicatum?*

8 *An vbi recepta eſt Bulla Pij V. quæ expreſsè prohibet conſtitutionem cẽſus niſi in pecunia numerata, cenſus aliter conſtitutus ceſſante omni fraude & iniuſtitia in pretio validus ſit, ſaltem in foro conſcientiæ?*

9 *Sententia affirmans validum eſſe in vtroque foro.*

10 *Sententia tenens tantùm in foro conſcientiæ.*

11 *Vera ſententia affirmans in nullo.*

12 *Tertia difficultas, an quod diximus vbi non eſt recepta Bulla Pij V. pretium poſſe dari in debitis antea contractis, ſit verum vniuersè, an cum aliqua exceptione? Duæ opiniones referuntur. Secunda impugnatur n.13.*

PRIMA difficultas hîc eſt, Num.1. an ſtando in ſolo iure naturæ licitum ſit emere cenſum pecunia, vel parte pecuniæ credita? Partem negãtem docẽt Mol. *de vſur.n.355.* Nauarr. *Cõmẽtario de vſur.n.85.& 88.* Emanuel *de cenſibus.cond.4.in princip.* Rebellus *de oblig. p.2.q.1.n.21.* Palac. *4. de contract. c.6.* Felician. *1. de cenſibus.c.8.n. 11. & 12.* Salon *2.2.diſp.de cenſibus.art.3.controu. 7.& 8.* Maurus Antonius Berarducius *titulo de vſura circa contractus cenſuales.pag.288.* Antonius Gomez *tract.de cenſibus cond. 4.n. 12.* Gaſpar Rodericus *1.de reditibus.q.13.n.3. ad finem.*

PROBAT Rebellus primò, quia cùm huiuſmodi contractus introductus ſit, vt ſubſidio præſentis pecuniæ occurreretur præſentibus neceſſitatibus, & ſecluſo iſto euentu non ſolùm inutile, ſed etiam damnoſum apertè ſit cuique in re ſua cẽſum conſtituere, inualidus iure naturæ erit cenſus, vel ſaltem iniuſtus in quo pretium integrum ſtatim nõ ſolui

Digitized by Google

soluitur: & iniquum apparet eius, quod quis non accepit, reditus soluere, & alioqui quod pro fauore vēditoris introductum est, contra venditorem militabit.

SECVNDO probat Salon, Felician. & Palac. quia contractus censualis est venditio de præsenti, non in diē, siquidem ab hora initi contractus constituens censum manet debitor soluēdi pensionē annuā: ideo necesse est quòd pecunia sit præsēs & integra, ex qua recipiens fiat debitor.

TERTIO, quia Martinus V. & Calixtus III. & Pius V. videntur ponere solutionem integram pretij tēpore contractus tanquam conditionē ex natura rei necessariam. Cōfirmatur: nā Gaspar Rodericus *1. de reditibus. q. 13. n. 22.* pro certo supponit ex *l. eos, qui. C. de vsuris.* impossibile esse reditū currere nisi pro rata sortis existētis in libera potestate debitoris: ergo census constitutus pecunia credita, nō incipit currere antequā soluatur, & sic nō poterit emi pecunia credita cēsus qui statim currere incipiat, sed cursurus ab ipsa solutione pretij.

QVARTO, quia si non ex quo incipit obligatio soluendi pensionem, datur totū pretiū, pēsio nō erit proportionata pretio, sed maior: ergo cōtractus erit iniustus. Consequētia est nota, & antecedēs probatur. Nā si cōtractus fiat prima die Ianuarij, à quo die cēsuarius cōstituitur debitor pēsionis, & nō recipit nisi mille aureos, recepturus ad festū D. Ioannis alios 500. cùm pēsio dāda in eodē festo deberet cōmēsurari mille aureis tātùm, & cōmēsuretur 1500. maior erit pretio; quod est iniquum.

Num. 2. CONTRARIAM sētētiā tenet Sot. *Ioan de Salas.* *6. iustitia. q. 5. art. 1.* quem videntur sequi Mol. *tom. 2. de iustitia. disp. 390. clausula 2.* Vinsfeldius *super c. in ciuitate. de vsuris q. 12.* post Bullā Pij V. conditione secunda: quatenus absolutè docent conditionem hanc Pij V. nō requiri iure naturæ. Apertiùs eandē sentētiam tenet post Bullam Calixti conditione quarta Sa *verb. census. n. 3.* dicens, etiam stante Bulla Pij V. cessante fraude, posse cēsū nō statim solui. Videtur etiā opinio Læsij *lib. 2. c. 22. dub. 12.* dicētis, ad iustitiam cēsus iure naturæ nihil aliud esse necessariū, nisi vt sit æqualitas, & si aliqua grauamina hinc inde per pacta imponantur, ea prudentis arbitrio debitè compensentur.

PRO hac sententia est primū validū argumētū, quia cæterarū rerum emptiones & venditiones possunt fieri pecunia credita, seu solutione dilata: ergo & vēditio cēsus; par enim ratio est. Antecedēs patet ex communi vsu, & *§. vendita verò res & tradita. instit. de rerum diuisione. l. quod vēdidi. 19. ff. de contrahenda emptione.*

SECVNDO arguitur, quia census iā constitutus potest emi pecunia credita: ergo & impositus de nouo. Antecedēs docet Anto. Gomez *de censibus. cond. 4. n. 12.* & consuetudo ipsa.

TERTIO, quia potest quis vendere censū cū pacto, vt non currat statim, sed post aliquot, menses, vel annū, aut aliud tēpus; vt ait Gaspar Rodericus *lib. 2. de annuis reditib. q. 1 n. 50. in fin.* & consuetudine receptum est. Ergo etiam emptor potest deducere in pactū, vt pretium totum, vel pars non statim soluatur: eadem enim ratio videtur.

PROPTER hæc probabilis est hæc sententia, quam Num. 3.

Digitized by Google

tuendo ad primum argumẽtũ prioris ſententiæ dici poteſt, debitori ſæpe melius eſſe aliquando emptori vendere cenſum pecunia credita quàm ſtatim tradita, quia apud ſe haberet pericula latronum, vel ſimilia, aut quia emptor non habet de præſenti pecuniam: poſtea verò erit abſens, nec poterit venditor cũ eo contrahere, nec indiget modò pecunia, ſed poſt menſem, aut annũ: quare ergo tunc non poterit cenſus emi pecunia credita?

Ad ſecundum reſpondeo, quamuis illa venditio ſtatim conferat dominium rei venditæ, quod eſt ius ad penſiones, tamen poteſt fieri pecunia credita, ſicut quando emitur domus, ſtatim fit ementis, licèt pretiũ ſit creditum.

Ad tertium reſpondeo, conditionem de ſolutione pretij in celebratione contractus, non poni à Calixto, & Martino tanquam neceſſariã, ſed tanquam ſufficiẽtem cum aliis ad honeſtatem cenſuum de quibus fuêre conſulti, vt cum multis diximus dubio 6. Pius autem V. præcepit adhiberi, non quòd eſſet neceſſaria ex lege naturæ; ſed quia expediebat eam præcipi ad obuiandũ fraudibus.

Ad cõfirmationẽ reſpondeo, id eſſe verũ in cõmuni modo cõtrahẽdi, ſecus, ſi aliquando fieret venditio cenſus toto pretio, vel eius parte credita per aliquod tempus.

Ad quartum reſpõdeo, ſicut aliæ res emptæ ſunt proportionatæ pretio, quanuis ipſum, vel pars ipſius non ſtatim detur, ſed poſtea; ita ius ad pẽſiones, quod emitur in cõſtitutione cenſus, eſt proportionatũ pretio omnino, vel ex parte credito.

Secvrivs tamẽ & probabilius eſt cenſum ſtatim integrè currẽtem iniuſtè emi pretio, vel parte pretij credita, ſecus ſi pactũ ſit, vt nõ currat integrè, donec pretium ſit integrè ſolutum, ſed pro rata accepti pretij.

Ad primum autem argumentum ſecundæ ſententiæ reſpondet Rebellus non opus eſſe, vt per omnia venditio cẽſus ſimilis ſit cæteris vẽditionibus: cùm enim ſit ſpecie diuerſa, diuerſas ſeu peculiares debet habere proprietates, vnde à quibuſ. dam venditio anomala, ſeu irregularis appellatur. Sed hæc ſolutio nõ ſatisfacit, quia ſolùm differt materia ab aliis venditionibus: diſtinctio autem materialis non eſt ſpecifica: vnde reſpondeo, in hac venditione id eſſe ſpeciale ratione materiæ; nam, vt ſ. dicebamus, hîc cõmutatur pecunia præſens pro futura per longa interualla recipienda, & quo plus pecuniæ recipitur de præſenti, maior penſio ſoluenda eſt; vnde iniquũ eſt pecunia, vel eius parte dilata æqualem penſionem exigere: ergo debet reſtitui exceſſus penſionis, ſi recepta fuerit, ſeu augeri pretiũ cenſus, quod hîc idem eſt; nam tantum debet eſſe pretij incrementum, quãtus fuit penſionis receptæ exceſſus. Quòd ſi receptus exceſſus non fuerit, recipiendus non eſt, quia nullo titulo debetur, vel ſi debetur à vẽditore, compenſari debet incremento æquiualente ab emptore.

Ad ſecundum reſpondeo, non eſſe ſimile, quia emens cenſum iam conſtitutũ, non cõmutat pecuniam præſentem pro futura ab ipſo cum quo contrahit recipiẽda: ſed pro iure quod habet in aliũ, & quod trãsfert in emptorem; quod perinde emi poteſt atque aliæ res immobiles, nẽpe credi

Digitized by Google

credita per aliquod tẽpus pecunia.

AD tertiũ respondeo, pactu illud vt census nõ statim accepto pretio incipiat currere, esse iniquũ, nisi vẽditor de pretio minuat, vel pẽsiones augeat: & similiter emptor, si deducat in pactũ, vt pretiũ non statim integrè soluatur, debet pretiũ augere, vel de pẽsionibus minuere: quæ paria sunt. Nõ igitur potest emptor dilata solutione pretij, vel partis eius integras pẽsiones recipere, ac si totũ pretium esset à principio solutum.

Num. 4. SECVNDA difficultas est, an sit licitũ constituere censum ex massa argẽtea, vel aliis mercibus loco pecuniæ datis, vel ex pecunia aliquo titulo debita censuario? Hæc quæstio intelligi potest vel stando in solo iure naturali, & diuino, vel stando in iure positiuo humano. In primo sẽsu variæ sunt opiniones, quoad vtrãque partem difficultatis, quæ sigillatim tractandæ sunt.

QVOAD primam ergo partem de mercibus stãdo in iure naturali, seu diuino (quod idem est, quia hîc nullũ est ius diuinũ positiuũ) prima sente tia est, iure naturali prohibitam esse constitutionem census pro mercibus. Probant, quia contractus cẽsualis est emptio, & venditio: emptio autem & venditio non est sine vero numismate & pecunia: datio enim vnius mercis pro alia, cõmutatio, nõ emptio, aut venditio est, vt ex terminis cõstat, & ex *l. 1. ff. de cõtrahen. empt. l. naturalis. §. & si quidẽ. verſ. Sed ſi ſcyphos tibi dedi. ff. de præſcrip. verb. pacta conuẽta, eodem tit. l. 1. ff. de rerum permut. §. pretium. & §. item pretiũ. inſtit. de emptio. & vend.* & ex aliis textibus & Doctoribus in hos textus: ergo non potest cõtractus censualis celebrari mercibus, sed sola pecunia. Hãc sententiam tenet Felician. *tom. 1. lib. 1. de cenſib. c. 4. n. 10. 11. & 12. & tom. 2. lib. 1. de cenſib. c. 4. n. 3. 4. & 6.* dicens etiãsi merces dentur pecunia æstimatæ, censũ nõ valere, sed reditus in sortẽ cõputandos esse, etiamsi à principio agatur de reditu certo pretio in pecunia constituẽdo, & postea loco pecuniæ species taxata quãtitate detur, quia etiam tunc non est emptio.

SECVNDA & vera sentẽtia est: stãdo in iure naturæ, censũ posse mercibus solis sine pecunia cõstitui, aut tradẽdo pretiũ partim in mercibus, partim in pecunia. Ita Nauarr. *Comment. de vſur. n. 105. & conſil. 1. de empt. & vendi.* Ludouicus Lop. *in Inſtruct. negot. lib. 1. c. 59.* Molinæus seu Cabal. *de vſur. q. 22. n. 225.* Sal. *2. 2. diſp. de cenſ. art. 5. controu. 7. p. 2.* & alij postea referendi. Quos sequitur Gaspar Rodericus *1. de reditib. q. 12. n. 3.* Sed cum quadam limitatione; ait enim, si reditus venditur pretio conuento in pecunia, & soluitur pro eo massa argenti, aut alia species æstimata, valet cõtractus *arg. tex. in l. ſi pro mutuo. C. ſi certum petatur. l. pro auro.* iuncta glossa *1. ff. de vſuris.* quia in tali euẽtu cõtractus est emptionis, quidquid dicat Felicia. ẽ. & Gutierrez *2. practicarũ. q. 176. n. 2.* cùm pretiũ & merx, id est, reditus ipse, interueniant. Nec obstat quòd ex natura rei pretiũ in pecunia requiritur: nam licèt verũ sit quod ex natura rei debet interuenire pretiũ in pecunia numerata, intelligendũ est respectu conuẽtionis, non verò numerationis, quia, vt elegãter dixit Vlpian. *l. 1. ff. de contrahen. emptione. Non pretij numeratio, ſed cõuẽtio perficit ſine ſcriptis habitã emptionẽ.* Atque ita conuentione habita de

Num. 5.

Digitized by Google

pretio in pecunia, licèt postea loco pretij detur species æstimata, vera emptio contrahitur. *l. pretij causa. C. de rescindenda vendi.* vbi glos. Fauianus *tract. de emptio. & vend. p. 5. princip. n. 2.* Pinel. dicens communem *Rub. de rescin. vend. p. 2. c. 1. n. 16. vers. nec obstat. & c. 3. n. 1.* & ita hoc casu censum valere voluit Nauar. *consil. 1. tit. de emptio. & vend.* Hæc Gaspar Rodericus *illo n. 3.* addit verò in 5. etiam valere reditum quãdo constituitur nõ habita mẽtione pretij in pecunia, sed pro specie æstimata. Si tamẽ cõstituitur pro specie nõ æstimata (quòd rarò cõtigit, cũ fere sẽper creditores de pretio in pecunia cõueniãt) tũc cũ nõ sit venditio, vt tradũt ꝫ. relati, non subsistet annuus reditus. Hæc ille, quæ mihi non placent, sed teneo etiamsi merces dentur non æstimatæ in pecunia, censum constitui posse, siue illa sit verè & formaliter vẽditio, siue non. Nam cẽsus, seu ius ad pẽsionem non sola venditione acquiri potest, sed donatione, legato, & permutatione, quæ emptio quædam virtualis est: vnde frustra & inaniter contẽdũt Felicianus & Rodericus, an contractus sit emptionis, & venditionis, vel non? Quanuis iuxta eorum & aliorum sententiam relatam difficultate præcedẽti, quòd cẽsus nõ potest currere nisi pretio tradito, dicẽdũ est, etiãsi priùs cõuẽtũ sit de tradẽda pecunia, vel de merce absolutè, vel de merce æstimata in pecunia, vsque ad traditionẽ pecuniæ, vel mercis, contractũ qdẽ valere, sed cẽsũ nõ currere.

PER hæc patet ad fũdamẽta Feliciani, & ad fũdamẽta Roderici, quatenus ait si non sit conuẽtio de mercibus pecunia æstimatis censum non valere, & absolutè teneo mercibus constitui censum posse, stando in lege naturæ, quod præter citatos tenet Vinsfeldius *de vsuris. super cap. in ciuitate. q. 11.* post motum proprium Pij V. conditione secunda, Molina *tomo 2. de iusti. disp. 390.* Salazar *de vsu & consuetud. cap. 6. vel 8. n. 45.* Paulus Parisien. *consil. 75. n. 33. & seq. lib. 4.* Petrus Follerius *in practica censuali. vers. si huiusmodi census super rebus. nu. 95.* & post Bertrandum Tiraquel. *lib. 2. de retractu conuentionali in fine. n. 137.* Redoanus *de rebus Eccles. non alien. Rubri. 16. de constit. cens. n. 16.* Benedictus Bonius *tract. de cens. ib. art. 25. n. 52.* quos refert Gaspar Roderic. 1. *de reditib. q. 13. n. 1. in fine. & n. 3.* Quorum ceteutia confirmatur, quia pecunia est quidquid pecunia æstimari potest: sed merces sunt huiusmodi; ergo quoad constitutionem census æquiualent pecuniæ. Vnde *l. pretij causâ non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.* Quod malè restringunt Sarmien. *7. Select. c. 1. n. 39.* & alij ad casum in quo priùs erat conuentũ de pecunia: nam eadem est ratio, licèt non fuerit conuentum de pecunia, saltem si postea merx taxata & æstimata sit. ex *l. 1. C. de rerum permut. in verbo licèt non taxata quantitate.* vbi Accursius, Barthol. & Baldus à contrario sensu docent, taxata quãtitate esse emptionẽ, quia textus dicit nõ taxata quantitate esse permutationẽ; quod etiam docuerũt Paul. de Castro ibi, Decius *consil. 160.* Tiraq. *de retractu. §. 1. glos. 14. n. 19.* Alciatus *l. 1. ff. si certum petatur. n. 23.* Molinæus *in consuetud. Parisien. §. 13. glos. 5. 147.* omnes tamen docent cõtractũ in vtroque casu esse validum: ergo similiter census est validus

Digitized by Google

lidus siue merx pro illo data, fuerit æstimata, & taxata, siue non. Nam & vēditione, & permutatione constitui potest, & qui rem permutatā accepit, emptori similis est, itē qui rē in solutū accepit. *l. quib⁹ ex causis in possessionē eatur.* Simile habetur *l. apud Cels. §. si quis autē. & l. Senatus. in prin. ff. de legib.*

QVOAD secundam verò partē huius difficultatis de pecunia antea debita, an scilicet ex ea cēsus cōstitui possit secluſa Bulla Pij V. & omni iure positiuo, Felician. 1. *de cēsibus. c. 8. n. 13. 14. & 15. & lib. 2. c. 5. n. 17.* partē negātem tenet, quia cēsus solo titulo emptionis, & venditionis cōstituitur; at datio in solutū emptio nō est. *l. fin. ff. ex quibus causis in possessionē eatur.* Secundò, quia si in cēsu non esset necessaria pecuniæ numeratio tempore cōtractus, sequeretur haberi posse fidem de pretio, quod est contra dicta difficultate præcedenti. Tertiò, quia ex solutione debiti non debetur gabella; ex cōstitutione autem census debetur gabella: ergo solutione debiti non constituitur census. Pro eadem sententia refert Felician. aliquos Iurisperitos, & Palaciū 4. *de contract. c. 6.* eandem amplectitur Rebel. *de oblig. p. 2. lib. 10. q. 1. n. 23.* ex alio etiā fūdamēto, nimirū quia cōtractus census ordinatus est ad succurrēdum cēsuarij necessitatibus. Si autē non sit pecunia numerata, non sucurretur censuarij necessitatibus: ergo contractus est nullus: vnde si aliqui reditus ex eo recepti sūt, restituēdi sūt, vel in sortē cōputādi. Cōtrariā tamen sententiā, nempe ex debito liquido censū constitui posse secluſo iure Pōtificio, tenēt Vinsfeld. Molin. & Salazar s. Gaspar Roderic. 1 *de reditibus. n. 3. & seqq.* licèt cū quibusdā limitationibus, de quibus postea Sa *verb. census. n. 3.* Læsius 2. *iust. c. 22. dub. 12. n. 80.* Nauar. *Comm. de vsur. n. 88. & 121.* Boninsignius *tract. de censib. c. 5. n. 5.* Ioan. Baptist. Corr. *in Summ. q. 239.* Salon *disp. de censib. art. 3. contro. 8.* Emanuel *tract. de censib. cond. 4. dub. 1.* Anton. Gomez *tract. de censib. n. 12. & seqq.* Vega *in Summa, & Epito. verb. census. casu 7. & casu 15.* Petrus Surdus *cons. 160. n. 38.* Parisius, Follerius, Redonaus, Tiraq. Bonius citati à Surdo, & Gaspare Roderico s. Idē tenet Nauarr. *Comm. de vsur. n. 105. & consil. 1. de empt. & vend.* Lopez *Instruct. negot. lib. 1. c. 59. cond. 4.* Molinæus *de vsur. q. 22. n. 225.* Aymon *cons. 217. n. 4.* Decian. *consil. 2. n. 68. lib. 1.*

PROBATVR primò, quia cū iuxta cōmune vulgaréque proloquiū apud omnes receptū pecunia sit quidquid pecunia æstimari potest: sed solutio illius debiti est pecunia æstimabilis: ergo sicut census pecunia constitui potest, ita & solutione debiti. Secundò, qua mercibus potest constitui cēsus, vt vidimus: ergo & extinctione alterius debiti; quæ non minùs valet censuario, quàm merx vel pecunia, qua emi posset census. Confirmatur, quia accipere 100. aureos in solutos, idē est ac illos dare: ergo sicut illi dati essent in iustū pretium constitutiuum census, ita ipsi accepti in solutos. Tertiò: quia sic censitor verè soluit totum & integrū pretium census transferens in dominium censuarij pecuniam sibi debitam, qua emere potest ipsum cēsum; ergo in eo contractu nulla est iniustitia, imò meliùs agitur cum cēsuario, quàm si cogeretur pecuniam debitam dare, quia sic censuarius fortè deberet pecuniam qua indiget.

Digitized by Google

dare, vel bona ſua viliùs vendere, vt ſolueret, vel ſub vſuris ab alio eã accipere. Quartò, hîc nullũ interuenit mutuum, ſed iuſta cõmutatio vnius debiti pro alio, nempe debiti pecuniarij pro obligatione reddẽdi penſionem, quandiu non redimatur cenſus: ergo nulla interuenit vſura, aut iniuſtitia.

Num. 6. Ad primũ argumẽtũ reſpõdeo in oppoſitum, cenſum non tantùm emptione formali, ſed etiam virtuali conſtitui poſſe, qualis eſt accipere in ſolutum aliud debitum pro cenſu: nam qui rem permutatam, vel in ſolutam accepit, emptori ſimilis eſt. *l. fin. ff. quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.* cum aliis concordantibus ſuperiùs relatis. ſic ad rationẽ ſimoniæ ſufficit virtualis emptio rei ſpiritualis, qualis eſt eius permutatio pro re temporali, vt cum omnibus docet Salon *illa controuer. 8.* & certè ſi creditor pecuniam debitam à debitore acciperet, poſſet eãdem reddendo cenſum creare: perinde autem eſt eam illi in pretium cenſus relinquere: ergo ſic poteſt cenſum creare, vt authoritate Iudicis poteſt debitor pupilli, vel alterius condemnari, vt vel debitum ſoluat, vel cenſum conſtituat, vt ait Salon ꝛ. ex Nauar. *Commenta. de vſuris. num. 99.* Demum datio in ſolutum habet vim emptionis, & venditionis, vt poſt alios notauit Tiraquel. *de retractu linagier.* gloſſ. 4. *num. 12. & ſequentib.* ergo ſatis eſt ad conſtituendum cenſum.

Num. 7. Ad ſecũdũ negatur conſequẽs cũ Salone, & Gaſpare Roderico, quia hîc totũ pretium ſoluitur antequam incipiat currere cenſus: ſecus quãdo cenſus credita pecunia, vel eius parte emitur.

Ad tertium reſpendet Salon *controuerſ. illa 8. in ſolutione ſecundæ cõfirm. 3. argum.* imprimis non ſolui gabellam in omni emptione, & venditione: nam apud nos cùm merces lineç minutim ciuibus venduntur, nulla redditur gabella: quin neque in cẽſibus qui conſtituuntur in pecunia actu numerata tẽpore contractus, illa ſoluitur: quanuis ſit emptio, & venditio, vt ſuperiùs oſtendimus, & docent authores alterius opinionis. Demũ quòd ex datione in ſolutũ nõ ſoluatur gabella, non prouenit ex eo quòd datio illa nõ habeat eandẽ vim quam emptio, & venditio, ſed quia ius cenſuale, quod in hoc contractu emitur non eſt merx, cui, impoſita ſit gabella aliqua, ſaltem apud nos, ſcilicet, Valenti nos. Hæc ille. Sed in Regno Caſtellæ, vbi gabella eſt impoſita vendenti cenſum, vt dubio 32. videbimus, maius dubium eſt an cùm cenſus mercibus conſtituitur gabella debeatur? & videtur non deberi, cùm talis cenſus non conſtituatur formali emptione, & venditione: ſed virtuali tantùm; odia verò reſtringenda ſint.

Ad fundamentum Rebelli reſpondeo, hoc contractu ſæpe occurri neceſſitatibus cenſuarij, ſeu debitoris, vt oſtendimus.

Sed an iure poſitiuo prohibitum eſt cenſum mercibus, vel debito conſtituere ad modum explicatum? Dico primò id non eſſe prohibitum in extrauagantibus Martini V. & Calixti III. vt contra Felicianũ ꝛ. docet Salon *diſp. de cenſibus. art. 3. controu. 8. ad 4.* Quia, vt ſæpe cum eodem, & aliis diximus, Pontifices illi approbarunt cenſus, de quibus fuêre conſulti, qui numeratæ pecuniæ

Digitized by Google

niæ conditionem cum aliis ibi relatis habebant ; non tamen reprobarunt eos qui ea, vel aliis conditionibus carerent.

Num.9. SOLVM ergo restat videndum, an vbi recepta est Bulla Pij V. quæ expresse prohibet & irritat constitutionem census nisi in pecunia numerata coram tabellione, &c. census aliter constitutus cessante omni fraude & iniustitia in pretio validus sit, saltem in foro conscientiæ?

Num.10. PRIMA opinio tenet validum esse in vtroque foro. Ita tenet Salazar *de vsu & consuetudinib. cap. 6. num. 45.* quia Pōtifex dānat cēsus celebratos non numerata pecunia tempore celebrationis ad obuiandum fraudibus quæ contingere solent in contractibus aliter celebratis, vnde si probetur fraudem nullam intercessisse, sed antea pretium iustum debitum fuisse ratione pecuniæ mutuò acceptæ, vel alterius rei æquiualentis, validi & iusti contractus illi iudicabuntur : *pecuniæ* enim nomine æquiualentia comprehenduntur, vt patet *l. pecuniæ. ff. de verb. signifi. & l. qua. 20. ff. de iure dotis.*

ALII sentiunt, talem contractū esse validum & licitum in foro conscientiæ, licèt non in foro exteriori. Nauar. *Comment. de vsuris. num. 88. & 121.* Boninsignius *tractatu de censib. cap. 5. num. 5.* Læsius *2. de iust. cap. 22. dub. 12.* Ioann. Baptista Corrad. *in Summa. quæst. 239.* Sa *verb. census. n. 3.* Fundamenta huius sententiæ ad calcem dubij *6.* proposita & soluta sunt: illud est potissimum, quòd lex fundata in falsa præsumptione, qualis ista videtur, non obligat in conscientia, quando præsumptio veritati non conformatur.

ALII, quos magis probo, tenent eiusmodi census esse illicitos & irritos etiam in foro conscientiæ. Ita Molina *tom. 2. de iusti. disp. 890.* Salon *2.2. disp. de censib. art. 3. controu. 7. & 8.* Medina *1. Summa. cap. 14. §. 26.* Lopez *1. Instructor. cap. 59.* Emanuel *tract. de censib. condit. 4. dub. 1.* Antonius Gomez *tract. de censib. condit. 4. num. 12. & sequentibus.* Rebellus *de oblig. iusti. p. 2. lib. 10. quæst. 1. num. 23. & quæst. 6. cond. 2. num. 9. & quæst. vltima difficul. 1.* (vbi tamē oppositam sentēt am probabilem putat.) Nec mirum si teneat in Lusitania. & aliis locis, vbi recepta est Bulla Pij V. illum contractum esse illicitum, & nullum, sentiat etiam à Martino V. & Calixto III. & iure naturæ esse prohibitum, & irritatum, secutus nimirum Felicianum, & Palacium sic sentientes. Hanc etiam opinionem nostram tenet Gaspar Rodericus *1. de reditibus. q. 13. num. 3. & 13.* Vega *in Summa. & in Epi. verb. cēsus casu. 2.* & aliis. Vinsfeld. *de vsuris 5. cap. in ciuitate. quæst. 11. post motū proprium Pij V. cond. 2.* & alij. Probatur, quia Pius V. omnino petit pecuniam numeratam coram tabellione, & testibus tempore contractus : ergo non sufficit antea esse datam etiam ad finem constituendi censum, nec fuisse debitam, imò, nec fuisse ostensam tabellioni, & testibus, licèt enim nomine *pecuniæ* absolutè dictæ intelligi possit aliquando quidquid pecunia æstimatur; nomine tamen *pecuniæ numeratæ* non id intelligitur, vt notant Anton. Gom. & Emanuel 5. & Rebuffus *l. pecuniæ. vers. ad hæc, de verb. signifi. & l. 1. ff. de contract. empt. & l. vendere. in fine. ff. de priuilegio. creditorum.* imò etiamsi lex absolutè dicat, (*pecuniæ,*) intelligi debet Num. 11.

Digitized by Google

bet vt ſonat de vero ſummiſmate; quia ex antecedentibus & conſequentibus, vel aliis circumſtantiis id colligitur, vt patet ex Baldo, Socino, & Purpurato *l.2.§.fin.ff.ſi certum petatur.* Bart. *l. talis ſcrip.ff. de legatis. 1.* & Romano *ſingulari 107.* Nec Pontifex id ſolùm ſtatuit in foro externo; vel in interno, quando præſumptio veritati conformetur, ſed omnino vult aliter celebratum contractũ eſſe nullũ in vtroque foro, vt patet ex illis verbis: *Hac igitur noſtra conſtitutione ſtatuimus, cenſum, ſeu annuum reditum creari, conſtituive nullo modo poſſe*, &c. *niſi vt in pecunia numerata*, &c. vbi verbum *nullo modo* ad forum etiam internũ ſe extendit, & ad caſum, in quo alioqui nulla ſit fraus & iniuſtitia, maximè cùm fraus & iniuſtitia iure naturali clariſſimo eſſet prohibita, nec op' fuerit eã à Pio V. prohiberi. Vult ergo prohibere aliqua alioqui nõ prohibita, quorũ prohibitio neceſſaria erat ad occurrẽdũ fraudibus, & periculis iniuſtitiæ, & auaritiæ, ne ſcilicet emptores cenſuum per iniuriam cogerent egentes vẽditores accipere in pretium merces, quibus nõ indigent, & aliquãdo iuſto cariùs vẽditas; aut debita nõ liquida, aut pecuniã in poſterũ ſoluendã: aut eos cogerẽt ad bona ſua immobilia dilapidanda, vel onerãda per cenſuũ venditiones, ad quæ tamẽ onerãda nõ compellerentur in foro externo, quãdiu mobilia ſufficerent. Hic igitur fuit ſcopus & finis Pontificis, qui quãuis in aliquo caſu particulari ceſſet, non tamen ceſſat in generali: ſeruari autẽ debet lex quanuis ceſſet eius finis in particulari, ſi nõ ceſſat in generali, vt patet *in l. ieiunij.* & ſimilibus, vt tradatu de legibus dictum eſt à me & omnibus aliis. Vide alia dicta *hoc dub.8.diffic.1.& dub.32.* Vbi autem nõ eſt receptus motus proprius Pij V. pretiũ cẽſus poteſt in mercibus, vel debitis antea à cenſuario contractis dari.

TERTIA difficultas, an quod diximus, vbi non eſt recepta Bulla Pij V. pretiũ poſſe dari in debitis antea contractis, ſit verũ vniuersè, an verò cum aliqua exceptione, vel limitatione? *Num. 12.*

PRIMA opinio, quam tenet Emanuel *tract.de cenſibus.cond.4.dub.1.* & Anton. Gomez *tract.de cenſib. cond. 4. n.18.* & Vega *in Summa, & Epito. verb. cenſus.caſu 15.* affirmat, ſi debitum à cenſuario nõ ſit cõtractũ ex mutuo, vel depoſito, vel alia cõſimili cauſa, ſed ex venditione aliquarũ merciũ; quia merces cariùs iuſto ſolent eſſe venditæ ad creditũ. Hoc idem tenet Anton. Gomez ibi etiam vbi viget Bulla Pij V. quia in priori euẽtu ceſſat ratio legis, non verò in ſecundo. Sed hæc opinio meritò reiicitur à Gaſpare Roderico 1 *.de reditib.q. 13.n. 5.& n.12.& ſeq.* quia interdũ merces venduntur iuſto pretio ad creditũ; quod pretiũ habet latitudinem, nam pretium iuſtum aliquando eſt infimum & piũ, aliquando ſummum & rigoroſum, aliquando eſt mediũ ſeu mediocre & moderatũ, vt poſt Ariſto. 2. Ethic. c. 6. docent Coua. 2. *Var. c. 3.* & Meſſia *in pragm. frumẽtaria. con. 3. c. 1.* & cæteri paſſim: ergo ex eo pretio iuſto poterit cenſus conſtitui vbi nõ eſt recepta Bulla Pij V. nec enim maior eſt ratio de debito contracto ex mutuo, vel depoſito, quàm de debito contracto ex venditione, ſi verũ debitũ eſt, vt ex eo poſſit conſtitui cen

Digitized by Google

census: ergo sicut in vno euentu potest constitui, ita & in alio. Vbi autē recepta est Bulla illa, in neutro euētu potest constitui, quia in neutro cessat ratio legis in communi, esto interdum cesset in particulari.

Num. 13. SECVNDA opinio est eiusdē Roderici *illa q. 13. nam n. 6.* ait: Aut incontinenti post venditionem & traditionem mercium, pro pretio earū constituitur reditus, & tunc nō valet, quia is est casus Arrestorū Parisiēsis Senatus, in quibus fuit cōdemnatus iste contractus, vt refert Rebuffus ad leges Galliæ *tom. 2. de constit. redib. art. 1. glos. 5.* & quotidie rescindi in Regio Hispaniæ consilio refert Felicianus *1. de censibus c. 1. n. 10.* Primò, quia mercator ex eisdē mercibus alioqui iusto pretio venditis, & eodem actu cōsequeretur duplex commodum, duplicem negotiationem & quæstum, primum ex venditione mercium; secundum ex acquisitione reditus, quod est prohibitum *l. bona fides. ff. de regul. iuris.* & tradit Rebuff. ꝛ. Secundò, quia mercator ex eo quòd non recipit promptā pecuniam, pluris solet vendere, & ex eo pretio excessiuo partim non suo reditum emit, & sic minori pretio censum emit, quàm sit lege taxatum. Tertiò, propter pernicioſum exemplum, & deformationem ciuitatis quæ sequeretur: cùm enim omnes mercibus passim indigeant, omnes tandem & omnia prædia vsuris subiicerentur. Quartò, quia huiusmodi reditus inuenti sunt, vt sit aliquis commodus alieni æris vsus, sine quo negotia conseruari non possūt. Non igitur ita debent exerceri, vt meliores & honestiores negotiationes deserantur. Quintò, ne allician-

tur mercatores ad vendēdas merces nō minutatim egētibus pro vsu suo, sed in magna quantitate constituentibus pro eis reditum, quas vili statim cum magna sua pernicie distracturi sunt.

SED hæc sententia falsa est, quia supponimus merces iusto pretio esse venditas, & sine pacto vt illis minori pretio reuendantur; id enim esset *mohatra*. Hispanè dicta, & contractus pernicioſissimus, & execrandus, & vsuram palliatam continens. De eo agit *l. 22. tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis*. Caiet. *verb. vsura. casu 17. ad finem*. Gutierr. *in pract. c. 39. n. 71.* alios referens: sed sine vllo pacto vendūtur, & emuntur, & ex pecunia pro illis debita census constituitur, vel ipsæ immediatè pro censu commutantur æqualis valoris.

RATIONES autem in contrarium sunt friuolæ & informes. Ad primā facilè dicitur, si immediatè merces dentur pro reditu, vnum tantùm esse actum, nempe commutare vnam rem pro alia, in quo fortè perdet; nā sunt multa pericula recipiendi pensiones, & recuperandi valorem rei datæ per tam longa interualla. Si verò priùs vendantur, & postea ex pretio debito census constituatur, sunt duo, & fortasse nullum erit lucrum, sed damnum; quia nullum pretium recipitur in pecunia, sed in censu, qui fortè peribit antequam pensiones adæquent sortem: & fortasse etiam merces maiori pretio emptæ fuerant, quàm censuario venditæ. Præterea lex illa non dicit ex eodem actu non posse duplex lucrum haberi, sed tantùm ait: *Fides bona non patitur vt bis idem exigatur.*

Ad secundam respondeo, nos nõ loqui de euentu, in quo mercator excessiuo pretio vendit merces, & ex eis censum emit pretio lege taxato, sed in eo euentu, in quo pretio iusto, licèt interdũ summo, merces emit, & postea, vel incontinenti ex eis censum constituit æqualẽ in valore pretio mercium. Ad tertiã respondeo, in ea re nullũ esse perniciosum exemplum, nec Reipub. pernicie; nã licèt omnes mercibus indigeant, non tamen in ea copia, vt ex illarum pretio possint censum cõstituere: quòd si aliquando constituãt, ipsi viderint, an eis sit commodum, vel minùs noxiũ quàm soluere debitum alio modo; quisque enim habet ius ad exigendum debitũ pro mercibus, siue in pecunia, siue censum creditori constituẽdo. Ad quartam respõdeo nõ ex eo impediri alias honestiores negotiationes, quia rari sunt, qui ex debito per mercium vẽditionẽ contracto censum suis rebus imponere velint. Ad quintam respondeo, non ex eo allici mercatores ad vendendas non minutatim merces, quia rari sunt qui merces quibus non indigent, emant, & ex pretio debito suis rebus censum imponant. Sed multi petunt merces minutatim, & soluto statim pretio, quod melius & tutius est mercatoribus. Quòd si in Senatu Galliæ, vel Hispaniæ census huiusmodi damnantur, id est propter veram iniustitiam, vel etiam vsuram, aut eius suspicionem interuenientem. Sicut ergo ex debito mutui constitui reditus potest. *l. si pro mut. C. si certum petatur.* ita ex quolibet debito, etiam si per proximam venditionem mercium contractum sit; sicut concedit ipse Gaspar Rodericus *n.* 14. cùm multæ mercium venditiones præcesserunt, & vltima proximè præcessit, reditum ex debito earum creari posse; quod verum est, licèt mercator non mercatori magnam mercium quantitatem vendiderit suis vsibus non necessariam, sed aliis vendendam, si enim verè eas vendidit iusto pretio, ex eo potest census creare, si debitor velit, quidquid dicat Rodericus *n.* 10. licèt fortè in foro externo erit vsuræ præsumptio, existimabitúrque debitor pro pretio mutuato vsuras soluere. Hæc intellige nisi debitum sit à debitore præscriptum, vt apud Gallos Regia lege anno 1512. præscribitur sex mensibus, & apud Hispanos *lege finali tit.* 15. *lib. 4 noua collectionis* præscribuntur salaria famulorum, pharmacopolarum, & aliorum officialiũ mechanicorum, & res mobiles. Quanuis de bona fide ad præscriptionem necessaria debitores à Iudicibus cũ iuramento interrogandi sint, vt ait Rodericus *illa q.* 13. *n.* 15. cũ Couarr. *reg. possessor. p. 2. §.* 11. *n.* 4. *versic. tertiò infertur.* & Petro Duennas *reg.* 306. *incipiente, famulus. limit.* 9. Similiter per legem Matritij editam anno 1582. *c.* 82. aduocatorum honoraria, & procuratorum salaria triennio præscribuntur: nec eius legis dispositio pacto seu renuntiatione tolli potest, iuxta Roderic. *n.* 17. de qua renuntiatione agebant Bart. *l.* 1. *de vsucapio. in fine.* Iason *l. nemo potest. n.* 116. *de legatis.* 1.

S 1 verò debitum non est præscriptum, quia non transiuit triennium, vel quia non fuit bona fides in debitore, reditus ex eo constitutus valet: & malè Rodericus *n.* 18.

re

Digitized by Google

restringit ad semestre: imò potest Iudex condemnare debitorem, vt nisi intra sex menses, vel annum restituat, reditus currat, quod etiam paciscì posset creditor, vt *eodem n.* Rodericus affirmat.

Sed an liceat supellictili argentea, vel setica reditum constituere? Respondeo, posse, sicut aliis mercibus, vel earum pretio; eadem namque ratio est: vnde in hac quæstione explicanda frustra vexatur Rodericus *n.* 19. *& sequentibus.* & malè tenet reditum non valere, nisi amissa æstimatione, & valore artificij, seu manufacturæ, etiamsi venditor mercium sit rogatus, & non esset alioqui merces venditurus.

Sed aduerte, quòd si censitor ex debito contracto per mutuum, vel alia via reditus accipiat, & accusetur in iudicio de vsura, non liberabitur à suspicione vsuræ ex sola confessione censitoris, sed probaturus est ex pretio sibi debito censum emisse, vt tractat Rodericus *illa q. 3. n. 4.*

Aduerte etiam vbi locum non habet Bulla Pij V. ex pensionibus non solutis posse augeri reditum antiquum, vel nouum constitui: secus vbi Bulla locum habet, vt docet Rodericus *ibi n.* 32. cum Nauarr. *Comment. de vsuris. num. 94.*

Aduerte etiam ex debito litigioso emi posse censum, reducendo debitum ad minorem valorem ratione dubij & litis: nam minùs valet ius litigiosum, & obscurum quàm liquidum, certum, & clarum. Hoc potest dupliciter fieri, vno modo, si tale debitum debet censuarius censitori; alio modo, si tertius censitori illud debet, & censitor transfert ius suum in censuarium pro censu: imò si creditor caueret de euictione, & de bonitate debiti, posset emere censum illo debito, quasi esset liquidum, non tamen incipiet currere census donec debitum totum, vel pars exigatur, aut censuarius fuerit negligens in exigendo, & curret pro rata eius quod exactum fuerit, & à tempore exactionis. Vide Rodericum *illa q. 13. n. 35. & sequentib.* qui etiam *n. 40. & sequentib.* quærit, an valeat contractus, quo colonus domino suo cēsum constituit pro reliquiis conductionis; & bene resoluit partem affirmantem valere.

Ex dictis patet malè Felicianum reiecisse *tom. 2. de censib. lib. 2. c. 4. n. 3.* Theologos Complutenses asserentes inspecto iure diuino, & naturali in censum dari posse res mobiles vsu consumptibiles, vt vinum, oleum, &c. neque refert quòd contrarium dicat Anto. Gomez *tract. de censib. art. 3. n.* 18. Malè etiam *n.* 4. contra Sahagum *c. in ciuitate. de vsuris*, docere argentum rude, vel elaboratum, & similia non posse dari in censum, seu censum ex eo creari non posse, & in supremo Senatu varias fuisse opiniones in quadam lite, & primò iudicatum esse censum validum; sed postea inualidum; quod vltimum iudicium ipse approbat, immeritò tamen. Sed pro opinione Sahag. parum facit *l. 1. §. vlt. ff. de auro, & argen. legato. & l. si quis argentum. ff. de donatio.* & quod notat Pinel. *Rub. de rescin. vend. p. 1. c. 8. n. 9.* Cuiacius *Nouel. 4. colu. 346. in princip.* Rectè enim Feli. respondet, nihil probare, quoniam licèt verissimum sit debi-

torem massæ auri, vel argenti satisfacere soluendo pecuniam numeratam æqualis æstimationis, econuerso tamen debitor pecuniæ numeratæ non satisfacit præstando massam auri, vel argenti, vt cum Decio, Alciato, Butigella & Ripa obseruat Pinel. testatus esse veriorem, & communiorem sententiam *d. cap. 3. n. 14.* Ergo si iure naturæ ad censum pecunia numerata requiritur, nihil proderit præstatio massæ auri, vel argenti.

NEQVE item obesse putat *l. 8. tit. 5. lib. 5. nouæ compil.* quæ peculiariter in censu vitalitio dispossuit non posse creari ex mercibus, auro, vel argento rudi, vel elaborato, ibi: *No se pueda da todo, ni en parte alguna ni en plata labrada, ni en oro labrado, ni en tapizes, ni en otras alhajas, ni en joyas estimadas*; ac proinde in censu redimibili perpetuo. Contrarium affirmandum videbatur *argumen. l. ius singulare. & l. quod verò contra. ff. de legib. & cap. 2. de coniugio leprosorum.* Namque ea lege, inquit, magis confirmatur nostra sententia, & recepta praxis, quia reuerà nihil noui, nihilque peculiare, aut singulare inducit in censu vitalitio; sed ex natura communi, & generali census pecuniiarij legislator infert ad censum vitalitium.

EGO verò censeo ex natura rei vtrumque massa auri, vel argenti creari posse, sed ex lege non posse in hoc Regno constitui vitalitium, & ex consuetudine fortè neutrum.

AN verò si partim pecunia, partim mercibus census sit creatus, in totum sit nullus, disputat Felician. *ibi. num. 6. & 7.* & resoluit, si valor mercium excedat pecuniæ numeratæ quantitatem, censum omnino esse nullum. Sed malè, quia etiamsi vera esset opinio asserens censum non posse mercibus constitui, tamen vtile per inutile non vitiatur; ideo valet census qua parte respondet pecuniæ numeratæ: nisi mens contrahentium sit, vt si totus non valeret, nihil fieret.

IDEM Felician. *tom. 2. lib. 2. cap. 1. num. vltimo* quærit an cùm venditur census antea creatus, pretium debeat interuenire in pecunia numerata? & rectè cum Azebedo *l. 8. titu. 15. lib. 5. nouæ compila. num. 3.* docet, etsi in censu vitalitio creando requiratur præsentia pecuniæ ex dicta *l. 8.* & in perpetuo redimibili ex motu proprio Pij V. tamen eam non requiri in censu antea creato. Quod etiam tenuit Ludoui. Lopez *in Instruct. negot. lib. 1. cap. 57. versi. in contrarium est. pagina* 228. & in simili idem resoluit Felician. *eod. tom. lib. 1. cap. 8. versi. denique in proposito.* Limitat cum Azebedo, nisi in mercibus iniustitia aliqua versaretur. Sed ego idem dicendum puto in noua creatione census, quia eadem est ratio stando in iure naturali, & diuino.

DVBIVM IX.

De tertia conditione, vt non fiat, nec in pactum deducatur anticipata solutio pensionum.

SVMMARIVM.

1. Explicatur.

ID

Num. 1. IDEST, vt venditor non cogatur soluere pensionem nisi pro rata temporis elapsi, vnde nō potest emptor dum pretium numerat, ex eo detrahere pensionem primi anni per modum anticipatæ solutionis, aut elapsa parte temporis exigere amplius, quàm pensionem illi parti respondentem. Hanc conditionem esse iure naturæ necessariam, nisi hoc onus alia ratione compensetur, ait Læsius *libro 2. capite. 22. dubio 12. num. 81.*

IDEM indicat Rebellus *de oblig. iust. p. 2. lib. 10. quæst. 6. num. 9. in fine.* Certè, cùm censuarius vendat totum censum propter pecuniæ præsentis indigentiam, magnum grauamen est, non recipere statim integrum pretium, vel quod perinde est, soluere anticipatam pensionem: ergo iniustè imponitur ei hoc onus, nisi aliunde suppleatur. Voluntariè tamen omnino aliquando solui solet pensio aliqua anticipata, quia censualista indiget: hoc non prohibetur, sed solùm pactio de anticipandis solutionibus: vel anticipata ipsa solutio in principio facta, quia tunc non solet fieri voluntariè; sed ex necessitate habendi pecuniam de præsenti.

VIDE Molinam *tom. 2. tractatu 2. disputatione 390. clausula tertia,* qui dicit de natura huius contractus esse, vt pro rata temporis elapsi pensio soluatur; quod cum multis docet Couarruuias *libro 1. Variar. capite 15. numero 10 & 11.* Pactum verò de anticipata solutione est præter eius naturam. Addit verò Molina, & rectè: *Contractus ante hanc Bullam celebrati, aut vbi ea non est recepta, ex defectu huius conditionis iudicandi non sunt iniusti, & multo minùs nulli, quando pretium datum pro censu cum eo grauamine latitudinem iusti non egreditur. Cùm enim inter pretium, & mercem inæqualitas non cernatur, sanè non est cur talis contractus ex natura rei iudicetur iniustus. Si autem egrederetur latitudinem iusti pretij, quoad solum grauamen additum, remittendum esset grauamen, aut restituendum, si iam esset acceptum.*

EANDEM omnino sententiam tenet Salon *articulo 3. de censibus disputatione 12.* & bene probat.

DVBIVM X.

De quarta conditione, ne vlla pacta indebita, aut conuentiones adiungantur, quibus censuarius extra naturam contractus obligetur.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur, & sententia Læsij proponitur n. 2.*

Num. 1. VBI imprimis vetat (quod superiori conditione vetabatur) anticipatas pēsionū solutiones in pactū deduci: deinde

Digitized by Google

deinde generatim cætera pacta indebita, qualia sunt directè, vel indirectè obligantia ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non teneretur. Ponit Læsius exemplum, vt si emptor obliget venditorem ad solutionem pensionis, etiamsi casu res subiecta censui pereat, vel nullos fuctus ferat. Cùm enim in censu reali solùm vendatur ius ad fructus rei, si casu nulli sint fructus, nihil ex vi contractus debetur. Si tamen sint aliqui fructus, hi debentur emptori census, nec dominus rei quicquam ex illis percipere potest, nisi integrè emptori sit satisfactum. Quam sententiam sumpsit Læsius ex Molina *to. 2. tract. 2. disp. 390. clausula 4.* (licèt illum non citauerit) vbi ait proculdubio tenendam esse. Tum quia inferiùs peculiarem clausulam subiungit Pontifex, qua annullat pacta, quibus debitor census obligatur ad casus fortuitos circa rem, in qua census collocatur: ergo in hac agit de pactis, in quibus obligatur ad casus fortuitos erga fructus. Tum quia falsum est de natura census realis, quem solum Pius V. in hac Bulla approbat, esse pereuntibus fructibus aliquo anno, teneri nihilominùs census debitorem ad pensionis solutionem: cùm enim emptio census merè realis non aliud sit quàm emptio iuris ad recipiendā partem fructuum, quos res censui subiecta quotannis reddiderit, idque vel in ipsismet fructibus, vel in aliquo æquiualenti, vtique sicut pereunte casu fortuito, debitor census ex natura contractus deinceps non tenetur ad solutionem census, ita pereuntibus fructibus aliquo anno, non tenetur ex natura contractus ad solutionem pensionis eo anno: sed satis erit dare domino census, fructus, si quos tulerit res eo anno, deductis propria industria & expensis: secus si ob negligentiam censuarij, vel quia illi melius erat cessare vno anno à cultura agri, vt alio redderet fructus vberiores, non tulit eo anno fructus. Nam pactum de danda nihilominùs pensione ex natura contractus intelligitur, licèt non exprimatur.

Num. 2. HANC sententiam probabilem valdè putat Rebellus *2. par. de oblig. iustitiæ lib. 10. quæst. 6. cond. 3.* Sed meritò probabilius putat, dum res integra perseuerat, siue per culpam, vel inaduertentiam censuarij, siue casu fortuito fructus non ferat vno vel altero, pluribúsve annis, censuarium tamen iuxta naturam contractus ad pensiones soluendas eisdem annis respondentes obligari, vt ante Lopium *lib. 1. de contractib. cap. 60.* docuit Nauarr. *Commentario de vsuris n. 117.* Sotus *6. iust. quæst. 5. art. 1. post medium, ante 1. corol.* idque communi praxi obseruari affirmat Nauarr. & bene. Ratio est, quia census non imponitur super fructibus rei, sed super re ipsa, nec per contractum census emitur ius ad ipsos numero fructus ex eadem re colligēdos, alioqui inuito censitore censuarius non posset de fructibus rei censitæ pro arbitratu disponere, consumendo eos, vel alienando: sed venditur dumtaxat ius ad rem, hoc est, ad constitutam pensionem durante re censita exigendam, quæ eadem est siue anni sint fertiles, siue non, & alioqui infinitæ lites emergerēt, censuario asserente fructus casu fortuito defuisse, censitore verò id negante, & valde onerosum esset censitori

attende

attendere ne hac in re fraus aliqua ex multis, quæ esse possent, intercederet; & in contractu emphyteusis fatetur Molina obligationem esse reddendi pẽsiones, licèt casu fortuito fructus pereant: ergo idem in censu dicendum est. Imò nos tenemus, etiam re pereunte pẽsiones deberi in Hispania & aliis locis, vbi persona directè se obligat, & omnia bona sua. Ex quibus patet ad posteriorem Molinæ rationem. Ad priorem verò dic, Pontificem inferiùs non prohibuisse iterum eiusmodi conuentionem, nempe, vt nõ pereat obligatio re perempta ex casu fortuito, sed declarasse, re tota perempta, vel infructuosa effecta perire totam obligationem, & partem obligationis proportionaliter, si pars rei pereat, vel infructuosa fiat, quod specialiùs declarare potuit, quia hîc non tam clarè prohibitum fuit.

Addit Molina. Quod attinet ad census ante hanc Bullam creatos cum pactis in hac clausula redditis nullis, aut post hanc Bullam vbi non est recepta, dicendum est, si pretium datum non egrediatur limites iusti comparatione census cum eo onere, non esse cur ex natura rei damnentur, vt *disp. 385.* ostensum est, ac proinde licitos esse iudicandos. Si verò pretium datum limites iusti ob defectum egrediatur, habita ratione eius oneris, tunc tenebitur Dominus cẽsus restituere, quod de pretio vsque ad latitudinem iusti ob id onus deest. Hæ ille, & bene.

DVBIVM XI.

De sex constitutionibus positis à Pio V.

SVMMARIVM.

1 *Quinta, sexta, septima, & octaua conditio proponitur.*

2 *Nona conditio refertur, & circa decimam quæritur primò, an si res diuidatur in plures heredes, vel vendatur pluribus per partes, à singulis possit dominus census totam pensionem exigere?*

3 *Quæritur secundò, an si dolo aut culpa censuarij res destruatur, teneatur pensionem soluere?*

QVINTA conditio est, Num. 1. vt non fiat pactum restringens libertatem alienandi rem censui suppositam; neque vẽditor cogatur soluere laudemium, hoc est, quinquagesimam, vel trigesimam, vel aliam partem aliquotam pretij rei alienatæ. Laudemiũ enim non debetur ex natura huius contractus, secus in emphyteusi, vbi in recognitionem dominij directi debetur. Vide Molinam *disp. 390. clausula 5.*

Sexta conditio est, vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium & conditiones, quibus res est vendenda, & expectet mensem, num ipse velit emere, eúmque aliis præferat, nempe iis qui antea non habebãt ius prælationis, vt notat Nauarrus *Comment. de vsuris. n. 127.* & Læsius *lib. 2. de iust. cap. 22. dub. 12. n. 84.* & nos dubio 20. cum Molin. Intelligitur, nisi dominus census huic fauori renũtiare voluerit, vt notat Rebell. *de oblig. iustitiæ. p. 2. quæst. 6. n. 13.* Nauarrus *Comment. de vsur. nu. 29.* ait,

Digitized by Google

ait, hoc grauamen censuarij iustè potuisse omitti, introduceréque illud, esse efficere de contractu censuali emphyteuticũ. Eã sententiã videtur approbare Mol. *illa clausula 5.* Sed magis probo quod ait Læsius iustè potuisse imponi à Põtifice, quia expedit animarum saluti.

An verò si debitor cẽsus rem subiectam censui post hanc Bullam vendat, ac tradat alicui, non requisito priùs domino census, venditio valida sit, ait Molina discussum esse *disp. 372.* dictúmque ibidem esse grauamẽ hoc esse maximum, neque teneri Principes seculares illud admittere in suis Regnis, eo quòd natura contractus censualis, qui merè secularis est, id non efflagitet, neq; illo periculis animarum obuietur. Addit Molin. censuarium omissa tali conditione non cadere in commissum, sicut in emphyteusi, quia nullibi censuario imposita est hæc pœna, secus emphyteutæ. Similiter ait rem censuariam vendi posse potentiori, secus in emphyteusi: vnde si pactum fiat, ne potentiori venda tur sine consensu censitoris, pactum est irritum, imò & census vbi Bulla Pij V. seruatur; sed vbi non seruatur, contractus est validus & iustus, si grauamen hoc aliunde compẽsetur, vt aucto pretio, quod tenet Ioan. Med. *de vsuris. q. vlt.* nec in hac re discrepat Sot. *6. iustitiæ. q. 5. art. 2. ad 12.* nã cùm ait esse iniustum, potest intelligi, nisi grauamen illud iusto pretio compensetur.

Septima, vt non fiat pactũ quo venditor census incidat in vllã pœnam ob moram solutionis pensionũ, vt in pœnam commissi, seu amissionis rei censuariæ, aut interesse lucri cessantis, aut salariorum, & aliarum expensarum. Vbi nota cum Rebello s. *n. 14.* Nauarr. *Comment. de vsur. n. 93.* Salon. *art. 3. de censibus. controuer. 16.* Molin. *disp. 390. clauſ. 6.* etiã post Bullam Pij V. & vbi ea locum habet, licitè adiungi posse pactum de damno emergenti, vt si cariùs empturus sis triticum ex eo quòd pensio tibi non soluatur: etsi Læsius ait non esse adiungendum hoc pactũ propter fraudem vsurarum; sed postea exigendũ esse interesse damni emergẽtis; nam etiam sine pacto debetur. Ad, quod etiam iuxta citatos omnes pertinet, si ex culpa debitoris aliquas expensas coactus fueris subire in adipiscẽda pensionis solutione. Molin. quem sequ tur Rebellus s. *n. 15.* ait etiam posse in pactum deduci lucrum cessans intrinsecũ, vt si tenebatur soluere triticum eo tempore, quo valebat duos aureos, & tanti erat à creditore vendendum. Nam hoc lucrũ cessans est quodammodo damnum emergens, & sine pacto, de illo tenetur debitor, vt colligitur ex *l. si sterilis. §. per venditorem. ff. de actionib. empti.* Idem est de interesse extrinseco, si verè est damnum emergens, vt si ex eo quòd tempore debito mihi non soluas triticum, contingat mancipia mea mori, sine vllo pacto teneris in foro conscientiæ, vt ait Læsius s. quidquid sit de foro externo. At verò lucrum cessans propriè dictum, quale est, quod per negotiationem ex pecunia, vel per transportationẽ tritici ad alium locum perciperetur, non potest in pactũ deduci, vbi Bulla Pij V. locum habet, vt tenet Ioan. Bapt. Corrad. *in Summa. q. 239.* & Bannez *2. 2. q. 78. art. 4.* Sal. Rebell. Nau. & Læsius s. licèt Salon s. dicat verũ

lu

lucrum cessans posse in pactum deduci, quia iure naturæ debetur: vbi tamen locum non habet, pœna moderata & proportionata ob moram culpabilem, poterit in pactū deduci, vt docent Molina & Rebell. s. ex Contrad. *de cõtract. q.* 85. Med. *de vsur. q. vlt.* Nauarr. *Comment. de vsuris. n.* 110. & aliis communiter: non tamē amissio rei censitæ, quæ sæpe est pœna valdè culpam excedens. Nauarr. *Comment. de vsuris. n.* 138. Rebellus s. *n.* 16. vbi bene aduertit, etiam moderatam pœnam, si soluta fuerit, restituēdā esse censuario: quia Pius V. nō solùm ipsā pœnæ impositionē, sed etiam totum contractū cēsus irritauit, cui talis pœna fuerit adiuncta.

Molina quoque tenet pœnam amissionis rei censitæ, quæ valdè cēsum excedat, illicitam & irritā esse, licèt *l.* 68. *Tauri.* in Regno Castellæ approbetur, quā legem esse iniustā, & nō esse seruandā, nec seruari docet Ioan. Med. s. Couar. 3. *Vari. c.* 7. *n.* 1. Aluar. Valas. *de iure emphyteutico. q.* 32. *n.* 31. Guttierr. *de iuram. cōfirmatorio, p.* 1. *c.* 31. *n.* 10. *& lib.* 2. *quæstionum pract. q.* 168. & alij, quos citant.

Octava conditio, vt ex pensionibus nō solutis nō augeatur cēsus, nec nouus creetur pro censitore, vel alia persona; secus iam solutis, nam ex pecunia propria numerata augeri census, & nouus creari potest. Læsius s. *n.* 87. cum Naua. s. *n.* 94.

Advertit autem *illa clausula 6. in fin.* hanc conditionē non requiri iure naturæ, sed posse grauamē illud imponi, si iustū pretiū detur: & rectè. Sal. *art.* 3. *de cēsib. contr.* 17. *cond.* 8. ait, vbi Bulla Pij V. locum nō habet cōstitui censum posse ex pēsionibus debitis, & nō solutis, nō verò ex debēdis; quia cēsus nō potest emi pretio credito, sed dato. Addit, non posse poni cōditionē, vt cū pēsiones sint debitæ, ex illis cōstituatur, vel augeatur cēsus, nisi ob grauamē istud augeatur pretiū: magnū enim grauamē est, vt non possit censuarius pensionē soluere, sed ex ea teneatur censum augere, vel constituere.

Nona est, vt nō fiāt pacta, quibus cogatur onera aliqua soluere is, qui ex natura contractus ad ea nō tenebatur, vt si cōsuetudo, vel lex sit, vt venditor aliquid soluat fisco, non potest obligari vēditor, nec è cōtrà. Vide Nauarr. *n.* 94. *&* 132. Læsiū *n.* 87. Molinā *disp.* 391. *clausula* 7. vbi aduertit, hīc nō prohiberi accipere fideiussores, quòd res cēsita sit vēdētis cēsū, & quòd pēsio soluetur tēpore debito: & vbi hæc Bulla non seruatur licita esse talia pacta, modò iustū pretiū seruetur. Idē ait Sal. *art.* 3. *de censibus. controu.* 17. *in fine.*

Decima, vt censita re in totum, vel partem perempta, vel effecta infructuosa, pro rata pereat cēsus. Circa hanc conditionem notat Læsius *n.* 88. intelligēdam esse de re, quę in perpetuū periit, vel infrugifera est reddita, siue tota, siue ex parte; tunc enim tātūmodo cēsus perit pro rata: si enim ad tēpus pars aliqua pereat, vel infrugifera sit reddita (vt si eam flumē ripis perfossis occupauit) non perit cēsus ex parte, sed totus manet: vnde si reliqua pars aliquid ferat, ex ea debetur solutio integra. Etsi enim cēsus totus ita fūdatus sit in agro toto, & pars in parte agri, vt pereūte parte, vel in ppetuū reddita infrugifera pereat cēsus pro rata; hoc tamē nō est ita accipiendū, quasi remanente salua, & ad tēpus ex parte frugifera

non debeat pars pensionis illi respondens solui; quia si res secundùm nullam sui partē sit absolutè in perpetuum infrugifera effecta, manet secundùm se totam, & secundùm omnes sui partes obligata pro tota pensione. Quod omnium confessione verum est, quandiu tota res censui subiecta manet in dominio vnius, inquit Læsius.

Sed difficultas est, si res diuidatur in plures hæredes, vel vendatur pluribus per partes, vtrùm à singulis possit dominus census exigere totā pensionē? Couarr. *3. Variarum. c. 7. n. 7.* negat, quia istæ obligationes sūt in rebus: ergo diuisis rebus diuidūtur. Multa alia ibidem pro hac parte adducit Couarr. Idem tenet Eman. *de censib. dub. vlt. in fine.* sed contrariū esse verius docet Læsius *n. 89.* cum Nauarro *Commēt. de vsuris. n. 114.* quia conditio creditoris non debet fieri deterior ex hæredum multiplicatione: & quia nemo vellet tali conditione censum emere. Quare dicit obligationem non diuidi, quandiu res salua manet; sed totam manere in tota re, & quodammodo in singulis partibus, ita vt ex quauis totam solutionē possit accipere, & hoc vsus ipse satis comprobat. Sumpsit hoc ex Molin. *illa disp. 391. clauf. 8. & disp. 382.* Sed opinio Couarruuiæ magis placet, quam cum aliis multis amplectūtur Valasc. & Rebell. citati à me *dub. 7. diffic. 6. & dub. 39. ad finem.*

Addit *n. 90.* non esse illicitum pacisci, vt semper pēdio integra soluatur re salua manente, etiamsi interdum ob sterilitatem, vel casu minùs ferat, modò tamen talis sit, vt aliàs tantundem vel amplius ferat, ita vt illud alio anno compensetur. Quibus verbis moderatur quod *n. 82.* docuerat, si res casu fortuito aliquo anno nullos fructus ferat, non esse obligationem soluendi pensionem. Nos sine limitatione diximus superiùs, etiamsi in pactum non deducatur, deberi integram pensionē, quanuis nec fructus sufficientes eo anno sint, nec alio anno compensetur huius anni defectus & insufficientia. Addit Molina, tempore & loco quo hæc Bulla non obligat, licitum esse pacisci de solutione integræ pensionis, etiamsi res tota pereat, modò census cum hoc grauamine ematur, maiori iustóq; pretio, seu contractus assecurationis census fiat iusto pretio.

Secvnda difficultas, an si dolo aut culpa censuarij res destruatur, teneatur pensionem soluere? Læsius *3. n. 91.* ait, si dolo aut culpa censuarij res destruatur, teneri eum reddere pretium census, aut illum super alia re immobili constituere, quòd si res destructa (v.g. domus, aut molēdinum) instauretur, non esse ipsam cēsui subiectam, nisi de nouo ei supponatur, quia est res distincta à priori. Ita Naua. *n. 118.* in hoc tamē spectāda est consuetudo loci, quia multis locis vsus est contrarius. Hæc Læsius. Num. 3.

Sed Rebellus *3. cond. 4. n. 17.* ait, si res, vel pars eius culpa censuarij interierit, Bartholom. Medina *in Sūma. c. 14. §. 26.* dicit, census obligationē nulla ex parte perire, & quanuis à à Pio V. nulla talis exceptio facta sit, tamen decretū interpretādū censet in euentu quo culpa censuarij non interuenit. Eandem interpretationē alij approbant, non quòd ex natura contractus, sed quòd ex debita satisfa

factione peccati contra iustitiã cõmissi eademobligatio permaneat. Rectiùs tamen Naua. s̃. *n.* 118. & Emanuel Rodericus s̃ *cond. 5. dub. 2.* respondẽt, tũc etiam censũ perire ad ratam, non secus ac si per culpã cuiusuis tertij res destrueretur, idémque rationes paulo antèadductæ cõcludũt: verùm vt dominus cẽsus haberet contra tertiũ actionẽ doli, vel aliam quoad census pretium, totũque intereſſe lucri ceſſantis, ac damni emergentis; ſic cõtra ſuum cẽſuarium eandem actionem dominum cenſus habiturũ fore. Addit Nauar. vt minimùm cogi poſſe (ſcilicet quoad forum externũ) vt pretiũ reddat quod pro cenſu accepit, aut vt cenſum rurſus in alia re ſimili conſtituat. At verò ſi culpa leuis interuenerit, ſaltem in foro cõſcientiæ, minorẽ ſatisfactionem, quàm totius intereſſe, alibi diſcutiendum erit. Hæc Rebellus.

CREDO tamen cenſuarium debere cenſitorẽ omnino ſeruare indemnẽ, ac proinde debere censũ in alia æquè commoda re collocare, vel pẽſiones ſoluere, donec cẽſitor habeat in quo poſſit æquè bene, reſtituto pretio, cenſum collocare, aut alio cõmodo medio damnum totum reparare: & probabile mihi eſt hoc prouenire ex natura ipſius cõtractus. Si tamen culpa ſit leuis, ad nullã reſtitutionẽ, vel modicã tenetur, vt alibi dicemus. Imò dubio 30. dicã etiãſi abſque culpa cenſuarij res cẽſuaria pereat, cenſum non perire.

DVBIVM XII.

De cæteris conditionibus poſitis à Pio V.

SVMMARIVM.

1 Vndecima conditio, vbi primò quæritur, an cenſus ante hanc Bullam, vel poſt illam vbi recepta non eſt, creati cum pacto, quòd vltra certum tẽpus redimi non poſſint, vel quòd intra certum tempus redimi nõ poſſint, & poſtea poſſint, validi & iuſti ſint? Reſpondetur n. 2.

3 Quæritur ſecũdò, an Pius V. hac clauſula auferre à Rebuſpubl. Chriſtianis intẽderit omnes cenſus reales irredimibiles, ſtatueréque vt in poſterũ ſolùm redimibiles crearentur? Concluſio negatiua n. 4.

5 Duodecima conditio, vbi quæritur an Pius V. diſpoſitione hac intenderit debitorem cenſus teneri perſeuerare in cenſu per duos menſes à die denuntiationis facta, ita quòd ante illos duos elapſos eũ redimere non poſſit, ſi dominus cenſus ita velit?

6 Decima tertia conditio.

7 Quæritur, an non ſolùm ea quæ cõtra Bulla diſpoſitionẽ in contractu cõtinentur, cenſenda eſſent fœneratitia, ſed etiam ipſe cõtractus cẽſus?

8 Alia clauſula Pij proponitur, & quæritur, an cenſus poſſit licitè emi minori pretio, aut vẽdi maiori, quã fuerit ab initio conſtitutus? Varia Doctorum placita referuntur n. 9. Octo aſſertionibus reſpondetur n. 10.

VNDECIMA conditio. *Volumus etiam poſſe pro eodẽ pretio extingui, non obſtante logiſſimi etiam temporis ac immemorabilis, imò centum, & plurium annorũ præſcriptione, non obſtantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatẽ afferẽtibus quibuſcumque verbis, aut clauſulis concepta ſint.* Num. 1.

Digitized by Google

PRIMA pars huius clausulæ ponitur ad irritandũ pactũ, quòd cẽsus maiori pretio redimatur quàm fuerit emptus. Secũda ad excludendam opinionem asserentium ius ad redimẽdum, quod ex pacto de retrouendẽdo oritur, præscribi 30. annorum spatio, cuius contrarium esse verum ostendit Moli. *disp.* 374. & Couarr. 1. *Variar. c.* 9. peculariter in censu. Tertia verò pars ad irritanda pacta quibus tollitur, vel restringitur facultas redimendi censum. Quò fit, vt census post hanc Bullã creati vbi illa recepta sit, redimi quocumque tempore possint, absque vlla restrictione.

SED circa hanc conditionem est prima difficultas, an census ante hãc Bullã, vel post illam vbi recepta non est, creati cum pacto quòd vltra certum tempus redimi non possint, vel quòd intra certum tẽpus redimi non possint, & postea possint, validi & iusti sint? Quidam, quos sequitur Couar. 3. *Varia. c.* 8. *n.* 7. 8. & 9. Eman. *tract. de censib. condi.* 6. Graf. *lib.* 2. *decision. c.* 118. *n.* 23. Bald. *cons.* 187. *lib.* 1. & *cons.* 154. *lib.* 3. Vinsfeld. *c. in ciuit. de vsuris. q.* 12. *con.* 11. Molinæus *q.* 50. *de vsuris. n.* 352. Ioan. Baptist. Lupus *Commen.* 2. *de vsur.* §. 2. *n.* 69. Ant. Gom. *tract. de cẽsib. c.* 5. *n.* 1. peculiariter improbant in cẽsu omne aliud pactũ de retrouendẽdo, præter illud, quo vẽdenti censum plena, ac perfecta facultas relinquitur redimẽdi censũ quandocumque voluerit, absque vlla restrictione, tam à parte ante, quàm à parte post. Addit Couar. in Granatẽsi prætorio sæpiùs pronuntiatam esse sententiam, omnem talẽ restrictionem in eo cõtractu adhibitam, pro nõ apposita esse habendã: manereque venditori census liberam facultatem redimendi semper censum, non secus atque si ea cõditio apposita nõ fuisset.

DVCVNTVR primò, quia emptio censuũ est de se odiosa, maiorémque similitudinẽ habet cũ mutuo vsurario, quàm emptio cuiuscũque alterius rei. Secundò, quia Martinus V. *in extrauag.* 1. & Calixtus III. *in* 2. *de emption. & vend. inter.* quibus census cum pacto de retrouẽdo approbarũt, solùm faciunt mẽtionem, solúmque approbant census cum libero pacto eos redimendi quandocumque libuerit, sine vlla restrictione.

OPPOSITVM meritò docet Mol. *to.* 2. *disp.* 391. *clausu.* 9. cum Conrrado *de contract. q.* 83. *con.* 8. & 484. Medina *de vsuris. q. vltima*, seu 15. *dub.* 1. §. *aduerte tamen.* Gab. 4. *d.* 15. *q.* 12. *art.* 2. *conclus.* 4. Soto 6. *iust. q.* 5. *art.* 3. Palac. in Caiet. *verb. emptio.* §. *en la* 4. Angl. *q. de censib. art.* 4. *con.* 3. Aragon 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. *con.* 6. *de censib.* & alij qui ante Bullã Pij V. scripserũt, vt refert Rebellus *de oblig. p.* 2. *lib.* 10. *q.* 6. *cond.* 5. vbi idẽ tenet & Læsius 2. *iust. c.* 22. *dub.* 9. quibus acquiesco. Primò, quia talis emptionis exemplum habemus Leuit. 25. *vers.* 29. vbi dicitur. *Qui vẽdiderit domũ intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eã, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iubilæo.* Secundò, tale ius est certo pretio æstimabile: ergo iustè poterit eo emi, & vendi. Tertiò, licitum est emere censum irredimibilem absolutè: ergo & sub conditione, vel ad certum tempus.

Num. 2.

INTELLIGVNT autẽ Moli. Med. Læsius, & alij, modò quo plus restringitur libertas redemptionis, eo plus emptor cẽsus acrescat in pretio: quatenus quo plus periculi imminet, no cẽsus in irredimibilẽ euadat, eo plus valet

valet cēſus; quandoquidē cenſus irredimibilis maioris valoris eſt, quàm redimibilis. Quo igitur maiori tempore fuerit irredimibilis, maiori pretio emēd⁹ eſt. Niſi ratione lucri ceſsātis, vel dāni emergētis pactū illud apponatur: tunc enim non erit neceſſe pretiū augere. Meritò tamē propter periculum palliandi ea via vſuras, committendíque iniuſtitiam, irritauit Pius V. ea pacta.

Ad primū argumētū in cōtrarium bene reſpōdet Molina, quāuis materia odioſa, & periculoſa ſit, ſi tamen debitæ ſeruētur circūſtātiæ in appoſitione earum reſtrictionum pacto de retrouendendo, nullam, eſſe rationem, cur ex natura rei damnetur.

Ad ſecundū bene etiā reſpondet, quāuis in illis extrauagātibus ſolùm fiat mētio de cēſibus cū omnimoda libertate eos redimendi quādocūque libuerit, nō propterea dānari cæteros cēſus, de quibus in eis mētio non fit, neque illos approbādo, neque dānādo. Neque Pius V. in hac Bulla eiuſmodi cēſus ante eā celebratos dānat: imò Emanu. ſolū videtur dānare vt iniuſtos & vſurarios eos cēſus qui cū illo pacto emūtur eodē pretio, quo cēſus omnino redimibiles, videlicet eo tēpore ad rationē quatuordecim pro vno. Illud etiā bene notat Moli. cū in Regno Caſtellę cēs⁹ redimibiles ſine illa reſtrictione non poſſint iuſtè emi minori pretio quā ad rationem 14. pro vno, iniuſtam in eo eſſe emptionem eorūdem cēſuum cū reſtrictione facultatis ad redimēdū pro eodē pretio: ac proinde meritò in tributalib. Caſtellæ pronūtiari nulla pacta reſtringentia facultatē eos redimēdi, ſi cenſus ſolum ſunt empti ad rationem pro vno, vt emi regulariter cōſueuerūt. Hæc Mol. Sed iā cēſus emi nō poſsūt niſi ad rationē viginti pro vno: vnde quod Mol. dixit de numero 14. iam intellige de 20.

Recte quoque aduertit Mol. ante hāc Bullā, vel vbi ea locū nō habet, nec lege pretiū cēſuū taxatū eſt, iuſtè cēsū cōſtitui ad rationē nō ſolū *18.* ſed etiā 10. aut alio intermedio numero, iuxta varietatē regionū & locorū, vbi tale pretiū intra latitudinē iuſti pretij cōtineri cēſetur: quia Mart. V. cōmemoratis in extrauag. citata maioribus aliis pretiis, nō dānat, imò approbare videtur pretiū ad rationem vnius pro 10. in regione aliqua conſuetū. Aduertit demū Moli. cū Ioan. Med. ſ. de rigore ſcolaſtico nō minùs in cēſu licitū eſſe ex natura rei pactū de redimēdo illo maiori pretio, quādo veriſimile eſt tēpore redēptionis plus valiturū, quā ſit licitū in aliis mercibus, in quibus licitū eſſe oſtēdit Mol. *diſp. 376.* quādo tēpore redēptionis ſparātur plus valituræ. Nihilominùs, quia rariſſimè ſperādum eſt, cenſū plus valiturū in eadē regione tempore redēptionis, quā tēpore emptionis, atque res ex ſe ſpeciē mali, & vſuræ habet, regularitérque in ea vſura interuenit, proculdubio ſimpliciter eſt id damnādū, meritó q; redditū fuit irritū à Pio V. tale pactū, ſecluſáque eius Bulla tāquam vſurariū eſſet dānādū à Iudicib. Eccleſiaſticis & ſecularibus. Non tā ergo ex extrauag. Mart. V. dānandū eſt tale pactū, vt Couar. *3. Variæ. c. 9. ad finem n. 4.* vult, quam ex natura ipſa rei, ac diſpoſitione huius clauſulæ Pij V.

Hinc non rectè dixit Eman. *in fine tractatus de cenſibus. dub. 3. & in 6. condit. dub. 5.* pactum de redemptione cenſus pretio maiori quàm ſit vendi-

Digitized by Google

tus esse nullum, quia hîc atttenditur vtilitas emptoris cum damno venditoris. Deberet enim Emanuel data distinctione vti. Bene autem Eman. *illo dub. 5.* cum Angles *quæst. de cēsib. art. 6. diffi. 1.* affirmat valere pactū de redēptione cēsus pretio quod valuerit tempore redemptionis, siue maius sit, siue minus, quia vtraque pars æquali periculo se exponit. Sed secunda difficultas est, an Pius V. hac clausula auferre à Rebuspub. Christianis intenderit omnes census reales irredimibiles, statueréque vt in posterum solum redimibiles crearentur?

Num. 3. PARS affirmans suadetur; tum quia de censu indistinctè atque vniuersim locutus est tota hac Bulla: quare dispositio huius clausulæ, & totius Bullæ etiam ad census irredimibiles se extendit: tum quia hæc clausula cum præcedenti ita connectitur, vt eādem clausulam efficiant. Sic enim habet Pius V. *Postremò census omnes in futurum creandos non solùm re in totum, vel in parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire: sed etiam posse pro eodem pretio extingui,* &c. ergo vult Pontifex omnes census creandos esse redimibiles. Hanc sententiam tenet Rebellus *de oblig. p. 2. lib. 10. quæst. 7. in fine.*

Num. 4. PARS tamen negans secundùm Molinam est proculdubio asserenda, quā etiā per epieiceiāamplectitur Nauarrus *Comment. de vsuris. super c. 1. 14. quæst. 3. n. 98.* Nempe Pium V. non intendisse prohibere censum perpetuum irredimibilem, modò seruetur iustum pretium. Idem ait de vitalitio, nempe creari posse irredimibilem, vt etiam docet Nauar. *num. 128.* Idem ait Molina de censu ad certum annorum numerum, nempecreari po sse irredimibilem.

PROBAT rectè Molina qūadrupliti ratione. Prima, quia nulla causa erat prohibendi huiusmodi census cùm ab omnibus semper iudicati sint iusti sine vlla vmbra, vel apparentia vsuræ, vel alterius peccati: Pontifex autem nec velit, nec possit de temporalibus disponere, nisi id sit necessarium ad salutem animarum. Secunda, quia Pius V. solùm voluit disponere de cēsibus, de quibus egerant Martinus V. & Calixtus III. in suis extrauagant. illi autem solùm locuti sunt de censibus redimibilibus, qui soli vsuræ effigiem habent, & in quibus facilè vsura palliari potest: ego de his solis egit Pius V. Confirmatur; quia odia sunt restringenda maximè cùm ea videtur mens legislatoris: dispositio autem prohibens census, odiosa est: ergo restringenda ad redimibiles, maximè cùm hæc videatur mens Pij V. si enim interrogaretur, an intenderit auferre omnes census irredimibiles, proculdubio responderet negatiuè. Tertia, quia emere censum perpetuum est emere partem iuris, vel dominij quod alter habet ad fructus; non est autem verisimile sanctissimum Pōtificem prohibere voluisse talem emptionem sine pacto retrouendendi: ergo eam sine eo pacto fieri non prohibuit. Quarta, quia alioqui non posset quis vēdere censum perpetuum sibi à Rege in aliquo prædio constitutum. Nam Pius V. quos census de nouo creari prohibet, eosdem etiam postquam fuerint creati, similiter vendi, ac emi inhibuit. Hæc vltima ratio infirma est, quia Pontifex

tifex de modo emendi, & vendendi census nouos egit, non de constituēdis censibus per donationem, nec de eorum, vel antiquorum emptione, & venditione, vt notat Nauarrus locis citatis.

ADDIT Molina, his non obstantibus ea quæ in hac Bulla Pius V. statuit, vt census redimibiles merè reales sint, & vt legitimo pretio sine admixtione aliqua iniustitiæ fiāt, etiam ad irredimibiles esse per epieiceiam extendenda: quoniam si ea de re consuleretur, dubitandum non est, eum affirmanter responsurum; & sermo in sua Bulla vniuersalis est, ac sine restrictione. In legibus autē interpretandis ad mentem legislatoris est præcipuè attendendum. Eiusmodi autem sunt quòd census collocari debeat in re certa; quòd nō exigantur solutiones ant icipatæ quòd debitor census non obligetur ad casus fortuitos circa fructus, quòd alienare possit rem censui subiectā quādocumque voluerit, etiam sine solutione laudemij; quòd non obligetur ad pœnam, nec census augeri possint ob pensiones non solutas, aut in posterū soluēdas: & quòd pereunte, aut infructuosa reddita re censui subiecta in toto, aut in parte, in eadem proportione census pereat.

CONCINIT Læsius *lib. 2. cap. 22. du. 12. n. 92.* vbi ait per prædictā clausulam reiici census irredimibiles, non quidem omnes, sed eos qui non emuntur multo pluris quàm redimibiles: hi enim sunt iniqui. Qui verò iusto pretio emuntur, cum per totū orbem terrarum sint receptissimi, per iustam epieiceiam possunt excipi iuxta Nauarr. *num. 98.* non enim est credibile Pontificem tam generalibus verbis tam obiter census tam receptos velle tollere, præsertim cùm in illis cesset omnis præsumptio vsuræ.

ADDIT Læsius. *Reiiciuntur etiam census temporales (v. g. ad decennium) quibus adiicitur pactum, vt si intra certum tempus non redimantur, fiant irredimibiles.* Ita Boninsignius *cap. 14. num. 9.*

TERTIA difficultas hîc esse posset, vtrùm emptor census teneatur permittere censuario vt censum per partes redimat? Sed de hoc agam ex professo dub. 49.

DECIMA cōditio sic habet. *Cùm verò traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei cui pretium dandum erit, & post denuntiam intra annum etiam ab inuito pretium repeti posse. Et vbi pretium, neque volens intra bimestre soluat, neque ab inuito intra annum exigatur, volumus nihilominùs, quandocumque reditum extingui posse, præuia tamen semper denuntia, de qua suprà, & non obstantibus his, de quibus suprà. Idq; obseruari mandamus etiam quòd pluries, ac pluries denuntiatum fuisset, neque vnquam effectus secutus esset.* Num. 5.

DVBITAT Mol. *disp. illa 391. clauſ. 10.* an Pius V. dispositione hac intenderit debitorem census teneri perseuerare in censu per duos menses à die denuntiationis factæ, ita quòd ante illos duos elapsos redimere eū nō possit, si dominus cēsus ita velit: & neganter arbitratur respondendum, solùm quippe intendere videtur concedere duos anni menses à die denūtiationis in quibus fas debitori cēsus sit redimere illum in quacūque parte eorum voluerit; id

Digitized by Google

id quod apertè ſonant verba illa quę ſubiungit, *& vbi pretium neque volens intra bimeſtre ſoluat*, & reliquum anni relinquere domino cenſus, vt cogere debitorem poſſit eum redimere; quandoquidem dixit, ſe velle illum redimere. Sed exiſtimo debitorem cenſus ex vi huius diſpoſitionis teneri perſeuerare in cenſu, ſi emptor voluerit, quoniam hæc diſpoſitio edita eſt in fauorem emptoris, vt interim quærat deliberétve quid facturus ſit de illa pecunia, & ſi velit aliũ cenſum quærat, quem ex illa emat, aut aliud lucrum cui eam exponat: quæ diligentia ne inanis ſit, datur emptori facultas cogendi emptorem ad redimendum intra annum à die denuntiationis. Et ſanè ſi non teneretur venditor in cenſu per bimeſtre illud manere, non deberet denũtiare per bimeſtre ante redemptionem, cùm poſſet ante bimeſtre redimere. Conſequens eſt contra verba & mentem Pontificis: ergo per bimeſtre tenetur in cenſu manere ſi emptori placuerit.

ADDIT Molina: Arbitror autem Principes ſeculares non teneri admittere in ſuis Rebuſpub. grauamen hoc debitoribus cenſuum impoſitũ, ſed poſſe ſimpliciter liberos illos relinquere, vt quando voluerint cenſum redimant, aut non redimant, vt ante hanc Bullam conſuetũ in Hiſpaniis erat. Atque ita Nauarr. *Commẽtario de vſuris. n. 106.* affirmat, neque hoc, neque illud, quòd ſcilicet is cui cenſus debetur, debeat præferri cæteris emptoribus rei, in qua cenſus eſt collocatus, ligare eos qui extra temporalem iuriſdictionẽ sũt Pontificis Summi: ac proinde extra terras dominij temporalis Eccleſiæ neceſſe non eſt fieri tales denuntiationes.

DECIMATERTIA cõditio his verbis in Bulla Pij V. continetur. *Pacta etiam continentia pretium cenſus extra caſum prædictum ab inuito, aut ob pœnã, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus.* Num. 6.

MOLINA ſuper hanc clauſulam, quæ apud illum eſt vndecima, ſic loquitur. Cùm aliarum rerum emptio cum pacto de rettouendendo in fauorem emptoris, vt ſcilicet venditor rem redimere teneatur quandocũque emptor voluerit, illicita ſit, ſi pactum ſit vt res pro eodem pretio quo fuit empta redimatur, vt *diſp. 377.* viſum eſt, raróque admodùm, aut nunquam ita in praxi fiat, vt ſit licita, vt ex iis quæ ibidem dicta sũt, conſtat; ſanè longè maiori cũ ratione idem in cenſu erit dicendum, nihil impediente quòd ſi res cenſui ſuppoſita pereat interim dum cenſus emptor non poſtulat, vt cenſus redimatur, cenſus ex natura rei emptori pereat, quãdo aliud deductum non fuit in pactum. Hac igitur de cauſa ad palliationes vſurarum atque iniuſtitias tollẽdas meritò Pius V. in hac clauſula ſtatuit, vt cenſus non ſolùm ſimpliciter creari non poſſit cum pacto, vt venditor cogi poſſit eum redimere quandocũque emptor vellet, ſed etiam cum pacto, vt in pœnam, ſi venditor penſiones non ſolueret, aut ex quacũque alia cauſa cogi poſſit illum redimere. Medina *de vſuris. q. vlt. de cenſibus*, & Olanus relatus à Guttierrez *in practicis. lib. 2. q. 175.* non reputãt ex natura rei illicitum pactum, quo onus redimendi cenſum venditori iniungitur in euentu, quo penſiones non ſol

soluat ; quod nec ego condemnare audeo, tametsi sanctissimè ac prudèter à Pio V. id sit prohibitum. Illud propter Coua. 3. *Var. c.* 9. & Guttierrem ẽ. admonuerim, ex extrauagãtibus Matini V. & Calixti III. non colligi, censum cum pacto de retrouendendo in fauorem emptoris illicitum esse, quoniam licèt cẽsus, qui in eis extrauagantibus approbãtur, non crearentur cum huiusmodi pacto, inde non sequitur, census qui aliter celebrantur, ibi reprobari, vt sæpe in superioribus dictum est. Hęc Molina, quæ mihi placent.

Positis prædictis cõditionibus subiungit Pius V. *Contractus sub alia forma posthac celebrãdos fœneratitios iudicamus. Et ita illis præterea non obstantibus quidquid vel expressè, vel tacitè contra hac nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vendicari.*

Molina super hac clausula quę apud illũ est duodecima notat *disp.* 392. cùm hos cõtractus cõtra formã huius Bullæ factos Pius V. vsurarios iudicat, intelligi debere nõ quòd omnes verè & ex natura rei vsurarij sint, sed aliqui iurè tantùm positiuo, ad effectũ vt eadem pœna puniantur ac si verè essẽt vsurarij: vt etiã distinguitur duplex simonia, altera de iure diuino naturali, altera de iure positiuo humano.

Ait etiã ea sola ex hac Bulla teneri admittere Principes seculares in suis Regnis, quorũ opposita cõtra ius sũt naturæ, vel periculosa valdè saluti animarum. Quòd autẽ census creari nõ possit nisi in pecunia numerata corã tabellione, & testib. & quòd creari nõ possit ex permutatione rei, vt mãcipij, equi, prędij, aut alterius rei pro cẽsu, nõ arbitratur teneri recipere, de qua re copiosè Nauarr. *Comm. de vsuris. à n.* 105.

Difficvltas autẽ est, an nõ solùm ea quæ contra Bullæ dispositionẽ in cõtractu cõtinẽtur cẽsẽda sint fœneratitia, sed etiam ipse cõtractus cẽsus? Partẽ negãtẽ tenet Guttierr. *in pract. lib. 2. q.* 176. Excipit *n.* 4. & 6. nisi pactum aliquod, quod cõtra dispositionẽ huius Bullæ adiunctũ ad petitionẽ emptoris mãdatũ esset executioni; nã tũc corrueret totus contractus: item si pretiũ cẽsus solutũ nõ esset in pecunia numerata coram tabellione, & testibus, quia tunc similiter censet contractũ censualẽ esse nullum. Sed Mol. dicit, quidquid factũ fuerit cõtra hãc Bullã, vbi ea recepta est, reddere cõtractũ ipsũ censualẽ vsurarium præsũptione iuris. Primò, quia id apertè sonat Bulla ipsa dicẽs, *cõtractus sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios iudicamus.* Secũdò, quia nomine *cõtractus fœneratitij*, in re proposita nõ intelligitur pactũ appositũ, sed integer cẽsualis cõtractus illo modo celebratus. Tertiò, quia in hac clausula nomine *dati, remissi, aut dimissi contra hac mandata*, intelligitur datũ pro cẽsu, & pẽsiones cẽsus solutæ, aut dimissæ, quæ omnia fisco adiudicantur. Ac fanè irrationabile, ac liberè dictũ arbitratur Mol. si pactum mandatũ sit executioni, etiam censum fœneratitium ac nullum esse iudicandũ: secus autẽ si pactum fit appositum, & non mandatum executioni ad petitionem emptoris. Num. 7.

Ego censeo, omnẽ cõtractũ cẽsus cõtra hãc Bullã celebratũ, vbi ea est recepta, fœneratiũ in se esse, vt docet Mol. præsũptione iuris, & eius auctorẽ tanquã vsurariũ esse puniendum. Sicut autem in aliis vsuris

Digitized by Google

non punitur, qui recipit aliquid sub vsuris, sed qui dat, ita in cēsuali cōtractu, is qui lædit punitur, non læsus. Item lædens nō punitur in amissione rei quam mutuò dedit, sed in aliis. Ita vsurarius emptor census non amittit pretium quod pro censu dedit, sed ex dispositione Pij V. amittit omnem donationem gratuitam & liberalem, seu remissionem, vel dimissionem sibi factam à vēditore læso; & similiter venditor lædens amittit omnem donationem, remissionem, seu dimissionem liberalē & gratuitam; ita vt fiscus possit eam sibi vendicare: quod tamen læsus non liberaliter donat, remittit, aut dimittit, sed necessitate coactus, illi reddi debet, non fisco.

ILLVD autē rectè admonet; quādo contractus non est vsurarius iure naturæ, sed iuris dispositione puniri debet tanquam vsurarius, licitè ante Iudicis condemnationē persēuerari in eo posse, retinerique, accipique posse pensiones non computandas in sortem. Quod sentire videtur Naua. *n.* 88. & probatur: nam lex non obligat ad pœnam soluēdā ante Iudicis condemnationem, vt latè diximus *tract. de legibus.* & Molina *tract. 2. de iusti. disp. 96.* Rectè etiā *disp.* 392. cū Naua. *Commentar. de vsuris. n. 98. & 128.* docet in hac Bulla solùm agi de constitutione census per emptionem, vel cōtractū alium onerosum; secus per donationem, testamentum, vel legatum, vnde dicit in hoc censu constituendo nō oportere seruari has conditiones.

Num. 8. ADDIT verò Pius V. *Hanc autem salutiferam sanctionem, nedum in censu nouiter creando, verùm etiam in creato, quocunque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò & in omnibus seruari volumus.* Vult Pontifex censum ad posteriores dominos cum eisdem conditionibus debere transire, quas statuit seruari debere in emptione, & venditione census.

SVBIVNGIT Pontifex. *Declarantes pretium semel censui constitutum nūquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, neque quoad vltimò contrahentes minui, vel augeri.*

SIC istam clausulam intelligit Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 12. n. 95. & dub. 7. n. 48.* vt pretium census augeri non possit in grauamen venditoris, scilicet, vt teneatur quando voluerit redimere, maius pretium dare, quàm acceperit: nam semper potest eodē pretio censum extinguere, quo vendidit. Sed Molina ita, vt dominus cēsus non possit censum vno pretio emptum, vendere illum tertio maiori pretio, etiamsi tempora, aut aliæ circūstantiæ varientur: neque etiam tertium posse illū ab eo emere maiori pretio.

OCCASIONE huius difficultas est, an census licitè possit emi minori pretio, aut vendi maiori quàm fuerit ab initio constitutus? Respondet Læsius *illo dub. 7.* & dicit primò: si cēsus habeat pretium legitimum à Principe constitutum, non potest emi minori pretio quàm initio fuerit creatus, potest tamen vendi maiori; quia pretium taxatur in gratiā venditorum, ne miseri venditores, qui propter inopiam coguntur cēsū vendere, & emptores rogare, minori pretio cogantur esse contenti: nō autem prohibentur maiori pretio vendere si maius inueniant. Quare

cùm

cùm pretium lege taxatum consistat in indiuisibili, non potest minus dari, nisi consuetudo legi prævaluerit; vt in Belgio taxatum est 16. in singula: quidam tamen emũt ad rationem 15. 14. vel etiam 12. in singula, Principe, aut consilio permittente, quod non ausim condemnare, quãuis non deberet permitti, quanuis meritò permittitur vendere ad ratione 18. vel 20. in singula. Hæc Læsius. In Hispania etiam permittebatur vẽdi cẽsus ad ratione 14. in singula, non tamen emi minori pretio in prima census emptione, & constitutione: sed an idem sit in emptione census iam constituti? Læsius putat lege prohiberi emptionem eius minori pretio, sed consuetudinem prævaluisse legi, & licitè emi minori pretio. In Hispania eadem seruatur consuetudo, quæ fortasse vtrobique magis legem interpretatur, quàm ipsi derogat. Nam lex tantùm loquitur de prima cẽsus emptione, in qua sola fuit necessarium taxare pretium: nam qui censum habent, non solent tanta necessitate premi ad vendendum illum quanta primi censuum venditores, & ideo nõ coguntur accipere minus pretium quàm census valeat. Quare Bulla Pij V. vel non loquitur in hoc euentu, sed in alio, vt interpretatur Læsius, vel in Belgio & Hispania quoad hoc non fuit recepta, aut consuetudine fuit abrogata.

Num. 9. SECVNDO dicit Læsius, si census non habet pretium lege positiua taxatum, vel consuetudo prævaluit legi, potest emi minori pretio quàm initio fuerit constitutus, quia pretium naturale & vulgare non constitit in indiuisibili: vnde quod primò emptum est pretio maiori, postea emitur pretio minori: vt quando sunt plures emptores pretium naturale census crescit, ita minuitur, quando sunt pauciores. Hinc semota lege positiua posset ab initio iniri pactum, vt si venditor velit redimere, teneatur redimere eo pretio quo tempore redemptionis æstimabitur, & quo aliis tunc vendi posset. Quòd si moraliter fuerit certum pluris valiturum, eo quòd hypotheca erit melior, vel quia plures erunt emptores, potest etiam pacisci, vt pluris redimatur. Ordinariè tamen tale pactum lege positiua prohibetur, & Pius V. in sua constitutione illud prohibuit, statuens vt venditor eodem pretio possit redimere quo primùm vendidit. Idem in Belgio sanxit Carolus V. non solùm de censibus, qui ab origine sua fuerunt redimibiles; sed etiam de omnibus irredimibilibus, exceptis censibus reseruatiuis, & piorum locorum, qui antea fuerunt irredimibiles, vt patet ex ordinatione ipsius facta Bruxellæ anno 1528. die 21. Februarij. Hæc Læsius, & bene.

PARVM differt Molina *disp. 392. clausula 14.* vbi duo etiam dicit. Primò, quod attinet ad census ante Bullam Pij V. creatos, aut qui creabuntur vbi illa recepta non fuerit, si taxatum eo loco pretium non fuerit, illicitum non esse censum minori pretio emptum vendi pretio maiori cuidam tertio, neque itẽ emi, aut redimi minori pretio, ex partium conuentione, quando pretia latitudinem iusti non egrediuntur, &c. Ad tollendas autẽ iniustitias, atque oppressiones, quas censuũ emptores facere solent emendo

Digitized by Google

census vili ab iis, quos pressos pecuniæ necessitate conspiciunt, eosdémque reuendendo maiori pretio, videtur hæc clausula statuta.

SECVNDO dicit Pius V. non intendisse impedire ne census minori pretio possit emi quãdo minoris valoris efficitur, vt quia res periclitari incipit, in qua census est collocatus, vel quia difficilè & cum laboribus ac expensis soluitur pensio ob potentiam debitoris, vel alia simili de causa. Quoniam hic euẽtus per epieiceiam excipiendus videtur, de quo si legislator fuisset interrogatus, an eum comprehendere ea lege intenderit, dubitandum non est, neganter fuisse respósurum. Atque ita Doctores communiter affirmant, vbi pretium census lege est taxatum, vt in hoc Regno Castellæ ad rationem 14. pro vno, licitum nihilominùs esse ex capite de quo modo loquimur, emere censum minori pretio quàm ad rationem 14. pro vno, nihil impediente lege quæ pretium id taxauit. Hæc Molina suprà. *Disp.* autem 393. quærit, an census, præsertim in hoc Castellæ Regno, redimi, aut emi ex prioribus emptoribus possit minori pretio quàm fuerint empti? & respondet. Quando solùm in hoc Regno erant tres sanctiones quæ referuntur, & statuuntur *l.* 4. *titu.* 15. *lib.* 5. *nouæ collectionis*, licitum erat emere censum minoris quàm ad rationem 14. pro vno, vt tenet Couarru. 3. *Variar. cap.* 10. *n.* 2. *&* 3. & Ioannes Medin. quia illa lex solùm loquitur de censibus, quorum pensiones non erant pecuniariæ, sed tritici, olei, aut aliarum rerum, præcipítque ea lex pensiones reduci ad pecuniarias ad rationem 14. pro vno, comparatione pretij quo à principio census fuit emptus, quæ lex non est extendenda ad census in quibus à principio constituta est pensio pecuniaria: & ita est iudicatum in Concellaria Granatensi. Postea tamẽ Philip. II. anno. 1563. legẽ sextam *tit.* 15. *lib.* 5. *nouæ compil.* tulit, quæ omnia Castellæ loca complectitur, & qua sanciuit, nullos census redimibiles vendi deinceps, aut imponi, vel constitui posse minori pretio, quàm ad rationem 14. pro vno, & aliter esse nullos quoad excessum pensionis, pœna amissionis officij addita tabellioni, qui instrumentum talis census confecerit, aut fidem de illo dederit. Insuper statuit vt census ante eam legem creati minori pretio, reducerentur ad rationem quatuordecim pro vno, eósque eo ipso ad id pretium reduxit. Quare deinceps si census minori pretio constitueretur, esset nullus, vt docet Guttierrez 2. *pract. quæst.* 172.

AN verò census postquam semel est constitutus possit emi minori pretio, quàm ad rationem 14. pro vno? Guttierrez 2. *pract. q.* 171. *&* *q.* 173. cum multis quos sequitur Molina suprà, respondet neganter, primò, quia lex illa sexta habet non posse vendi censum minori pretio, quàm ad rationem 14. pro vno: venditio autem census quæ secundò, aut tertiò fit, est vera venditio: ergo neque secundò, neque tertiò fieri potest, nisi ad rationem quatuordecim pro vno. Secũdò, quoniam cẽsus minori pretio antea venditos præcipit lex illa reduci ad rationem 14. pro vno: ergo non permitit censum vllum etiam antea constitutum deinceps vendi nisi ad rationem 14. pro vno.

TER

TERTIO, quoniam eo ipso quòd frumenti, vel cuiusuis alterius rei pretium est taxatum, nefas est eam rem secundò, aut tertiò vēdere maiori pretio: ergo idem erit in censu redimibili. Nec est dubitandum, si legislator, dum eam legem condidit, interrogaretur an liberum relinqueret postquam census semel eo pretio est constitutus, minori pretio illum emere, neganter fuisse responsurum, præsertim cùm census non minorem valorem habet cùm secundò, aut tertiò venditur, quàm quando venditur primò. Quartò probat Molina ex hac clausula Pij V. quæ statuit, pretium semel constitutum nec augeri, nec minui posse etiam ab vltimò cōtrahentibus. Quare si hæc Bulla in hoc Regno esset recepta, nefas in eo propter hanc clausulam esset emere ad rationem quatuordecim pro vno censum redimibilem iam antea venditum ad rationem quindecim, vel sedecim pro vno: non est tamen in eo recepta, & lex Regni non obligat ad non vendendum censum maiori pretio, quàm ad rationem 14. pro vno: sed ad non emendum pretio minori, inquit Molina. Itaque tenet, vbi census emptus est pretio per legem taxato, non esse licitum postea illum minoris emere.

EANDEM opinionē tenet Læsius suprà, vbi consuetudo non derogauit legi, & Azebedo *l.6. tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis. n.* 1. Bartholo. Medin. 1. *Summ. c.* 14. §. 26. Emanu. Rodriguez *in explic. motus proprij de censib. cond. 3. dub.* 2. Gaspar Rodericus *tract. de redit. lib.* 1. *q.* 8. (vbi latè rē disputat) *n.* 19. *& seqq.* Mercad. 4. *de contract. c. vlt. de censib. fol.* 76. *aliàs* 255. Corduben. *in Summ. q.* 79. Albornoz 3. *de contract. tit.* 4. *de cambiis.* Michaël Palac. 4. *de contract. c.* 7. Carolus Molin. *de contract. q.* 62. vt refert Couarr. 3. *Variar. c.* 10. *n.* 3. vel *q.* 67. *de vsuris. n.* 411. vt refert Salon *controuer.* 10. *de censibus.* Hos sequitur Felician. 2. *de censib. c.* 1. *n.* 44. *& 45. in* 1. *to. & in* 2. *to. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 9.

CONTRARIAM opinionem tenuēre Sylvest. *vsura.* 2. *n.* 12. Nauarr. *in manuali Hispano. c.* 28. *ni additio. ad c.* 33. *n.* 82. *& Commenta. de vsuris. q.* 11. *n.* 112. nec sibi aduersatur *in Summa Latina. c.* 23. *n.* 91. *in fine*, quia loquitur stando in motu proprio Pij V. & vbi receptus est. Olanus *in Antinomia Iuris. lit. A. n.* 116. dicens idem esse dicendū de venditione census soluēdi in aliis rebus, quæ pecunia non sunt. Idem tenuit Sarmiento 7. *Select. c.* 1. *n.* 40. *vers. sed quid si Rex.* licèt ab huiusmodi contractibus abstinēdum consulat, vt tutiores eligantur. Eandem opinionem tenet Salazar *lib. de vsu & consuetudine* (audacter asserens errare contrarium opinantes *c.* 11. *n.* 93.) quem probat Cenedo *in collectaneis. p.* 2. *collectaneo* 24. *n.* 5. eandem tenent quidam Iurisperiti relati à Feliciano 2. *de censib. cap.* 1 *n.* 43.

DICO primò, si census constitutus Num. 10.
est maiori pretio, quàm sit lege taxatum, vt ad rationem 15. vel 16. quando pretium taxatū erat 14. pro vno, licitum est censū iam constitutum emere pretio taxato per legem. Ita Molina, Guttierrez, Felicianus, Sarmiento, Vega, Salon *q.* 10. *& n.* & Gaspar Rodericus: solùm enim videtur obstare Bulla Pij V. vetans pretium augeri, vel minui etiam ab vltimò cōtrahentibus, quæ tamē saltē quoad hoc non est recepta in hoc Regno, vt docet Mol. vel solùm vetat augeri,

Digitized by Google

vel minui pretia inter primò contrahentes, vel eorum successores, cùm cēsus redimitur, vt exponit Læsius & Azebedo ꝛ. & Rebellus *de oblig. iustitiæ. p. 2. lib. 10. quæst. 5.*

Dico secundò, vbi consuetudo non derogauit legi, nō potest census iam constitutus emi minori pretio, quàm sit illud, quo est constitutus, si sit liquidus, & tutò collocatus, in qua re sequor primam sententiam propter eius rationes factas à Molina, quas latiùs etiam prosequitur Gaspar Rodericus: idémque in hoc euentu tenet Rebellus *illa quæst. 5.* Ioann. Baptist. Corra. *in Summ. quæst. 239. in fine.* Bannez *2. 2. quæst. 78. art. 4. dub. 3. de censib.* Vega *in Epito. verb. census. casu 6. & in Sum. col. 409.* Felicianus suprà.

Dico tertiò, in hoc Regno videtur consuetudo legi derogasse, & ita teneri potest quantùm ad hoc Regnum secunda opinio, non quia lex non prohibet talem contractum, sed quia consuetudo legi derogasse videtur. Testātur enim Olanus & Guttierrez ꝛ. eiusmodi contractus à Rege & Senatu Regio videntibus tolerari, & videmus quotidie à doctis & piis celebrari, & à nullo Iudice, quantumuis recto, puniri: ergo sicut in Belgio propter similem rationem dixit Læsius, consuetudinem legi derogasse, ita & in hoc Castellæ Regno dici potest, licèt aliter videātur sētire omnes ferè auctores primæ opinionis, præter Vegam *in Summa. & Epitom. verb. census. casu 27.* qui insinuat esse consuetudinem.

Dico quartò, saltem quando census iam constitutus, est litigiosus, vel venditor, aut res suppositæ censui minùs soluendo sunt, bene potest emi minori pretio quàm sit lege taxatum. Ita tenent Medi. Conrad. Bannez, Felician. Molin. Molinæus, Rebellus, Vega, Salon, Guttierrez, Azebedo locis citatis, & Emanuel Rodriguez ꝛ. *dub. 3.* Gaspar Rodericus ꝛ. *n. 22.* & Petrus Ledesma *2. p. Summæ. tract. 8. cap. 34. con. 7.* Parisius Modernus *in consuetudi. Parisien. §. 22. n. 65.* Ratio est, quia per epiceiam, seu potiùs epieiceiam, sic interpretari debemus & legem Regni, & diploma Pontificis, si de censu iam constituto emendo à tertio loquitur: durum enim & intolerabile esset Principes velle cogere, vt hi census emantur eodem pretio, quo sunt constituti, vel quod est lege taxatum, quando reuerà minoris valoris sunt, propter difficiles & pessimas pensionum solutiones, imò & ipsis venditoribus in quorum gratiam leges istæ prodierunt, esset valdè incommodum, quia quanuis indigerent, non inuenirent emptores, si non liceret emere in pretio descendere; neque item possent pensiones census, saltem sine laboribus, litibus, & expensis, aliisque incommodis obtinere.

Dico quintò, contractus, in quibus census priùs constitutus emitur minori pretio, etiamsi sit iniustus, vt quando census est bene collocatus, & consuetudo non derogauit legi, non tamen est vsurarius, nec debet tanquam vsurarius puniri. Ita Gaspar Rodericus *n. 20.* Ratio est, quia hîc nullum est mutuū, & ideo nulla potest esse vsuraria, seu fœneratitia negotiatio. Nisi emptor deduceret in pactum quòd venditor teneatur iterum censum emere eodem pretio non

Digitized by Google

non cõputatis pensionibus iam receptis in pretiũ: talis enim esset vsura palliata, sicut in venditionibus aliarum rerum, ex quibus emolumentum aliquod percipitur, quod in pretium postea non computatur.

Dico sextò, etiam in ipsa constitutione potest census litigiosus, aut alia ratione parũ tutus, & malè collocatus, emi minori pretio quàm sit lege taxatum. Ita tenet expressè Rebellus, Salon, & Carolus Molinæus ꝛ. Probat Rebellus, quia quando res notabiliter est vitiosa, etiamsi eius pretium lege taxatum sit in fauorem venditoris, tamen emptor potest viliori pretio illam emere, & venditor tenetur in pretio descendere: ergo idem est in censu siue antea sit constitutus, siue de nouo creetur, quia tunc census non meretur pretium lege taxatum: & tales esse possunt circũstãtiæ, vt maius pretium mereatur, & tunc emptor tenebitur augere pretium. Nec obstat prædicta clausula Pij V. decernens, nunquam posse ob temporum, vel contrahentium qualitatem, vel circunstantias, aut accidentia augeri, vel minui pretium census, etiam ab vltimò contrahentibus, quia solùm vetat augeri, vel minui pretium inter primò contrahentes, vel eorum hæredes, & successores, quando vltimò cõtrahunt redimendo censum, vt explicant Læsius & Rebellus ꝛ. *& q. 6. in fin. seu condit. 6.*

Est enim census redimibilis cõditio, vt æquale prorsus pretium à vendente reddendum sit, si eum redimere velit, quo ab initio emptus fuit, quantacumque variatio valoris decursu temporis contigerit: nec in hac re vlla est iniustitia; cùm æqua alea quoad lucrum contrahentis vertatur; si enim contingat pretium rerum ac censuum augeri, cedet in lucrum censuarij, quòd maiori pretio non redimat, quàm ab initio receperit: si verò minui contingat, in lucrum cedet censualistæ, quòd minoris non redimatur, quàm dederit.

Dico septimò, census irredimibiles empti in hoc Regno ad rationẽ 30. pro vno, aut quouis alio pretio, licitè possunt postea emi minori pretio, dummodo attẽtis circunstantiis, & modo vendendi limites iusti non egrediantur. Ita Molin. *illa disp. 193.* probans, quia huic censui nullum in hoc Regno est pretium lege taxatum: neque de hoc censu loquitur motus proprius Pij V. vt *disp. 390.* ostenderat. De qua re legendum ait Nauarrum *Comment. de vsuris. n. 112.*

Dico octauò, vbi census redimibilis pretium lege taxatum non est, census vno pretio constitutus, potest alio tempore viliori pretio emi, si illud tunc in foro currat, sicut in aliis mercibus fit. Ita Salon *illa controuers. 10. de censib.* & res est clara, vbi Bulla Pij V. recepta non est, vel si solùm prohibet augeri, vel minui pretium inter eos qui censum constituerunt, vel eorum hæredes, aut successores, quando census redimititur.

Dico nonò, census vitalitius iam creatus minori pretio vendendus est quàm fuerit constitutus. Felicianus *to. 2. lib. 2. c. 1. n. 9.* quia valor huius cẽsus vita & tẽpore decurrẽte decrescit.

DVBIVM XIII.

Vtrùm hæ conditiones Pij V. obligent Christianos vbique?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans has cõditiones vi Bullæ non obligare vbi non est promulgata, proponitur.*

2 *Varia Doctorum placita referuntur n. 3.4.*

Num. 1. LEONARDVS Læsius *lib. 2. de iust. c. 22. dub. 13. de censibus* dicit primò, has conditiones vi Bullæ non obligare vbi non est promulgata. Probat primò, quia probabile est non solùm leges Imperatorias, sed etiam Pontificias, nõ obligare, nec vim irritandi habere, nisi sint promulgatæ in Prouincia, vt ostensum est 1.2.q.90 *art.* 4. Secũdò, quidquid sit de aliis quibusdã cõstitutionibus Pontificiis, non est credibile suam Sanctitatem velle vt hæc Bulla, quæ tot nouas, & iure naturali minimè requisitas cõditiones cõtinet, circa contractum ciuilẽ obseruandas in aliis Prouinciis vim habeat ante promulgationem in illis factam; nam ex contrario sequerentur grauissima incommoda: infiniti enim contractus bona fide celebrati, essent irriti cũ maximo plurimorum damno, tenerentur enim plurimi omnes pensiones receptas cõputare in sortem, & multi amissa sorte deberent etiam aliquas pensiones refũdere (idque absque vlla sua culpa) qui tamen cum pari, vel maiori lucro pecuniam in rem fructiferam, vel negotiationem impendissent, si contractum censualem irritum esse putassent. Neque enim ex promulgatione Romæ facta passim innotescere potest noua illa ordinatio, sed pauciſſimis tantùm: atqui ratio postulat, legem eo modo promulgari, vt commodè & humano more possit innotescere omnibus, ne (quãtùm est ex parte legislatoris) subditi damnũ incurrant ex ignorãtia, neque se iustè possint excusare, si non obseruent.

IDEM ait Læsius, vbi hæc Bulla etsi sit recepta, nõ tamẽ est promulgata. Probat, quia etiamsi lex sit promulgata, si tamẽ ipso vsu & moribus vtentiũ non recipiatur, nec superiores instent, & curent executioni mandari, non obligat, vt docet Naua. *lib. 1. consil. 5. tit. de cõstit. & in Sũma. c. 23. n. 41.* Couar. *2. Vari. c. 16. n. 5.* Vel certè desinit post decenniũ obligare; decreta enim Cõcilij generalis, quæ per decenniũ in aliqua Prouincia non sunt recepta, amittunt vim suam, & desinunt obligare, vt docet Nauar. *consil. 13. de regularib. lib. 3.*

HINC infert Læsius has cõditiones nõ obligare in Belgio, quia nũquam ibi promulgatæ sunt, & quia contrarius vsus semper perseuerauit. Idem credit de Gallia, & Germania: ait etiam in Sicilia vim non habere; id enim concessum est primò à Nicolao V. deinde à Grego. XIII. vt cum tribus conditionibus possint census emere: quarum prima est, vt constituatur super aliqua re certa, vna, vel pluribus, & possit addi generalis obligatio omnium bonorum. Secunda, vt venditor possit redimere quando voluerit. Tertia, vt census non excedat decimam partẽ sortis seu pretij. Habentur hæc in Bullario nuper edito à Grego. XIII. De Hispania iam diximus *dub. 6.*

SECVNDO dicit Læsius: vbi Bulla hæc est promulgata & recepta, obli-

gat

gat in conscientia. Vide Nauarr. *Comment. de vsuris. n. 106. & 107.*

TERTIO dicit: vbi non est recepta, seruandæ leges & consuetudines loci; vbi autem nulla esset lex, nec consuetudo vim legis habens, satis est seruare legem naturalem, quæ tantùm requirit æqualitatẽ inter censum & pretium.

Num. 2. DE hac re fusiùs agit Mol. *tract. 2. de iust. disp. 395.* vbi refert dubitatum fuisse de quibusdam censibus institutis absque conditionibus positis à Pio V. in quadam Lusitaniæ Prouincia, & multos affirmasse contractus eiusmodi factos post duos menses à publicatione Bullæ Romæ facta fuisse nullos, etiamsi bona fide fuerint celebrati, ac proinde pẽsiones ex eis censibus acceptas restituendas esse: & refert rationes quibus illi ducebantur; sed ipse contractus illos validos fuisse ait, quod late probat, quia leges irritatoriæ cõtractuum & absolutionum vim non habẽt in singulis Prouinciis, saltem respectu ignorantium, donec in singulis Prouinciis publicentur, ita vt moraliter loquendo ad omnium notitiam possent peruenire, alioqui essent iniustę, quia sine causa subditos grauarent, magnúmque illis damnum inferrent. Et ita tenet Sotus 1. *iust. q. 1 ar. 4.* & alij multi, quos secuti sumus in materia de legibus, & ideo Concil. Trid. *sess. 24. c. 1 de reform. matrim.* statuit decretum irritans matrimonia clandestina vim non habere nisi post 30. dies à publicatione in singulis parœciis.

SECVNDO probat, quia non solùm probabilis, sed probabilior opinio est, leges saltem irritatorias non habere vim nisi post duos menses à publicatione in singulis Prouinciis. Vt enim Pan. Felin. & alij argumentantur *c. 2. de constitu.* cùm ciuile ius in legibus irritatoriis statuat duos menses à publicatione in quaque Prouincia, vt vim irritãdi habeant, quod patet ex *Authen. vt facta noua constitutiones.* quod loquitur de legibus irritantibus testamenta minùs solẽnia, & vbi ius canonicum nihil statuit, standum est dispositioni iuris ciuilis. *c. 1. de noui operis nuntia.* & aliis iuribus, etiam illi duo menses requiruntur in legibus Ecclesiasticis irritatoriis, vt tenent Pan. Felin. Zabarella, Henric. & Decius *lectura 2. c. 2. de constit. citato.* idem Pan. *c. 1. de postul. pralat.* Angel. *verb. lex. num. 13.* & alij.

Num. 3. TAMETSI Ioannes Andr. *gloss. vlt. super datum. 6. decretalium* dicat, leges quæ in eo libro continentur obligare vniuersos Christianos post duos menses à publicatione Romæ facta, & post illum multi vniuersim asseruerint id de omnibus Pontificiis legibus; & sit communis opinio, quam sequitur Syluester *verb. lex. quæst. 6. dicto 3.* & Pan. *cap. nouerit. de sent. excom.* parum sibi constans. In eandem videtur inclinare, tametsi addat potissimùm eam esse veram de constitutionibus in corpore iuris insertis. De quibus etiam fatetur Molina, quia eo iure Prouinciæ vtuntur, idque in vniuersitatibus addiscitur, atque inter literatos viros practicatur: vnde infert, si Bulla Pij V. *de censibus* in Prouincia aliqua publicata non sit, neque ea inter viros doctos practicetur, tabel-

lionésque & contrahentes communiter de illa non sint admoniti, non priùs reddere irritos contractus cõtra formam ipsius ab ignorantibus celebratos, quàm de ea in illo populo communiter notitia habeatur. Quòd si ante duos illos menses notitia legis habeatur, contractus contra eius formam facti, irriti erunt, vt tenet glos. *c.2.de reb. Eccles. non alienan.in 6.* Panor. & Felin. *c.2. de constit.* idem Pan. *c.1.de postul.prael.* Syl. *lex.q. 6. dicto 4.* & multi alij, quos citant. Idẽ tenet Bart. *Authen.cit.n.6.* confirmás id ex *c.1.de conces.praeben.lib.6.verb. neque obstaret.* vbi clarè innuit textus, qui est quasi expositio Authẽtici citati. Eidẽ etiã textui innititur glos. citata: & ita Bulla Pij IV. declarauit decreta Conci. Trid. obligare Romę cœpisse à publicatione ibi facta.

VIDE alia apud Molinam ꝫ. cum quo, & Læsio conuenimus *tract. de legibus*, dicentes leges irritatorias nõ habere vim apud ignorantes, donec in singulis Prouinciis sint sufficiẽter promulgatæ: secus apud sciẽtes. Vnde non placet Comitolus *lib. 3.q.27.* qui docet Bullam hanc non solùm potuisse obligare omnes Christianos; sed reipsa omnes obligare, & non esse absoluẽdos Principes Prouinciarum nisi eam Bullã recipiãt, & quotquot contra formam in Bulla contentam contraxerunt, si gnari erant cõtractus irritos feciſſe: ignaros verò validè contraxisse, & non teneri ad restituendas pensiones receptas.

NAM licèt fortè ab initio Principes seculares tenerentur in omnibus eam Bullam recipere, quod tamen negant Naua. Molin. Vinsfeld. & alij, tamen postquam non est susceptа, præsertim annuente aliqualiter Pontifice, non tenentur illam recipere, nec subditi illi se conformare, etiamsi illam norint. Vnde ipsemet addit, si coniecturæ essent verisimiles quòd illa lex consensu expresso, vel tacito Rom. Pontificis non fuit recepta vel fuit abrogata, eos absoluerem.

OBSERVAT autem Vinsfeld. *de vsuris.c.in ciuitate.q.12.con. 3* post vndecimã conditionem positam à Pio V. cum Nauarr. *Comment. de vsuris. à n.105.* quem alij sequuntur, quædam esse in Bulla Pij V. expressa, vel suppositа, quæ sunt iuris naturalis, & diuini, vt contractum vsurarium esse reprobum, vsuram palliatam extirpandam, cẽsum iusto pretio emẽdũ: eiusdem ordinis Nauarro videtur quòd census non constituatur nisi in re fructifera & immobili, quod tamẽ superiùs reiecimus. Quędam verò esse quæ inducuntur ad præsumendum contractũ esse vsurarium, & ad euitandũ vsuras, vt quòd pretium soluatur in numerata pecunia corã notario, & testibus, quòd non fiat anticipata solutio, quòd nõ apponantur pœnæ. Quædam alia esse, quæ tanquam rationabilia & digna obseruatione adiunguntur, vt quòd censitor præferatur in emptione rei censitæ, quando censuarius eam vult vendere, & vt ante redemptionem fiat denuntiatio per bimestre, &c. quæ in Bulla sunt iuris naturalis, & diuini, ait cum Naua. vbique, & ab omnibus obseruanda, quia ius naturale, & diuinum omnes vbique ligat. *c.quo iure.d. 8.* Num. 4.

QVANTVM ad res secũdi ordinis, etiã ait videri ab omnibus seruãdas, quia lex Papæ circa spiritualia, & il-

la,

la, in quibus versatur periculũ animæ, seruanda est in vtroque foro. Glos. recepta *c. 2. de regu. iur. in 6. c. fin. de præscrip. c. cùm contingat. de iureiurãdo. c. cùm sit generale. de foro cõpet. c. vlt. & penul. de secund. nuptiis.*

QVÆ sunt tertij generis, ait cum Nauarr. non esse necessariò ab omnibus obseruanda, sed tantùm ab iis qui Pontifici in secularibus subdũtur: quia non est credendum quòd sanctissimus Pontifex voluerit alios Principes & dominos in sua tẽporali iurisdictione perturbare. Addit quoad ea quæ sũt iuris humani posse cõsuetudine Bullæ derogari, maximè Papa sciente & cõsentiente. *c. in istis. §. leges. d. 4. c. fin. de consuetud.* non verò quoad ea quæ sunt iuris diuini. *c. quod iure. & c. fin. de consuetud.* Item Bullam non obligare in Germania, & aliis locis, vbi recepta non fuit.

DVBIVM XIV.

Vtrùm nihil impediente Bulla hac Pij V. quando aliquis debet alicui aliquam pecuniæ summam, possit condemnari, vt vel eam statim soluat, vel annuum censum reddat dum eam non soluit?

Num. 1. NAVARRVS *Comment. de vsuris n. 99.* ait in hoc Regno Castellæ consuetum esse, & *n. 100.* licitum esse affirmat, modò tamẽ in interesse lucri cessantis creditori ex eo quòd pecunia nõ soluatur, statim atque in pœnam iustam contumaciæ debitoris ea sententia feratur. Nec obstat quòd Bulla Pij V. prohibet cẽsum constitui nisi numerata pecunia, & super re immobili, &c. Nam Bulla Pij V. solùm intelligitur de censibus ex cõtractu & conuentione partium creatis, non verò de creatis iustis aliis titulis, de quorum numero est iusta sententia Iudicis. Excipit, nisi debitum esset ex rebus in pondere, numero, aut mensura cõsistẽtibus. Sed bene Mol. *tom. 2. tract. 2. de iust. disp. 394. dub. 1.* arbitratur impertinens esse, vnde summa pecuniæ debeatur, modò verè debeatur, cessẽtque fraus aut dolus. Curare tamen debet Iudex ne simulatio aliqua interueniat ad ea via ex partium conuẽtione censum personalem, aut sine cõditionibus necessariis vt sit licitus, creandum. Addit Mol. in hoc Regno receptam nõ esse Bullam Pij V.

DVBIVM XV.

Vtrùm qui censum vẽdidit, possit dare partem pretij cuidam tertio, ea lege, vt soluat partem pensionis illi pretio respondentem?

SVMMARIVM.

1. *Quid sentiant auctores.*
2. *A principio potest fieri huiusmodi contractus, vt quis maiorem censum vendat quàm sibi expediret, vt partem pretij det indigenti, qui non habet bona in quibus census possit collocari, cum illo onere, vt ille soluat partem census ratione damni alij emergentis.*
3. *Alij dubio fit satis.*

Num. 1. NAVARRVS *Comment. de vsur. n. 113. & 122.* neganter respondet. Molina autem *disp. 394. dub. 2.* affirmat, præsertim in Nauarr. opinione, qui censet emptorem teneri acceptare redemptionem census quoad partem. Cùm

Digitized by Google

em venditor census ea parte pretij, quam alteri tradit, redimere posset partem cēsus, vtique beneficium illi impendit concedendo illi eam pretij partem cum onere, cum quo ipse illam accepit, relinquendo censum collocatum in bonis suis. Addit, ratione damni emergentis ipsi ex eo quòd ea parte pretij nō redimat partem census, licitum id esse, præsertim cùm venditor census nullum lucrum inde reportet. Item addit: A principio etiam quando cēsum vendebat, poterat dimidum vendere, vt ipse eum solueret, & alterum dimidium, vt solueret illum is, qui ea pecunia indigebat, collocando totum cēsum in re aliqua sua, quod est beneficium conferre illi alteri sine vllo proprio lucro; in quo neque vsura, neque alia iniustitia cernitur. Quando autem qui censum vendidit, partē pecuniæ haberet otiosam, neque ea fas illi esset redimere partem census, tunc vsura vtique esset tradere illam alteri ea indigenti, cum onere vt partem census solueret, & fortè in hoc loco euentu loquitur Nauarrus, inquit, Molina.

Num. 2. Ego certum existimo à principio posse fieri istum contractum, vt ego maiorem censum vendam quàm mihi expediret, vt partem pretij dem indigenti, qui non habet bona in quibus census possit collocari, cum eo onere, vt ille soluat partem census ratione damni mihi emergentis. Sic vidi timoratos & doctos viros quotidie sine vllo scrupulo facere. Idem potest fieri postea, si ego ex illa parte pretij poteram vel partem census redimere, vel alium censum emere, vel in aliquo expendere pecuniam, ex quo lucrum tantum reportarem, quantam soluturus sum pensionē illi pretio respondentem, quia licitum est mutuum danti deducere in pactum lucrum cessans, vel damnum emergens. Si autem nec lucrum cesset, nec damnum emergat illi parti pensionis æquale, vsura est dicto modo contrahere.

Et sic potest intelligi Nauarr. cui partim consonat Rebellus 2. *part. de oblig. lib.* 10. *quæst. vlt. difficultate* 6. di. cens contractum, de quo est quæstio, illicitum esse; quia ibi est lucrum ex mutuo, vt vult Nauarr. vel potiùs census personalis, qui, vt minimùm, iure canonico prohibitus est. Sed certè si ille daret pretium illud, vt emeret ab alio censum personalem, licitè faceret, quia census personalis nullo iure est prohibitus, saltem, vbi non est recepta Pij V.

Vnde deceptus est Gaspar Rodericus, qui pactum illud tāquam vsurarium damnat cum Nauarr. *illo n.* 113. Rectè verò Salon ait, quòd si à principio censuarius rogatus ab amico, & in gratiam ipsius maiorem censum vendidit, quàm esset aliàs venditurus, potest ratione damni quod in gratiam alterius patitur, ipsum obligare ad solutionem partis pensionis illi pretio respondentis: si verò ab initio non in gratiam alterius tantùm censum vendidit, sed eo vendito pretium alteri mutuò dedit, non potest obligare ipsum ad solutionem pensionis, nisi ex mutuo damnum sibi emergat, aut lucrum cesset: quia licitum est mutuanti in pactum deducere damnum emergens, & lucrum cessans.

Sed quærit Salon *art. 3. eadem controuer.* 25. quando duo in solidum censum Num 3.

Digitized by Google

censum vendunt, sed ita vt alter totam pecuniam pretij in suam vtilitatem recipiat, alter verò accepit ab eo, cui tota pecunia traditur, instrumentum indemnitatis, quo promittit censum illum intra certum tempus redimere, vel ab ea obligatione illum eximere, liceátne huic, aduenientе termino, compellere verum illum debitorem ad redimendum censum, vel eximendum illum ab onere, sicut in instrumento indemnitatis promisit? Quòd si debitor ille neutrum velit, aut non possit, licebítne huic ex propriis censum illum redimere & compellere eundem debitorem ad illum redimendum, ac quandiu non redimit, pensiones decurrentes accipere, sicut accipiebat prior ille emptor? Circa priorem partem merito ait nullam esse difficultatem. Nam cùm is qui nullam partem pretij accepit, personam nihilominùs debitoris egerit, & pro illo se obligauerit, rectè potuit cum illo pacisci, vt intra certũ tempus censũ redimeret, vel ab illo onere ipsũ liberaret, & alter tenetur illi pacto stare.

Circa posteriorẽ verò partem ait maiorem esse difficultatem, quia in eo casu qui censũ à primo emptore redemit, videtur habere duo iura, vnũ tanquã fideiussor cõtra censuariũ, qui illi contulit instrumentũ indẽnitatis, quod ius nõ videtur amittere redimendo censũ: alterum tanquã emptor contra censuariũ ipsum, quia emit censũ à primo emptore, & ille videtur ius omne in illũ transtulisse: ergo potest accipere pẽsiones à cẽsuario illo non cõputando eas in sortẽ, in quo censuarius nullũ damnũ patitur, quia easdẽ soluturus erat primo emptori. Nihilominùs rectè respondẽ cum Molinæo, cui cæteri subscribunt, *de vsur. quæst. 29. num. 245.* vsuram esse si pensiones accipiat non computatas in sortem. Ratio clara est, quia cùm ille sit in solidum venditor illius census, dato pretio illum extinguit: ergo ab alio venditore in solidũ non potest pensiones non computandas in sortem exigere, sed solam indemnitatem, nempe pretium, quo censum redemit & extinxit. Aliam rationem longiorem & obscuriorem reddit Salon, nimirum quia ille tanquam fideiussor censum emit à censitore: ergo non potest vt creditor pensiones accipere à censuario, quia nemo potest esse simul respectu eiusdem creditor & fideiussor. Cõfirmat, quia duæ obligationes non possunt simul concurrere, principalis & accessoria, seu fideiussoria; & ideo aduenientе principali non potest esse fideiussor, sed obligatio principalis extinguit accessoriam. *l. si reus promittendi. ff. de duobus reis. l. hæres. §. seruus. ff. de fideiussoribus.* Ergo si vt fideiussor redemit censum, non potest vt creditor recipere pensiones non computandas in sortem: alioqui simul haberet ius creditoris, & fideiussoris.

DVBIVM XVI.

An si res in qua census erat collocatus. v. g. molendinum, aut domus omnino corruat, aut exuratur, iterúmque in eadem area alia similis erigatur, census debeatur?

Num. 1. RESPONDET Nauar. *Commen. de vsur. n. 118.* & Molina *illa disp. 394. dub. 3.* nõ deberi, etiamsi ex eadem materia similis res fiat, quoniam pereunte re in qua census est collocatus, perit omnino census: sed licèt maneat area, perit domus, in qua erat collocatus census: ergo hîc perit etiamsi domus ex eadem materia fiat: nauis enim constructa ex materia alterius nauis est alia à priori. *l. inter stipulantem. §. sacram. vers. & nauis. ff. de verb. oblig. & l. quid tamen. §. 1. ff. quibus modis vsusfructus amittatur.* Ita etiam tenet Vinsfel. *q. 12. de vsuris. super c. in ciuit.* post Bullam Calixti. Quando autem res, in qua census erat collocatus, dolo, vel culpa debitoris census periret, teneretur collocare illũ in re alia, in qua census æqualis esset valoris, aut soluere teneretur valorẽ cẽsus. Ita Nauar. Vinsfeld. & Molina. Sed dubio 30. vidébimus, etiam sine culpa censuarij pereunte re censita, censum manere, nisi aliter expressè cõuentũ sit.

DVBIVM XVII.

An si census collocetur in re vinculo subiecta, aut aliena, pensiones licitè recipiantur?

SVMMARIVM.

1. *Molina vtitur distinctione, qua responsio amplectenda est. n. 2.*

Num. 1. MOLINA *disp. 394. dub. 4.* cum Nauarr. *Commen. de vsuris. n. 118.* distinguit, quoniam vel emptor census sciebat rem esse talem, in qua census collocari non posset, vel ignorabat; in posteriori euentu licitè recipit pensiones, interim dum ea ignorantia perseuerat, neque tenetur computare illas in partem pretij, idque siue debitor census sciuerit rem illam esse incapacem census, siue non. Ratio est, quoniam emptor census bona fide illas recepit, vt sibi debitas ex contractu emptionis census: quòd si vẽditor conscius fuit rem fuisse incapacem illius census, dolus interuenit in contractu, qui non debet illi patrocinari, vt immunis sit à pensionibus soluendis eo tempore. Quin in Regno Castellæ, esto res vinculata non sit, ac sit propria vendentis censum; si tamen onerata erat aliis censibus, aut tributis prioribus, neque venditor census id emptori detexit, punitur amissione dupli eius pretij, quod pro censu acceperat, & cogitur iterum collocare censum in re secura, vt census ex illa soluatur. *l. 2. tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis. & l. 3.* ad lites vitandas quæ ex occultatione onerum rerum, in quibus census collocantur, sæpe oriuntur, statutum est, vt in vnoquoque loco, in quo caput sit iurisdictionis, deputata sit persona quæ librum habeat, in quo in catalogum redigantur contractus omnes, in quibus onus hypothecæ, census, aut tributi rebus imponitur, & vt celebrantes eiusmodi contractus teneantur intra sex dies à contractu celebrato eos in hoc libro scribi curare, sub pœna vt aliter confecti fidem non faciant; neque iuxta illos iudicetur, neque tertius earum rerum possessor ad aliquid propter tale onus teneatur. Præcipitur

pitur verò, eum librum non ostendi, sed eum cui incūbit in catalogum redigere eos cōtractus, debere fidem facere, num aliquod onus habeat res quæ est vendenda, aut in qua onus est constituendum, quando ad petitionem vendentis rem, aut collocantis in ea onus, id ab eo exigetur. Guttier. tamen *in pract. q.* 169. ait dispositionem huius legis tertiæ nunquam mandatam fuisse executioni: quare interim dum persona non deputatur, quæ id muneris habeat, lex non obligat. Esto autem venditor tempore venditionis census ignorauerit, rem, in qua collocabatur, incapacem esse illius, iustè tamen emptor census accepit pensiones non computandas in partem pretij toto eo tempore, quo ipse etiam ignorabat, quoniam venditor census tenetur de euictione illius eo ipso quòd comperitur, rem non fuisse capacem illius, atque adeò tenetur ad interesse emptori census iuxta ea quæ *disp.* 380. dicta sunt ex *l. Iulianus. ff. de actione empti.* & ita tenent Emanuel *tract. de censib. cond.* 5. *n.* 2. Anton. Gomez *simili tract. cap.* 5. *n.* 2. & constat ex *cap. ad audientiam. num. 2. de præscrip.* Rebuf. *tom. 2. tract. de consti. reditus. art.* 2. glos. 1. *in prin. num.* 2. & 12. Follerius *de censib. fol.* 30. Parlador *lib. rerum quotidian.* §. 12. *n.* 41. & §. 13. *num.* 44. colligitur ex *l. venditor hom. ff. de euiction.* Quando autem census esset redimibilis, quoniam in potestate venditoris est illum redimere quandocumque voluerit, totum interesse sufficienter soluitur, si vltra omnes pēsiones illucusque ex censu debitas, integrum pretium restituatur, vel cēsus iterū collocetur in re æquè bona ac secura.

QVANDO verò census esset irredimibilis, vltra pēsiones illucusque debitas cogēdus esset venditor cēsus collocare illū in re alia æquè bona, ac secura, si illam haberet, atque id emptor census eligeret, vel si id fieri non posset, cogendus esset soluere integrum, ac iustum pretium talis census, quoniam id esset integrum interesse illius.

IN priori autem euentu quando scilicet emptor census sciebat rem esse talem in qua non poterat cēsus collocari, dicendum est, nō posse accipere eas pensiones; si autem eas acceperit, teneri illas computare in sortem, quia tunc locum non habet euictio ex *l. si fundum. C. de euictio.* & talis census reuerà non existit: imò verò si in foro exteriori constaret eo modo receptas esse pensiones, pœnis vsurariorum plecteretur qui eas accepit, vt affirmat Nauar. c. *n.* 119. quia tunc vi solùm mutui accipiuntur.

PLACET tota hæc Molinæ respō- *Num.* 2.
sio, quam etiam amplectitur Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 12.* expressiùs dicēs etiāsi tempore emptionis ignoraret emptor non posse in ea re censum collocari, si postquàm sciuit, recepit pēsiones, teneri illas cōputare in sortem: posse tamen cogere vēditorem, vt in alia re æquè bona censum collocet, vel pretium restituat.

DVBIVM XVIII.

An si res in qua census legitimè erat collocatus, alicui vēdatur nō manifestato illi, eam rem tale reale onus habere, emptor id postea sciēs possit venditionem rescindere?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmans suadetur.*
2 *Dicendum imprimis venditorem rei illius non incidere in pœnam legis, & alia breuiter disseruntur.*

Num.1. PARS affirmans suadetur, quoniam res cum eo onere vitiosa censetur, non secus ac si in se haberet seruitutem; qui autē cōscius est, rem quam vendit, habere seruitutem, seruitutē nō detecta; censetur vēdere rem vitiosam vitio minimè detecto, ac proinde emptor detecta seruitute rescindere potest contractum. Quòd si vēditor seruitutem ignorans rem vēdat, datur emptori actio quanto minoris aduersùs illū, vt *disp. 353.* ostēdit Molina: ergo idem erit in re proposita.

Num.2. DICENDVM tamē cum Mol. *disp. 394. dub. 4. in fine.* & Guttierr. *in pract. lib. 2. q. 169.* imprimis venditorem rei illius non incidere in pœnam legis *2. tit. 15. lib. 5. noua collectionis*, quia illa solùm statuit pœnam venditori census in re grauata alio censu, aut tributo, grauamine non detecto: pœnæ autem extendendæ non sunt ad casum diuersum, etiamsi consonantius rationi esset, vt potiùs in illo alio casu statueretur. Deinde si census redimibilis sit, non potest agere ad dissolutionem contractus, nec etiā actione quanto minoris, sed solùm vt cēsus redimatur, soluantúrque pensiones ex illo debitæ, eo enim facto, quod in potestate venditoris est, res manebit libera à tali cēsu, ac proinde à vitio: quando autem vitium potest à venditore tolli, satis est illud tollere, & ad id venditor cogendus est, interim tamen dum census non tollitur, retinere emptor poterit pretium, si illud non soluit. Confirmatur, quia quando res venditur quæ hypothecæ specialiter erat subiecta, comperto postea onere illo reali, agi non potest ad rescisionem venditionis, sed vt res ab eo onere à venditore liberetur, si id in ipsius est potestate, vt apertè colligitur ex *l. ex prædiis. C. de euictio.* & ibi notant glos. Bart. & alij, quos Guttier. 3. refert. Quando autem census esset irredimibilis, locum haberent quæ argumentū partis affirmantis probat.

QVANDO autem quis emit hæreditatem alicuius Ecclesiæ quasi liberam à decima, & postea à Iudice compellitur soluere decimā, & alia onera, non potest decimam defraudare. Vega *in Epito. verbo census. casu 14. & in Sum. col. 416.* qui etiam *casu 17.* dicit illicitum esse quòd venditor census decipiat emptorem dicendo rem in qua census collocatur, reddere fructum æqualem pensioni, cùm tamen reddat minorem.

DVBIVM XIX.

Vtrùm vbi Bulla Pij V. est recepta, fas sit censum redimere, & extinguere non in pecunia numerata, sed in aliis rebus, quibus dominus census contentus sit loco pretij?

SVMMARIVM.

1 *Respondetur affirmatiuè.*

RES

Num. 1. RESPONDEO cum Nauar. *Comment. de vsuris. n. 123. & 124.* & Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 394. dub. 5.* & Vinsfeld. *de vsuris super c. in ciuitate. quæst. 12. post Bullam Pij V. condit. 2. in fine.* licitum esse: quia Bulla illa solùm petit numeratã pecuniam in emptione census, non in redemptione, ad quam non est extendenda hæc constitutio, cùm sit exorbitans, nec ea sit mens Pontificis, tum quia in extinctione census non erat periculum ea via palliandi vsuras, atque iniustitiam committendi, sicut in illius emptione. Tum quoniã ea Bulla minui & extingui census curauit. Addunt bene Moli. & Nauarrus extingui etiam posse compensatione æqualis debiti liquidi, quod dominus census debeat censui debitori: idque non solùm ex cõsensu mutuo vtriusque, sed etiam domino census renuente, debitoréque census id coram Iudice petente, aut etiam protestante coram testibus se velle æquali eo debito redimere censum, neque deinceps teneri ad pẽsionem soluendam. Ex eo autẽ præcisè, quòd æquale cum pretio census illo modo debeatur, non censetur census redẽptus, nisi id petat, aut protestetur debitor census; vt ibidem *n. 125.* notat Naua. & approbat Molina. Quibus consentit Rebellus *de oblig. p. 2. lib. 10. q. 6. condi. 5. n. 22.* dicens etiam vbi Bulla Pij V. recepta est, validam esse census redemptionem, licèt non fiat in pecunia numerata, sed in quacunque alia re, si debitor census sit contentus, imò per compẽsationem debiti liquidi censum extingui posse, etiam inuito censitore, & extraiudicialiter eum admonendo, vt deinceps censum pro extincto habeat ratione illius debiti æqualis. An verò si ante finem anni, quando pensio fortè solui debebat, redemptio census fiat, sit soluenda integra pensio? Respõdet cum Nauar. *n. 126.* pro rata temporis soluendam esse.

DVBIVM XX.

Vtrùm si Bulla Pij V. recipiatur alicubi, etiã quoad clausulam, quòd in venditione rei censui subiectæ præferatur dominus census cæteris, sit præferendus etiam habentibus ius retractus ratione communionis in eadem re, aut ratione consanguinitatis, vt est ius retractus in hoc Castellæ Regno?

Num. 2. RESPONDENT bene Nauarr. *Comm. de vsuris. n. 127.* & Mol. *disp. 394. dub. 6.* neganter, quoniã gratia ac priuilegium domino census in hac Bulla concessa, neque tollit, neque impedit priores gratias ac priuilegia ritè antea concessa: quare dominus census solùm præfertur cæteris cõmunibus eiusdem rei emptoribus, non verò habentibus priuilegium prælationis. Idem tenet Læsius 2. *de iust. c. 22. dub. 12. n. 84.*

DVBIVM XXI.

Vtrùm census imponi possit in re aliena?

Num. 3. RESPONDENT bene Nauar. *Comm. de vsuris. num. 131.* & Molina *disp. 395. dubio 7.*

Ioan. de Salas.

Digitized by Google

affirmanter, si consentiat dominus talis rei, quoniã illa est quæ deuincta manet tali censui, licèt is, in cuius commodum census cõstituitur, teneatur soluere pensiones, interim dum ea res salua manserit. Estque consuetum in Hispaniis ita cõstitui reales census.

DVBIVM XXII.

Quomodo sit constituendum iustum pretium censuum, præsertim redimibilium perpetuorum.

SVMMARIVM.

1 *Auctores de hac re agentes.*
2 *Varia Doctorum placita. n. 3. 4.*

Num. 1. DE hac re agit Læsius *2. iusti. c. 22. dub. 14.* Sotus *6. iust. q. 5. art. 2. versic. de pretio autem.* Couarr. *3. Variar. c. 9. n. 5. & 7. & c. 10. ex n. 2.* Bertran. *consil. 318. n. 2.* Matienzo *lib. 5. nouæ collect. tit. 15. l. 6.* glos. 2. & 4. Tiraq. *de retractu linagier. §. 1.* glos. *6. n. 17. & 19.* Pinel. *l. 2. p. 3. c. 4. n. 29. C. de rescin. vend.* Gaspar Caball. *in Ægidian. const. lib. 1. c. 17. in glos. A. n. 2. pag. 30.* Didacus Perez *8. ordinamenti. tit. 2. in Rub. pag. 28. col. 2. & pag. 32. col. 2.* Auendanno *respon. 12. n. 3. versic. & est considerandum.* Garsia *2. p. de contract. p. 2. c. 4. versic. algunos Doctores. pag. 131.* Petrus Ledes. *2. p. Summa. tract. 8. c. 34. con. 6. & 7.* Valen. *2. 2. disp. 5. q. 22. pun. 5.* Ioan. Baptista Corrad. *q. 239.* Salon *2. 2. disp. de censib. art. 3. controu. 9.* Bãnez *2. 2. q. 78. art. 4. dub. 3. de censibus.* Grafis *1. p. decisionum. lib. 2. c. 118. n. 25. & 26.* alios citans. Gaspar Rodericus *de reditib. q. 6.* Vinsfeld. *super c. in ciuitate. de vsuris. q. 14.* Ioannes Medina *C. de vsuris.* tractans de censib. *fol. 178.* Anton. Gomez, & Emanuel *tract. de censibus*, vterque *cond. 3.* Comitol. *lib. 3. q. 28.*

Num. 2. LÆSIVS ẽ. ait optimè constitui pretium census perpetui irredimilis ex proportione pretij rerum frugiferarum, vt agrorum, domorum, syluarum, & similiũ. Quo enim pretio emi potest res frugifera quæ deductis expensis quotannis reddat 100. aureos, eodem, atque etiam minori iustè potest emi census realis irredimibilis tantundem pendens. Ratio est, quia amplius est habere plenum rei dominium quàm solum ius percipiendi tantundem fructuum, quantùm res illa solita est ferre:

HINC gradus fit ad statuendum pretium census redimibilis; quod secundùm omnes multo minus esse debet pretio census irredimibilis: quia pactum quodcumque in contractu appositum in fauorem vendiris, pars pretij censetur. *l. fundi partem. ff. de contrah. emptione.* Vnde aliqui de censu redimibili hanc regulam constituunt apud Couar. *illo c. 10. n. 1.* considerandum esse in singulis Prouinciis, quo pretio cẽsus perpetuus irredimibilis vendatur, & detracta ad summum tertia parte illius pretij propter pactum redimendi, vel paulo minùs quàm sit illa tertia pars, reliquum esse pretiũ census perpetui redimibilis. Ita Caballin. seu Molinæus *de vsuris. q. 5. n. 117. & q. 35. n. 267.* Quòd si emptori census hæc æstimatio iniqua videatur, & vtilis venditori plus iusto; erit, inquit *loco cit. n. 120.* saltem censen

Digitized by Google

censendum iustum pretium census, redimibilis, ad minus dimidium pretij census irredimibilis.

GERSON *de contractib. consid. 5. 9. & 19.* Antonin. *3. p. tit. 5. c. 8. §. 14.* Conrad. & alij aliam regulam tradunt prædictæ non aduersam; iustum pretium census, sicut & aliarum rerum esse quod fuerit à Principe, vel Repub. taxatum, vel quod communi vsu & consuetudine in eo loco seruatur. Hanc regulam amplectitur etiam Couarr. *illo n.* 1. Guido Papa *consil.* 180. Nauarr. *Comment. de vsuris. n.* 104. Molinæus s. Franciscus à Ripa *lib.* 1. *responsionum. c.* 19. Rebuff. *ad constitu. Gallicas. tract. 2. de constit. redituum. art.* 1. & alij communiter, quos refert & sequitur Felicianus *lib. 3. de censib. c.* 1. *n.* 17.

Num. 3. VNDE in variis Prouinciis, & in eadem pro varietate temporũ fuerũt varia pretia horum cẽsuum. In Delphinatu erat pretium consuetudine inductum 20. in singula: in Aragonia idẽ est pretiũ, vt testatur Nauarr. *illo n.* 104. in Nauarra ferè idẽ, nã sex emũtur 100. vt idem testatur. Apud Hispanos olim in prouincia Betica, & aliis, quæ citra Tagum Grannatensi prætorio subsunt, annui reditus frequentissimè constituebantur ad rationem decimæ, eáque cõsuetudo nõ improbabatur sẽtentiis Iudicum. Hispani vltra Tagum frequentiùs constituebant ad rationem duodecimæ, vel quatuordecimæ, vt testatur etiam Couarruuias: postea fuit pro toto Regno Castellæ sancitum, vt non possent census isti emi minoris quàm ad rationem 14. in singula, quam legem Matriti tulit Philippus anno 1563. & habetur *l. 6. tit. 15. lib. 5. nouæ compilationis.* Sed Philippus III. sanxit quod hodie seruatur, vt non possent emi nisi ad rationẽ 20. in singula. Apud Gallos aliquando constitui ad rationem 10. 12. & 15. testantur Tiraq. 1. *de retractu. §.* 1. glossa 6. *n.* 17. & Molinæus *q. 5. de vsuris. n.* 109. In Italia Romæ 8. vel 9. pro centum emuntur, vt testatur Nauarr. *illo n.* 104. Idem Bononiæ in vsu esse dicit Cosmus Philiar. *lib. 5. de officio Sacerd. c.* 17. vt plurimùm tamen in Italia nunc septem emuntur pro 100. vt ait Vinsfel. suprà, qui etiam ait apud Germanos aliquando ad rationem vnius pro 10. aliquando 15. aliquando pro 20. constitui solitos esse census. In Sicilia est 10. in singula. Quod approbauit Nicolaus V. & Gregorius XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martin. V. idem approbauerunt in Polonia, & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo, vel æstimatio, vt patet ex illorum extrauagantibus.

ALIQVANDO est 11. vel *Num. 4.* 13. vt patet ibidem: vbi viget negotiatio, pecunia præsens pluris æstimatur, & minoris census, inopia pecunia facit census vilescere, copia æstimari, vt ait Læsius. Qui ex dictis infert, non debere iniquam videri emptionem censuum personalium cum hypotheca ad rationem 16. in singula. Nam hi census, vt experientia docet, ordinariè non sunt securiores quàm census reales, qui tamen multo minoris emi possunt: deinde quia eodem pretio potest emi prædium, quod tantundem ferat, deinde quia ita viget negotiatio in Belgio, vt multi parum curent census per-

Digitized by Google

sonales. Nam facilè tantundem, & amplius lucrari possunt per tres contractus in societate mercatorum, idque absque vlla molestia. Addit census irredimibiles non habere in Belgio pretium lege taxatum, nec posse de nouo creari, vt patet ex constitutione Carol. V. anno 1528. Buxellæ facta; reseruatiuos autem vendi posse pretio 20. in singula, vel etiam minoris.

CONCINIT prædictis Conrad. *illa quæst. 84.* dicens in aliquibus Germaniæ locis fuisse consuetum pretium 20. pro vno, & hanc consuetudinem Vermacēsi statuto fuisse confirmatam. *& q. 83.* ait in aliis Germaniæ locis fuisse 15. pro vno. Quod apud Gallos fuisse seruatum scribit Molinæus *de vsuris. q. 5. n. 225.*

DVBIVM XXIII.

An minoris iusto pretio censum emens peccet mortaliter cum obligatione restituendi, & quomodo debeat fieri restitutio & an contractus sit nullus, an verò validus, sed rescindendus?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur controuersia, & variæ Doctorum sententiæ afferuntur n. 2. 3.*

4 *Quando census emitur minoris quàm sit iustum pretium, qua parte contractus iustam pensionem excedit, est nullus, excessúsque restituendus.*

5 *An qui parum recedit à iusto pretio, peccet mortaliter?*

Num. 1. OMNES istæ difficultates sunt cōnexæ & depēdentes, imò omnes pēdēt ex vna alia, an videlicet in emptione censuum locū habeat lex 2. *C. de rescindenda venditione*, quæ disponit contractum emptionis esse validum, & tolerandum, si emptio sit minoris iusto pretio citra medietatem, si verò vltra medietatem, rescindendum esse contractum, vel supplendum pretium, ad electionem emptoris, & decipientis: quam legem in emptione censuum locum non habere, docet Vinsfeldus *tract. de vsuris. super cap. in ciuitate. quæst. 14. con. 1.* & Couarruu. *3. Variar. cap. 10. num. 2.* ex Baldo *in Rubrica. C. de vsuris, in fin.* dicente quòd ea decisio non est admittenda in contractibus vsurariis & suspectis. Sed contractus census est suspectus, & vsuræ succedaneus: ergo in illo non est admittenda. Idem tenet Gaspar Rodericus 1. *de reditibus. quæst. 8. n. 9. 10. & 11. & quæst. 1. per totam, & lib. 2. quæst. 3.* & Caballin. seu Molinæus *de contractibus & vsuris. quæst. 14.* Antonius Gomez *tractatu de censibus. conditione 3. num. 10. & 11.* Emanuel *eodem tractatu, conditione 3. dubio 4.* cum Castro 1. *de lege pœnali. cap. 12.* & Alcocer *in Summa. cap. 21.* Idem tenet *disputatione 390. paulo ante clausulam 3.* quatenus docet indistinctè, eum qui censum minoris iusto emit, teneri ad moderandum censum, & restituendum incrementum pensionum illucusque receptarum. Sed nisi mendum sit in littera, sibi statim contradicit subiungens; *si prædium & census in eo collocatus pereant, in nullo releuatur venditor quoad partem illam maioris pensionis, quam illucusque* *soluit.*

Digitized by Google

soluit. At verò Anto.Gomez,& Emanuel contractum putant nullum, etiamsi in modico pretium deficiat.

ALII ex Iurisperitis, si credimus Saloni *art.3.de censib.cont.11.in princ.* distinguunt; nam emitur census antiquus,seu iam constitutus, & tunc lex illa locum habet,quia talis contractus est commutatiuus, & vera emptio: lex autem illa in qualibet vera emptione locũ habet. Vel emitur census de nouo constitutus ipsamet emptione,& sic lex illa locum non habet, quia talis contractus non est commutatiuus, sed fœneratitius, & vsurarius.

HANC rationem meritò reiicit Salon ibi, quia etiam quando emitur census ipsa emptione constitutus, illa est vera emptio, & non mutuum, cùm nulla sit obligatio reddendi sortem: ergo non est vsurarius, licèt sit iniustus; ac proinde hac ratione non est dicendum, in eo non habere locum legem illam *2. Codice de rescin. venditione.*

VNDE ipse Salon ibi tenet, etiam cùm emptione census constituitur, legem illam locum habere, ac proinde si læsio seu deceptio fuit intra, seu citra dimidium iusti pretij, contractum non esse rescindendum, sed pretium augendum; si verò deceptio & læsio sit infra, vel vltra dimidium iusti pretij, contractum esse rescindendum, & venditori restituendas, seu in sortem computandas esse omnes pensiones illucusque receptas.

VNDE Salon cum Ioanne Medina, Soto, Palacio, & aliis Theologis docet, expendendum priùs esse an sit lex circa censum iniusto pretio emptum aliquid constituens; nam iuxta eam de firmitate, vel nullitate contractus erit iudicandum. Quòd si lex nihil certò constituerit, quod optimi rectíque Iudices soleant iudicare, ita vt si sententiæ à multis latæ consentiant, pro lege habeantur, maximè in foro animæ: id enim in foro animæ seruandum quod iusti Iudices perspecta rei veritate iudicant esse faciendum.

REFERT autem Molinæus *quæstione 10. de vsuris. numero 139.* apud Gallos census constitutos ad rationem vnius pro duodecim iustos esse, quia sic habet apud eos communis vsus fori sententiis Iudicum confirmatus. *Num.2.*

QVOD si quis minoris emat, vt ad rationem vnius pro decim, vel vndecim, contractus ille non rescinditur; sed in pœnam diminuti pretij reducitur ad rationem vnius pro quindecim. Si verò ematur ad rationem vnius pro octo, vel nouem, iudicatur nullus & inualidus contractus, & ita iudicatur in Regiis tribunalibus ab 1500. in posterum.Sic ergo iudicandum etiam in foro animæ post Iudicis sententiam. Ante illam verò sufficit illum reducere ad pretium solitum, & receptum communi vsu fori, quia reductio ad maiorem quantitatem est pœnalis,& tenemur ad pœnam ante Iudicis condemnationem. Quòd si nec ex lege superiorum,nec ex Iudicum optimorum sentẽtiis aliquid circa validitatẽ,vel nullitatẽ censuũ elici possit, obser-

Digitized by Google

uandum est in eis, siue de nouo constituantur, siue secundò, vel tertiò iam constituti emãtur, quod in aliarum rerum emptionibus habet ferè omnium gentium consuetudo, vt si deceptio accidat infra dimidium, contractus sit nullus, debeátque emptor omnes pẽsiones iu sortem computare, & nihil ampliùs quàm sortẽ ex illis, vel cũ illis, & illas includẽdo in sorte, recipere, & solùm quod desit sorti, à censuario repetere: & ita perspecta rei veritate Iudices optimi iudicarent, vel forsan acriùs, & pœnis vsurariorum eos mulctarent; & meritò. Similiter iudicandũ esset de censibus deficientibus à iusto pretio citra dimidium, vbi Bulla Pij V. recepta esset, nam præcipit vt iusto pretio emantur, & si aliter quàm cum conditionibus ibi positis, contractus censet irritos & fœneratitios. Vbi autem non seruatur (vt in Regno Castellæ, & Valentiæ) si pretium census non deficiat infra dimidium, erit in foro animæ reducendus ad iustum pretium lege statutum, vel in foro vsitatum, ad arbitrium venditoris, & læsi, ita vt nonsit in facultate emptoris pretij defectum supplere, quia forsan venditor non vult ad tantum reditum manere deuinctus, sed in optione venditoris erit, vel exigere ab emptore supplementũ iusti pretij præter excessum in pensionibus, quem eò vsque passus est; vel vt excessus ille computetur in sortem, & reliquum sortis emptori reddat. Et in Regno Valentiæ pretium censuum non est lege taxatum, sed communi vsu fori constituitur; in Regno autem Castellæ taxatum est *l. 6. tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis*, ad rationem vnius pro 14. Et subiungit, si minori pretio empti sint, non posse eorum vi exigi, aut recepi plus: ergo quoad excessum pensionum irritantur. Hæc Salon in summa. Sed in multis deficit. Primò, quia quando census emitur pretio deficiente à medietate, censet esse irritum, & idem putat in cæteris emptionibus; quod falsum est, nam in cæteris emptionibus eõtractus non est irritus, sed rescindendus, vel defectus pretij supplendus ad voluntatem & electionem emptoris: ergo si lex 2. *C. de rescindenda vendit.* hîc seruanda esset, sicut in cæteris venditionibus, ita faciendum esset. Secundò deficit, dicens, si læsio sit citra dimidium, vbi seruatur Bulla Pij V. contractum esse verè vsurarium. Nam cùm hîc nullum sit mutuum explicitum, aut implicitum, cùm fors non sit necessariò reddenda, non erit vsura, vt rectè dixit Sotus §. *iust. quæst. 5. art. 1. in fin.* sed propter Bullam Pij V. puniendus emptor erit pœnis vsurariorum. Tertiò deficit, quia dicit, in hoc eodem casu læsionis citra dimidium, vbi Bulla Pij V. non seruatur, rescindẽdum esse contractũ, vel supplendum pretium ad electionem venditoris læsi. Nam si seruanda esset lex 2. *C. de rescind. vendit.* nihil horum posset petere in iudicio læsus, licèt in foro animæ supplendum esset pretium. Quartò deficit, quia suam sententiam tribuit Ioanni Medinæ, Soto, & Palacio: nam Ioan. Medin. *quæst. 5. de censibus* §. *sed pone Petrum* quando defectus pretij fuit in tertia parte pretij, vt si census valens 15. emptus est 10. tantùm ait, contractum non esse resoluendum, si dolus non dedit causam contra-

ctui;

ctui: sed emptorem teneri vel illum resoluere, & interesse damni emergentis, & lucri cessantis venditori restituere; vel pretium ad æqualitatem reducere, & interesse restituere. In Soto verò nihil reperio, & Palacium ad manum non habeo, credo tamen diuersum sentire à Salone. Ioanni autem Medinæ consonat Læsius 2. *iustitiæ. cap. 22. dub.* 15. refert sententiam asserentium, quando minoris iusto pretio census emptus est, pensiones esse restituendas, vt si censum valentem 15. aureos in singulos emeris 10. restituendam esse tertiam pensionum partem; ipse verò distinguit: si enim pretium census est lege constitutum cum clausula irritante cõtractum pensionum excessus, est necessariò restituendum reliquo retento, quia respectu huius pretium est iustum, & contractus validus: nam lex solùm intendit contractum irritare, qua parte pensiones excedunt iustum pretium. Si verò pretium non sit lege constitutum, vel saltem non cum clausula irritante, tunc dubium est; quidam enim putat nihilominùs excessũ illarũ pẽsionũ restituendũ, iuxta dicta à Læsio *eod. lib. c.* 21. *dub.* 13. de fructibus restituendis, quæ sententia à Læsio iudicatur probabilis: contrariam tamen putat veriorem, nempe nihil de pensionibus esse restituendum, sed tantùm pretium esse supplendum, & interesse (si quod ex carentia iusti pretij obuenit venditori) compensandum, vt ait Medin. *de restit. quæst.* 15. *dub.* 4. seu potiùs *q.* 5. *de censib.* §. *sed pone Petrum.* Probat Læsius, quia debitor non fuit fraudatus ex eo quòd pensiones emptor perceperit, nam ipsi erant debitæ ex valido contractu, sed ex eo quòd iustum pretium nõ fuit ei persolutum. Confirmatur: si quis emeret agrum minoris iusto, non teneretur fructus agri reddere, sed pretium supplere, & damnũ sarcire, si quod ex defectu iusti pretij secutum sit: atqui pensiones sunt veluti fructus census: ergo, &c. Dices, qui emit censum valentem 15. pro 10. non efficitur dominus nisi dodrantis, id est, duarum tertiarum census, cùm pro reliqua tertia nullum pretium dederit, vel promiserit: ergo pensiones illius tertiæ retinere non potest. Respondet Læsius negando antecedens: fit enim dominus totius census, nam venditor totum intendit vendere, & emptor emere: sed quia pretium non fuit æquale tribus trientibus, sed duobus tantùm, tenetur supplere quod deest pretio pro reliquo.

Ex quo etiam tacitè reiicitur Molina 5. dicens moderandum esse censum & restituendũ esse excessum pensionum vsque ad id tempus perceptarum: nec esse eandem rationem de prædio empto minoris iusto pretio cum pacto de retrouendendo: in prædio enim sufficit augere pretium, nec tenetur emptor restituere excessum, vt *disp.* 375. *in fine.* cum Ioann. Medina dixerat, quia prædium erat emptoris, & illi fructificabat: at verò res censuaria non est censitoris, ideo illi non fructificat, nisi quoad eam partem fructuum qui iusto pretio empti sunt. Quæ ratio Molinæ ex dictis Læsij impugnari potest, quia pensiones sunt fructus census, totus autem census emitur: ergo ementis sunt pensiones perceptæ, & tantũ tenetur *Num.* 5.

Digitized by Google

tur emptor pretium ſupplere, vt tenet eodem argumento Medina. Vnde ipſe infert deceptum fuiſſe Conradum, qui dixit emptorem ſatisfacere vel ſupplendo pretium, vel reſtituendo tertiam partem penſionum perceptarum: quia tantùm ſatisfacit ſupplendo pretium. Sed non eſt cur impugnetur Conrrad. tãtùm enim voluit vtrouis modo poſſe fieri reſtitutionem, iuxta duas opiniones, contrarias quidem, ſed probabiles.

Num. 4. PRO reſolutione huius magnæ & grauis quæſtionis dico primò, quando cẽſus emitur minoris quàm ſit iuſtum pretium, non totus cõtractus ruit: ſed qua parte iuſtam pẽſionem excedit, eſt nullus, & reiicitur, exceſsúſque penſionum receptarum eſt reſtituendus. Hanc tenent Vinsfeld. *tract. de vſuris. ſuper c. in ciuitate. q. 14. con. 6.* Mol. Ant. Gomez, & Eman. quos initio dubij citaui, qui expreſsè docent id eſſe verum, etiamſi læſio ſit citra dimidium, vel non vltra dimidium iuſti pretij.

PRIOR pars concluſionis etiam eſt Medinæ, Læſij, Conrradi, & aliorum communiter; & probatur, quia vtile per inutile nõ vitiatur. *c. vtile. de regu. iur. in 6. c. ſancimus. §. ſiquis autem. C. de donation.* vbi donatio excedens ſummam 500. ſolidorum non in totũ vitiatur, ſed tantùm quod excedit legitimam ſummam pro non adiecto habetur: & in materia vſurarũ probatur ex *l. placuit. ff. de vſuris. & l. cùm alleg. as. C. eodem titulo.* & in conſtitutionibus Caroli V. anno 1581. c. 17. & Rodulphi anno 1577. *tit.* 19. taxatur cenſus redimibilis perpetuus ad rationẽ 20. pro vno, & ſolùm declaratur inutilis cõtractus quoad exceſſum pẽſionis. Vnde etiam patet ſecunda pars noſtræ aſſertionis, quæ eſt cõtra Ioan. Med. & Læſium.

QVAM optimè cõfirmat Vinsfeld. ſic enim Spiræ in Camera fiunt reductiones ad legitimam pẽſionem nõ reciſo cõtractu, ſed valido iudicato quoad partẽ pẽſionis legitimam, vt teſtatur Andreas Gail Cameræ Spirẽſis obſeruãtiſſimus *lib. 2. practi. obſeruationum, obſeru. 5. n. 10.* Sic etiam Iudices Galliæ facere cõſueuerũt, vt fatẽtur Molinæus *de vſuris. q. 10. n. 139.* & Tiraquel. *2. de vtroque retractu. §. finis. q. 25. n. 151.* & Molinæus *q. illa. 10. n. 151.* docet non ſolùm ſummos, ſed quoſcumque Iudices ita debere iudicare, imò in illa Caroli cõſtitutione *c.* 17. indicitur omnibus Iudicibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, vt iudicent de vſurariis cõtractibus ſecũdùm formam prædictam. Vſurarium vocat cẽſum cui deeſt iuſtum pretiũ, quia tanquam vſurarius puniẽdus eſt: quo ſẽſu verũ eſſet quod dixit Guido Papa *conſil.* 180. contractum in quo plus quàm 5. de 100. ſoluitur, vſurarium eſſe, ſi loqueretur de tẽpore & loco, in quo hoc pretiũ taxatũ ſit, ſed de eo non videtur loqui, ideo reiicitur à Vinsfeld. 5.

RATIO verò cur in cenſu, ſicut in aliis rebus minoris emptis non ſufficiat poſtea pretiũ augere, ſed reſtituẽdi ſint fructus, eſt, quia cẽſus nõ poteſt vẽdi pecunia, aut pretio credito, etiã ſtãdo in ſolo iure poſitiuo, vt dictũ eſt dubio 8. difficultate prima: ideo quando à principio nõ dantur niſi duæ tertiæ partes pretij iuſti, tantùm emitur ius ad duas partes tertias penſionis, & nõ ad aliam tertiam partem, vnde nullus eſt fructus illi

Digitized by Google

illi respondens, etiamsi postea suppleatur pretiũ,& propterea restituẽda est tertia pars omnium pensionũ receptarum, & deinde pensiones debent esse in tertia parte minores,nisi pretiũ suppleatur, & hoc siue læsio fuerit citra medietatem iusti pretij,siue non.

VNDE rectè auctores primæ opinionis dixerunt hîc seruandam non esse legem secundam *C.de rescindenda venditione.* Nam ibi quando læsio est citra medietatem,quanuis in cõscientia teneatur emptor pretium supplere,& interesse,si quod est, restituere venditori:tamen in foro externo ad nihil tenetur emptor, & nullo modo auditur.Hîc verò etiam in foro externo debet audiri:deinde ibi quando læsio est vltra medietatem,potest venditor in iudicio petere,vt emptor pretiũ suppleat, vel contractum,si voluerit,rescindat, & ille eliget,quod maluerit : hîc verò non satisfaciet etiamsi pretium suppleat,sed tenebitur perceptas pẽsiones,quatenus pretiũ ab initio acceptum superant,restituere:nec etiam poterit contractũ rescindere venditore inuito,sed cogetur in eo permanere, & perceptarum pẽsionum excessum restituere, & percipiendarũ, si non sufficiat pretiũ moderati. Lex ergo solùm loquitur de venditione rerũ,quæ emi possunt pecunia, & pretio credito,in his sufficit pretium postea supplere, non in censu, qui emi non potest,nisi toto pretio dato antequam pensiones currere incipiãt,& propterea nihil pretij supplere postea potest in ordine ad perceptas pẽsiones totaliter retinẽdas.Sed sicut probabile est emi posse censum

Ioan.de Salas.

pretio,vel parte pretij credita,ita est probabile emptorẽ quãdo defecit in pretio,non teneri ad restituẽdas pẽsiones perceptas,sed satisfacere supplendo pretiũ,vt tenuit Med.& Læsius, & probabile putauit Conrad.

QVOD dictũ est de obligatione restituendi in emptore lædente,dicendũ proportionaliter de vẽditore lædente:tenetur enim diminutionem solutarum pensionum restituere,& soluendas augere.

NEC oportet distinguere de lædente emptore,aut venditore vltra, vel citra medietatem : nam in hoc eadẽ est ratio, licèt in aliis emptionibus,& venditionib.sit diuersa propter legẽ secũdam *C.de rescind. vend.* cui consonant leges Castellæ *l. 4.tit. 8.lib.5.ordinam.& l.56.tit.5.parti. 5.& l. 1.tit.11.lib.5.nouæ collectionis.* Vnde nec oportet hîc inuestigare, quæ læsio dicatur vltra, vel citra medietatem: de quo non solùm inter doctores,sed inter leges citatas Regni videtur esse discrepantia,aliquando enim lęsionem plusquàm in duplo appellãt, vltra medietatẽ, vt si rem valentem 21 emas 10. aliquando læsionem plusquam in subduplũ,vt si rem valẽte 21 emas 15, emptor autẽ lædetur vltra medietatẽ in prima opinione,si rem valentem 10. emat 21. in secunda verò si rem valentem 10. emat 16. de qua re latè disserit Gaspar Rodericus, & alij,quos citat 1. *de censibus.q.11.* vbi secundam opinionem de proportione subdupla communiorem,& probabiliorem meritò putat, sed pro vtraque adducit multos vtriusque iuris Doctores.

Digitized by Google

Ex dictis constat si census antea creatus minoris iusto pretio ematur, pensionum excessum restituendum proximo venditori, qui solus iniuriam passus est, & non posse retineri à proximo emptore. Felician. *tom. 2. de censibus c. 1. n. 11.* adducit Iauolenum *l. vlt. ff. de fundo dotali. ibi. Puto potius pro portione fructuum virum habiturum, reliquos mulieri restituturum.* quo iure vtimur. Habet autem emptor facultatem supplédi quod supereſt, quódque deficit vsque ad pretium legitimum, vt integros reditus percipere possit. Vide alia apud Felicia. *illo n. 11.*

Num. 5. Sed rogas, an qui parum recedit, & deficit à iusto pretio census peccet mortaliter? Respondent Anton. Gomez, & Emanuel Rodriguez ꝯ. cũ Castro, & Alco. ibi citatis, peccare mortaliter, quia licèt materia illa sit in se leuis, tamen magnum in lõgo tempore damnum facit; ex illis enim pensionum quas percipit excessibus magnus tandem cumulus conflurget.

Sed hæc sententia mihi omnino displicet, nam ex ea sequitur eũ qui furatur à me obolum negotiationi cum aliis expositũ, vel qui futurus erat pars pretij census, mortaliter peccare, quia lucrum illius in decursu centum annorũ. v. g. futurũ erat nũmi aurei: consequens est rediculũ. ergo. Secundò, ille obolus per quẽ defeci à pretio census, æquialebat in se parti iuris ad partes quasdã pẽsionum: sed in se non erat materia grauis: ergo nec est damnificans in toto illo iure, seu cumulo pensionũ per 100. annos recipiendarũ. Tertia est ratio à priori, quia longè minoris æstimationis sunt omnes illæ pẽsiones per tot annos, & per tam longa interualla recipiendæ, quàm si essent simul: ergo licèt essent simul, constituerent materiam grauem, & mortalis peccati, non tamen sunt materia grauis, vt recipiendæ per lõga illa tempora cum tot periculis, &c.

DVBIVM XXIV.

Vtrùm sit licitum emere censum cum pacto, vt venditor, quando voluerit redimer, teneatur redimere eadem moneta? & quid de pacto, vt eodem pretio redimatur, vel pretio currenti tempore redẽptionis?

SVMMARIVM.

1 *In quibus euentibus licitum sit.*
2 *In quibus non*
3 *Quadam aduertenda.*

Num. 1. Respondet bene Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 8.* in quibusdam euentibus esse licitum. Primò, si certũ erat æstimationem monetæ non esse mutandam. Secũdò, si vtrinque par erat dubium, an esset augenda, aut minuenda. Tertiò, si certum erat æstimationem augendam, & emptor statuerat pecuniã suam in illud tempus seruare: tunc enim ratione damni quod patitur pecuniam suam tũc exponendo, potest tale pactum apponere. Quartò, si tanti emi quãti emi solent irredimibiles; tunc enim non teneor reuendere: vnde possum exigere, vt eadem moneta redimat, si redi

Digitized by Google

dimere voluerit. Hoc tamen nō habet locum in Belgio: nam Carolus V. in sua ordinatione, qua census irredimibiles vult posse redimi eodem pretio, quo primùm vēditi sunt, statuit vt id fiat ea moneta, & secundùm eum valorem accepta, quem ipse vltimò imposuerat, nō tamen secūdùm valorem antiquū: vbi tamen nō vetat quin si monetam valdè excrescere contigerit, possint redimi secundùm eum valorem monetæ, quem pro tempore habuerit: non enim intendit venditores grauare. sed illis consulere.

Num. 2. SECVNDO ait Læsius, extra hos casus tale pactum nō esse licitū. Vnde si census redimibilis ematur pretio ordinario, & addatur pactum, vt vēditor quando redimere voluerit, eadem moneta redimat, hoc pactum est iniquū, nec obligat in conscientia. Probat, quia emptor non dat nisi pretium cēsus absolutè consideratū, & præterea imponit debitori graue onus pretio æstimabile, pro quo onere nihil dat, neque in se incommodū æquale suscipit: ergo iniustitiam cōmittit. Confirmatur: quia quando emptori imponitur aliquod onus à vēditore, quod non petit cōtractus, potest emptor exigere compēsationem: ergo similiter, quādo venditori ab emptore onus imponitur, potest venditor præter iustum pretium cēsus compensationem illius oneris exigere.

Num. 3. ADVERTE, hoc pactum sæpe in Hispania fieri, & sine augmento pretij. Sed quid de pacto vt eodem pretio redimatur? De hac re Med. refert varias opiniones *q. 5. de censibus.* Respondetur, valere, & ita habet cōsuetudo, imò Pius V. vult semper eodem pretio redimi posse, & existimo non valere eiusmodi pactum, vt tenet Eman. *tract. 2. de censib. post 6. conditionem. dub. 5.* Vega *in Sum. & Epitome. ca. su* 20. Salon *q. 3. de censibus. q. 15. ad finem.* sed si nihil exprimatur, ita esse intelligendum, & seruandum Potest etiam fieri pactū stando in iure naturæ, vt cēsus redimatur pretio currenti tempore redemptionis, quia æquali periculo se exponunt contrahentes. Ita Eman. & Salon suprà, Angles *q. de censibus. art. 6. diffic. 1.* De pacto verò vt redimatur maiori pretio, illicitum esse docent Eman. & Angles suprà, & Graff. *lib. 2. c. 118. n. 24.* cum Couar. *3. Variar. c. 9. n. 4.* cum Conrra. *q. 84. de contractib. con. 4.* Carol. Molin. *de contract. q. 51.* quia non seruatur æqualitas: nam magna est vtilitas emptoris, & incommoditas venditoris. Idem docet Eman. *dub. 3.* ex vltimis. Sed de hoc pacto alibi dixi in hoc tractatu; nam Ioan. Medina *quæst. 5. de censibus* hanc conuentionem licitam esse censet in aliquo euentu, vt si certum sit censum plus postea valiturum. Idem docet Salon suprà.

DVBIVM XXV.

Vtrum licita sit emptio census vtrinque redimibilis, non solùm quando venditor, sed etiam quando emptor voluerit?

SVMMARIVM.

1. *Sententia affirmans hoc pactum esse*

Digitized by Google

vſurarium.

2 *Contraria ſententia, quam probabiliorem reputat Læſius, pluribus probatur argumentis numero 3.*

4 *Tertia ſententia quæ medium tenet, proponitur.*

5 *Quædam aduertenda.*

Num. 1. SOTVS *libro 6. quæſtione 5. articulo 3. con. 1.* cenſet tale pactum eſſe vſurarium: quia vbicumque datur pecunia cum pacto eandem recipiendi, & aliquid vltra ſortem, illîc vſura vel patet, vel latet: ſed ſic eſt in propoſito. ergo. Idem tenet Sa *verb. cenſus. num. 10.* vbi ait. *Cenſum vtraque ex parte redimibilem conſtituere licere alij aiunt, alij negant, ego concedere non auderem.* Hoc pactum damnat etiam Couar. *3. Variar. cap. 9. num. 4.* Ludouicus Lopez *lib. 5. Inſtructo. negotian. cap. 57.* Barthol. Medin. *1. Summæ cap. 14. §. 26.* Rebellus *de obligati. p. 2. lib. 10. q. 7. n. 1. & 3. & q. vlt.* ſeu 8. *diffic. 4. n. 4. 5. & 6.* malè tribuens Conrado, licèt poſtea de mente, vt putat, Couarruuiæ Ioannis Medinæ, & Conradi, contra Sotum, & Ludouicum Lopez dicat, iuſtum fore pactum, vt venditor teneatur redimere cenſum, non eodem pretio, ſed pretio currente tempore redemptionis.

SED illum contractum abſolutè tanquam vſurarium damnat Aragon *2. 2. quæſt. 78. art. 4. con. 4. de cenſibus.* & Vega *in Summa, & Epitom. verb. cenſus. caſu 11. & 12.* niſi penſiones ſolutæ ſint computandæ in pretium. Similiter tenet Gaſpar Rodericus *1. de reditibus. quæſt. 4. & 18. & lib. 2. quæſt. 3. & quæſt. 13. n. 28.* Salon *de cenſibus. art. 3. contro. 18. ad 2. ante 1. quæſt.* & latè *controuer. 16.* Nauarr. *Comment. de vſur. num. 12.* Molinæus *de vſuris. quæſt. 51. num. 355.* Palac. *4. de contractib. cap. 6.* Vinsfeld. *cap. in ciuit. de vſuris. quæſt. 12. con. 10.* malè tribuens Conr. *de contract. q. 84. con. 5.* ipſe enim ſe explicat poſtea, vt dicemus: citat etiam Vinsfeld. Molinæum *de vſuris quæſtione 55. & 58.* Ioannem Baptiſtam Lupum *Commentar. de vſuris. §. 2. num. 69.* & Andream Gail *lib. 2. obſeruat. pract. in 7. obſeruatione.*

CONTRARIAM ſententiam eſſe probabilem, & ſpeculatiuè veriorem tenet Læſius *lib. 2. cap. 22. dub. 10.* quia eam tenet Gab. *4. d. 15. q. 12. art. 2. cond. 4.* Conrrad. *de contract. q. 84. poſt 5. con. §. circa enim ſolutionē. & corol. 1.* vbi docet, venditioni cenſus licitè poſſe apponi pactum multis modis. Primò, vt neuter habeat poteſtatem reſoluendi contractum. Secundò, vt ſolus venditor habeat. Tertiò, vt ſolus emptor. Quartò, vt vterque habeat eam facultatem fructibus in ſortem computatis. Eandem ſententiam tenet Ioan. Medi. *q. vltima de cenſibus. ſeu quæſtione 15. de vſuris. dub. 2. & 5.* Valentia *diſputatione 15. quæſtione 22. punct. 6. & quæſtione 25. punct. 2.* vbi etiam refert eandem ſententiam à multis doctiſſimis Theologis Romæ in quadam conſultatione, cui ipſe interfuit anno 1581. probabilem eſſe iudicatam; etſi ob periculum vſurarum minimè ſuadēdam. Hanc etiam ſententiam tenet Molina *tom. 2. de iuſtitia. tractat. 2. diſp. 377.* & Petrus Ledeſ. infrà eam tribuit Victoriæ, Soto, Couar. & Conrrad. ſed immeritò,

Digitized by Google

ritò, nam Couarru. absolutè damnat illum contractum, & Sotus ait, etiamsi pactum sit redimendi minori pretio, si sit collatum in voluntatem emptoris, esse manifestè vsurarium. Conrrad. tamen verè tenet hanc sententiam, & Toletus *libro 5. Summa. capite 45. numero 2.*

Num. 3. PROBAT Læsius primò, quia vēditor potest censum vendere cum pacto, vt possit redimere quando voluerit, vt omnes fatentur: ergo similiter emptor potest emere censum cum pacto, vt quando ipse voluerit, teneatur vēditor illum redimere: par enim ratio est. Si dicas esse disparem rationem, quia dare pecuniam cum obligatione ad eam reddendam est mutuare, nō emere: dare tamen rem aliam vendibilem pro pretio cum obligatione ad illam restituendam, non est mutuare, sed vēdere cum pacto redimendi: ergo est dispar ratio. Instat Læsius, quia dupliciter potest dari pecunia cum obligatione ad eam reddendam. Primò, si detur immediatè pro simili pecunia eiusdem valoris cum obligatione, vt illa post aliquod tempus reddatur, & tunc est mutuum. Secundò, si detur immediatè pro re aliqua vendibili, cum obligatione, vt venditor illam rem post aliquod tempus redimat, & pro ea pretium restituat; & tunc est vera emptio, & hoc modo fit in proposito: nam emitur census, seu ius recipiendi pensiones, cum pacto, vt redimatur ab alio cùm mihi placuerit.

SECVNDO probat: ideo enim iustè potest venditor emptori imponere obligationem reuendendi, quia hoc onus potest compensari, tanto minoris rem vendendo; atqui obligatio, quam emptor imponit venditori ad rem redimendam potest similiter compensari ad æqualitatem, tanto pluris emendo (non enim est infiniti pretij) ergo similiter potest imponi. Confirmatur: quia emptor census potest pacisci cum tertio, vt ille teneatur censum à se emere quando placuerit: ergo simile pactū potest inire cum venditore.

TERTIO, si petas à me vt emam à te censum, possum vicissim à te petere vt emas vicissim à me domum, idque in pactum deducere (nam pro obligatione licita potest peti mutua obligatio) ergo similiter possum in pactum deducere, vt redimas censum: nam si possum te obligare, vt à me rem aliam emas, cur non vt emas censum, quem mihi vēdidisti? Confirmatur, quia pactum de rescindendo contractu tam in fauorem emptoris, quàm in fauorem venditoris, in iure approbatur, vt docet Panorm. *cap. illo vos. de pigno.* & ibi glossa, & habetur *l. quòd si nolit. §. quid ita. ff. de edilitio edicto. & in l. si ita res. C. de contrahen. emptione.* Idem tenet Imola *d. capite illo vos.* & Alex. *consilio 64. volumine 6.* vt refert Couarruuias *3. Variar. capite 9. in principio.*

QVARTO, hoc pactum potest addi emptioni aliarum rerum, verbi gratiâ, agrorum, domorum, animalium, vt docet Læsius *capite 21. dubio 14.* & Rebellus *5. quæstione 8.* (licèt negare videatur *quæstione 7. numero 1.*) Syluester cum communi, *verb. vsura. 2. §. 19.* cur non etiam emptioni censuum? Vnde Couarruu. cùm *libro 3. Variar. c. 9. n. 3.* admittit hoc pactum in emptione

Digitized by Google

aliarum rerum, & *numero 4.* negat in emptione censuum, incompossibilia, & pugnantia docet. Rectè ergo Molina, Conrrad. & Ioan. Medina id sine exceptione etiam in censibus docent. Salon autē §. id etiam in aliis mercibus negat cum Panor. & Ioann. Andr. *cap. illo vos. de pigno.* Anto. Butrio *cap. ad nostram. de emp. & vend.* Tiraquel. *2. de retractu. §. 5.* glos. 2. & aliis multis.

QVINTO, pacta, quæ seorsum fieri possunt, ita vt neutrum destruat alterum, possunt fieri iunctim (quæ enim seorsum iusta sunt, etiam simul sumpta, sunt iusta) atqui hæc pacta censuum fieri possunt, qui enim emit censum redimibilem ex parte solius venditoris 100. aureis in Belgio, ei debentur quotannis sex aurei & quadrans. Sed hic potest inire pactum cum venditore, vt quotannis non soluat nisi quinque aureos, & vt pro reliqua parte se obliget ad redimendum quando emptori placuerit; illa enim obligatio videtur satis compensari, si quotannis condonetur pro ea vnus aureus & tres regales. Hæ, inquit Læsius, rationes satis probant, probabile esse hoc pactum emptioni census realis apponi posse: nam sicut totum rei dominium emi potest cum pacto redimendi; ita etiam ius fructuum, quod est veluti pars dominij. Si verò agatur de emptione census personalis, maior est difficultas. Sed auctores citati etiam de hac intelligendi sunt; nam generatim loquuntur: imò Gab. Medin. & Valentia expressè de hac agunt, & iisdem rationibus probatur. Nam sicut census realis est ius quoddam certo pretio vendibile, ita & census personalis; vnde eædem rationes vtrobique locum habent.

Ex his infert, cùm in Belgio ematur communiter census personalis redimibilis ex parte venditoris *16.* in singula, non fore illicitum (vbi lex positiua non obstaret) emere censum personalem vtrinque redimibilem 20. in singula. Nam onus illud quod imponitur venditori, satis videtur compensari illo excessu pretij. Confirmatur, quia non magis grauatur tali censu quàm censu personali ordinario, imò minùs, quia solùm soluit 5. aureos, & quando cogetur redimere, facilè inueniet pretium vendendo alteri censum ordinarium centum aureis, qui pendet sex aureos & quadrantem. Itaque singulis annis vnum aureum & quadrātem minùs dedit pro vtrinque redimibili, quàm debuisset dare si fuisset census ordinarius.

Hoc modo, inquit, videntur excusari contractus quidam valdè vsitati, quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatori, vel alteri pro vsura quinquunce, id est, pro 5. in 100. & quāuis cōtrahentes nō cogitent expressè de censu vtrinque redimibili; tamen videntur implicitè in illum consentire, dum is, qui pecuniam tradit, intendit hoc lucrum percipere omni modo, quo iustè id fieri potest, & alter intendit eo titulo, quo ille accepit, dare; qua de re aliquid dictum est §. *cap.* 20. *dub.* 12. Vide plura apud Valen. *disp. 5. quæst.* 25. *punct. 2.* Verùm hic modus contrahendi deberet in posterum vbique prohiberi.

POSTEA inquit, ex natura rei esse licitam emptionem census cum pacto, vt non possit redimi nisi velit emptor, & ipso volente debeat redi-

mi,

mi, modo iusto pretio fiat, quod sanè deberet esse maius quàm pretium census absolutè irredimibilis, quia additur obligatio venditori, vt eum redimat, quando emptor voluerit, quæ est pretio æstimabilis. Potest tamen emptor paciſci, vt ſi redemptio fiat, eodem pretio fiat, quo emptio facta est; quia potest paciſci vt ſoluatur contractus: ſicut enim dum emitur talis census, acquirit emptor censum, & illam obligationem à venditore: ita etiam dum emptio reſoluitur, reſtituit venditori censum, & illam obligationem, ac proinde potest exigere pretium pro vtroque datum. Hæc Læsius.

Num. 4. TERTIAM ſententiam & mediam tenet Bannez 2. 2. *tom. 2. quæſt.* 78. *art. 4. dub. 2. de cenſibus.* emptionem census cum pacto de retrouendendo in fauorem emptoris, ſi fiat obligando perſonam venditoris, vt quando emptor voluerit, censum redimat, esse iniustam & vsurariam, quia in ea interuenit mutuum implicitum, & pro eo lucrum, cùm emptor lucretur pẽſiones intermedias, & venditor teneatur integram ſortem reddere quando emptor voluerit. Cæterùm emptionem esse licitam, ſi augeatur pretium, & non obligetur perſona venditoris, ſed tantùm res, ſuper quam conſtituitur census, vt emptor ipſe poſſit exigere à re illa poſt aliquot annos pretium datum, non computando annuas penſiones quas receperat. Nam tunc nulla est ratio mutui, etiam impliciti; nam de ratione mutui est, vt mutuatarius obligetur reddere mutuum: ſed in caſu iſto venditor cenſus non tenetur pecuniam reddere. ergo non est ratio mutui. Item mutuatarius in omni euentu tenetur reddere quod accepit; ſed venditor cenſus non tenetur reddere pretium, nec penſiones, ſi res caſu pereat: ergo non interuenit ibi mutuum. Idem ex Orellana, & communi Thomiſtarum docet Petrus Ledeſma *in Summ. p. 2. tractat. 8. cap. 24. con. 4. & difficult. mota poſt 5. cond.*

Sed hæc diſtinctio friuola est; quoniam res per ſe non obligantur, ſed perſonæ, quanuis interdum dependenter ab ipſis: ergo ſi res cenſui ſubiecta, dicitur obligari, dominus ipſe rei obligatur, licèt non obligetur interdum, niſi dum illa manet. Item ſuppoſito illo pacto venditor teneretur pati, vt quando vellet alter ex re ipſius venditoris exigeret pretium vendendo ipſam, vel eius fructus, quæ obligatio est maior, quàm ſi teneretur ipſe dare penſiones & capitale pretium: ergo ſi in hoc caſu interuenit vſura, etiam in illo, vel ſi in illo non, neque in hoc. Item, quia omnes rationes factæ à Læſio, procedunt, etiamſi perſona, quandiu res ſubiecta cenſui manet, teneatur ſoluere penſiones, & reddere ſortem, ſi emptor velit.

Num. 5. ADVERTE tamen maximè, contractum fore iniuſtum, & implicitè vſurarium, ſi venditor cenſus obligetur ad redimendum illum eodem pretio, quo emptus est, penſionibus in ſortem non non computatis; parum enim refert pretium esse maximum, ſi emptor potest cùm voluerit illud habere, non computatis in ſortem penſionibus medio tempore perceptis: ſed pactum debet esse de redemptione pretio minori, nempe ordinario cenſus non habentis tale pactum: & ſic intelligo Rebellum,

Digitized by Google

bellum, Conrrad. Ioann. Medinam, & Molinam. Sic etiam potest explicari Læsius.

ADVERTIT etiam Rebellus, pactum de retrouendendo in fauorem emptoris nō habere locum vbi Bulla Pij V. recepta est; quia illa prohibet censuarium compelli posse ad redemptionem, & irritat contractum in quo tale pactum ponatur.

ADVERTIT etiam, si pretium rei emptæ cum pacto retrouendendi in fauorem emptoris, exiguum sit, præsumi vsurarium secundū Doctores *c. ad nostram. de emptio. & vend.* & ordinationes Lusitanas *lib. 4. tit. 14. §. 3. & tit. 27. §. 2.* de quibus latiùs disserit Rebellus *q. 5.*

ADDE, licitum esse pactum, vt vēditor censum redimat, quando creditor voluerit alium censum à venditore emptum redimere. Et malè Gaspar Rodericus *2. de reditib. q. 13. n. 28. in fin.* reprehendit Iudices, qui pactum illud licitū esse in fauorē creditoris iudicarunt.

DVBIVM XXVI.

An sit licitum pactum, vt si per biennium, vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum, & in pœnam negligentiæ fiat domini census?

SVMMARIVM.

1 *Hoc pactum continetur in contractu emphyteusis.*

2 *Quid contractus census reseruatiui?*

3 *Quid verò consignatiui?*

4 *Ad obiectionem quandam respōdetur.*

HOc pactum continetur implicitè in cōtractu emphyteusis, cui contractus censualis est a iqua ex parte similis; vnde etiam huic addi posset (ait Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 11.*) præsertim contractui census reseruatiui. In contractu verò consignatiuo addi nō potest, nisi ex æquo compensetur, aucto pretio census, arbitrio prudentis. Quia sicut in pignoribus pœna commissi est excessiua (non enim par est vt ob non solutum tēpore præfixo paruū debitum, amittas pignus aliquod pretiosissimum) & ideo iure prohibita *c. significante. de pignoribus.* ita etiā in rebus censui subiectis (quæ sunt instar pignoris & hypothecæ) excedit iustum modum, ni si pretio compensetur, tunc enim poterit esse iusta. Posset tamen absque pretij augmento poni pactum, vt si per biennium non soluerit, contractus resoluatur, & censuarius cogatur restituere pretium, vt notat Med. *q. 15. de vsuris. dub. vlt.* quia pactum legis cōmissoriæ tali modo in contractibus est licitum, vt *eodem lib. c. 21. dub. 15.* ostendit Læsius, qui *c. 22. dub. 11.* aduertit, si absque culpa factum sit, vt debitor non soluerit pēsionem, rem non debere cēseri commissam; nam vbi non est culpa, locum non habet pœna. Num. 1.

BVLLA Pij V. de censu reseruatiuo non loquitur, vt notat Læsius *lib. 2. de iust. c. 22. dub. 2.* Boninsignius *tract de censib.* & alij, vnde etiam vbi est recepta, posset in hoc censu apponi pactum legis commissoriæ, id est,

est, vt res super qua constituitur, cadat in commissum, & redeat ad eum, qui illam contulit, si biennio, vel triennio non fuerit pensio soluta, vt docet Couar. 3. *Vari. c. 7. n. 1.* & Læsius *illo dub. 2.*

DISTINGVITVR autem hic cõtractus ab emphyteusi iuxta prædictos. Primò, quia in emphyteusi non transfertur nisi dominium vtile, hîc autem vtrũque, directũ & vtile. Secundò, si in emphyteusi non soluatur pensio intra biennium, dum est Ecclesiæ, vel intra triennium, dum est secularis, dominium vtile cadit in commissum, & ipso iure coalescit cum dominio directo: hoc autem nõ fit in censu, nisi de hoc sit expressè pactum inter partes. Tertiò, emphyteuta non potest rem vendere, domino directo non monito, aliàs cadit in commissum, & ex pretio tenetur ei soluere certam partem, quam vocant laudemium: ad neutrum tenetur debitor census reseruatiui. De differentia census reseruatiui, & emphyteusi plura dicunt multi citati à Cenedo *in collect. ad Decretal. c. potuit. de locato.* Graf. *2. lib. c. 118. n. 3. & seqq.* Salon *ar. 2. de censibus.*

Num. 3. SED vt ad censum consignatiuũ veniamus, licèt in contractu illius, vt in aliis contractibus, secluſa Bulla Pij V. fas sit pœnã moderatam & proportionatã apponere, vt tractatu de vsuris diximus, vbi etiam Rebellus *q. 12.* non tamen potest statui pœna amissionis rei censitæ, quia non est moderata, nec commensurata culpæ, vt cum Ioan. Med. *q. vlt. de censibus. §. quibus non obstantibus.* docet Rebellus *2. p. de oblig. iust. q. 7. & q. 6. cond. 3. n. 16.* Naua. *Comment. de vsur. n. 138.* Vega *in Sum. & in Epitom. casu. 21. verb. census.* Vinsfeld *c. in ciuitate. de vsuris. q. 12. con. 15.* Nec obstat lex 68. *Tauri.* decernens, eandem commissi pœnam in census contractu seruandam esse, vt ibi etiam vult Ant. Gomez, & alij. Nam, vt Couar. 3. *Var. c. 7 n. 1.* & Valascus *de iure emphy. q. 32. n. 31.* & alij docent, imò ipsa consuetudo, & praxis, quæ est optima legũ interpres, non in censu consignatiuo, de quo agimus, sed in reseruatiuo, de quo eadem est ratio, ac de emphyteusi, lex & pœna illa seruatur, & seruanda est.

SI verò contra Bullam Pij V. vbi recepta est, vel minima pœna ponatur, & soluatur, restituẽda est, vt notat Rebellus *illo n. 16.* vbi etiã *n. 15.* docet, in pactum deduci posse lucrũ cessans, & damnum emergẽs. Quod etiam docet Salon *art. 3. de censib. controuer. 16.* cum Nauarr. *Comment. de vsur.*

ANGLES *q. de censibus. art. 6. dub. 1. difficul. 2.* circa hanc difficultatẽ ait, in emphyteusi hãc cõditionem licitè apponi, ex *c. querela de iureiurando.* Secundò, in censu consignatiuo esse illicitam, quia pœna excederet culpam. Quam rationem reiicit Emanuel *tract. de censibus. dub. 1.* ex vltimis: nam sponte sua potest quis se obligare ad pœnam culpa maiorem, vt cum communi Theologorum docet Medina 1. 2. *quæstione 96. articulo 4.* Vnde ille aliam reddit rationem, quia in tali contractu esset inæqualitas & iniustitia, eo quòd illa conditio esset vtilis emptori, & noxia venditori, vnde propter illam emptor deberet augere pretiũ cẽsus, quod cùm nõ augeat,

Digitized by Google

iniuſtus eſt, tanquam partem pretij retinens: vt in ſimili habetur *l. fundi partem. ff. de contrahen. emptione. & l. ſi venditor. de ſeruis exportatis. c. cùm Ioannes. ibi. Huius conditionis intuitu. de fide inſtrum.* & reſoluit Pinel. *l. 2. C. de reſcindenda emptione. p. 3. c. fin. n. 19.* Couar. 2. *Vari. c. 3. n. 4. & lib. 3. c. 10. n. 1.* Tertiò dicit Angles hanc conditionem eſſe licitam, ſi proportione illius pretiũ augeatur: hoc impugnat Eman. quia neſcimus quanti ſit æſtimanda illa conditio. Quartò dicit Angles, ſi ſolutio pẽſionis omiſſa ſit abſque culpa venditoris, non incurri vllam pœnam, quia pœna eſt propter culpam. Hoc etiam reprehendit Eman. ſed ſine fundamento, quia tota doctrina Angles eſt communis & vera, & pœnam conuentionalem non incurri niſi ob culpam proportionatam, & ideo pœnam commiſſi in cenſu locum nõ habere, cõmunis eſt & vera ſentẽtia, licèt alia ratio ab Emanuele aſſignata optima ſit, quando pretium nõ augetur proportione grauaminis, non verò ſi ſic augeatur: boni autem & prudentis viri eſt iudicare, quando augmẽtum pretij huic grauamini adæquetur. Bene autem dicit Emanuel, vbi Bulla Pij V. recepta eſt, neque hanc, neque aliam pœnam validè, aut licitè imponi poſſe.

AN verò in dubio res ſit cenſenda cenſuaria, an emphyteutica, habes dubio 35.

Num. 4. SED obiicies quia *l. 1. tit. 2. lib. 8. ordina. regalis*, quæ eſt lex 4. *tit. 6. lib. 8. noue collectionis*. iudicatur vſurarius contractus emptionis cum pacto retrouendendi poſt certum tempus. v. g. poſt decennium, & non antea, ita vt illo tempore fructus ſint emptoris: & non teneatur eos poſtea in ſortem cõputare. Reſpondet Couar. hanc legem non cenſere cõtractum cum hoc pacto vſuariũ in emptione aliarum merciũ, propterea quòd venditor obligetur ad non redimẽdum intra decẽnium, nec propterea quòd emptor faciat fructus ſuos toto illo tempore, quo rem emptam habuit: quoniam iure naturæ res fructificat domino ſuo: ſed quia cùm hoc eſſet de natura huius cõtractus, id exprimere præbet vſuræ ſuſpicionem: inſolitæ enim cautiones (vt habet communis Iuriſperitorum doctrina) ſimulationem fraudis præ ſe ferunt. Salon verò reſpondet. Quidquid ſit de huiuſmodi lege, & illius præſumptione in foro externo & contentioſo, in foro tamen interiori animæ, in quo non iuxta præſumptionem, ſed iuxta rei veritatem ferendum eſt iudicium, vbi cenſus cum iſto pacto inſtituitur, reddito iuſto pretio, contractus eſt iuſtus, neque lex illa obligat in conſcientia, quia in præſumptione fundatur, & leges in ſola ſuſpicione fundatæ, quando aliter res habet, non obligant in conſcientia, vt docent omnes Iuriſperiti *c. 1. de conſti. &c. quia plerique. de immu. Eccleſ. & l. ſi poſt diuiſionem. C. de iuris, & facti igno. & l. 2. C. de fideicommiſſ.* Couar. *c. cùm eſſes. de teſtam. n. 5.* Aduan. *quodlib. 6. art. 1.* Medina *C. de reſt. q. 23.* Soto *4. iuſt. q. 5. art. 5.* Ledeſma *2. p. Quarti. q. 18. art. 1. dub. 12.*

SECVNDO reſpõdet Salon, legem illam, maximè circa cenſus, loqui de emptore ficto, & non habente animum emendi, ſed mutuandi cum lucro fructuum temporis intermedij, poſt quod teneretur mutuatarius

sius reddere pecuniam, ficta redemptione rei fictè etiam emptæ. Sed planus legis sensus est, emptionem esse iniustam, & sapere vsurā, quando communi pretio res emitur cum pacto, vt non possit ante certū tempus redimi, sed eo elapso necessariò sit redimenda eodem pretio, si emptor voluerit. Noster autem casus procedit in emptione census, vel alterius rei cum pacto, vt intra certū tempus redimi non possit, & postea possit si voluerit venditor, & res emitur maiori pretio quàm si prædictum pactum non apponatur, & communi pretio redimenda sit.

DVBIVM XXVII.

An possit in pactum deduci vt censuarius rem censitam vendere non possit sine censitoris consensu?

SVMMARIVM.

1 *Vbi recepta, est Bulla Pij V. hoc pactum est nullum.*

2 *Vbi non est recepta, quidam affirmant, quidam negant: sed sententia affirmatiua adhærendum.*

Num. 1. RESPONDETVR, vbi recepta est Bulla Pij V. hoc pactum esse vitiosum & nullum, quia Bulla disponit vt nullo pacto priuetur venditor cēsus libera facultate vendendi, donādi, vel transferendi rem illi censui subiectam in quemcumque voluerit sine facultate censitoris. Ita Salon *art. 3. de censib. controuer. 15.* Vinsfeld. 3. & alij.

VBI autem non est recepta, vel quando non erat edita, nec alia lex positiua quæ pactum hoc prohiberet, ait Salon esse duas sententias contrarias: alterā affirmantē Ioan. Med. *q. de censu redimibili.* Soti *6. iust. q. 5. art. 2. ad 2. arg.* Pal. *4. de contr. c. 6.* Couar. *3 Vari. c. 7. n. 6. ad finem* in impressione Salmant. anno 1561. vbi frequentissimè hoc pactum apponi deducit ex notatis à Roderico Xuarez *l. post rem. ff. de re iudicata.* post 8. ampliationem ad legem Regiam. Alteram negantem, nisi augeatur pretium commune taxatum legè, vel vsu fori inductum pro censu, in quo non sit eiusmodi pactum; quam tenet ipse cum Naua. *Comment. de vsur. n. 91. & 114.* & Feliciano *de censib. lib. 1. c. 10. n. 8.* Sed hæc potiùs est prioris explicatio, quam etiam tenent multi Iurisperiti citati à Feliciano ibi. Probatur, quia quilibet potest sibi & rebus suis onera imponere, cùm earum sit liber moderator & arbiter. *l. in re mandata. C. mandati.* etiamsi libertate illa abutatur, & prodigè agat. *l. sed etsi in lege. §. consuluit. ff. de pretio heredi.* & in emphyteusi semper est hæc conditio, *l. 1. & 2. C. de iure emphyt.* ergo potest ex voluntate cōtrahētiū & iusto pretio seruato poni in censu. Præterea quisque potest se obligare cum pretio, vel sine pretio ad non alienandum rem suam sine consensu alterius. *l. si ita quis. §. ea lege. ff. de verb. oblig. l. ea lege. C. de conditio. ob causam.* adeò vt alienatio aliter facta nulla sit, vt docent Iurisperiti *l. si creditor. §. vlti. ff. de distract. pign.* ergo & censuarius potest se ad id obligare, vel gratis, vel pro pretio.

Et ita tenet Vinsfel. *de vsuris. super c in ciuitate q. 12. con. 14.* posse in cõtractu census poni hanc conditionẽ aucto pretio.

DVBIVM XXIII.

Vtrùm possit in pactum deduci, vt censuarius non possit rem censitam vendere, nisi admonito censualista, vt si velit, rem illã emat?

SVMMARIVM.

1 *Vbi Bulla Pij V. recepta est, non est necessarium hoc pactum.*
2 *Vbi non recepta est, licitum est etiam pactum monendi, & præferendi creditorem.*
3 *Posita iusta conditione in contractu census, si à venditore non seruetur, peccat mortaliter cum obligatione restituendi omnia damna ex omissione illius actus debiti resultantia.*
4 *Quis dicat hanc conditionem iustè à Pio V. dimitti potuisse?*
5 *Requiritur vt censuarius non alienet rem censui subiectam.*

Num. 1. RESPONDETVR primò: vbi Bulla Pij V. recepta est, non est necessarium hoc pactum, quia etiam sine illo ita fieri præcepit Pius V. & expectari per mensem deliberationem cẽsualistæ, vt retulimus *dub. 11. cond. 6.* nec oportet ratione huius pacti augere pretiũ, cùm ex mãdato Pontificis obligationem iustitiæ habeat venditor ad talem monitionem. Nec obstat quod ait Pius V. *quemadmodum neque pactum restringens facultatẽ alienandi rem censui suppositam.* Nam per hæc verba Pius V. non prohibet hoc pactum, cùm sit de conditione quam ipse præcepit; sed alia pacta ab ipso prohibita, nempe alienandi facultatem restringentia simpliciter, vel cum conditionibus onerosis ab illo non præceptis, aut expressè ab illo prohibitis, vt per solutionem pœnæ, vel laudemij, &c. ait enim: *Quia volumus rem ipsam semper, & liberè, aut sine solutione laudemij, aut quinquagesimæ, aut alterius quantitatis,* &c.

ITA Emanuel j. qui etiam ait sine incremento pretij apponi posse pactũ de non alienando, quia intelligitur de alienatione in præiudicium creditoris, sicut non posse alienare rem hypothecatam, intelligitur in præiudicium habentis ius in illam *l. si creditor. §. fin. ff. de distract. pign.* hoc autem est debitum creditori: ergo non oportet pretio emi ab ipso creditore. Sed certè vbi Bulla Pij V. viget non est licitum, nec validum huiusmodi pactum, vt dictum est dubio præcedenti, licèt sit validum & licitum pactum monendi, & præferendi creditorem.

Num. 2. VBI autem non viget, dico secundò licitum etiã esse pactũ monendi, & præferendi creditorem. Bart. *l. si creditor. §. fin. ff. de distract. pig.* Ant. Aug. *lib. 4. emenda. c. 5.* Guttier. *l. nemo potest. n. 28. ff. de legat. 1.* Sotus *6. iust. q. 5. art. 2. con. 3. ad finem.* Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 11.* Eman. *tract. de censib. dub. 5. & 6.* ex vltimis. Patet, quia etiam vbi Bulla Pij V. recepta non est, nihil obstat huic pacto, modò augeatur pretium pro ratione huius oneris, vt tenet Salon *disp. de censibus. art. 3. controuers. 5. ad finem.* Quod verò dicit Læsius fieri posse sine incremento pretij, intellige

Digitized by Google

tellige vbi Bulla illa seruatur.

Num 3. Dico tertiò, posita ista conditione in contractu census, si à venditore non seruetur, peccat mortaliter cum obligatione restituendi omnia damna emergentia, & lucra cessantia ex omissione illus actus debiti de iustitia per regulam generalem, *si tua culpa datum est dānum, iure super his satisfacere te oportet.* & ita tenet Salon s. rectè quoque addens, venditionem alteri factam non seruata tali conditione validā esse, quia promissio rei futuræ alicui facta, nō efficit, vt traditio actualis facta alteri non sit efficax & valida: Et quāuis ipse Iurisperitis remittat, quid sit dicendum in foro ex teriori: tamē proculdubio in foro interiori idem est seruandum: nam leges disponunt rem vni venditam, aut promissam, si alteri tradatur, huius esse.

Dico quartò: Nauarrus *Comment. de vsuris. n. 92.* dicit hanc conditionem iustè potuisse à Pio V. dimitti. Primò, quia nulli alteri iuri diuino, aut humano nititur. Secundò, quia aliena est à natura census, cùm per eum nullum dominium transferatur in emptorem census, propria verò emphyteusis propter dominium directum, quod ille habet in re emphyteutica, iuxta Doctores *c. cùm dilectus. de religiosis dom. & l. 1. ff. si ager vectig. vel emphyte. petatur. & instit. de locato. §. adeò.* Adiectam verò illā putat ex quadam congruentia, eo quòd per illā minuitur facilitas imponendi census prædiis, aliisque possessionibus, quæ multorū malorum occasio esse solet. Quòd verò sit repugnās naturæ huius cōtractus, probat, quia per illam redditur deterior conditio vēditoris: minuitur enim perfectum eius dominiū in re censuaria, & grauatur onere quodam pretio æstimabili. Sed certè meritò adiecta est à Pio V. cùm enim multa alia grauamina, alioqui non necessaria ex natura huius contractus, apposita sint emptori, meritò positum est hoc grauamē non magnum venditori, vt sine augmento pretij hoc onus subiret, sicut emtor alia subit onera sine pretij decremento, aut pensionis augmento.

Dico quintò, ex natura rei requiri, vt censuarius nō alienet rem censui subiectā transferēdo in aliquem, à quo sit difficile pēsiones extorquere, nisi consentiente censualista, secus in alium, à quo æquè possint recipi pensiones. Ita Valen. *2.2. disp. 5. q. 22. pun. 7.* Consonat Vega *in Summa, & Epit. verb. census. casu 3. & 24.* dicens validam, & licitam esse cōditionem, vt non vendatur res censuaria, nisi personæ idoneæ, vel admonito domino census.

DVBIVM XXIX.

Vtrùm liceat pactum apponere, vt si debitor rem vendat, teneatur decimam partem pretij dare emptori census?

SVMMARIVM.

1 *Hoc pactum est iniquum nisi ex æquo compensetur.*

2 *Quædam limitatio.*

RESPONDEO cum Læsio *illo dub. 11. numero 72.* hoc pactum esse iniquum, nisi ex æquo compensetur, quia est valde onerosum, & præter naturam contractus censualis. Possent tamen, inquit, hæc tria pacta (de quibus agitur hoc dubio, & tribus præcedenti- Num. 1.

Digitized by Google

bus) locum habere si prædium illud, vel rem aliam fructiferam (super quam alter censum cupit vendere) iusto pretio emeres, & reseruato tibi dominio directo, & censu annuo, dominium vtile in eundem venditorem transferres cum obligatione pensionis annuæ; & decimæ partis soluendæ, si dominium vtile vendi contingeret, cæteríque pactis, sicut fit in contractu emphyteutico: quia tunc hic esset verè contractus emphyteuticus post emptionē rei. Possent autem hi contractus volente venditore simul fieri.

Num. 2. Et quidem in censu non deberi laudemium, vel partem aliquam pretij docēt Areti. *cons.* 14. *n.* 5. Decius *cons.* 154. *n.* 15. & alij relati ab Aluaro Valasco *de iure emphy. q.* 32. *n.* 31. & 32. Idem tenet Molin. *disp.* 390. *clauſ.* 5. neque posse in pactum deduci docent Emanuel *tract. de cenſib. dub.* 2. ex vltimis, & Angles *quæſt. de cenſib. art.* 6. *diffic.* 2. qui tamen limitat, nisi pretium proportione ad hoc venditoris grauamen augeatur; quam limitationem impugnat Emanuel; tum quia sic non occurritur fraudibus cùm ignoretur valor huius grauaminis, tum quia Pius V. in Bulla de censibus ait, *quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, quia volumus eam ſemper liberè, ac ſine ſolutione laudemij*, &c.

Sed illa limitatio Angl. Læsij, & Salonis *art.* 3. *de cenſib. contro.* 15. *ante* 6. *conditionem* vera est vbi non est recepta Bulla Pij V. in quo solo euentu ipsi loquuntur; nec est difficile prudenti & docto viro taxare pretium quo illud grauamē dignum est: imò in Regno Aragoniæ, vt docet ipse Emanuel, admittitur in censibus talis conditio, & in hoc Regno Castellæ in censu irredimibili, vt ait Couarr. 3. *Variar. cap.* 7. *num.* 5. Vega tamen *in Summa, & Epito. caſu* 22. simpliciter damnat pactum decimæ in censibus, & Sotus 6. *inſt. quæſt.* 5. *art.* 2. Palac. 4. *de contract. cap.* 6. *in fine*. Salon autem *art.* 3. *de cenſib. contro.* 15. §. *in altera parte*. docet hoc pactum esse illicitum vbi est recepta Bulla Pij V. sed iure naturæ non esse illicitum reddito congruo pretio.

DVBIVM XXX.

An vbi recepta est Bulla Pij V. licitum sit pactum, quod aliàs licitum est, nempe vt pensio domi censitoris soluatur expensis censuarij adducenda?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua proponitur.*
2 *Secluſa Bulla Pij V. licitum est pactum, vt pensio domi censitoris soluatur expensis debitoris adducenda.*
3 *Vbi recepta est Bulla, illud pactum non valet, neque licet.*

Num. 1. Partem affirmantem tenet Eman. Rodrig. *tract. de cenſib. dub. vlt.* nec obstare ait Pium V. cùm inquit, *Annullamus pacta continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem de iure & natura contractus non ſpectarent*, &c. Eo quòd Pontifex non videtur prohibere eiusmodi pactum, & alia necessaria

necessaria ad euitandas lites, aliáve incommoda, quæ in recuperando censu oriri solent, præsertim cùm res censita deuenit ad plures successores, qui pro rata soluere tenentur, vt suprà constituimus *dub. 7. difficultate 6. & dub. 11. conditione 10. diffic. 1.* sed illa duntaxat, quæ quasi contra naturam cõtractus apponuntur, cuiusmodi est, vt expensis censuarij transsumptum scripturæ detur censitori, quod cùm ad solius censitoris ius conseruandũ fiat, ipsiusmet sumptu, de iure & quasi natura contractus transcribi debet; vel vt gabella, aliáve tributa ab emptore census soluerentur, quæ à venditore alioqui soluenda essent, & similia. Hanc sententiã tenet Vega *in Summa, & Epit. verb. census. casu 25.* Rebellus *de oblig. iustitiæ. p. 2. lib. 10. q. vlt. difficul. 2.* hanc sententiam valdè probabilem arbitratur: contrariã tamen conformem legi, ac proinde tutiorẽ iudicat. Nam onus portandi pẽsionem in domum censitoris, in rigore de iure, & natura contractus non spectat ad censuarium: quare si verba vt sonãt, capienda sint, illud prohibere videtur, quia regulariter non tenetur debitor debitum afferre in domum creditoris, vt docent Bart. & Paulus de Castro *l. ita in illa. ff. constituta pecunia.* Si tamen huiusmodi pactum sit, non videbitur improbandum: in alio verò pacto, nempe vt cẽsuarius soluat expensas, si quæ fortè eius culpa fiant in recuperanda pẽsione, minùs scrupuli esse; nam Pius V. non prohibet damnum emergens recipi, aut in pactum deduci, vt docuit Rebellus *quæst. 6. n. 15.*

Num. 2. Dico primò, secluſa Bulla Pij V. licitum est pactum, vt pensio domi censitoris soluatur expensis debitoris adducenda. Ita Eman. & Rebell. ẽ. Baldus *l. fin. n. 8. C. de conditionibus inserris.* Molinæus *de vsuris. num. 137.* quamuis regulariter non teneatur debitor debitũ adducere in domum creditoris, vt ait Bart. *l. ita in illa. ff. de constituta pecunia.* Probatur, quia etiã posita ista conditione potest seruari iustitia & æqualitas huius contractus: nam etiãsi pretiũ sit lege taxatum, ratione huius conditionis potest emptor augere pretium: imò, & sine pretij incremento potest secundùm Eman. emere censum, quia pretio taxato emit seruando se indemnem, vt potest, nullum subeundo laborem, & nullas faciendo expensas in recuperatione pensionis.

Dico secũdò, vbi recepta est Bulla Pij V. illud pactum non valet, neque licet: quia illa obligatio non est de natura huius contractus: nam debitor non tenetur ex natura contractus deferre debitum suis expensis in domum creditoris. Sed Pius V. prohibet pacta quæ sunt extra naturam contractus, dum ait. *Annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare ad quem de iure, & natura contractus non spectarent*, &c. ergo prohibet prædictum pactum, vt si pactum fuerit de expensis à creditore faciendis ad habendam pensionem, quam ex culpa sua debitor non soluit in tempore; quæ ad ipsum potiùs debitorem spectant ex *l. properandum. §. fin. auth. altera. C. de vend.* *Num. 3.*

Damnvm quidem emergens ex contractu census potest ab emptore census in pactum deduci, vt tenet Nauar. *Comment. de vsuris. n. 44.* quia Pontifex solùm vetat pacta lucri cessantis, de quibus non est eadem ratio

tio, vt patet *l. fin. versiculo, non est par. C. de codicil.* non tamen emergens ex eo quòd solutio pensionum sit facienda in domo creditoris, nisi aucto pretio census, & vbi Bulla Pij V. recepta non sit: maximè cùm eadem Bulla prohibeat expressè pacta de expensis faciendis in habenda pensione; ait enim: *seu ad certas expensas, seu certa salaria* (scilicet liquida) *aut ad salaria, & expensas medio iuramento creditoris liquidandas.*

DVBIVM XXXI.

An vbi est recepta Bulla Pij V. contractus census, in quo pecunia cõram tabellione, & testibus non numeratur, validus sit, & an pacta alioqui iusta apposita in contractu census contra formam Pij V. valida, & licita sint?

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua docetur.*
2 *Aliqua colliguntur ex doctrina supposita.*

Num. 1. DE hac re dictum est *dub. 8. difficul. 2.* vbi negantem partem contra Nauarr. & alios docui, quibus ex parte cõsentit Rebellus *2. p. de oblig. lib. 10. q. vlti. difficul. 1. in fine.* vbi validum esse contractũ concedit, quando fraude venditoris fieret, ne integra pecunia coram tabellione, &c. numeraretur. *Iam verò*, inquit, *si venditor census per fraudem efficeret, ne sibi integra pecunia numeraretur, ad contractum irritum reddendum, sicut nuper in vicino oppido cõtigisse audiui, postulante per dolum venditore ad soluendum cuidam creditori, partem pretij ab insscio fraudis emptore, qui integrum pretium afferebat, & notarium pro conficienda scriptura expectabat: non solum in foro conscientiæ sed etiam iudiciali, si modò dolus sufficienter probaretur, dandum esse locum ejciendæ putarem, nec Pontificis mentem esse, vt in eo euentu contractus non valeret, ne alioqui venditori suus dolus aut fraus patrocinaretur contra regulam iuris in 6. cùm Bulla fauore omnino indignus videatur.*

Ego verò nullum casum excipio, in quo census sine numeratione illa pecuniæ validus sit, vbi Bulla Pij V. omnino recepta est, quanuis in hoc secundo casu cogendus esset venditor à Confessario, & Iudice totum damnum reparare, quod ex nullitate illius census subsecutuum est, siue iterũ vendendo censum, & soluẽdo etiam decursas pẽsiones, siue alio modo.

Ex quibus etiam colligo, minùs probabile esse vbi omnino est recepta Bulla Pij V. quod ait Sa *verb. census. n. 3. Quædam in dicta Bulla prohibentur ob præsumptionem fraudis, quæ si absit, licent: itaque potest pretium nõ statim solui, potest priùs solui, & fieri pactũ, ne redimatur census, nisi totus simul; & quòd si ante certum tempus non redimitur, sit perpetuus.* Hæc ille. Sed ego omnia hæc pacta irrita censeo vbi Bulla illa omnino recepta est, præter illud de capitali simul soluendo, quia de natura emptionis cum pacto de retrouendendo est totam rem simul & non per partes redimi, nisi emptor consentiat in redemptionẽ per partes, ex *l. tutor. §. nuntius. ff. de vsur.* decernente in casu simili non posse creditorem compelli ad recipiendam Num. 2.

par

partem debiti etiam diuisibilis propter damnum quod inde poterat ei accidere: ergo idem est in redeptione census, vt etiam tenet Rebellus *illa q. vlt. difficul. 3.* & Rodriguez *tract. de censib. cond. 4. dub. 4.* Nec obstant extrauag. Martini V. & Calixti III. quia licèt expressè approbauerint contractus concedentes venditori facultatem redimendi per partes, non tamen reprobarunt contractus, in quibus expressè talis facultas adimeretur. Nec Pius V. dixit censum per partes solui posse, sed absolutè eodem pretio debere extingui; vnde potiùs innuit, integrũ pretium simul reddẽdum esse. Quæ autem Pius V. statuit in constitutione censuum seruanda, non solùm procedere in foro externo, aut interueniente fraude, & iniustitia, sed etiam nulla fraude, aut iniustitia interueniente diximus *dub. 8. difficul. 2.* cõtra Nauar. Lesium, Salazar, Sa, & alios dicentes, leges illas positiuas Pij V. fundari in falsa præsumptione fraudis, & iniustitiæ: & ideo vbi veritas est præsumptioni contraria, locum non habere, iuxta *c. tua. de sponsalib. & c. humana aures. 22. q. 5.* Quam opinionem tenet etiam Valen. 2. 2. *disp. 5. q. 22. pun. 2.* & efficaciùs quàm alij probat primò, quia Pius V. ait. *omnes alios cõtractus posthac sub alia forma celebrandos fœneratitios iudicamus*; quod solùm est verum quoad præsumptionem. Secundò, quia satis erat obligatio in foro externo ad propositum Pij V. quod erat homines arcere ab alia forma emendi census: communiter enim nolunt homines ita cõtrahere, vt nequeant recurrere ad forum externum. Tertiò, quia similiter non nisi ex præsumptione procedit alia extrauagans Pij V. eodem ferè tenore edita, qua vetat pacta de lucro cessante, in materia cambiorũ, vt rectè sentit Nauar. *in Sum. c. 17. n. 301.* aliàs *283. lit.* M. sed ad primum resp. ondeo, nõ iudicari fœneratitios quoad præsumptionem, sed quoad pœnam. Ad secundum, id non esse satis ad propositum Pontificis, quia nisi prohibitio procederet pro foro interno, & generaliter, multæ essent vsuræ, & iniustitiæ; multi enim putarent ibi nõ esse, vbi reuerà essent. Ad tertiũ dico, illam Bullã de cambiis non procedere ex falsa præsumptione, sed vtranque fundari in necessitate vera talium legũ ad occurrendum periculis, quæ essent aliter contrahendi: sicut lex nõ ferẽdi arma noctu, & taxans pretia, non fundantur in præsumptione, sed in cognitione damnorum, ad quæ vitãda istæ leges sunt necessariæ: & certè si leges de cambiis, & censibus dicamus fundari in præsumptione, idem poterit dici de multis aliis non sine magno Reip. detrimento. Vide dicta *dub. 8. difficul. 2. & dubio 6. in fine.*

DVBIVM XXXII.

Vtrùm gabella in census, vel cuiusuis alterius rei venditione, quæ venditur cum pacto de retrouendendo, debeatur?

SVMMARIVM.

1 *Gabella non ex omnibus contractibus,*

Digitized by Google

sed ex emptione, vēditione, & permutatione tantùm debetur in hoc Regno Castellæ.

2 *Quid notandum.*

3 *Duobus argumentis occurrendum. Aliud notatu dignum.*

Num. 1. VECTIGAL seu gabella non ex omnibus contractibus, sed ex emptione, venditione, & permutatione tantùm debetur in hoc Regno Castellæ *l.1.& 2.tit.17. lib.9.nouæ compilæ.* cum similibus. vbi *venditionē* strictè accipere debemus: nam quanuis *venditionis* appellatio omnes contractus interdum cōprehendat, vt in *l.statu liberi. §. Quintus. ff.de statu lib.* resoluit Tiraq. *de retractu linagier.§.1.glos.1.n.1.* Id tamē intelligendū est, vt procedat data paritate rationis in aliis contractibus, vt ad veram interpretationē *d.§. Quintus*, tradit Pinel. *l.2.p.2.c.1.n.12. C. de rescind. vend.* Vnde cùm in censuali contractu vera emptio contrahatur, vt post Couar. Grego. Lopez, & alios aduertit Gaspar Roderic. 1 *de reditib. q.4.& lib.2.q.4.n.6.* & nos cum multis *dub.2.* certū est ex eo vectigal deberi, nempe publicano illius anni in quo contractus celebratus est, vt tenet Anton. Gomez senior 2. *Variar.c. 2.n.31.* & iunior *tract.de censibus.c.vlt.* Emanuel *eodem tract.cond.3.dub.5.* Vega *in Summa, & Epito.verb.census.casu* 17. Rebellus 2.*p.de oblig.lib.*10.*q.vlt. difficul.4.n.7.* referēs, ita esse decisum in articulis gabellarum Lusitaniæ *fol.31.p.2.§.1.* Gaspar Rodericus 2.*de reditib.q.4.n.6.* & Didacus Perez 8.*ordinam in rub.tit.2.pag.33. §. sed quæro, an debeatur gabella?* Parlador. *rerum quotid.c.p.3.§.4.n.38.& §.8. n.49.* Petrus Surdus *decisione* 204. tradit diligenter Lasarte *tract.de decima venditionis.c.*10. vbi agit, an debeatur ex reditu annuo vitalitio, & an ex censu prædiali, seu reseruatiuo? Nec putes gabellam deberi in censu, quia census computatur inter bona immobilia; hoc enim parū refert; aut quia hypothecæ reditus censeantur venditæ, vt putauerunt alij, quorum sēntentiam improbaui *dub.2.* & Gaspar Roderic. 1 *.de reditib.quæst.3.* & passim alij, sed quia census, seu reditus ipse venditur.

Num. 2. SED aduerte quòd licèt iure communi gabellam debeat emptor census, vt notat Alberic. *l.& ideo.n.3.ff.de cond.furtiua.* Bald *rubr. C. de rebus creditis.* Alexan. *consilio* 51 *lib.3.* Paris. *in consuetud. Parisien.1.p.§.2.n.7.& 2.p. §.55.* glos.2. & Gaspar Roderic. 2. *de reditib.q.4.n.1.6.7.& 8.per tex. in l.debet.ff.de ædilitio edicto.* tamen in nostro Castellæ Regno onus hoc incumbit venditori census, vt docet Rodericus *illo n.8.* cum Menchaca *in controuersiis vsu frequentib.c.11.n.16. per leg.1.tit.17. lib.9.nouæ compilationis.*

SED hìc duo sunt argumenta, alterum contra id quod diximus, gabellam in censu deberi, alterum cōtra id quod diximus deberi à venditore census in nostro Regno. Contra primum enim arguitur, quia cōtractus censualis resoluitur per pactum de retrouendendo: & resoluto contractu gabella non debetur, iuxta Bart. *l.à vēditione.ff.de pactis.* Ad hoc respondet Anto. Gomez iunior *illo.c. vlt. de censib.* non deberi gabellam quando pactum initio positum ipso iure resoluit emptionem, quale est pactum legis commissoriæ, & adiectionis in diem, quo casu gabella debetur

Digitized by Google

betur semel tantùm ex celebratione contractus, non tamen ex resolutione, præterquàm si resolutio fiat non ex pacto in principio appositio, sed ex noua conuentione : tunc enim duplex contractus est, & ex vtroque gabella debetur: quæ distinctio colligitur ex Baldo *l. 1. C. quando liceat à venditione discedere.* eodem Baldo, & Alberico *d. l. à venditione.* & ex Bertachino *tract. de gabellis. p. 5. n. 6. & p. 8. memb. 3. q. 14.* Fabiano de Monte *tract. de emptione, & vend. p. 8. n. 5. & 6.* Anton. Gomez seniore *2. to. Variar. c. 2. n. 31.* Pinel *d. l. 2. p. 2. c. 3. n. 36. C. de rescind. vend.* Quò fit, vt cùm in cõtractu censuali pactum de retrouendendo in principio contractus apponatur, gabella à venditore semel debeatur, non autem ex redemptione postea facta virtute pacti præcedentis. Idem docent Emanuel, Vega, & Rebellus s. & Gaspar Roderi. 2. *de reditib. q. 4. n. 9.* cum Menchaca s. affirmante ita sæpiùs in Senatu Regio vidisse iudicatum. Contra secũdum argumentatur Rodericus *ibi numero* 10. quia in contractu annui reditus redimibilis ad rationem 14. pro vno, quod est pretium vilissimum ex *lege 6. titulo 15. libro 5. noua compilationis*, non debet ampliùs grauari quàm onere quatuor decimæ. *argum. tex. in lege eos. Codice de vsuris. vers. si quis autem. & vers. interdicta licentia creditoribus.*

RESPONDET, non debere ampliùs grauari ab emptore, bene tamen ab a ia lege Regia imponente venditori onus soluendi gabellam, vt venditoribus aliarum mercium. Quod fortè factum est, vt homines ab emendis censibus retraherentur ; modò autem nulla est difficultas, quia census isti venduntur ad rationem 20. pro vno, quod pretium est valdè commodum venditoribus, vnde non mirum si illis imponatur à lege onus soluendi gabellam. In Regno autem Valentiæ gabellam ex constitutione census non deberi affirmat Salon citatus *dubio 8. diffic. 2. parte 2.* vbi ad tertium argumentum diximus, an quando census ex mercibus, vel debito constituitur, gabella debeatur.

ILLVD quoque aduertendum est, quando simpliciter pactum fuit de retrouendendo censu, vel alia re, pensiones, vel fructus medij temporis ad emptorem pertinere, cùm verò de omnimoda diss. solutione contractus, ad redemptorem, vt ait Rebellus s. *& libro 11. quæstione 23. conditione 1.* Ioannes Medina *quæstione vltima de censibus. §. ac proinde.* Couarruuias *3. Variar. c. 9. n. 3.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 377.*

NEC obstat quòd Leuit. 25. præcipitur, vt quando res vendita redimeretur, fructus in sortem computarentur. Nam lex vetus quoad iudicialia & cæremonialia non obligat post Christi Passionem : illud autem fuit iudiciale, vt & quòd anno Iubilæi res omnes venditæ ad suos primos dominos redirent. Quod factum est ne via venditionis sortes omnes terræ promissionis in paucis diuitibus manerent, cæteris deinde spe antiquarum suarum possessionum priuatis.

ILLVD etiam aduerte, quòd vbi lex, vel consuetudo habet, vt onus soluendi gabellam incumbat *Num. 4.*

Digitized by Google

emptori census, si pacto in venditorem reiiciatur, augeri debet pretium vsu fori, vel lege constitutum, aut pensio minui, vt ait Gaspar Rodericus 2. *de reditibus. quæstione 4. numero 2. & 3.* Qui *ibidem numero 28.* dubitat quo loco soluenda sit gabella ex reditus venditione debita, an in loco contractus, an vbi sita sunt bona reditui hypothecata? Hoc vltimum existimarunt Perez *in proœmio. titulo 2. libr. 8. ordinamenti.* Parladorus *rerum quotidianum libro 1. capite 3. §. 8.* Lassarte *de gabellis. capite 10.* Monterroso *in practica, tract. 7. fol. 153.* Primum tamen magis probat Rodericus cum Feliciano *2. de censibus. cap. final. num. 12.* latè satisfaciente fundamentis in contrarium adductis. Idem Rodericus *libro 2. quæstione 21. numero 28.* docet gabellam deberi ex venditione reditus reseruatiui, non verò ex constitutione reditus emphyteutici, aut reseruatiui. An verò debeatur ex constitutione reditus reseruatiui, si pactum sit quòd reditus possit redimi certa nummorum summa, tractat *ibidem num. 29.* Quid verò si partes conuenerunt de vendendo, aut æstimando fundo certo pretio, & pro eo reditum redimibilem super fundo constituerunt? tractat ibi *numero 30. & sequentibus.* An verò gabella debeatur ex redemptione pensionis reditus reseruatiui, discutit *num. 32.*

DVBIVM XXXIII.

An pereunte re censita census pereat?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans proponitur.*
2 *Probabilior sententia docens census, qui apud nos sunt in vsu vbi Bulla Pij V. non est recepta, vel qui ante illam erant, non perire pereuntibus rebus, in quibus sunt constituti, nisi contrarium deducatur in pactum.*
3 *Plura inferuntur numeris 4. 5. 6. 7. 8. 9. vbi ad argumenta contraria n. 5.*

HOc dubium mouet, sed non resoluit Grego. Lopez *l. 28. verb. por fuego. titu. 8. partita 5.* licèt in partè affirmantè inclinare videatur, quia in emphyteusi pereûte totaliter re emphyteutica perit emphyteusis, quod alij expressiùs tenent non solùm vbi recepta est Bulla Pij V. quæ id expresè statuit, sed etiam vbi illa recepta non est. Ita Molina *to. 2. de iustitia. tract. 2. disp. 383. & disp. 394. dub. 3.* Tolet. *lib. 5. quæst. 39. n. 4.* Læsius *lib. 2. c. 22. dub. 5.* Rebellus *de oblig. iusti. p. 2. lib. 10. q. 1. nu. 7. & q. 6. cond. 4.* Valen. *2. 2. disp. 5. q. 22. pun. 2. corol. 6. & pun. 7. in fine* Sarmientus 7. *Select. c. 1. n. 29.* Emanuel Rodriguez *tract. de censibus. cond. 5.* Anton. Gomez *tract. de censib. c. 5. n. 2.* Vega *in Summa, & Epitom. verb. census. casu 4. 17. 20. & 26.* Ludouic. Lopez *1. Instruct. c. 57.* Ioann. Baptist. Lup. *de vsur. Comment. 2. §. 2. n. 63.* Ioann. Medin. *q. vltima de censib. ad fin.* Hanc opinionem Vinsfeld. *c. in ciuit. de vsuris. q. 12. cond. 2.* post Bullam Calixti tribuit Conrrado *de contract. quæst. 83. con. 10. in declaratione.* Henrico de Asia, & Henrico de Hoita *de contract. in materia de censib.* Gabrieli

Num. 1.

Digitized by Google

brieli 4. *d.* 15. *q.* 12. *lit. Q. ad* 6. Angelo *vsura.* 1. *n.* 78. Ioanni de Lignano *c. in ciuitate. de vsuris.* Laurentio de Rodulphis *cap. consuluit.* 2. *p. q.* 12. Pan. *disp.* 5. *incipiente. Angerio. collat. vltima.* & ait Vinsfeld. hos locutos de contractibus censuum qui erant in vsu tempore Martini, & Calixti, in quibus ex natura, & consuetudine intelligebatur ea conditio, vt pereuntibus rebus censui subiectis census periret, qui erant cēsus merè reales, in quibus persona directè, & per se non obligabatur. Sed malè citatur à Vinsfeld. Contr. & Angel. & fortasse alij, quanuis bene citetur Gabriel.

PROBANT aliqui primò, quia in totum, vel ex parte pereunte subiecto perit necessariò accidēs: sed census est veluti accidens rei censitæ; ergo illa in totū, vel ex parte pereunte perit in totum, vel ex parte cēsus.

SECVNDO, quia alioqui census realis conuerteretur in personalem: cùm tamen personalis, si non iure naturali, saltem iure antiquo Martini V. & Calixti III. prohibitus sit *extrauag.* 1. *&* 2. *de emptione, & venditione.* in quibus ait Læsius constitui hanc opinionem, tanquam intrinsecam censui reali, vt pereunte re censuaria, pereat etiam pro rata ipse census.

TERTIO argumentatur Læsius, quia census realis nihil est aliud, quàm ius percipiendi fructus, vel pensiones ex re fructifera alterius, vnde habet se sicut ius seruitutis quod quis habet in re alterius. v. g. ius eundi per prædium alterius, venādi, piscandi, colligendi glandes, & similia, ratione cuius iuris res non dicitur hypothecata pro illo iure, si enim res pereat, perit ius, si ad alium transferatur, prior dominus omni obligatione soluitur; quando autem res aliqua est hypothecata, tunc etiamsi pereat, vel in alium transferatur, manet tamen obligatio personalis, quia hypotheca datur in securitatem alterius debiti, maximè personalis: non igitur potest dici, rem censui subiectam à qua census dicitur realis, esse veram hypothecam pro censu, qua pereunte, vel in alium translata non pereat census.

QVARTO, quia legatū certæ quantitatis super certa re, illa pereūte extinguitur *l. liberto.* §. 1. *ff. de annuis legat. l. maritum.* §. 1. *ff. ad legem Falcidiam. l. legatum.* §. 1 *ff. de annuis legat.* imò simplex debitum certæ quātitatis respectu certæ rei, non debetur perempta re, siue ex promissione, siue ex legato debeatur. Paul. *l. ratione. in princ. ff. ad l. Falcidiam. & in l. quidam.* §. *si tibi. ff. de lega.* 1. de quibus Lofredū *cons.* 2. Peregrinum *de fidei commissis. art.* 4. *n.* 57. ergo similiter census super re certa cōstitutus, illa pereūte pra rata perit.

HANC sententiam ex parte tenet Nauarr. *Comment. de vsuris. n.* 115. vbi docet censum ante Bullam Pij V. creatum perire in totum rebus super quibus creatus est omnino peremptis, sed non perire in parte, si vna tantùm res, vel vna tantùm eius pars pereat, quin potiùs ab aliis rebus, vel partibus exigi posse totam pensionem: quia oppositum nullo iure, aut ratione probatur.

SECVNDA & probabilior opinio affirmat census, qui apud nos sunt in vsu, vbi Bulla Pij V. locum non habet, vel qui ante illam erant, non perire etiam pereuntibus omnibus rebus, in quibus sunt constituti, nisi contrarium expressè esset in pactum *Num. 2.*

Digitized by Google

deductum. Ita tenet Couar. 3. *Variar. cap.7. num.5. & 6.* Sotus 6. *iust. quæst.5. art.1. in 5. probatio.4.con. & in fine articuli.* Felicia. 1. *de censib. c.4.n.4. & c.8. n.19.* Mercadus 4. *de contract. c. vlt. ad finem.* Salon 2.2. *tract. de censibus. art.3. controuer.5. 13. & 14. & 18.* & sæpe alibi. Palacios latè 4. *lib. de contractibus. cap.7.* Matienzus *lib.5. nouæ collectionis. tit.15. l.1. glos.1. n.6. & 13.* Ioannes Garsia *de expensis. cap.4.n.43.* Petrus Surdus *de alimentis. tit. 7. quæst.33. nu. 15.* Gaspar Rodericus 2. *de reditibus. q.7.n.5.13.* & aliis. Andr. Gail *lib.2. obseru. obseru.7. n.13.* Carolus Molinæus *de vsur. n.15.22. & 23.* Vinsfel. *de vsuris. super c. in ciuitate. q.12. con. 4.* malè citans Conradum *de contract. q.76.* vt & malè citatur à Palacio Cordub. *q. 74. con.4.* nam potiùs *hac q.74.* in extremis verbis docet oppositam sententiam. Hanc verò docet ipse Vinsfeldius *ibi, & con.2.* post Bullam Calixti, *& cond. 9.* post Bullam Pij V. de multis censibus, qui in Germania, & aliis locis nunc sunt frequentissimi; de quibus latè differit *con. 4. & sequentibus.* & *con.8.* probat latissimè esse ex se licitos. & *con.12.* ait non perire pereuntibus rebus, in quibus constituuntur, quia principalis obligatio est personalis.

PROBANT multi *l.* ex *creditor qui non idoneum. ff. si certum petatur*, & ex *l. aduersus.* vbi glossa, Bart. & Baldus *C. de actionib. & oblig.* nam in priori lege dicitur: *Creditor qui non idoneum pignus accepit, non amittit exactionem eius debiti quantitatis, in quam pignus non sufficit.* in posteriori verò: *Aduersùs debitorem electis pignoribus personalis actio non tollitur: sed eo quod de pretio seruari potuit, in debitum computato, de residuo manet integra.* & *l. incendium. C. de rebus creditis. Incendium are alieno non exuit debitorem*

SECVNDO, quia venditor census absolutè, & sine limitatione se obligat ad soluendam pensionem, quandiu census non redimatur: ergo tenetur, etiamsi res casu fortuito pereat; & ita Iudices in Regno Castellæ & Valentiæ compellunt venditores ad soluendas pensiones, etiamsi res censitæ pereant, vt experimur, & dicit Salon *controuer. illa* 18. Idem dicit de censibus in sua patria vsitatis Vinsfeldius suprà.

HINC infertur primò, quòd etiãsi res hypothecata fiat in toto, vel in parte infrugifera, vel insufficiens ad reditus solutionem, adhuc soluenda erit. Quod in praxi seruari affirmat Rodericus *illo n.13.* cum Matienzo s. *n.5. in fine.* *Num. 3.*

SECVNDO infertur, non solùm in censu perpetuo redimibili, de quo hactenus locuti sumus, sed etiam in aliis omnibus re pereunte non perire censum, nisi id in contractu expressum sit. Patet, quia eadem est ratio de perpetuo redimibili, & de aliis, quantùm ad hoc. Vnde in secunda opinione, quam tuemur, non est tenendum cum Læsio s. hypothecam quæ in censu irredimibili exigi potest, nullum effectum esse habituram si res censui subiecta pereat, solúmque ad hoc profuturam, vt si debitor census nolit (re censui subiecta permanente salua) pensiones soluere, possit vendi hypotheca ea, vt ex ea solutio petatur. *Num. 4.*

TERTIO infertur licitè posse in pactum deduci, vt re pereunte non pereat census in ea constitutus. Hoc corol. est contra Sarmien. Antoni. Gom. Eman. Rodriguez, Vegam, & Ludouic. *Num. 5.*

Digitized by Google

Ludouic. Lopez, suprà asserẽtes, hoc pactum esse iniquum, quia est contra naturam contractus venditionis, qualis est iste, quòd res empta perat periculo venditoris. & venditor re tradita ad nihil aliud tenetur. *l. ex empto. ff. de act. emp.* Sed hæc ratio friuola est; non enim dicimus censum qui perit, perire venditori: sed dicimus non perire quando res, in qua est collocatus, perit; non enim pendet omnino ab illa, sed ab aliis etiam hypothecis, & fideiussoribus, & præcipuè à persona vẽditoris, quæ se, & omnia bona sua obligauit ad soluendam pensionem absolutè, & sine limitatione ad permanentiam rei censitæ, seu specialiter hypothecatæ: & cum ista independentia hominẽ posse se obligare manifestum est, & tenent omnes auctores secundæ opinionis, in qua res est clarissima, quia quod aliàs inest contractui, etiamsi exprimatur, nihil nocet: sed quòd pereunte re censita ad hoc venditor tenetur soluere pensionem contractui de se inest: ergo etiamsi exprimatur, nihil nocet, sed pactum expressum est validum, & iustum, licèt non necessarium omnino ad talem obligationem.

IMO etiam in secunda opinione hoc est satis perspicuum, si iusto pretio tale grauamẽ compesetur, vt ait Læsius *lib. 2. cap. 22. dub.* 11. iustum autem pretium esse putat, quanti illa obligatio conditionalis iudicio probi, & intelligentis viri considerato periculo euẽtus æstimabitur: si enim paruum sit periculum, paruo æstimabitur, si magnum, magno. Probat autem intẽtum primò, quia hìc sunt duo pacta quæ seorsum iustè fieri possunt, vt si primò ematur iusto pretio census absolutè, deinde seorsum fiat pactum illud soluendæ pensionis in quouis euentu: ergo etiam posẽt simul fieri; quæcumque enim seorsum, etiam iũctim iusta sunt: non enim ex vi vnius contractus obligat emptor venditorem ad id: hoc enim esset illicitum, sed non vult vnum cõtractum celebrari sine alio: quod potest licitè facere, potest enim se nolle obligare, vel applicare ad vnum contractum, nisi alter se obliget, vel paratus sic applicare se ad alterum. Et fortasse hoc intendit Vega suprà dicens, non esse licitum obligare censuarium ad solutionem faciendam, etiamsi res censita pereat, nisi per alium contractum assecurationis, & alio pretio, quod etiam tenet Valen. suprà.

SECVNDO probat Læsius, quia pactum illud accessoriũ, est pactum assecurationis: sed pactum assecurationis aliis cõtractibus addi potest; ergo etiam contractui census. Sed non oportet his ambagibus vti, nam vnico contractu emptionis tota illa obligatio venditoris emi potest. Vnde meliùs idem Læsius id probat tertiò, quia census personalis & mixtus licitus est: illud autem pactum est huiusmodi: ergo est licitum. Maior à nobis ostensa est *dub.* 3. à Læsio autem *dub.* 5. Minor autem probatur, qui possum emere illam obligationem censuarij, nullam rem directè, & per se obligando; & tunc census erit merè personalis: possum etiam obligare directè, & per se personam, & rem, & tunc erit census realis: possum denique obligare solam rem directè, & per se, & tunc census erit merè realis, qui re illa pereunte peribit, & de hoc non loquimur

quimur, sed de mixto, quem dicimus manere re pereunte : & eiusmodi sunt qui apud nos sũt in vsu, & apud omnes esse possent, nisi iure positiuo prohibeantur.

IVXTA hæc respondet Læsius ad duo argumenta aduersariorum. Primum est, quia tale pactum est cõtra naturam contractus censualis, qui postulat vt re pereunte census pereat. Nos hoc negamus, ipse verò respondet, pactum hoc non ita esse cõtra naturam contractus censualis, vt illam destruat, sed ita vt obliget ad aliquid, ad quod nullo modo obligat nudus & purus contractus census realis: idque inducendo nouum contractum, nempe assecurationis, vel census personalis. Sic pactum retrouendendi est contra naturam cõtractus venditionis, rectè ei additur. Secundum argumẽtum est, quia iniquus esset contractus, si emerem à te agrum annuè reddentem 10. mensuras, cum pacto, vt si ager pereat, vel minùs reddat, tenearis in perpetuum supplere ex aliis bonis vsque ad 10. mensuras: atqui talis est census cum illo pacto: ergo. Respondet, illum contractum non esse per se illicitum, quia est pretium agri cum pacto assecurationis fructuum: quod pactum est licitum. Si enim potest fieri pactum assecurationis fructuum ad tempus, cur non etiam in perpetuum? Item si potest fieri tale pactum cum tertio, cur nõ etiam cum venditore agri ? Sed ego dico vno contractu emptionis posse emi agrum, & obligationem personalem conditionalem dandi illas 10. mensuras, quando illas non ferat emptus ager. Sic eadem emptione possum emere censum realem, & personalẽ, seu obligationem mixtã ex reali, & personali. Vtcumque sit, tale pactũ esse licitum, præter Læsium tenet Vinsfeldius *de vsuris super c. in ciuitate. q. 13. con. 17.* cum Ioan. Medina *q. vltima de censibus. in fin.* & Conrrado *de contractib. q. 83. con. 4.* Idem tenet Valen. 2. 2. *disp. 5. q. 22. pun. 2. corol. 6. & pun. 6. corol. 4.* dicens multis Theologis placuisse in consultatione Romę habita anno 1581. Salon etiam cum Nauar. *Comment. de vsuris. n. 90.* tenet vbi Bulla Pij V. non seruatur posse venditorem renuntiare casui fortuito, ita vt licèt res casu fortuito pereat, adhuc teneatur pensionem soluere, ex *l. sed etsi. §. quæsitum. ff. si quis cautio.* vbi iuxta communẽ intelligẽtiam dicitur, quòd licèt generalis renuntiatio non obstet excipienti de casu fortuito; nocet tamen specialis, imò & generalis quoad casus similes aliis specialiter renuntiatis, *arg. c. qui ad agendum. de procurat. lib. 6.* Addit Salon *controuer. illa 13.* etiam communi pretio posse emi censum cum ea conditione, vt pensio soluatur re pereunte; nam in eo euentu etiam sine pacto speciali tenetur venditor soluere pensionem.

ADDIT, etiam vbi Bulla illa recepta est, posse emi censum antiquũ cum obligatione venditoris ad soluendas pensiones, etiamsi res cẽsuaria casu fortuito pereat. Citat Nauarrum *Commentario de vsuris. n. 133.* sed malè: nam ibi nihil de hoc dicit. *n.* autem 135. solùm dicit, quòd promissio, qua venditor census se obligat ad defendendũ censũ venditum emptori, & de euictione, videtur permissa, etiam post hanc Bullam, tum quia non videtur tollere ea, quæ sũt naturalia contractus emptionis, &

ven

venditionis, qualia sunt obligatio, & cautio de euictione rei venditæ, iuxta *l. si fundus. & totum tit. ff. de euictionibus. & l. pacta cõuẽta. ff. de contrah. empt.* tum quia eorum quæ tacitè insunt, expressio nihil nocet. *l. 3. de legat. & c. significasti. de election.* Sed melius id probat Sal. quia Pius V. nõ loquitur de emptione antiquorũ cẽsuum, sed de nouorum constitutione. Bene tamen dicit Sal. pactũ, quo obligatur venditor ad reddẽdum pretiũ, si res censita casu pereat, esse iniquum & vsurarium, nisi illud onus vẽditoris æquali cõmunis pretij augmẽto cõpensetur: aliter est enim pactũ recipiẽdi aliquid pro mutuo virtuali, ac proinde vsura implicita, & palliata.

QVARTO infertur, in aliquibus casibus re pereũte perire censum. Primus casus positus à Salone *art. 3. de censibus. controuer. 18.* est quando census fuerit fructuarius, ita vt venditor solùm vendiderit partem fructuũ, quos fundus aliquis reddiderit, cùm in eo casu solùm se obligauerit ad reddendũ partem eorũ, quæ res illa attulerit, & consequenter vbi nihil illa tulerit, vel omnino perierit, ad nihil tenebitur venditor.

SECVNDVS, quem Salon ibi ponit, est, quando, esto census sit pecuniarius, conuenit tamẽ cũ emptore se tantùm obligare rẽ certam illi cẽsui, quia tunc ea pereũte in totũ, vel ex parte, si nõ sufficiat reliqua ad pẽsionẽ, peribit omnino, vel ex parte ipse census.

TERTIVS casus positus à Salone ibi, est quãdo vẽditor census pecuniarij rẽ illã alteri tertio vendiderit cõsentiẽte domino census. Tũc enim si res illa perierit, non tenetur ampliùs illius rei emptor ad censũ: quia hic sola ratione & titulo illius rei à se emptæ seipsum obligauerat, qua pereunte, in totũ cessat titulus, & ratio obligationis. Si autem incõsulto & inscio emptore, & domino census res illa fuerit vẽdita, quamuis emptor illius rei nõ teneatur ea pereunte soluere censum, tamen venditor tenetur: quia personam suam, & fortè alia bona solutioni census obligauit; nisi dominus census ita consentiat in vẽditionem rei subiectæ censui, vt vẽditorẽ ab illa obligatione absoluat. Sed credo non eo ipso quòd annuat venditioni rei absoluere à tali obligatione. Sitamẽ res ex parte pereat, emptor tenetur ex residuo soluere totam pensionem, si id ad integram solutionem sufficiat, vt ait Salon.

QVINTO infertur solutio argumentorum in principio dubij positorum pro prima opinione. Ad primum enim dicitur, subiectum census non esse rem censui suppositã, sed emptorem, & venditorem: nam census consistit in obligatione venditoris ad soluendam pensionem, & in iure emptoris ad eandem exigendam: quandiu ergo hi manent, vel eorum successores, manet census, nisi redimatur. *Num. 7.*

AD secundum respondetur, non conuerti cẽsum realem in personalem, sed ab initio illũ esse mixtum ex reali, & personali, & hunc non esse reprobatum à Martino, & Calixto, sed videri approbatum, vt ẽ deduximus *dub. 3.*

AD tertium respondetur, censum realem, nudum & purum esse ius percipiendi fructus ex

Digitized by Google

re aliqua ad id obligata,& talé perire pereũte re illa;census autem, qui modò apud nos sunt in vsu,esse mixtos ex obligatione reali,& personali,ideo non perire pereũte re,in qua sunt constituti,sicut pereũte pignore non perit debitum, vt leges citatæ dicunt;nam in hoc genere census hypothecæ sunt quædam pignora data ad securitatem solutionis : sic hypothecam dari ad securitatẽ habetur *l.fundus quem. ff. de annuis legatis.* vbi Bart.& alij illud annotarunt. Obseruant autem Couar.initio citatus,& Vinsfeld. *illa con.* 12. & Salon. *art.2.de censibus.controuer.* 5. hoc genus pignoris & hypothecæ,quod in censu offertur ab aliis,quæ communiter tradũtur,differre,quòd in aliis, pignore vel hypotheca in alterius dominium translata creditor non potest agere in possessionem pignoris,vel hypothecæ, nisi priùs executio fiat in bonis principalis debitoris,& fideiussorum illius;& quando nulla illorum bona reperta fuerint, ex quibus debitum soluatur , tunc executio fieri potest , & non antea. *Authent.hoc si debitum. C. de pigno.* At si res in quibus census realis est collocatus, transeãt ad tertium possessorem, qui hæres venditoris census non sit, competit ei cui cẽsus debetur,actio aduersùs illum, vt inde cẽsum soluat,atque se debitorem census ex eo prædio, vel prædiis recognoscat,nihil priùs exigẽdo à census debitore,vel ab hæredibus ipsius.

Et obserua non solùm posse emptorem census ex hypotheca specialis in tertium possessorem translata pensiones exigere, sed etiam ex bonis quibuscunque generaliter hypothecatis,vt habet in Hispania cõsuetudo;nam illa etiam bona transeunt cum illo onere , & sunt obnoxia & affecta pro soluẽda pẽsione.

Sexto infertur , quid dicendum sit ad illam quæstionem , an census pereat,quando culpa censuarij perit res in qua census est constitutus? Dicendum enim est primò,vbi recepta est Bulla Pij.V.censum non manere. Est contra Med. 1. *Summæ. c.*14.§. *26.* qui ait tunc census obligationem nulla ex parte perire , & quanuis à Pio V.nulla talis exceptio facta sit, tamen eius decretum interpretandum,quando nulla censuarij culpa interuenerit. Sed nostrum corol. tenet Anton.Gomez *tract.de censib. c.5. n.2.*Eman.*eod.tract.cond. 5. dub.* 2. Nauarr.*(omment.de vsuris.n.*118. Valen. 3.Rebell.*illa q.6.con.4.* quia vbi lex non distinguit , nec nos distinguere debemus,maximè vbi nihil ad distinguendum cogit,vt hîc nõ cogit;nam alia ratione meliùs consulitur emptori census.Rectè enim omnes isti addunt emptorem census,sicut contra tertium haberet actionem doli, vel aliam quoad pretium census,totúmque interesse damni emergentis, & lucri cessantis, sic contra censuarium habere. Idem docet Molina *disp.394.dub.3.*

Addit Nauar.vt minimùm cogi posse quoad forum externum, scilicet,quòd pretium reddat pro censu acceptum,vel censum in alia re simili constituat,vt interpretatur Rebellus,subiungens quoque : *At verò si culpa leuis interueniat, saltem in foro conscientiæ,minorem satisfactionem quàm totius interesse,faciendam esse*; sed alibi cum communi dicam neminem ex culpa leui, & veniali ad grauis rei restitutionẽ teneri, nisi aliter pactũ sit. Num.8.

Digitized by Google

sit. Posse autem censitorem in casu prædicto petere à censuario totum interesse, probant Emanuel, & alij, quia si res censuaria esset aliena, & à censuario auferretur, & euincere-tur, teneretur censuarius ad totum interesse, vt *dub.17. & 21.* dictum est: ergo similiter si eius culpa interiret, Vide alia dicta *dub.16.*

Num.9. SEPTIMO infertur, quid dicendũ sit de sententia Toleti circa præsẽs dubium. Nã licèt *lib.5.c.39.n.4.* dicat pereunte re in qua census est constitutus, censum perire, & *c.47.n.1.* cẽsus qui mali sunt, esse reales, & nõ personales, & ideo ibidem contra Sotum affirmet, non posse maiorem pensionem imponi quàm sit valor annuus fructuum: sed *c. 46. per totum* probat licitum esse censum realem cum pacto assecurationis, ita vt etiã re pereunte supra quam census est constitutus, non pereat census, sed pensio soluatur; modò iustum pretium detur, quod ratione huius pacti maius esse debet, quàm si absque illo creatur. Et probat hos census esse licitos, quia illos probauit Nicolaus qui fuit ante Calixtum, & post Martinum anno 1450. in Bulla quam edidit ad petitionem Alphon. si pro Regno Siciliæ citra & vltra Pharum; & has nõ esse alias obligationes, quàm eas quæ modò fiunt, quæ sunt antiquissimæ, & vincunt memoriam hominum. Ergo reuerà sentit census qui modò sunt, re pereunte non perire, propter annexũ pactum assecurationis: & virtute idem est dicere, esse personalem cũ hypotheca pro assecuratione pẽsionis. Vnde in re sententia Toleti vera est & nobis consentanea.

PRO nobis etiam faciunt qui existimarunt prædium in censu solùm esse hypothecæ loco ad maiorem securitatẽ, quales sunt præter eos qui defendunt censum personalem, Speculator, Gratus, Meres, & alij relati à Felician. *to.2.de censib.lib.1.c.p.1.n.5.* Item Aymõ Graueta, Redoanus, Castillo, Palac. Rub. Matienzus, Azebedus, Guttierrez, Henricus, Alciatus, Follerius, Gomez de Leon, Ioannes Garsia, Menochius, Cassaneus, Anton. Gomez, Cifuentes, Lassarte, Andreas Gail, Antonius Thesaurus, Auendanus, Barto. Bald. Imola, Cuman. Lancel. Decius, Rebuff. Afflict. Ioannes Baptist. Lupus, apud Felicia. *tom.2.de censib.lib.1.c.4.n.1.*

DVBVIVM XXXIV.

An pensio esse possit in fructibus, qui ex re censuaria non percipiuntur, vt si in ædibus imponatur soluenda pensio vini, olei, vel frumenti?

RESPONDEO, vbi non est lex vel consuetudo in contrariũ, licitam esse talem impositionem. Læsius *lib.2.c.22.dub.5.* Sa *verb.cẽsus.n.8* Rebellus *2.p.de oblig. lib.10.q.vlt.dif. vlt.5.* de quo etiam diximus *dub.30.n.2.* Sed in hoc Castellę Regno prohibiti sũt omnes cẽsus præter pecuniarios seu in pecunia soluendos, vt notat Ludouicus Lop. *lib.5.Instit.negotian.c.58.* & in Lusitan. non sunt prohibiti census fructuarij, vt ait Rebell. ẽ. sed *lib.4.ordinationum.tit.65. §.vlt.* cautum est, ne ædes, earúmve areæ in emphyteusim cõcedantur sub pensione tritici, vini, olei, similiúmque fructuum, sed sub *Num.10.*

Digitized by Google

pecuniaria duntaxat,vel aliquarum auium,alioqui contractum fore irritū. Sed de cēſu fructuario dubiū erit peculiare ad finem huius tractatus.

DVBIVM XXXV.

Quid iuris cùm æquè dubium eſt,ſitne res cenſuaria,an emphyteutica, & quid quando eſt dubium, an cenſus redimibilis ſit?

SVMMARIVM.

1 *Qui ſentiant Doctores.*
2 *Quatuor concluſionibus breuiter reſpondetur n. 3. 4. 5. & alia ſtatuuntur n. 6. 7. 8. 9.*

Num. 1. OVARRVVIAS *3. Variar. c. 7. n. 1.* & Nauarr. *Comment. de vſuris. n. 109.* cum communi tenent cenſualem præſumendum, quia in dubiis minimum eſt ſequendum iuxta regulā iuris in *6.* minus autem incommodum eſt poſſeſſori, cuius conditio melior, ſaltem in dubio æquali,eſſe debet, ſi per cenſualem,quàm ſi per emphyteuticū contractum rem poſſideat: ſi quidē præter alia incommoda non ſoluendo penſionem, non amittet rem cenſitam; amittet tamē rem emphyteuticam, ſi per certos annos non ſoluat. Hanc reſponſionem admittit Valaſcus *de iure emphyteu. q. 32. n. 35.* quando in ea regione magis in vſu eſſent cenſus quàm emphyteuſis, cùm ſecundùm fortiorem coniecturā ſemper præſumendum ſit:&quando non conſtaret, rem aliquam fuiſſe ab Eccleſia,vel ab alio habitam,cui penſio ſolui conſueuit.Nam ſi id conſtaret, ac de titulo dubitaretur, putat præſumendam eſſe emphyteuſim, non cenſum, eo quòd in dubio non eſſet præſumendum quòd quis omne ius & dominium rei ſuæ abdicauerit,vt per iura, & auctores probat;nec̄ approbat diſtinctionem, quam aliqui inter Eccleſiam,&priuatum faciunt, vt in fauorem Eccleſiæ in propoſito euentu præſumptio facienda ſit, ſecus verò in priuato;& non in præiudicium tertij, etiam ob fauorem Eccleſiæ, quæ pia mater eſt, & iuſtitiæ vltrix, præſumēdum eſſe arbitratur. Hæc omnia refert Rebellus *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 10. q. vlt. difficult. vlt.* Sed nihil reſoluit. Ego dico, ſi omnibus penſatis dubium ſit an ſit cenſus,vel emphyteuſis,quātùm ad praxim cenſendum eſſe cenſum,vt *dub. 44. in fine* cum Salone,& aliis dicetur, & ſimiliter ſi omnibus penſatis dubium ſit an ſit cenſus redimibilis, vel irredimibilis, præſumendum in praxi redimibilem, vt ibidem cum Salone diximus.

Num. 2. SED pro maiori declaratione ſit prima cōcluſio:ſi loquamur de cenſu reſeruatiuo, vt pote quando concedens dat alteri fundum, vel prædium, &c. reſeruata ſibi annua penſione ex re tradita, ſi non ex circunſtantiis appareat an temporalis, vel perpetuus, præſumendus erit perpetuus.Ita Couar. *3. Variar. c. 10. nu. 4.* & Vinsfeld. *de vſuris ſuper. c. in ciuitate. q. 13. con. 1.* quia cùm trāſlatio dominij perpetuò facta ſit à tradente, eodem paſſu præſtatio annui reditus incedere iudicanda eſt,ſi quidem ob perpetuam præſtationem res tradita ad cenſum videtur. Sic ſi dubium ſit an emphyteuſis ſit perpetua,vel temporalis,

Digitized by Google

ralis, perpetua iudicanda est: nam de huius natura est vt dominium vtile perpetuò transferatur, ac proinde vt census quoque, seu præstatio perpetua sit, vt docet Angel. *auth. de non alienan. §. emphyteusim.* Bald. & Iason *n. 116. in l. 2. C. de iure emphyt.* Couarr. §. Vinsfeld. *q. citata.* & alij multi, qui limitant nisi aliud consuetudo regionis, vel loci obtineat.

Num. 3. SECVNDA conclusio: si dubium sit an census sit reseruatiuus, vel consignatiuus, iudicandus est reseruatiuus. Ita Couarruu. §. Vinsfeld. *illa quæst. cond. 2.* quia census in iure Canonico magis pro reseruatiuo, quàm pro consignatiuo, qui olim fuit incognitus, supponere solet.

Num. 4. TERTIA conclusio: quando dubium est an census consignatiuus redimibilis, vel irredimibilis sit, nec liquidum est per scripturam, vel testes, aut per aliam viam, an conuentum sit inter ementem, & vendentem quòd redimi possit, vel quòd non possit, redimibilis debet iudicari. Hæc conclusio est contra Couar. *illo num.* 4. Ita tenet Vinsfeldius §. *con.* 4. & probat, quia in dubiis semper pro eo, quod minus est, & leuius præsumi debet. *l. semper in obscuris. ff. de regu. iuris. l. qui concubinam. §. cùm ita. ff. de legat. 3. C. ex parte. de censibus. & cap. in obscuris. de regul. iur. in 6.* Et confirmat, quia hic contractus est odiosus & suspectus de vsura, vel iniustitia ex parte ementis: ergo interpretandus est in fauorem vendentis, ne ei præiudicet, nec patitur interpretationem extensiuam, sed restrictiuam. Quod sanè expressè docet Molinæus *tractatu de vsuris. quæst. 5. num. 128.* quem citat Couarruuias §. ad alium tamen effectum: sic enim loquitur Molinæus. *Præterea tanquam succedanei* (scilicet census nostri) *vsurarum, & seruitutis impositæ semper odiosi sunt, & fauorabilis redemptio: quare magis inclinarem vt semper redimi possent, etiamsi cautum non esset; imò etiamsi contrà cautum sit, nisi sint constituti ad rationem 25. pro vno.* Eandem conclusionem tenet Molinæus *quæstione 20. numero 212.*

CONTRARIVM tenet Couaruu. §. quem sequitur Anto. Gomez *tract. de censib. cap. 5. num. 1.* nempé censum iudicandum irredimibilem, quia in contractu emptionis non præsumitur pactum de retrouendendo, nisi probetur. *l. 2. de pactis inter empto. & vendito.* vbi Doctores. Sed Vinsfeld. ait pactum de retrouendendo non præsumi in emptione rerum corporalium, nisi probetur, quia odiosa non est, secus in emptione censuum, quia odiosa est: addo, & quia census redimibiles frequentiores sunt. Num. 5.

QVARTA conclusio: quando pretium annui reditus tempore contractus iniquum fuerit, secundùm consuetudinem regionis, & loci, in comparatione ad annuum reditum irredimibilem, etiãsi pactum de redimendo non fuerit expressum, census redimibilis censebitur. Molinæus, & Couar. quos citat & sequitur Vinsfeld. *q. cit. con. 4.* qui probat, quia cùm hi reditus sint odiosi, requiritur ad eorum vsum tolerabilem pretij, & æstimationis iustitia. Quando ergo ex aliis adiunctis non apparet, videndum an pretium conueniat censui redimibili, vel irredimibili pro more patriæ: sic si 25. aureis vnus emptus esset census, iudicandus esset irredimibilis;

Digitized by Google

si autem 20. vnus, redimi posset. Secundùm has regulas pro iudicio externo, vel interno incompletè practico iudicandum existimo. Sed pro foro conscientiæ, & iudicio interno completè practico, in dubiis iudicandum est in fauorem vendentis, & possidentis per tradita *tract. de conscientia*, & regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*; quæ vera est, etiamsi magis inclinet animus in id, quod minùs fauorabile est possidenti. Vide *tract. de consciен.* qui in 1. tomo octauus est.

Num. 6. DE hoc dubio habes alia *dub. 11.* & in Couarr. ẽ. Perez 8 *ordinam. titu. 2. in Rubric. pag. 36. colu. 1.* Guttierrez *2. quæstionum pract. q. 68.* Sotus *6. iust. q. 5. art. 2. col. 3. ad finem.* Ioann. Martinez de Olano *in Antinom. lit. A. n. 97.* Ludouicus Mcssia *in pragm. frumentaria. con. 6. n. 124.* Salon *art. 3. de censib. controuersia 16.* vbi cum Nauar. *de vsur. n. 93.* ait primò iniquum esse pactum, vt propter moram soluendæ pensionis censuarius priuetur re censuaria, vel aliqua eius parte, quia hæc esset grauissima pœna, & quacumque mora multo grauior; vnde iure ipso prohibetur imponi *c. suam. de pœnis. l. stipulatio ista. §. alter. ff. de verb. obliga.* Sed hi textus à Nauarr. adducuntur, & meliùs, vt licitum sit pœnam non seruanti pactum imponere & stipulari.

SECVNDO, cum Nauarr. ẽ. *nu. 94.* iniquum esse pactum, quo venditor census obligatur absolutè, vel propter moram ad alia onera, quæ non debet ex natura census, veluti ad suscipiẽdos hospitio familiares emptoris, donec pensionem soluat, vel censum redimat.

TERTIO, cum eodem damna quæ verè ac realiter censuarius passus est, non esse illi persoluenda sola fide ipsius etiam iurata, sed ex his tantùm quæ debitis instrumẽtis, & probationibus constiterint, quia in dubio debitor non tenetur stare dicto, aut iuramento creditoris, sed præcepto Iudicis, aut certis probationibus.

QVARTO, iniustum esse pactum, quo censuarius obligaret se ad reddendam pensionẽ in forma cameræ. Primò, quia solutio in forma cameræ est maior quantitate, & onere, quàm quæ ex natura huius contractus debetur. Secundò, quia obligaret se ad pœnas, & incommoda quæ incurruntur per obligationem in forma cameræ, quæ sunt extra naturam census, & ad quæ venditor illius iure communi non tenetur, vt optimè Nauar. ẽ. *n. 116.*

QVINTO, non posse venditorem obligari ad pœnam dupli si fuerit in mora, quia est maior hæc pœna quàm culpa moræ: quanuis Nauarr. *n. 136.* existimarit ante Bullam Pij V. hanc pœnam apponi posse, quia non est improportionata culpæ. Similiter ait Salon, nec ante Bullam hanc imponi potuisse obligationem soluendi post lapsum terminum singulo quoque die ducatum, vel dimidium ducati, vel quid simile procuratori, aut nuncio creditoris, quia esset pœna grauissima; posse tamen constitui, vt sumptus quos procurator, vel nuncius fecerit ad recuperandam pensionem, propter illius moram, teneatur soluere: nam omnia damna tenetur refarcire qui est in culpabili mora.

IBIDEM ait, non obstante Bulla Pij V. vbi est recepta posse deduci in Num. 7.

pactum

pactū nō ſolùm damnum emergens, ſed etiam lucrum verè ceſſans, quia non intendit Pontifex liberare debitorem à debito iuris naturæ, quale eſt lucrum verè ceſſans ex mora culpabili debitoris. Alij tenent oppoſitum de lucro ceſſante propriè dicto, vt retuli *dub.* 11. Deinde idem Salon *illo art. 3. de cenſibus. controuer. 17.* diſputat ex profeſſo, an ſecluſa Bulla Pij V. poſſit in pactū deduci, vt moroſus debitor penſionis incidat in pœnam commiſſi? Partem affirmantem tenent Sotus *6. iuſt. q. 5. art. 2.* Bartholomæus Albornoz *de contractib. lib. 3. titu. 2. doct. 3.* & aliqui Iuriſconſulti Hiſpani *in l. 68. Tauri*, quæ eſt lex prima *tit. 15. lib. 5. nouæ collectionis.* in qua primò fundatur hæc ſententia: quia in ea habetur, ſi quis ſuis fundis cēſum impoſuerit ſub ea conditione & pacto, vt ſi in hoc, vel illo termino non ſoluerit, fundus cadat in commiſſum, & ſic pronūcient Iudices, & ita inſtrumenta cum hoc pacto fiant; ergo licitum & ſeruandum eſt. Nec mirum, cùm quiſque poſſit, & gratis, & pro pretio ſuis rebus onera imponere; & pœna conuentionalis quantunuis grauis imponi poteſt ex mutuo contrahentium conſenſu.

Num. 8. Sed tale pactum eſſe iniquum, & à venditore cenſus minimè ſeruandum, tenet Salon ibi cum Nauarro *in Summa Latina cap. 23. n. 68. & Comment. de vſuris. n. 93.* Couar. *3. Variar. c. 7. §. 11.* Conradō & communi Iuriſperitorum. Primò, quia, vt rectè argumentatur Couarru. hæc pœna commiſſi eſt odioſa: odia autem reſtringi debent *reg. odia, de reg. iur. in 6.* ergo non debet ad cenſus conſignatiuos extendi. Confirmatur, quia etſi in iure canonico ſtatutum ſit, nō eſſe admittendas conſtitutiones, quæ Eccleſiis damnum aliquod inferūt *c. 5. de conſuetudine*, valebit tamen conſuetudo, qua alicubi inductum fuerit emphyteutam Eccleſiæ nō cadere in commiſſum, ſi triennio penſionem non ſoluerit, vt docent Panor. *conſil. 32. col. 2. lib. 1.* Decius *c. 1. de conſuetud.* & alij quos ibi refert Couarr. Ego hæc pœna eſt odioſa, & ideo reſtringenda.

Secvndo, quia iniquum eſt vt pro culpa neglectæ ſolutionis penſionis per biennium, vel triennium expolietur quis fundo pretioſiſſimo. Nec eadem eſt ratio in emphyteuſi, quia dominus directus fundi emphyteutici, cum ea conditione potuit dare dominium vtile alteri, vt illud amitteret, ſi penſionem non ſoluerit per biennium, vel triennium; pœna autem debet eſſe proportionata culpæ, ideo in cenſu conſignatiuo hæc pœna imponi non poteſt. Nec obſtat lex citata, quia illa lex ſolùm ſeruatur in cenſu reſeruatiuo perpetuo irredimibili; in conſignatiuo autem non eſſet iuſta, nec ſeruatur, vt docet Couar. & alij.

Hæc Salon, & bene *illa controu. 17.* qui argumēta cōtrariæ opinionis ſoluit, quorū ſolutio patet ex dictis; qui rectè etiā infert, ſi aliquando illa pœna executioni mandata ſit, reſtituendam eſſe cum omnibus damnis ex eius executione ſecutis. Item cum Nauar. *Comment de vſuris. n. 138.* iniquum eſſe pactum, quo venditor cēſus copiam faciat emptori capiendi auctoritate propria rem cenſuariam ob ceſſationē ſolutionis. Nam iniquum eſt pro ea culpa tantam pœnā imponere, præſertim ſine auctori

ctoritate Iudicis executioni mãdandam. Licebit tamen censitori exigere apud Iudicem pensiones sibi debitas, ita vt nisi alia bona habuerit cẽsuarius, vnde illæ recuperentur, auctoritate Iudicis immobilia vẽdantur, præsertim hypothecata solutioni pensionis: imò leges Nauarræ cõcedunt, vt ex bonis censuarij pretiũ census restituatur; vt ait Nauarrus 3. sed in nostro Castellæ Regno pretium repeti nõ potest. Cæterùm posset cẽsus cum ea conditione institui, vt venditore intra bienniũ, vel triẽnium non reddente pensionem, posset compelli ad illius redemptionẽ, seu pretij restitutionem, vt tenẽt nõnulli Iutisperiti apud Felician. 1. *de censib. c.* 17. *n.* 18. quia hæc pœna non esset immoderata, & faciliorem, atque expeditiorem redderet pensionis solutionem, ne pretium reddere cogatur, vt in Nauarra fit: refert enim Nauarrus *in Summa Hispana in addi. ad c.* 23. *n.* 66. *&* 67. in Nauarra esse legem; vt debitoris non soluentis bona in publica subhastatione vendantur, maximè quæ censibus hypothecata sunt, vt ex eorum pretiopẽsionibus & sorte creditori redditis, quæ supersunt debitori detur. Illud tamen pactum iniquũ, & vsurarium esse leuibus fundamentis tenet Salon *art.* 3. *de censibus. controuer.* 19. *post medium*: postea verò quærit, an ita constitui census possit, vt nisi intra certum tempus redimatur, maneat irredimibilis? & docet esse iniquum si ratione mutui pensio recipiatur, quantumcunque moderata sit, licèt Molinæus *de vsuris. q.* 66. *num.* 430. vsuras moderatas approbauerit. Nullo enim modo licitum est pro mutuo aliquid vsurarium recipere. *Controuer. fia* autem 20. eandem quæstionem proponit Salon, & ait, duplicem in ea esse sententiam. Primam, quæ prædictum contractũ damnat, quam tribuit Couarruuiæ. *1. Variar. c.* 9. *n.* 9. *& lib.* 3. *c.* 8. *n.* 6. *&* 7. Innocentio *c. in ciuitate. de vsuris.* Molinæo *de vsuris. q.* 50. *n.* 352. Tiraquel. *2. de retractu. in princ. n.* 30. Nauarro *Comment. de vsuris. n.* 7. *gloss.* 16. qui illum appellat vsurariũ, licèt Couar. teneat nõ esse vsurariũ, sed iniustum. Addit Coua. in Granatensi prætorio pactum illud iniquũ esse iudicatum.

SECVNDA sententia est, illud pactum iustum esse, si pro ratione illius oneris, & grauaminis pretium census augeatur. Hanc sequitur Salon cum Conrrado *de contractib. q.* 83. *con.* 8. Ioan. Med. *q. de censu redimibili.* Soto *6. iust. q.* 5. *art.* 3. *con.* 3. Orellana *tract. de censib.* & aliis Theologis recentioribus, & Innoc. *c. in ciuitate. de vsuris.* Nos eandem cum aliis secuti sumus *dub.* 12. *difficult.* 1. *circa* 11. *cond.* & res est perspicua stando in iure, quia si eo iure licitus est census omnino irredimibilis, & omnino redimibilis, ergo etiam erit licitus census partim redimibilis, partim irredimibilis, qualis est iste. Imò etiam attentis extrauagantibus Martini V. & Calixti III. res videtur clara, quia in illis approbãtur census omnino redimibiles, non verò reprobãtur qui fuerint partim redimibiles, partim irredimibiles. Sed vbi recepta est Bulla Pij V. maior est difficultas; nam Salon *illa controuer. 20.* ad 2. putat illicitũ esse hoc pactum, sed affirmari posse cõtrariũ, & dici Pium V. solùm prohibere cõtractũ restringẽtem debitori facultatem redimendi censũ, qui cõmuni,

eo

Digitized by Google

eodémque pretio constituatur, quo solent constitui, qui omnino redimibiles sunt Sed existimo à Pio V. huiusmodi pactum in censu redimibili prohiberi, etiamsi cõmune pretium redimibilis census augeatur, vt in pacto sequenti censet Salon *controuer.* 21.

ADDIT Salon cum Soto & Couar. si talis cẽsus minori pretio quàm sit iustum, ematur, non fore vsurarium, sed iniustum, & aliquid esse addendum, sed excessum pensionum non esse restituendum. Sed hoc vltimum reiecimus *dub.* 23. quia pars pensionis empta non est, cùm pretiũ illius datum non fuerit, nec potuerit emi pecunia danda.

Num. 9. IDEM Salon *contro.* 21. disputat, an possit constitui census cum eo pacto, vt intra 10. annos redimi non possit, postea verò possit? & meritò docet contractum hunc esse de se licitum, si iusto pretio fiat, nempe maiori pretio, quàm census omnino redimibilis, quod contra Couar. 3. *Variarum. capite 2. numero 8.* & Molinæum *de vsuris. quæstione* 50. *numero* 352. & nonnullos alios Iurisperitos tenent Conrrad. Ioan. Medin. & Sotus proximè citati, & multi Thomistæ, & Iurisperiti, quos refert, & sequitur Felicianus 1. *de censibus. capite 7. numero 9.* & nos *dubio* 12. *difficul. illa* 1. Sicut autem dixi cum Sot. & Salone in præcedenti pacto; esse iniustum si pretium sit minus iusto, non verò vsurarium; ita dico in præsenti: & non loquitur consequenter Couarr. putans hoc esse vsurarium, illud verò non. Rectè autem ait Salon, vbi Bulla Pij V. recepta est, pactum hoc non licere; secus vbi recepta non est.

Ioan. de Salas.

DVBIVM XXXVI.

An licitum sit pactum, vt censuarius in re censita feneſtram non aperiat, vel apertam claudat?

REBELLVS 2. *p. de oblig. lib.* 10. *q.* 7. *n.* 2. ait, etiam vbi Bulla Pij V. recepta est, apponi posse pacta, quæ expresè non prohibentur, si de re illicita non sint, etiamsi debita non sint ex natura cõtractus, sed extra naturam ipsius, dummodo tantum in pretio augeatur, quanti ea venditoris obligatio, ac onus æstimabitur. Nam si reliqua omnia non expressa, quæ sunt extra naturam contractus, irritare intenderet, non tam longam pactorum prohibitionem exprimeret; vnde prædictum pactum, cuius meminit Sotus 6. *iust. q.* 5 *art.* 3 *ratione* 2. & Palac. *de contractib. lib* 4. *c.* 7. licitum putat aucto pretio pro grauitate indebita illius oneris. Ita docet Sotus ibi. *Num. 1.*

DVBIVM XXXVII.

Vtrùm licitum in censu sit fideiussores exigere?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans non licere proponitur.*

2 *Supponitur ad declarationem secundæ opinionis licitum esse fideiubere.*

3 *Licitum est pro fideiussione pretium accipere.*

Digitized by Google

4 *Licitum est in contractu census de nouo constituti exigere fideiussorem.*

5 *An emptor census possit aliquid à fideiussore accipere, vt eum à fideiussione eximat?*

6 *Ad contraria argumenta fit satis.*

Num. 1. IODOVICVS Lopez 1. *Instruct. negotian. c. 57.* ponit primò nō licere in censu fideiussores exigere, vt re censita pereunte possit ad illos recurri. Probat auctoritate Nauarri *Comm. de vsuris. n. 83.* & ratione, primò, quia periculum rei venditę non debet esse penes venditorem, sed penes emptorem, eo quòd res domino suo perit, vt habetur toto titulo *ff. & C. de periculo, & commodo rei venditæ.* sed cēsus est res vendita: ergo periculum eius debet esse penes emptorem; & sic non debet fideiussores dare venditor. Idem tenet Vega *in Sum. & Epito. verb. census. casu 4.* Secundò, quia aliud est venditorem teneri de euictione rei venditæ, quod est iustum, & petit natura contractus, toto titulo *de euictio. ff. & C. & c. fin. de empt.* aliud verò teneri venditorem ad securitatem rei vēditæ, quod repugnat naturæ vēditionis: ergo non tenetur dare fideiussores ad securitatem census venditi, nisi alio contractu assecurationis, & alio pretio id fiat. Dicit secundò, cēsitorem posse à censuario exigere fideiussores pro securitate pensionis, & rei censitæ, vt si tanquam aliena ab alio euincatur, vel aliis cēsibus subiecta sit, ipse maneat indemnis, censu super alia re propria venditoris, & idonea sibi constituto, vel pretio cēsus restituto cū omni damno emergente, & lucro cessante. Quod verū est, & postea ostendetur. Tertiò dicit, vbi possessio, & pensio est secura, illicitum esse fideiussores exigere.

SECVNDA opinio ait, quādo nullum morale periculum est, quòd res censita pereat, vel infructuosa reddatur, vel euincatur, vel quòd pensio non soluetur à venditore, iniquum est fideiussores exigere, secus quando fuerit horū morale aliquod periculum. Ita Salon 2. 2. *art. 3. controuersia* 14. quia si sit tale periculum, sunt necessarij fideiussores, aliàs verò non.

PRO declaratione suppono licitū esse fideiubere. Hoc difficultatē habet, quia Prouerb. 20. dicitur, *Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Eandem sententiam repetit Sapiens c. 27. & c. 22. *Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.* vbi noua editio Tigurina secundùm Ioan. Baptist. *de vsuris. Comment. 3. §. in. 20.* habet, *Ne sis inter eos, qui stipulata manu fideiubent, & pro debito obstringunt: cur enim committeres, vt si soluendo non esses, lectus tuus sub te auferretur?* & c. 17. *Stultus homo plaudit manibus suis, cùm spoponderit pro amico suo*; secundùm vulgatam editionem. Tigurina verò sic habet, *qui stipulata manu pro proximo fideiussor spondet, imprudens est.* & c. 11. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo; qui autem cauet laqueos, securus erit.* Sed puto cum Gaspare Roder. 2. *de redit. ib. q. 12. n. 2. & 3.* Salomonē his locis solùm damnare frequentē & inconsultam fideiussionem, qua illaqueantur homines debitis alienis cum magna sua, & suæ familiæ in

Num. 2.

incõmoditate ; interdum etiam spirituali: solet enim esse semen & occasio multarum litium, & dissidiorum ac peccatorum. Quod indicant verba eiusdem Salomonis eodẽ lib. 6. & vetus Prouerbium. *Sponde, noxa præsto est.* Et hæc est vna de causis propter quas prohibetur dotium fideiussio. *l. 1. C. ne fideiuss. dotium.* cùm enim frequentia matrimoniorum, & dotium sit necessaria, si fideiussores interponerentur, breui omnes ciues fideiussionibus propriis, vel hæreditariis essent implicati, & lites multiplicarentur. Sunt etiam aliæ bonæ rationes apud Oros. *l. ius publicum, de pactis.* Alciat. *lib. 4. pareg. c. 26. & in c. cùm contingat. n. 108. de iureiurando.* Couarr. *c. quanuis pactum. p. 2. §. 2. de pactis. in 6.* Guttierr. *de iuram. confir. p. 1. c. 21.* Ob facilitatem etiam prohibetur fideiussio in minore. *C. si aduersùs fideiussionem.* & in muliere; quæ est ratio Senatusconsulti, vt dicit Roderic. suprà, *q. 5.* & pulchrè lex distinguit imbecillitatem sexus à vera liberalitate, & debito pietatis officio, vt cùm mulier fideiubet pro patre in necessitate constituto: quo casu cessat Velleianum. *l. si pro aliquo. in fine. ff. ad Velleianum.* Est etiam flagitiosa fideiussio, quæ fit in perniciem debitoris, vt filiifamilias vel adolescentis nequiter, aut inutiliter consumpturi quod ad creditum emit. Quo casu & credentes, & fideiubentes pro modo culpæ, vel collusionis puniendos ait Roderic. *illa q. 12. num. 5.* Præter hos casus fideiussio honesta, & pia, & sæpe necessaria, & obligatoria est. Sic Paulus pro Onesimo seruo apud Philemonem dominum suum fideiussit. & Eccles. 29. *Vir bonus fideiubet pro proximo suo: at homo imprudens patitur fideiussorem excuti & luere.* & ibidem. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.* Quod refert glos. *2. l. 1. tit. 12. partit. 5.* & ibi per (*animam*) intelligit bona, glos. *in l. aduocati. C. de aduocatis diuersorum Iudicum.* & aliquando hominem nisi fideiubeat peccare docet Roderic. 3 *n. 6.* Archidia. per tex. ibi. *cap. sicut. 11. quæst. 1.* Auilles *c. 23. pratorum.* glos. *ver. de ord. n. 9.* Vnde iuramentum de non fideiubendo, generatim, vel in casu quo obligat charitas, est nullum. Pan. *c. si verò. num. 5.* vbi Additio, de iureiurando. Sforcia Oddi *tract. de restit. p. 1. quæst. 54. art. 2. n. 4.* Sic peccat homo si generatim voueat, vel iuret non mutuò dare.

Sæpe autem non tenetur homo ad fideiubendum gratis, & potest licitè aliquid pretio æstimabile pro fideiussione, quæ obligatio est pretio æstimabilis, accipere, vt tenent Angel. *verb. fideiussio. in fine.* Lauren. de Rodulphis *tract. de vsuris. parte 3. quæstione 3.* Antonin. Ioan. Medina, Conradus & Caietanus, quos refert Couarruuias *3. Variar. capite 2. numero 6.* Idem tenet Decius *consil. 7. numero 1.* Bartholus, Paulus, & alij. *leg. hoc iure. §. Labeo. ff. de donat.* Vbi tex. dicit, non esse donationem, sed mercedem officij, si dedisti, vt pro te satisdarem. Colligitur ex *l. si remunerandi. §. Maurus*, aliàs *Marius Paulus.* & *leg. Antiqua. Codic. ad Velleianum.* vbi mulier, quæ pro fideiussione pretium accepit, non iuuatur Velleiano. & *l. 3. titulo 12. partita 5. ibi. la quinta razones, si la muger recibiese pretio por la fiaduria que ficiese.*

Digitized by Google

vbi id tenet Grego. Lopez *glos.* 4. Sot. *6. iust. quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. *arg. versi. quapropter placet mihi.* Auendan. *de exeq. mand. p.* 2. *cap.* 12. *versic. & videtur.* vbi dicit communem. Ioannes Baptista Lupus *de vsuris. Commentario* 3. §. 1. *num.* 19. Menesius *l.* 2. *C. de rescind. vend. num.* 27. Matienzus *l.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *nouæ collection.* glos. 8. *num. fin.* Nauarr. *in Sum. cap.* 17. *num.* 285. Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *Sum. cap.* 120. *num.* 4. Nauarr. etiam *consil.* 25. *de vsuris. num.* 4. *& Commentar. de vsuris. sup. cap. fin. eodem tit. num.* 7. Anan. *eod. cap. fin. num.* 42. Ioannes Lup. *cap. per vestras. de don. inter virum,* &c. *notab.* 6. §. 9. *num.* 10. Petrus Nauarra *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 247. Sa *verb. fideiussio. num.* 1. Ioann. Medin. *quæst.* 4. *de vsur.* quæ est de vsura restituenda. §. *sequitur.* Anto. 2. *p. cap.* 7. §. 45. Cau. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 4. Vnde malè ab hac opinione, quam fatetur esse communem, declinat Gaspar Rodericus 2. *de reditibus. quæst.* 12. *num.* 8. dicens sustineri posse fideiussorem turpiter pro fideiussione exigere, & accipere, & condici posse per debitorem. Nam pro mutui officio nihil potest honestè exigi: ergo nec pro fideiussione, in qua minùs de suo præstat homo, minúsque officij impendit. Confirmat: quia recepta fides dicitur, si fideiussor emit bona debitoris. *l.* 1. *C. de dolo.* Pinel. *Rub. de rescin. vendit. par.* 2. *cap.* 1. *numero* 31. Ergo cùm non liceat aliquid de bonis eius emere, multò minùs pro fideiussione aliquid accipere. Alioqui aditus pateret vsuris; fœnerator enim nollet mutuare nisi per interpositam personam aliquid vltra sortem exigeret, quam pretio promisso, vel dato facilè mutuatarius reperiret, si pro fideiussione aliquid accipi posset. Vnde id non licere tenet Carolus Molinæus *quæst.* 31. *de vsuris.* idémque tenet Couarr. 3. *Variar. cap.* 2. *nu.* 6. *&* 7. quando in fideiussione nullum esset fideiussoris periculum. Sicut Molinæus *quæst.* 34. probare nititur posse creditorem à fideiussore aliquid accipere, vt eum liberet à fideiussoria obligatione, quoties dubia est exactio debitoris; alioqui si sit certa debitoris solutio, nec vllum immineat fideiussori periculum, minimè licet creditori aliquid vltra sortem à fideiussore accipere in pretium liberationis. Concedit tamen Gaspar Rodericus pro obligatione ad fideiubendum, sicut & ad mutuandum aliquid exigi posse, vt docet Medina *libro* 1. *Summa. capite* 14. §. 23. quia istæ obligationes sunt petio æstimabiles; & ideo si pro mutuo vltra sortem in pactum deducantur, vsura erit, vt *tractatu de vsuris* diximus. Sed cur non erit pretio æstimabilis ipsa fideiussio, quæ est obligatio soluendi pro alio? & cur non poterit pro ea aliquid accipi? Et cùm communiter sit periculum in fideiussione, etiam secundùm Couarruuiam erit communiter licitum pro ea aliquid accipere: nec verum est quod ait Conrad. *tractatu* 2. *de contractibus. quæst.* 40. *con.* 4. *& quæst.* 46. *ante* 4. *con. casu* 14. fideiubere esse velut mutuare, & ideo sicut pro mutuo nihil potest accipi, sed pro damno, vel periculo si quod incurrat mutuans, ita pro fideiussione, vel officio fideiubendi nihil posse accipi, sed pro damno, vel periculo fideiubentis. Quod etiam videtur dicere Gaspar *libro* 2. *de reditibus. quæst.* 12. *num.* 12. *& n.* 14. *in princip.* licèt

Digitized by Google

cèt postea videatur dicere etiam pro officio fideiubendi, seu pro fideiussione ipsa posse accipi aliquid, quando est periculosa, vt post Couuarru. & Strachum, ait dixisse Ioann. Baptistam Lupum *Comment. 3. de vsuris. §. 1. numero 20.* pro quo etiam adducit Palac. Rub. *capite per vestras. de dona. inter virum. vers. ampliari potest iste tex. numero 11.* & Baëzam, *de inope debitore. capite 5. numero 25. & sequentibus.* quanuis non probet Gaspar quod Baëza ibi ait *numero* 28. licere fideiussori pecuniam accipere pro fideiussione, quando debitor multùm lucratur ex contractu. Sed Sa ait pro fideiussione etiam non periculosa posse aliquid accipi. Malè autem glos. *l. hoc iure. §. Labeo. ff. de donatio. verb. fueris.* videtur probabile censere non valere pactum, dabo tibi 10. si pro me fideiusseris: nam illa obligatio, saltem quando est periculosa (vt communiter est) est pretio æstimabilis. ergo induci pro pretio dato, vel promisso potest.

Num. 1. Hoc supposito, ad propositum dubium respondeo, licitum esse in contractu census de nouo constituti exigere fideiussorem, sicut in qualibet obligatione. *l. 1. & sequentib. ff. de fideiussor. l. 5. titulo 12. partita 5.* vbi Gregorius Lopez *in glossa, se puede obligar.* & in specie tradit Felicianus *1. de censib. cap. 4. n. numero 3. & sequentibus.* & consuetudine receptum, & in foro exteriori licitum fatetur Brunorus à Sole *quæstione 3. num. 12.* licèt ipse hunc contractum censeat non esse tutum in conscientia: quod etiam docuit Calcan. *consilio 84.* quia si contractui census accedat fideiussor, videtur creditor nolle suscipere periculum, sed quòd semper saltem sit capitale. Quæ ratio nulla est, cùm censuarius nunquam teneatur reddere capitale, & si fideiussio non sit pro capitali, sed pro pensione. Vnde quòd licitùm sit in censu fideiussorem exigere, conueniunt Salon & Ludouicus Lopez ẽ. Sa *verb. census. numero 4.* Rebellus *de obligatione. part. 2. lib. 10. quæst. 7. num. 2.* vbi ait, licitum esse emptori petere, & in pactum deducere, vt dentur ei fideiussores, tũ vt si res censita tanquam aliena ab alio euincatur, interesse ipsi soluatur. Quamuis remotis assecuratoribus, & fideiusoribus censuarius ad totum interesse censitori tenebitur, si scienter in re aliena censum vendidit, per *l. hominis. ff. de euictio.* non secus ac venditor prædij subiecti seruituti, emptori ad interesse tenebitur, si vitium sciebat, aut ex actione quanti minoris, si id ignorabat, per *l. Iulianus. ff. de actio. empti.* & Nauar. *Commentario de vsuris. numero* 118. Addit Rebellus cum Nauarro *numero* 119. vbi primùm censitor sciret, rem esse alienam, mortaliter peccaturum, si pensionem ex ea reciperet, receptámque in partem pretij debere computare. Quod intelligit nisi ratione lucri cessantis, & damni emergentis à fraudulento & iniusto emptore exigi posset.

Et quanuis Rebellus hoc pactum de præstandis fideiusoribus inter pacta ea numeret, quæ non nisi aucto census pretio fieri possunt, tamen vsus, & consuetudo est, vt sine augmento pretij fiat, quia ex natura rei ius habet emptor ad suam indemnitatem per fideiussores, & alia conuenientia media habendam.

Digitized by Google

Sed bene addit Rebellus, & ante illum Sa s̄. etiam vbi recepta est Bulla Pij V. fideiussorem exigi posse. In qua re distinguit Nauarr. *consid. 9. de censib. num. 3. & vlt.* dicens non obstante Bulla Pij V. posse dari fideiussorem à venditore reditus, quòd potuit vendere illum, & quòd est bene impositus, sed non pro soluendo reditu, quia datio fideiussoris de soluendo reditu videtur grauamē venditori impositum à Pio V. prohibitum. Sed meritò hoc vltimum impugnat Felician. 1. *de censib. cap. 4. num. 5. in fin.* & Petrus Surdus *consil.* 318. *n.* 6. *lib. 3.* quos videtur probare Gaspar Roderic. 2. *de reditib. quæst.* 12. *num.* 9. quia quanuis contractus censualis stante illo motu proprio sit realis, admittitur tamen personalis obligatio in consequentiam realis; & ita etiam admitti potest, vt accessoria, fideiussoris obligatio.

Imo, quanuis Ludouic. Lopez initio relatus teneat non posse exigi fideiussorem, qui se obliget ad soluendam pensionem, etiam pereunte re censita; tamen meritò Salon ibidem relatus tenet oppositum in nostris censibus; nam in illis re censita pereunte non perit census, sed persona venditoris manet obligata ad solutionem pensionis, vt *dubio* 33. patebit: ergo etiam fideiussor exigi potest, qui ad idem obligetur.

Et quanuis Salon doceat pereunte re censita, si alia bona maneāt creditori, non posse recurri ad fideiussorem, secus si nulla maneant; tamen hoc nec est in vsu, nec habet fundamentum, nam fideiussor se obligat ad solutionem pēsionis, quoties venditor vel nolit, vel nequeat soluere: ergo licèt venditor possit soluere, si tamen nolit, potest recurri ad fideiussorem.

Sed quæres, an emptor census possit aliquid à fideiussore accipere, vt eū à fideiussione eximat? Respondet Gaspar Rodericus 2. *de censibus quæst.* 12. *num.* 16. *&* 17. *& lib.* 3. *quæst.* 5. posse, si fideiussori ex fideiussione imminet aliquod periculum. Consonat Saloni, Couar. & aliis superiùs citatatis, tenentibus fideiussorem, quando periculum ipsi non imminet, nihil pro fideiussione à venditore census accipere posse, quia non videtur tunc pretio æstimabilis; ergo eadem ratione quando periculosum emptori non est carere tali fideiussore; quia facilè poterit debitum à venditore exigere, nihil potest à fideiussore exigere, vt illum liberet à fideiussione, quæ ipsi fideiussori non est periculosa. Sed tenēdo cum Sa, & aliis, pro fideiussione omni etiam non periculosa (si quæ est) posse pretium recipi; dicendum similiter est posse recipi ab emptore census pro liberando fideiussore ab ipsa fideiussione *Num. 5.*

Certvm autē est, creditorē postquam fideiussorem liberaliter à fideiussione exemit, posse aliquid accipere à fideiussore obligato solùm antidoraliter, & ex gratitudine; vt etiam potest debitor, teste Gasparo Roderico 1 *de reditib. quæst.* 1. *num.* 23. *& lib.* 2. *q.* 12. *n.* 13. *& lib.* 3. *quæst.* 5. docet debitorem posse ex gratitudine dare aliquid creditori, maximè si functus iam sit officio suo.

Sed dubitat *illa quæst.* 12. *num.* 18. casu quo creditor iniustè aliquid acceperit pro eximendo fideiussore à sua obligatione, ad quem pertineat repetitio. Respondet, si debitoris interest, vt si fideiussorem tenebatur obligatione

gatione eximere infra certum tempus, quia contrà eum fideiussor habet regressum per *l. in duobus. §. fin. & l. fin. de iureiuran. & l. fideiussor. de pactis.* tunc ipse poterit repetere, & deducere creditori primùm in reliqua, deinde in sortem. *l. cùm & sortis. ff. de pignoratitia actione.* Si verò nihil interest debitoris, non poterit illud quod creditor iniustè accepit à fideiussore repetere. Nec etiam fideiussor, nisi priorem subire obligationem, tã respectu personæ suæ, quàm bonorum, quæ tunc habebat, vel æquiualentem dare cautionem, offerat. *arg. l. fin. in fine. ff. si certum petatur.* vel nisi redemptum sit à debitore, & plenè satisfactum creditori. Vnde putat hunc fideiussorem valentem iniustè acceptum à creditore statim repetere, si offerat creditori redimere sortem cum reliquis offerendo, & simul imputando id quod dedit, & petendo cessionem actionum & iurium contra debitorem, vt loco creditoris subrogetur, audiendum fore, & ad hoc posse compellere creditorem. Deinde *num.* 19. proponit contra hoc obiectionem ex *l. nulla. C. de solutionib.* & eam soluit.

Sed *num.* 25. quærit, an creditor census compelli possit fideiussorem altero æquè idoneo accepto liberare? Respondet negatiuè, quia creditor non tenetur debitorem mutare. *l. si mandato meo princip. vers. idem si negotia mea gerit. ff. mandati.* Sed limitat, si adsit iusta causa. Finge (inquit) in concursu creditorum decretum fuisse pecuniam sub fideiussore liberari: aliquis creditor conuenit cum Titio, vt pro ipso fideiuberet, retinendo pecuniam loco indemnitatis, postea inuento fideiussore æquè idoneo ipsum offert, & petit Titium liberari, vt sibi pecunia tradatur, nónne æquum erit eum apud quem Titius fideiussit, compelli ad liberandum Titium, vt isti creditori sua carenti pecunia consulatur? Hanc æquitatem secutus est Senatus Neapolitanus, teste Vincentio de Franch. *decisione 202.* & idem in reditu dici posset, si fideiussor accepta pecunia pro indemnitate intercessisset. Hæc Gaspar. Sed licèt in his, & similibus casibus possit Iudex saltem supremus fideiussorem inuito creditore mutare; non tamen priuata auctoritate id fieri potest.

A D argumenta Ludouici Lopez pro primo dicto, initio posita respondeo, in hac re non esse audiendum Nauarrum, nisi sermo sit de censu merè reali, qui perit re censita pereunte; census verò habens aliquid personalis, manet etiam re censita pereunte. *Num. 6.*

A D secundum argumentum ex prima ratione respondeo, rem venditam emptori perire; & ideo si census sic pereat, periturum emptori; tamen non perire re censita pereunte, quia venditor se, & fideiussorem obligauit ad soluendam pensionem, etiamsi res censita periret.

A D tertium ex secunda ratione respondeo, fatendo aliud esse teneri de euictione, aliud teneri ad soluendam pensionem: tamen etiam ad hoc secundum se & fideiussorem volentem obligare potuit, & in nostris censibus obligauit. In censibus autem constitutis iuxta formam Pij V. & vbi illa obligat, non licet fideiussores, vel alias assecurationes exigere, vt pensio soluatur etiam re censita pereunte, secus vt quandiu illa

Digitized by Google

illa manet, pensio soluatur, vt docet Toletus *lib.5.c.46.in fine.*

DVBIVM XXXVIII.

An fideiussor censuarij possit cum eo paciſci, vt censum intra certum tempus redimat, ipsúmque sic, vel alia via ab obligatione fideiussionis liberet?

SVMMARIVM.

1. *Licitum est huiusmodi pactum.*
2. *Quid Doctores circa praedictam doctrinam admoneant.*
3. *Iuxta varios casus varia traduntur.*
4. *Sex aduertenda.*

Num.1. RESPONDEO, huiusmodi pactum validè, & licitè fieri posse. Molinæus *de vsuris. q.29.& 30.n.250.* Emanuel Rodriguez *tract.de censibus.cond.6.dub.1.* Antonius Gomez *tract.de censibus.cap.3. cond.5.n.20.* Rebellus *de oblig. p.2.lib. 10.quæst.6.cond.6.* Vega *in Summa, & Epitome.verb.census.* Gaspar Rodericus *2.de reditib.q.13.num.13.19.25.29.* & alibi sæpe, ex *l.Lucius.ff.mandati.& l.si pro ea.Eodem.& l.14.tit.12.partita 5.* vbi indistinctè dicitur fideiussorem posse cum debitore conuenire, vt intra certum tempus eũ ab obligatione fideiussoria liberet. Et tradit Anto.Gomez *2.tomo Variarum.c.13.* & ita habetur in vsu inter pios & doctos. ergo est licitum. *arg. l.quis sit fugitiuus.§.apud Labeonem.de ædili.edicto.c.nisi essent viri prouidi. de præbendis.* Bald.*l.1.col.7.C.de his,qua pœna nomine.* Cœpola *de simulatione contract. in prin.col.3.& 8.* latè Tiraq. *de retract. lib.2.in fine.n.120.127.& 130.* Et sanè si hoc non admitteretur, non esset fauere, sed officere vẽditoribus qui non ita facilè fideiussores inuenirẽt. *arg. l.quòd si minor 25.§.non semper. ff.de minoribus.* & *l.si mulier tanquam. ff.ad Trebellianum.* & *l.ratas.6.Codice de rescindend.venditione.* nam officium fideiussoris illi esset valdè noxium, contra *l.sed si quis.ff.quemadmodum testamenta aperiãtur.l.videlicet.ff.ex quibus causis maiores.* & apertissimè *l.si seruus communis.§.idq; euidentius.ff.de furtis.* vbi potiùs toleratur principalem vltra rei suæ æstimationẽ damnificari, quàm aliis officium suum quod contrahentis, & non sui commodi causâ susceperunt, noxiũ esse. Vlteriùs facit tex.in *l.fin.ff.de contraria actione tutelæ.* vbi tutor habet actionẽ, vt exoneretur à tutela antequam soluat: ergo eodem modo fideiussor habebit actionem, vt eximatur ab obligatione antequã soluat, si ita conuenit cum debitore, aliàs non, vt ait Vega suprà.

Num.2. ADMONENT tamen Antonius Gomez *illo c.3.condi.5.n.21.* Emanuel, Rebell. & Vega suprà, & Gaspar Rodericus *lib.2.de reditib.q.13.n.19.& 20.& q.12.n.9.& 10.* & Felicianus *1. de censib.c.7.n.17.* hanc resolutionem non procedere, quando fraus interuenerit inter creditorẽ, & futurum fideiussorem, vt si inter eos conueniret, ne aliàs fideiuberet, quàm si venditor fideiussori obligaretur ad redimendum censum intra certum tempus: nam sic creditor vsuram pal

Digitized by Google

palliatâ & implicitam committeret, & contractus census esset nullus, & teneretur pensiones receptas in sortem computare, & tam ipse quàm fideiussor pro dolo & stellionatu puniédi esset, nisi re integra eos pœnituerit, & nihil nocumenti secutũ sit debitori, vt ait Anto. Gom. & Gaspar Roder. ex *l. 3. C. de his, qui sibi ascrib.* & ex *l. 1. C. de crimine stellionatus.* & notãt Doctores *in l. qui ea mente. ff. de furtis.* Et tale pactum est prohibitum & irritatum à Pio V. in Bulla de cẽsibus: ait enim semper venditori esse facultatem retinendi pretium, non obstantibus aliquibus pactis directè, vel indirectè talẽ facultatem auferentibus: sed tale pactum factum à creditore cum fideiussore, aufert vẽditori talem facultatem; ergo. Addit verò Gaspar *n. 20. si autem ex post facto colluscio superuenerit, non debet contractus ex eo solo annullari: sed aliter dolus puniendus erit, & omne damnum restituendum debitori.*

SECVNDO ait Anto. Gomez *n. 21.* resolutionem hanc non procedere quando fideiussor socius erat omnium bonorũ ipsius creditoris: nam tunc cùm ad eum spectet commodũ contractus, nõ valebit pactio inita cũ debitore, vt eũ liberet à fideiussione. Idem ait Gaspar *n. 21.* & addit, nõ solùm hoc esse verum, si tempore contractus fideiussor erat socius creditoris, sed etiam si postea cœpit esse: idémque ait *n. 22.* à fortiori esse dicendũ si creditori successerit etiã in parte, putà pro dimidia, vel tertia. Quando verò solùm fuit pactum de conseruando indemni fideiussore, non tenetur venditor censum redimere. Ita Anto. Gom. *illo num. 21.* & *Ioan. de Salas* Emanuel ẽ. *dub. 2.* cum Molinæo *de vsuris. q. 30. num. 249.* idem ait Gaspar Rodericus 2. *de reditib. quæst. 13. n. 18.*

SI obiicias, quòd sic fideiussor perpetuò manebit in obligatione: at qui diu est in obligatione, ex hoc solo potest petere se ab ea eximi, ex tex. *in l. Lucius. ff. mandat.* ergo multò magis, si pactio interueniat de conseruando eo indemni: cùm indemnis dici non possit qui obligationi subiectus manet. Respondet Anto. Gomez *illo n. 21.* quem imitatur Eman. *dub. illo 2.* dictã legem *Lucius.* procedere in obligatione, quæ momento contrahitur, & cùm debitor fuit in lõga mora (quæ autem sit ista longa mora, vide alium Anton. Gomez *tom. 2. Vari. c. 13. n. 10.*) at in censu obligatio est successiua, in qua nulla potest dari mora debitoris in redimendo censu, cùm ad hoc nõ teneatur debitor: & quòd lex *Lucius* non procedat in obligatione, quæ tractum habet successiuum; cum Bart. Alex. & communi in *leg. fuerit posse. ff. soluto matrimo.* resoluit Anto. Gomez *illo c. 13. nu. vltimo, & penult.* Solùm ergo ille venditor qui promisit indemnem seruaturum fideiussorem, tenetur ad hoc, & nõ ad liberandum eum ab obligatione fideiussionis, vt si quis fideiusserit pro conducente ad 20. annos, & stipuletur se indemnem seruari, vt resoluit Molinæus *illo n. 249.* Eandem doctrinam tradit Gaspar Rodericus *illa q. 13. n. 17.*

ADVERTIT etiam Emanuel *dub. illo 1.* fideiussorem debere concedere competens temporis spatium venditori, vt censum sine incõmodo possit redimere: ne fideiussio in eius

Digitized by Google

fauorem facta, in damnum eius vertatur contra principium à Iurisperitis receptum, & rationi consonum. *l. cùm commodati. §. sicut. versic. idem est ff. commodati.*

ADMONENT etiam Anto. Gomez *tract. de cens. c. 3. cond. 5. n. 22.* & Emanuel *cond. 6. dub. 3.* cùm fideiussor cui factum est pactum à creditore de redimendo censu, sortem soluit, & censum redimit, posse à creditore postulare vt sibi cedat ius suum ad hoc, vt possit reditus à debitore exigere: potest etiam debitorem ad solutionem sortis vrgere computatis in eam reditibus, si quos perceperit virtute cessionis; vt resoluit Molinæus *de vsur. q. 29. & 30. n. 245. & seqq.* Quod limitat Eman. cum Nauar. *Coment. de vsuris. n. 44. & seq.* & Medina *in Sum. c. 14. §. 26.* nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis pensiones illas retinere posset non computando eas in sortem. Idem docet Vega suprà. Idem ait Gaspar Roder. *2. de reditibus. q. 13. n. 23.* De qua re fusiùs tractat idem Rodericus 2. *de reditibus. q. 13. per totam.* vbi imprimis docet creditorem eius qui promisit fideiussori intra certum tempus eũ à fideiussione liberare, teneri cedere omnes suas actiones fideiussori id petenti, & soluenti sortem, vt probat *q. 16.* Deinde docet fideiussorem cui talis cessio facta est, non posse virtute illius cessionis recipere pensiones non computandas in sortem: nam ratione fideiussionis & creditorem compulit, vt cederet illi suas actiones, & ius habet cogendi venditorem ad redemptionem census: ergo non potest pensiones accipere non computandas in sortem, quia vsura est sic pensiones recipere, & capitale posse repetere; & ideme sset de altero, in quem ipse sua iura & actiones transferret. Vnde illi non omnino habent iura creditoris, quia creditor poterat recipere pensiones non computandas in sortem: illi verò non. Et confirmatur, quia actio principalis & fideiussoria sunt incompatibiles: vnde aduenientе principali fideiussoria extinguitur. *l. si reus promittendi. ff. de duobus reis. l. hæres. §. seruo. & sequenti. ff. de fideiusso.* & nominatim, quando fideiussor creditori succedit, vel creditor efficitur; probat tex. *in d. l. hæres. §. quòd stipulator. versq. quòd si idem.* Ergo cùm illi fideiussoriam actionem retineant, non habent actionem principalem creditoris ad recipiendas pensiones non computandas in sortem.

AIT etiam *n. 23.* ratione lucri cessantis, vel damni emergẽtis ex mora culpabili, pensiones posse retineri non computatas in sortem: imò etiã si mora non fuisset culpabilis, si vẽditor fideiussori promisit seruare indemnem, possunt sic pensiones retineri ratione lucri cessantis, & damni emergentis; nam cessatio lucri damnum quoddam est. Sed per se loquendo fideiussor ille, & quicũque succedens in eius iure, non potest non computare pensiones in sortẽ, quia obligatio ad sic dandas pensiones extincta fuit, & obligatio semel extincta non reuiuiscit. *lege qui res. §. aream. de solution. lege inter stipulantem. §. sacram. de verb. oblig.* Secus, inquit Rodericus *illa q. 13. n. 9. & 10.* si non proprio, sed nomine alieno sine fraude emisset fideiussor: item secus si reditus ab eo ex causa vetustiore sine fraude, & collusio

Digitized by Google

lusione euinceretur, ita quòd confusiones medij temporis retrò restituendæ essent, vt *in l.2.§.fin.de hared.vend.l. Papinianus.de seruit.l.debitor ad Trebellian.* Tertiò limitat, si fideiussor succedat creditori per redemptionem: si enim redemerit, aut alio titulo oneroso reditum acquisierit, poterit eligere, an malit reditum percipere, quo casu cessabit fideiussoria obligatio; an verò malit cogere ad redimendum, & pretium recuperare, quo casu debet amittere omne commodum reditus, & siquid receiperit deducere, vt dicit Gaspar Roder. *illa q.13.n.23.* & suprà ex eodem, & Eman. Vega, & aliis adduximus.

Num.3. Posset etiam fideiussor ex sorte à se soluta creditori emere censum à debitore, si ipse vellet vendere illum, quia, vt superiùs vidimus, ex pecunia, quomodocumque antea debita potest census constitui.

Posset autem ab initio designare, & limitare tempus, quo obligetur ad soluendum pro debitore, vt docet Gaspar *illa q.13.n.25. arg.l.tutori.C.de negotiis gest.ibi. Satis, abundéque sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur.* Et addit Gaspar, solere Senatum Regium Vallisoletanum quandoque debitori, qui suo fideiussori reditum redimere promisit, tempus redimendi prorogare ad triennium, vel quadriennium, quod ea æquitate factum existimat, qua rescripta moratoria à Rege concedi solent, vt docet *lib.3. quæst. 9.n.16.*

Aliv m ponit casum *q. illa 13. n. 16.* in quo is qui se obligauit ad soluendum censum pro alio, debet liberari ab ea obligatione, vt si tutor, vel curator non habens satis pecuniæ ad redimendum fundum paternum minoris censum vendat, & se proprio nomine obliget, & promittat, quòd minor maior factus cēsum ratificabit, exonerari debet etiam antequam soluat, vel redimat, ex *l. finali de contraria, vel vtili actione tutelæ. n.* autem 27. docet duos posse conuenire, vt quisque censum æqualem alicui vendat, & mutuò se obligent, & sint fideiussores vnus pro alio, & quòd quisque altero petente teneatur intra certum tempus censum redimere. *n.* autem 28. docet non posse creditorem pacisci cum venditore, vt censum redimat intra certum tempus, vt dixerat *lib.1.q.4. & 18. & lib.2.q.3.* cum Couar. *3. Variar.c.9.n.4.* Sed *dub.* 25. vidimus aliquando pactum redimendi positum in fauorē emptoris licitum esse, & *dub.15.* reiecimus quod eodem *n.28.* cum Nauar. *Comment.de vsuris.n.113.* ait, eum qui censum vendit, non posse dare partem pretij alteri cum obligatione soluendi partem census emptori. *n.* autem 29. ait, quod dictum est valere pactum, quo venditor reditus promittit fideiussorem suū ab obligatione eximere, aut reditum redimere, intelligendum esse, nisi principalis contractus inualidus sit, quia tunc prædictum velut accessorium, nullum etiam erit, nec ex eo agi poterit. *l. cùm principalis. ff. de regu. iur.* imò si fideiussor soluit sponte reditus huiusmodi, non repetet à principali, cùm soluerit indebitum, & potuerit se exceptione tueri. *l. constitutionibus. C. de vsur.* vbi notant Bald. & alij. Nullitatis enim aut vsuræ exceptio principali competens similiter competit eius fideiussori.

Digitized by Google

De quo, & an fideiussor vsuras soluens possit eas repetere à principali, aut à creditore cui fuerint solutæ, vide Ananiam *capite 1. de vsuris. numero 4.* qui distinguit post Baldum & alios, quos refert. Hæc Gaspar.

PONIT Gaspar *eadem quæstione 13. numero 30.* alium casum, in quo fideiussor possit compellere venditorem ad redimendum censum, si post fideiussionem debitor bona dissipauit. *dicta l. Lucius. ff. mandati. l. 14. titulo 12. partita 5. versicul. la quinta.* & si duo sũt debitores, & vnus bona dissipet, contra vtrumque agit fideiussor, vt redimendo eum eximant. Ita Alberic. quem sequitur Gregorius Lopez *dicta l. 14. gloss. fin.* Addit Gaspar alium casum. Quando fideiussor fuit exactus à creditore reditus, & soluit ipsius pensiones, quia tunc poterit non solùm quod soluit exigere, sed etiam debitorem ad redimendum compellere. *d. l. Lucius. & d. l. 14.* ita ait se iudicatum vidisse in Regia Cancellaria Vallisoletana. Sed contrarium in iure verius existimat, quia fideiussor hoc onus scienter suscepit, & se obligauit ad soluendas pensiones, & pro his quas soluit, aut cœpit soluere, actionem habet contra censuarium, non verò vt censum redimat. Nec obstant iura relata; quia non loquuntur in debitis habentibus tractum successiuum, sed in his quæ vna solutione tolluntur: & certè si admittamus, fideiussorem, qui pensionem vnius anni exactus soluit, posse compellere debitorem ad redimendum, facilè subuertetur censualis materia, & aperietur via fraudibus, & vsuris: fœneratores enim non ement reditum absque fideiussore, quem conueniendo efficient, vt reditus redimatur; hócque desiderabit fideiussor, vt fideiussionis onus excutiat. Ita Gaspar. Sed existimo auditores Pinçianos rectè iudicasse, quia licèt fideiussor ex vi contractus non possit compellere debitorem ad redimendum, cùm de hoc pactum non fecerit, tamen iura illa apertè disponunt, vt si fideiussor aliquid soluit pro debitore, vel ad id soluendum damnatus fuit, possit petere in iudicio, vt à fideiussione eximatur.

ILLVD etiam quod dicebat Gaspar, fideiussionem accedentem contractui inualido inualidam esse, difficultatem habet; sic enim si quis fideiussit in contractu minoris, qui non potest se obligare, non tenebitur pro minori soluere: quod videtur falsum. Sed respondeo primò cum Sa *verb. fideiussio. numero 6.* concedendo eam fideiussionẽ esse inualidam, licèt dicat alios sentire oppositum. Possemus etiam dicere, contractum minoris licèt non pariat obligationem ciuilem; parere tamen naturalem, & idem esse de fideiussione illa.

VEL dupliciter aliquem posse pro minori fideiubere: primò, volendo se obligare si ille, & quandiu ille fuerit obligatus, & hoc modo non valere: secundò, volendo se obligare etiamsi ille non sit obligatus, & sic valere: in dubio autem de hac, vel illa intentione, non tenetur, quia in dubiis melior est conditio suam libertatem possidentis.

ADVERTENDA hîc demum sunt aliqua. Primum: pro fideiussione Prælati non tenetur successor; non enim est hæres. Sa *verb. fideiussio. n. 2.* *Num. 4.*

Secun

Secundum: debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fideiussori, de quo Sa *ibi. num. 3. & verb. culpa.* Tertium: fideiussor simpliciter non tenetur ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ex eo quòd debitor non soluerit, nec ad debiti augmentum. Sa *ibi. n.* 4. Quartum: fideiussor vsque ad certum tempus debiti soluendi, si id à creditore debitori prorogetur, non tenetur illi postea, nisi de nouo consentiat. Sa *ibid. n. 6.* Quintum: fideiussio eius, qui est sub alterius potestate, communiter non valet. Nec clericus, nisi in necessitate, debet pro laico fideiubere. Sa *n. 7.* Sextum: promittens aliquem præsentare, si is ob crimen capitale postea commissum sine illius culpa lata fugiat, non tenetur.

DVBIVM XXXIX.

Vtrùm pro securitate census liceat in pactum deducere, vt censuarius generali hypotheca, & obligatione obliget omnia sua bona mobilia & immobilia?

SVMMARIVM.

1 *Quid dicant auctores.*
2 *Quomodo vbi Bulla Pij V. omnino recepta est non valeret huiusmodi contractus.*
3 *Super qua bona constitui possit census vbi motus proprius Pij receptus non est; & respondetur ad argumenta aduersariorum.*
4 *An liceat emptori obligare venditorem census, vt intra limitatum tempus det aliam specialem hypothecam, vel censum redimat?*
5 *Quid de censibus Gallia iuxta clausulam dicendum sit. vbi alia traduntur.*
6 *An qui constituit census super omnibus, & singulis bonis censeatur specialiter hypothecare omnia?*
7 *An creditor ex vi huius clausula possit apprehendere possessionem bonorum creditoris?*
8 *An venditor cedendo fundum reditui hypothecatum liberetur?*
9 *Multa alia de his hypothecis dicuntur, & quaritur.*
10 *An quando hypotheca diuiditur in plures hæredes, vel successores, possit tota pensio exigi à singulis?*
11 *Alij dubio occurrenti fit satis.*
12 *Iuxta doctrinam traditam quædam aduertenda.*

LVDOVICVS Lopez *1. Instructo. negoti. c. 57.* hypothecam generalē ait quatuor de causis exigi posse. Primò, vt etiam re censita pereunte emptor census ad bona generaliter hypothecata conuertere se possit, & ab illis pensiones exigere; & sic censet cum Nauar. *Commentario de vsuris. numero 83.* eisdem rationibus, quibus *dub. 37. in princip.* relatus, probare nitebatur, non posse fideiussorem exigi, vt etiam pereunte re censita obligatus maneat ad soluēdam pro debitore pensionem. Fatetur tamen exigi posse pignora seu hypothecas, & bona generaliter obligata, vt si venditor census sit impotēs ab soluēdum, vel sit in mora, possit emptor ad illa bona se cōuertere: & vt si res censita euincatur, vel aliis oneribus grauata inueniatur, ipse securus & indemnis maneat. Limitat tamē, vt si possessio, & pēsio sit secura, illicitū sit fideiussores exigere, vel alia bona obligare. Num. 1.

Digitized by Google

Huic auctori consonant alij. Nam Ioann. Baptista Corradus *in Summa. quæst. 239.* & Miranda *in Summa Concilorum*, post extrauagantes Martini V. & Calixti III. docent, si præter rem censui subiectam cætera bona obligentur, contractum esse vsurarium, quia saluum manet capitale, & aliquid ampliùs, cùm non pereat census re pereunte, vt Pontifices præfati præcepêre, & natura censualis contractus postulat.

REBELLVS etiam *2.p. de oblig. lib. 10. quæst. 7. num. 2.* ait contractum census esse irritum, vbi recepta est Bulla Pij V. si super bonis vniuersaliter creetur, nulla designata re, vt etiam dixerat *quæst. 6. cond. 1.* Imò etiamsi simul & super re certa designata, & super aliis bonis censuarij minimè designatis creetur, iuxta Nauar. *Comment. de vsuris. n. 86. & 130.* eo quòd vt minimùm talis contractus sit contra formam præscriptam à Pio V. irritante omnes census sub alia forma in posterum creandos; qua ratione etiam docet, omnes contractus mixtos ex realibus, & personalibus esse simpliciter irritos, vt si pactum fiat, quòd re pereunte maneat persona obligata: & *num. 3.* ait, iure naturæ requiri, vt census super re immobili creetur, & censum personalem iure naturæ esse illicitum, vt *quæst. 3.* dixerat, & consequenter de iure naturæ esse, vt re pereunte, vel infructuosa reddita pereat similiter census, & non in personalem transeat, vt *quæst. 6. cond. 3.* explicuerat, & quòd possessio fructus æquales pensioni reddat, vt *cond. 1.* dixerat. Similiter Vega *in Summa, & Epito. verb. census. casu 4.* putat illicitum esse exigere fideiussores, aut pignora, vt etiam pereunte re censita pensiones soluantur.

Dico tamen primò: vbi Bulla Pij V. de censibus omnino recepta est, non valeret contractus, si reditus super incertis bonis constitueretur, vel super vna re immobili, fructifera designata, & super omnibus aliis bonis non designatis. Ita tenet Nauar. *Comment. de vsuris. num. 86.* Franciscus Viuius *decisio. 369.* Gaspar Rodericus *2. de reditib. quæst. 7. num. 13.* Eman. *tract. de censib. cond. 2.* Num. 2.

PROBATVR, quia Bulla statuit nullo modo censum constitui posse, nisi in re immobili fructifera & quæ nominatim certis finibus designata sit: ergo non potest generaliter super omnibus bonis, vel super omnibus aliis bonis constitui. Quod intelligo, ita vt ab illis pendeat, bene tamen ad securitatem solutionis, dum res specialiter hypothecata manet, voluit enim Pontifex supponi censui quandam rem immobilem, qua pereunte pereat census, vt emptor periculo se exponat, non tamen prohibuit generalem aliorum bonorum hypothecam, quæ dum res illa maneret essent obligata ad solutionem pensionis, & non aliter: & sic Sa *verb. census. num. 4.* ait; *non prohibet Bulla dare fideiussorem, aut hypothecam etiam omnium bonorum ad securitatem venditionis, & solutionis.*

Dico secundò: vbi motus proprius Pij V. receptus non est, constitui census potest super omnibus bonis præsentibus, & futuris nullo designato, vel vno aut altero designato, aliis verò non. Ita Ioannes Medina, Sotus, Conrradus, & Couarruu. relati à Ioanne Baptista *de vsuris. Comment. 2. §. 2. num. 63.* Ma- Num. 3.

tienaus

tienzus *l.1.tit.15.glos.n.5.lib.5.noua collect.*& post Laurētium de Rodulphis hanc sententiam tenuit Redoanus *de rebus Eccles. non alienan. in Rubrica de constitutione census.n.43.* Thesaurus *decisione 154.num.3.* Francus *decisio. 154.num.4.* Andreas Gail *lib.2.obseruationum, obser.7.num.13.* vbi generali passim consuetudine hanc opinionem receptam dicit, Francis. Milanensis *desicio.1.Sicilia.num.91.p.2.* Tiber. Decian. *consil.2.num.72.lib.1.* Gaspar Rodericus *2.de reditib.quæst.7.n13.* dicēs ita fuisse iudicatū in Senatu Regio Gallæco, Salon 2.2. *disp. de censib.art.3.controuer.14.* Sa *verb.census.n.4.* Palac. *4.de contract.c.6.* Vinsfeldius *cap.in ciuitate.de vsur.quæst.12.con.12.* Ratio est, quia nec iure naturæ, nec alio iure quàm Pij V. est prohibitus, nedum irritus: ergo valet, & licèt contractus census super omnibus bonis collocatus sit siue designata vna re immobili, siue non.

SI dicas cum Lupo s̄.& Cassaneo *consil. 63. ad 1.dub.* Castro *de annonis.in princ.n.36.* Brunoro à Sole *quæst. 4.per totam.* videri contractum illum prohibitum, & irritum per *extrauag. 1.& 2.de emp.& vend.ibi, super bonis suis, dominiis, oppidis & terris.* Contra hoc, quod etiam significat Ludouic. Lopez s̄. est, quod sæpe diximus, & notat Salon, in illis extrauag. approbari census habentes illas, & alias conditiones, sed non reprobari eos, qui illa, vel aliis ibi relatis carerent: & Gaspar Rod. ait ibi non dici, censum non posse imponi super generali hypotheca bonorum, nec quòd destructis & peremptis hypothecis super quibus fuit reditus constitutus, creditor non possit agere contra venditorem ad solutionem pensionis: sed quòd etiam peremptis hypothecis non liceat creditori pretium reditus repetere, ex quo potiùs colligit Felician. *1.de censib.cap. 4.num.13.* Couarruuias relatus à Matienzo, & Sotus *6.iusti.quæst.5.art.1.* & Gaspar Roder. & Palac. suprà; nam ibi supponi videtur, extinctis hypothecis manere reditum, nimirum quia persona manet obligata. Vnde *dub.3.* diximus, non obstante iure naturæ, vel illarum extrauagantium, censum purè personalem, vel mixtū ex personali, & reali esse omnino licitum; & *dub.30.* pereunte re, in qua census est constitutus, non perire semper censum, quia potest niti aliis bonis generaliter obligatis, & personæ directè obligatæ ad solutionem pensionis etiam pereuntibus rebus specialiter, vel generaliter obligatis. Itaque hypotheca saltem generalis non datur, vt ab illa pendeat census, sed vt securiorem reddat eius solutionem. Sic de hypotheca generali loquuntur Molina, & Læsius, aliique nonnulli ex iis, qui tenent pereunte speciali hypotheca perire censum: putant enim quandiu res illa manet manere obligatam personam, & cætera bona, siue sint hypothecata, siue non; ea verò perempta, seu extincta extingui etiam obligationem omnem personæ, vel aliorum bonorum. Per hæc patet ad fundamenta aduersariorum.

SED rogas an liceat emptori obligare venditorem census, vt intra quatuor annos. v.g. det aliam specialem hypothecam, vel censum redimat? Respondet Vega *in Summa.& Epito.casu 30.* non posse emptorem venditori tale onus imponere: quod *Num.4.*

verum

verũ est, si hypotheca erat sufficiẽs; nisi augendo pretium proportione huius oneris, vel, quod idem est, minuendo pensiones: & sæpe fiet animo vsurario, nempe cùm ideo id deducit in pactum, vt sortem cum lucro certo habeat, quia alius non inuenit aliam hypothecam, & ideo pretium reddet præter decursas pẽsiones; quod est mutuum implicitum cum lucro. Si autem poterit habere aliam hypothecam, erit iniustitia, nisi pretium pro oneris grauitate crescat. Ita tenet Salon *art. 3. de censibus. controuer. 14. con. 4.* cum Molinæo *de vsuris. q. 8. n. 431.* & Ludouico Lopez 3. Sed admonet Lopez, vbi seruatur Bulla Pij V. hoc pactum omnino esse illicitum, & irritum, etiamsi pretium augeatur, ideo teneri restituere pensiones illo tempore receptas.

Num 5. Rogas præterea, quid operetur hæc clausula in Gallię censibus apponi solita, qua venditor promittit hypothecas fore idoneas? Respondet Molinæus 3. quem sequitur Salon *controuersia citata.* si omnia bona sint hypothecata generaliter, vel quædam generaliter, & alia specialiter, ad nihil obligare ad quod ex natura huius contractus non teneretur venditor. Nec enim obligatur ad dandas alias hypothecas, nec ad redimendum censum, si omnia bona hypothecata perierint, quanuis si venditor emptorem deceperit, dicẽs rem hypothecatam esse suam, cùm sit aliena, vel esse liberam, cùm sit aliis oneribus grauata, possit emptor ab illo tanquam à doloso venditore exigere vel fideiussores, vel hypothecam optimam, vel vt censum redimat solutis omnibus decursis pẽsionibus, quia fraus & dolus nemini debent patrocinari in damnum alterius, qui bona fide ab eo emit censum. Si verò censum venditor constituit in limitato prædio, aut possessione, & non in omnibus bonis, operari illam clausulam duo. Primum, vt illa re pereunte non pereat census. Secundum, vt successor in illa re teneatur censum soluere, maximè admonitus de illo onere, quia nisi esset monitus tenebitur ad reditum illum venditor, aut saltem poterit successor quidquid ratione illius oneris persoluerit, à venditore, & eius hęredibus exigere.

Sed credo etiam in hoc secundo casu nihil operari nouum. Non primum; quia verba illa non sonant pereunte re illa censum permansurum: & absque eius additione id fieret, si venditor absolutè se obligauerit ad dandam annuam pensionem, & non limitatè, dum res illa maneret. Non secundum, quia nihil in illis verbis de successore dicitur, & etiam sine illa clausula tota illa ipsius & successoris admoniti, aut non admoniti esset obligatio.

De eadem clausula latissimè scribit Gaspar Rodericus 2. *de reditib. q. 7. per totam.* vbi ait quòd si initio debitor fuerit mentitus, dicens se esse soluendo, creditorémque deceperit, tenetur tanquam dolosus venditor in id, quod interest. *l. si de dote. in fine. ff. de iure dotium.* & sicut venditor nominis, vel hæreditatis tenetur, si scions actionem, vel hæreditatem inanem, tanquam bonam, & locupletem vendiderit, vel affirmauerit, & emptorem deceperit *l. hoc autem. l. nisi. de hæredit. vel actione vendita. l. 12. & 63. tit. 5. parti. 5.* & Grego. Lopez ibi.

Te

Tenetur etiam pignoratitia, vel crimine ſtellionatus, ſi res alienas, vel prioribus hypothecis extinctas hypothecauerit. *l. cum debitore. de pignoratitia actione*, & ſecundùm notata *C. de crimine ſtellionatus per totum.* Ad quæ omnia tenebitur, ſine illa clauſula. Non tamen tenebitur qui rem alienã cenſui ſuppoſuit, ipſa euicta ſortem reditus reſtituere, vt nec extinctis omnibus hypothecis, vt probat *extrauag. 1. & 2. de emp. & vend.* ſed agit creditor aduersùs debitorem, vt idoneas hypothecas ſubiiciat cẽſui. *arg. l. ſi hæres generaliter. de lega. 1. ibi, vt alium hominem præſtet: & l. qui autem. §. 1. ff. de conſt. pecun. ibi. vel in id, quod intereſt, vel, vt aliam perſonam non minùs idoneam fideiubentem præſtet.* tradit Petrus Belluga *in Speculo Principum. Rubr. 41. §. leges Reg. n. 12.* licèt contrarium ſcripſerit Sarmient. 7. *Selectar. c. 1. n. 30.*

At reditu ſemel bona fide reddito, & aſſignato, liberatus eſt debitor ab ipſa cõſtitutione, aſſignatione, & veluti noua traditione reditus, nec tenetur ob cauſas futuras; quia eorum periculum ſpectat ad emptorẽ. *l. neceſſariò. ff. de periculo, & commodo rei vendita.* Nec valeret pactum contrarium, vt colligitur ex Bulla Pij V. *de cenſib. verſ. conuentiones.* & alioqui pro eadẽ ſorte teneretur debitor, aut hęres eius pluries aſſignare reditum, ſubiiciẽdo nouas hypothecas, quod eſſet abſurdum, & eſſet indirectè cogere ad redemptionẽ, atque ſic non eſſet vera emptio reditus ex ſorte, ſed mutuũ ſortis cũ lucro, & vſura. Secus ſi debitor conſtitueret reditũ, nõ generaliter abſolutè, ſed limitatim ad fructus certi fũdi, de quo agit Pariſ. Modernus *in conſuetud. Pariſien. p. 1. §. 11. n. 15.* quia tũc dicta clauſula adiecta multùm operatur. Nam illa omiſſa ad nihil teneretur, perempto illo fũdo, aut facto ſterili, & inutili. Adiecta autẽ iſta clauſula teneretur ipſe & eius hæredes cẽſum ſoluere.

Et ſi reditus conſtitutus fuit ſuper re quæ non poſſet illũ comportare, deberet reditũ ſupplere ſuper alia re. *l. Lucius. ff. de alimen. & ciba. leg. faber. l. ſi quis argentum. in prin. C. de donat.* Guido Papa *q.* 8. & Caſſan. quem refert, & ſequitur Redoan. *Rub. de conſt. cenſus. n.* 41. Multùm autẽ operaretur hæc clauſula poſita à tertio ſingulari ſucceſſore certi fũdi ſingulariter hypothecati, qui recognitionẽ faceret, ſecundùm ea, quæ tradit prædictus Modernus ſuprà. §. 17. dummodo ex certa ſcientia animo augendæ obligationis adderetur, & hoc cõſtaret. Aliàs præſumitur per errorẽ appoſita, quia in neceſſitatibus nemo liberalis exiſtit. *l. rem legatam. ff. de adimẽdis legatis.* talis enim recognoſcẽs nõ præſumitur voluiſſe aliud facere, quàm id ad quod tenetur ex cõſuetudine, & ex natura priſtinæ obligationis. Puto autem certam ſcientiam ſatis probari ſi in eodem inſtrumento narretur, vel ſi aliunde conſtiterit recognoſcentem emiſſe hunc fundum, vt exoneraret & indemnes ſeruaret venditorem, & ſuos. Non tamen inducet hæc clauſula obligationem ſoluendi cenſum, ſi fundus ad alium tranſeat poſſeſſorem, ſed præſtandi hypothecam idoneam & ſufficientem. Hæc Gaſpar Rodericus, maiori ex parte cõſonans Molinæo, & Saloni ſuprà. Sed mihi non videtur improbabile ex vi illius clauſulæ teneri vẽditorẽ

Digitized by Google

bonæ fidei si non qualis oportet, cuaserit hypotheca, aliam saltem substituere, vel censum redimere. Id enim sonare illa verba videntur. Itē quādo census limitatè esset super re aliqua constitutus, credo illam clausulam operari, vt venditor substituere teneatur idoneam hypothecam, vt in tertio successore dixit Rodericus: cur enim venditor non poterit, si velit ad id se obligare? & cur emptor non poterit reddito sufficienti pretio id exigere? Non verò operatur clausula illa quòd re illa pereunte teneatur adhuc venditor pensionem soluere. Nam verba hoc nō sonant: ex aliis ergo verbis hæc obligatio colligenda erit, vt quia sine limitatione se obligauit ad soluendā pensionem, nulla verba adhibendo, quibus hæc obligatio pendere indicaretur ab existentia illius rei.

ALIAM clausulam in Regno Valentiæ vsitatam ponunt Salon *illa cōtro. 14.* & Belluga *in Speculo Principū. Rub. de censualibus. n. 12. de faciendo habere, licere, tenere, & possidere.* quā dicit Salon operari id quod in Gallia illa, quòd hypothecæ erunt idoneæ, & obligare ad faciendas hypothecas securas, & idoneas, vel redimendū censum. Vnde Iudices illius Regni re euicta non iubent absolutè, sed sub disiunctione, vel restitui, vel tradi aliam æquialētem in specialem hypothecam, iuxta *l. siquis. ff. de conditione causa dat. & cap. Ecclesia sanctæ Mariæ.* Secundò, vt lite pendente nihil innouetur; & ait Salon *ibi con. 3.* sine ista, vel alia simili causa teneri venditorem fraudulentū, qui censui subiecit rē alienam, vel aliis oneribus grauatam, ad resarciēda omnia damna, & interesse; non verò absolutè ad pretiū, & interesse: non enim tenetur absolutè ad pretium, licèt oppositum dixerit Belluga suprà, & Felician, 1. *de censib. c. 4. n. 12.*

SED quærit Gasp. Roder. 2. *de reditib. q. 7. n. 14.* an qui constituit censū super omnibus & singulis bonis, cēseatur specialiter hypothecare omnia? de qua quæstione ait videndam *l. si creditor. §. fin. ff. de distract. pign.* Bart. & relatos à Gomezio *l. 40. Tauri. n. 19. versic. superiorem.* Xuarez *l. post rem iudicatam. ad l. Regiam. limit. 1. n. 11.* & Franciscum Milanensem *decis. 1. n. 55. & seq. in 2. parte decis. Sicilia.* vbi latè, & optimè rē tractat, & dicit, quòd si reditus ponitur super omnibus bonis, bona sunt generaliter hypothecata; si autem super omnibus & singulis stabilibus, sunt specialiter hypothecata. Num. 6.

GASPAR *ibi. n. 15.* ponit aliā clausulā, qua debitor se diuestit ab omnibus suis, & inuestit creditorē vsque ad cōcurrentiam reditus, & ad hoc latorem instrumenti procuratorem constituit, quod cōstitutum ratione loci, & quotæ incertum non valet, vt resoluit Ant. Gom. *l. 45. Tauri. n. 96. & sequen.* & clausulam hāc in censu ineptam dicit Nauar. *Commen. de vsuris. n. 137.* quia censuarius nō vēdit rem, sed censum, nec minùs eam possidet, quàm antea.

AN verò creditor ex vi huius clausulæ possit apprehēdere possessionem bonorum debitoris resoluit Gaspar *n. 16.* non posse, quia clausula est nulla tū propter incertitudinem, tū quia cēsus plus valet quàm sit pretium taxatū in lege; & ita si nō augeatur pretiū, vel minuatur pensio, contractus est iniustus, de quo agit etiam 2. *lib. quæstione 11.* Vnde *illa quæst. 7.* Num. 7.

Digitized by Google

quæst. 7. nu. 18. suspectam putat doctrinam Feliciani *1. de censib. c. 10. n. 3. vers. quocirca.* vbi habet instrumentum cēsuale posse aduersùs tertium possessorem executioni mandari, si in eo fuerit adiecta clausula de ingrediendo possessionem rei censuariæ auctoritate propria. Quia hæc clausula est nulla prædictis rationibus, sicut *lib. 2. q. 1 n. 26.* dixerat clausulam qua venditor cēsus copiā facit emptori capiēdi auctoritate propria rē cēsuariā ob cessationē pēsionis, esse iniquā, teste Nau. *Comm. de vsuris. n. 138.* Sed credo verū scripsisse Felician. si certus fūdus assignetur, & pretiū iustū detur, vel postea suppleatur, si .n. deest iustū pretiū, contractus quidē est iniustus: nō tamen nullus, nisi quoad excessū pēsionū: ergo ex vi illius clausulę potest auctoritate propria capere possessionē, sed debet minuere pēsiones sequētes, & restituere excessū præcedētiū. Illa verò clausula de re cēsuaria amissa propter neglectā solutionē pēsionis, est nulla, quia pœna illa non est proportionata culpæ, vt diximus *dub. 26.*

Num. 8. An autē vēditor cedēdo fundū reditui hypothecatū liberetur, tractat Gasp. latè *2. de rediti. q. 9. n. 68.* & bene resoluit partē negātem, quia inuito vnū pro alio solui non potest. Vnde malè Gab. *5. d. 15. q. 12. sit. 9. ad 6.* ait, si vēditor cēsus relinquit fundū, vel rē in qua fūdatus est cēsus, liberatus est à cēsu. Sic si emēs cēsū ob nō solutionē cēsus tollit fūdum, solutus est vēditor, licèt minùs valeat quàm pretiū q̄ dedit emptor; cessāte dolo, & fraude vēditoris. Secus ait esse in pignore; vnde docet rē cēsui subiectā nō esse pignus: nā pereūte pignore manet debitū, & vēdito pignore minori p̄etio, quàm sit debitū, tenetur debitor supplere, non verò vendita re censuaria.

Num. 9. Mvltà etiam de his hypothecis dicit Vinsfeldius *c. in ciuitate. de vsur. q. 12. con. 12.* Primò, emptionē census nō reddi illicitā ex eo quòd vēditor obligat emptori aliqua bona in hypothecā, quæ possit distrahere secūdùm cōsuetudinē loci, aut pacta cōuēta, si debitor tēpore definito non soluat pēsionē, aut creditor aliquod interesse patiatur ob morā solutionis. Probat, quia de iure licitū est, tale pactū in cōtractibus pro securitate apponere. *l. pactum. ff. de pigno. actio.* vbi valet pactū, quòd si debitor intra certū terminū debitū nō soluerit, prædia impignorata & hypothecata liceat creditori vendere. Ad idē facit *l. 1. C. de pact. pign. l. fundus. §. fin. ff. de pigno. l. si necessit. u. §. fin. ff. de pign. act.* notat Bart. cui glosa, Alex. & alij consentiūt, esse casum, quòd si quis ex certo fūdo teneatur pēsionē soluere ad certū terminū, & nō soluerit, quòd ex tūc possit creditor vēdere pignus pro pēsione nō soluta, & *ibid. §. fin.* dicit per illam legē, quòd in illo casu pignus potest vēdi nō solùm propter debitū nō solutum, sed etiā propter accessiones; & facit tex. *in l. quæ specialiter. C. de distract. pigno.* Secūdò, Vinsfel. ait reuocādū esse in memoriā, quòd principalis obligatio in hoc annuo reditu qui modò est in vsu in Germania, & Hispan. est personalis, hypotheca autē accessoriè pro securitate creditoris apponitur; vnde etiam re hypothecata perempta obligatio manet ad reditus solutionem, vt *dub. 30.* latè diximus; secus in aliis censibus, qui limitatè

Digitized by Google

fundantur in rebus aliis, & non in persona, de qua re Molinæus *in cõsuetudine Pariſ. titulo* 1. §. 11. *numero* 15. quem citat & ſequitur Couarruias 3. *Variarum. capite* 7. *num.* 5. *in fin.* Cum quo & aliis recẽtioribus dicit tertiò hanc hypothecam cenſuariam eſſe priuilegiatam. Regulariter enim tertius poſſeſſor qui nec contraxit, nec contrahentis in hæreditate ſucceſſor exiſtit, conuentus hypothecaria poteſt opponere excuſſionis nondum exactæ exceptionem. *auth. hoc ſi debitor. C. de pigno. cum annotatis.* At poſſeſſor prædij cenſuarij poteſt conueniri ad cenſus ſolutionem nulla præmiſſa excuſſione: nam ad omnes tranſit cum onere ſolutionis, vt ait Guido Papa *quæſt.* 42. *& 576.* Caſſan. *in conſuetud. Burgun. Rubrica* 11. §. *6. num.* 2. Couarruu. 5. *num.* 6. & Ioannes Baptiſta Lupus *Commentario* 2. *de vſuris.* §. 2. *numero* 69. Atqui Guido, & Caſſ. hanc opinionem de conſuetudine, & vſu Galliæ & Burgundiæ eſſe exiſtimant, ſi ſit certa res aſſignata, & obligata pro debito, vt communiter fit; tunc enim creatur ius in re, & eidem adhæret, adeò vt ſequatur rem, & eius poſſeſſorem, quod æquum & iuridicum eſt. *l. Imperatores. ff. de publican.* ait Caſſaneus. Hanc de cenſibus doctrinam ab aliis breuiter fundatam longiùs proſequitur, & explicat Couarruu. teſte Vinſeldio. Sed dubitat Vinſel. an quis non habens bona immobilia poſſit pro aſſecuratione annui reditus dare vaſa argentea, aut aurea, vel aliam pretioſam ſupellectilem, vt aliquando factum eſt? Reſpondetur, inquit, ſimpliciter, quòd ſic in conſtitutione noſtrorum redituum: quia cùm res ſuppoſita ſolùm habeat locum pignoris, aut hypothecæ, optimè fieri poteſt. Quia ſi ſufficiat hypotheca pro aſſecuratione capitalis, & penſione cum aliis acceſſionibus, ſiue ſit res mobilis, ſiue immobilis, parum refert. Alia ratio eſt, inquit, de cenſibus creatis ſecundùm conſtitutiones Põtificum, quibus debent hypothecari res immobiles, & fructiferæ: imò in omnibus ſolent tales res hypothecari. Hæc ille. Ego credo in Hiſpania ex conſuetudine cenſũ non valere niſi rei immobili, & fructiferæ adhæreat.

DVBITAT quoque Vinfeld. an quando hypotheca diuiditur in plures hæredes, vel ſucceſſores, à ſingulis poſſit tota penſio exigi? Reſpondet non poſſe, ſed tantùm pro rata. Guido Papa *deciſione* 432. Caſſan. *in conſuetud. Burgundiæ. Rubrica* 5. §. 2. *n.* 35. Couarr. 3. *Varia. c.* 7. *n.* 8. Ioannes Baptiſt. Lup. *Comment.* 2. *de vſuris.* §. 2. *n.* 69. Panorm. *num.* 8. Anchar. *num.* 13. & tex. *cap. conſtitutus. de religioſis domi.* & id æquitatis eſse ait: cùm enim vna penſio in pluribus rebus conſtituitur, tacitè videtur diſtributa in ſingulas res, & ſic quælibet hypothecata pro rata ad ſolutionem penſionis cenſebitur, & hæc hypotheca cenſus irregularis eſt, & non ſequitur per omnia naturam aliarum hypothecarum. Ideo argumentum ab aliis ad hanc infirmum eſt. Hæc ille. Idem nos reſoluimus *dubio* 7. *difficultate* 6. *& dubio* 11. *difficultate* 1. *circa* 11. *conditionẽ.* & hoc certius exiſtimo, quando non poteſt ex ſingulis hypothecis tota penſio colligi. Num. 10.

QVARTO dicit Vinſeldius 5. *concluſione* 13. emptionem cenſus non reddi illicitam ex conditione, quæ nũc vt plurimùm adiicitur à multis, quòd

quòd bona hypothecata in valore excedant ſummam capitalem. Quia hypotheca adiicitur pro aſſecuratione non ſolùm capitalis, ſed etiam penſionis & intereſſe veri: ergo non ſolùm commenſuranda eſt ſummæ capitali, ſed etiam aliis acceſſionibus, quæ moraliter contingere poſſunt.

QVINTO dicit *in con.14.* nõ eſſe iniquam conditionem, quòd res hypothecata vendi, aut alienari non poſſit ſine conſenſu cenſualiſtæ, modò ipſe proportione huius oneris augeat pretium cenſus, de quo dixi *dub.27.*

SEXTO Vinsfeld. *ibi con.* 15. ait, quanuis deduci poſſit in pactum, vt ſi biennio, vel triennio penſio non ſoluatur, poſſit res cenſuaria diſtrahi, vt dixerat *con.* 12. tamen non poſſe in pactum deduci, vt cadat in commiſſum, quia eſt pœna immoderata, vt cum Conrrado *quæſtione* 86. *con.* 3. & cum aliis diximus *dub.* 26. Addit, cùm creditor diſtrahit pignus, vel hypothecam, non plus debere ſibi ſumere quàm ſibi debeatur. Quæ diſtractio vt rectè fiat, nouem cautelas ponit Conrrad. *de contractib. quæſt.* 86. *con.* 2. Quod verò dicit Medin. *quæſt. vlt. de vſur.* & Couarruuias 3. *Variarum. cap.* 7. *num.* 1. Nauarr. *Commentario de vſuris à numero* 110. *ex l.* 68. in cenſu poſſe imponi pœnam commiſſi, intelligit cum Couarruuia de cenſu reſeruatiuo, qui eſt ſimilis emphyteuſi, in qua hanc pœnam habet qui biennio Eccleſiæ, triennio priuatis penſionem non ſoluerit. *l.* 2. *de iure emphy. cap. fin. de locato.*

SEPTIMO dicit Vinsfeld. *con.* 17. extraordinarias cautelas, inſolita pacta, cautiores clauſulas contractum efficere ſuſpectiorem. Bald. & Alberic. *l. penul. C. de euictio.* Bart. & Cœpola *de ſimulatis contract. præſump.* 9. Bald. *conſil.* 487. *lib.* 1. Decius *conſil.* 448. *num.* 23. Anchar. *col.* 2. Bertrand. *conſil.* 210. *num.* 17. *lib.* 1. Bald. ex gloſ. *cap. ex literis. de conſuetu. num.* 8. Iaſon *conſil.* 170. *col.* 2. *lib.* 2. quem refert, & approbat Tiraq. *lib.* 2. *de vtroque retractu. in præfat. num.* 8. Ad idem eſt gloſ. *l. ſi quis ſub conditione. ff. de condit. inſtitu.* ſic ex renuntiationibus inſolitis inſtrumentum eſt ſuſpectum. Bald. *cap. tertio loco. num.* 15. *de prob.* Felin. *cap. ſi cautio. num.* 70. *de fide inſtrum.* Ange. & Bald. *d. l. ſi quis ſub conditione.* Gerardus à Petra Sancta *ſing.* 77. Couar. *3. Varia. c.* 8. *n.* 6. *ad fin.* & alij. Vide alia ſimilia apud Vinsfeld.

OCTAVO *in* 18. *cond.* dicit licitum eſſe pactũ, vt cenſuarius per medium annum, aut bimeſtre renuntiet emptori ſe velle redimere cẽſum. Conr. *q.* 83. *de cõtract. con.* 8. & antea per bimeſtre iuſſit Pius V. denũtiari cenſitori.

QVÆRES, quid ſi creditor pro ſuis debitis hypothecauit nomen reditus, quod fieri poteſt *l. ſi conuenerit. 2. ff. de pignor. actione. & l. nomen. C. quæ res pigno. oblig. poſſunt.* poteritne cenſuarius redimere cenſum, reſtituendo ſortem ſuo creditori, aut tenebitur vocare creditores, quibus nomen pignoratum eſt? Reſpondeo cum Gaſp. Roderico 1. *de reditib. q.* 18. *num.* 53. debitorem poſſe liberè reditum, ac proinde hypothecam extinguere ſoluendo cenſitori, nec teneri vocare hypothecarios nominis creditores, etiãſi ſciat nominis hypothecã. *d. l. nomẽ.* & ibi gloſ. fin. Fanus *de pig. 2. p. memb.* 3. *n.* 27. Quod limitat Gaſp. niſi creditores nominis de ſua hypotheca debitoré certiorauerint oſten- *Num.* 11.

Digitized by Google

dendo instrumenta hypothecarum, ne ipsis non monitis redimeret. Bart. *l. non solùm. §. morte. num. 35.* quia tunc non posset soluere creditori suo. *d. l. nomen. l. 3. C. de noua.* At verò ante hanc creditorum certiorationem liberum esset debitori redimere, imò etiam creditori liceret eum sollicitare (si sibi magis expediat habere nummos quàm reditum) ad redimendum, etiamsi cum ea voluntate fraus implicita creditoribus hypothecariis fieri videatur: nec enim illud dolus est, sed diligentia. *l. qui autem. vers. sciendum. ff. qua in fraudem credito. l. nihil dolo. ff. de regul. iuris.* & in terminis resoluit Ioannes Garsia *de hypotheca post contractum. num. 13. & sequentibus.* Faciunt notata à Cyno, Alberico, & Salyceto *l. 1. C. si antiquior creditor.* vbi docent licere mihi emere pignus pluribus obligatum à primo creditore vendente iure creditoris, quanuis ex hoc cæterorum ius extinguatur. Sequitur Greg. Lop. *l. 46. tit. 13. partita 5. glossa 2.* Similiter in hoc casu licet creditori pecuniam suam recipere, & debitorem liberare, quanuis suorum creditorum pignora extinguantur.

Num. 12. SED circa id quod diximus ex Vinsfeldio, quando hypothecæ census diuidũtur in plures hæredes, vel alios successores, non posse singulos in solidum soluere pensionem, sed pro rata; aduerte contrariam opinionem tenere Antonium Gomez iuniorem *tract. de censibus. cap. 4. nu. 2.* per *leg. Moschis. ff. de iure fisci.* ex qua communiter (inquit) notatur actionem hypothecariam cõtra quẽcumque possessorem rerum obligatarum in solidum competere: quod præter ordinarios ibi, ex ea lege deduxit Iason *in §. item si quis in fraudem. num. 128. instit. de actionib.* Fanus *tract. de pigno. memb. 1. part. 8. principalis. n. 50.* & alii, quos ipse congerit, & refert. Couar. *3. Variar. cap. 7. num. 7.* asserens hanc esse veriorem & communiorem opinionem, & frequentissimè iuxta eam protulisse sententiam Iudices in Hispania. Eãdem tenet Rebuffus *l. plebs. §. pignus. versic. & quilibet possessor. ff. de verb. sign.* affirmans ita fuisse iudicatum in Senatu Parisiensi. Limitat eam Couarr. vt non procedat, cùm vnus ex pluribus hæredibus constituentis censum rem possederit, quo casu pro rata tantùm, nõ in solidum conueniẽdus erit ad recognitionem, & solutionem annui reditus recursi: quia in eo casu non agitur hypothecaria actione simpliciter, sed ratione constitutionis, & assignationis annui reditus super ea re, quæ facta videtur pro rata & distribtiuuè. Sed hanc limitationem non esse admittendã probat dictus Gomezius. Nam iuris ratio admonet, vt eo casu potiùs in solidum conueniatur hæres: quia licèt in iure controuersum sit vtrùm hypothecaria actio in solidum, an pro parte debeat exerceri cõtra possessorem rerum obligatarũ, illud tamen sine controuersia est, aduersùs illum qui se obligauit, in solidum cõpetere ex *l. creditores. ff. de distractione pig.* Idémque est aduersùs eius hæredes, vt est expressus tex. *in l. 1. C. si vnus ex pluribus hæredibus creditoris, vel debitoris.* Per quem tex. idẽ tenet, & explicat Socinus *consil. 75. col. penul. lib. 1. consiliorum.* & agnoscit verum esse idem Couar. *dicto n. 7. paulo post principium.* Si ergo contra tertios possessores praxis admittit in solidum agi posse, pugnantibus pluribus,

bus,qui cõtrarium defendunt,quanto magis id admittendum est, quoties res obligata ab vno ex hæredibus possidetur , cùm in hoc casu iure expressum sit,ipsum in solidum conueniri posse? Quod eleganter in terminis docet Rupellanus j̃ *cap.* 10.

NEQVE obstat ratio, qua mouebatur Couar. s̃. quæ in iure non probatur : neque ad rem facit regula textus *in l. pro hæreditariis. C. de hæreditariis actionib.* Procedit enim in actionibus personalibus,secus verò est in realibus , quæ aduersùs hæredẽ rem possidentem in solidum competunt. Hæc Gomezius, quæ mihi hanc sententiam reddunt valdè probabilem: maximè cùm durum videatur obligare censitorem, vt pro rata multos successores in hypothecis cõueniat. Quare verisimile est quemque pro tota pensione posse cõuenire , quando hypotheca illa est sufficiens ad totam pensionem soluendam:&tunc ille poterit aduersùs alios possessores agere, vt pro rata ipsi soluant.

Ex alia tamen parte durum etiam videtur hæredibus , & aliis successoribus hypothecarum , vt in solidum teneantur;& aduersæ opinionis auctores relati à Couarr. quos partim, vt vidimus,ipse sequitur,in hanc retorquent *arg. ex d. l. Moschis.* & licèt concederemus , in ordinariis hypothecis posse quẽlibet possessorem in solidum conueniri,tamen in censuariis , istis videtur alia ratio:nam isti census consignatiui censibus reseruatiuis assimilantur, in quibus quilibet possessor pro rata tantùm tenetur. *c. constitutus. de religiosis domibus.* Ergo idem videtur tenẽdum in consignatiuis,vt tenet Guido *quæst.* 432. Cassan. *in consuetud. Burgum. Rubric. 6. §. 2. num. 35.* Rupellanus *lib. 1. forensium institutionum. c.* 10.& alij quos refert,& partim sequitur Couar. s̃. vltra quos Gomez allegat tex. *in l. 2. C. de reditibus ciuitatum. vers. pro rata. lib.* 11. Alios auctores retulimus superiùs *hoc eodem dub. & dub. 7. difficul. 6. & dub.* 11 *difficul.* 1 *circa* 11 *cond.*

DVBIVM XL.

An pacta in censu redimibili à Pio V. vetita, in censu quoque irredimibili prohibita censeantur?

EADEM quæstio est de cæteris cõditionibus necessariis. Rebellus 2. *part. de oblig. lib.* 10. *q.* 7. *in fin.* ait de pactis iure naturæ inualidis,& de conditionibus eodem iure requisitis idem esse dicendum in censu irredimibili , quod in redimibili : & quanuis aliqui negauerint de requisitis , vel prohibitis iure tantùm positiuo in Bulla Pij V. tamen tutius esse, vt in censu omni idem dicatur , cùm disertè Pius V. census omnes in posterum creandos redimi posse statuat, vt sub alia forma creatos,non tantùm irritos, sed fœneratitios esse iudicet. Si tamẽ creentur, non audet Rebellus illos reprobare. Num. 1.

DVBIVM XLI.

Vtrùm pensio soluenda sit etiamsi res censita fructus eo anno non ferat?

QVIDAM

Digitized by Google

Num.1. QVIDAM docent, si casu fortuito res censita, aliquo anno fructus nõ ferat, nõ esse obligationẽ soluendi eo anno pensionem, & ita quando Pius V. prohibet, *ne vlla pacta indebita, vel conuentiones adiungantur, quibus censuarius extra naturã contractus obligetur*, dicunt prohibere cõuentionem de soluenda pensione, etiamsi casu fortuito res eo anno nullos fructus reddat. Hæc enim cõditio est contra naturam huius contractus: nam cẽsus realis est ius percipiendi pensiones de fructibus rei censitæ: ergo si casu fortuito nullos det fructus, non debetur pensio.

SED etiam tunc pensionem deberi docent Nauar. *Comment. de vsuris. n.* 117. Sotus *6. iust. q.* 5. *art.* 1. *post medium ante 1. corol.* Rebellus 2. *p. de oblig. lib.* 10. *q.* 6. *cond.* 3. Sa *verb. census. n.* 9. Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 22. *pun.* 2. eséque cõmuni praxi obseruatum, meritò dicit Nauarr. Ratio est, quia census nõ imponitur super fructibus ipsius rei, sed super re ipsa, nec est ius percipiẽdi eosdem numero fructus quos res fert; alioqui censuarius nõ posset de illis disponere, sed est ius percipiẽdi pensionem, quandiu res manet, siue anni steriles, siue fertiles sint, siue quotannis, siue alternis tantùm fructum ferát, &c. imò, vt diximus *dub.* 30. etiam re casu destructa, debentur pensiones, vbi Bulla Pij V. recepta non est: vbi autẽ recepta est, re quomodocumque perempta perit cẽsus, nec potest fieri pactũ, vt etiamsi casu fortuito pereat, debeatur cẽsus; quod putat Rebellus in verbis citatis prohiberi. Vide quæ diximus *dub.* 10. vbi retulimus Molinam afferentem, si fructus casu fortuito pereant, eo anno pensionem non deberi.

DVBIVM XLII.

Quando pensio soluenda sit.

RESPONDET Sa *verb. cẽsus. n.* 5. soluendus est cẽsus in fine anni, nisi aliud habeat consuetudo, aut pactum. Idẽ docet Salon *art.* 3. *de censibus, controuer.* 12. Sed cõmuniter pactũ fieri solet, vt medietas pensionis elapso medio anno statim soluatur. Num. 2.

QVANDO nõ est conuentũ in celebratione cõtractus, si fiat redemptio annui reditus ante finem anni, non debet solui census totius anni, sed tantùm pro rata temporis, vt ait Vinsfeld. *de vsuris. c. in ciuitate. q.* 12. *con.* 19. addens conuentionem fieri posse, vt redemptio non fiat nisi in fine anni, & vt tũc pensio cum capitali refundatur, iuxta Conrrad. *de contract. q.* 83. *con.* 8. modò pretium augeatur, de iure debet esse libertas nõ restricta redimendi censum: esset autem restricta, si sine damno suo redemptio fieri nõ posset à venditore; nam id iure possumus quod sine nostro damno possumus. *c.* 1. *de regul. lib.* 6. Dominicus & Philippus Francus ibi. glos. *Clemen. dudum. verb. liberè. de sepult.* Sic resoluit Nauar. *Comment. de vsuris. n.* 126. videtur Molin. *de vsuris. n.* 355.

DVBIVM XLIII.

Vtrùm si pensio non soluatur tempore debito, possit censualista à contractu resilire, & pretium datum repetere?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua suadetur.*
2 *Non est licitum in conscientia ob hoc à contractu resilire, nec repetere datum pretium, etiamsi alter tempore debito pensionem non soluerit.*
3 *Ad contraria argumenta fit satis.*

Num. 1. PRo parte affirmante arguitur, quia, vt docet Rebellus 2. *part. de oblig. iust. lib. 2. q. 3. & lib. 10. q. 1. n. 17.* si contractus est innominatus, fas est in foro Cæsareo re integra ab eo resilire, quidquid sit de iure Canonico; imò etiam fas erit repetere id, quod datum est, quandiu alter nõ implet, modò seruetur indemnis, si fortè aliquos sumptus fecerit præparando se ad impletionem: secus verò si nominatus sit. *l. si pecuniam. ad initiũ. & §. si seruum. ff. de conditione causa data. l. sicut. C. de actionib. & oblig.* & ita docent communiter Doctores: sed contractus census est innominatus, quia omnis contractus à consuetudine inductus est innominatus. Bald. *in Rubrica. C. de rerum permut. n. 2.* ergo non solùm fas est ab eo resilire re integra, sed etiam quandiu alius non præstat quod debet, fas erit pretium repetere.

Num. 2. RESPONDEO tamen, nullo modo esse licitum in conscientia ab hoc contractu resilire, nec repetere datum pretium, etiamsi alter tempore debito pensionem non soluerit, sed solùm habere ius & actionem ad ipsam pensionem. Ita habet cõmunis opinio, & praxis. Ratio est, quia emptor hac sola conditione, & one-

re dat pretiũ, vt alter se obliget ad reddendã pensionẽ: sed alter se obligat: ergo vẽditor non tenetur reddere pretiũ, sed pensionẽ. Cõfirmatur: quia in aliis emptionibus dato pretio nõ potest emptor illud repetere, sed solùm potest petere rem emptã si ea illi tradita non est: sed contractus census est quædam emptio: ergo in emptore nõ est ius ad pretium repetendũ, maximè cùm iam habeat, quod emit, nempe ius ad pensiones, propter quod poterit pensiones ipsas petere & exigere. Imò etiãsi pretium nõ tradidisset, sed pecunia credita censũ emisset, non posset à contractu resilire.

ET ratio aduersa parui momenti est: nam iste contractus nominatus est nomine proprio & specifico, nẽpe census, & nomine generico, aut quasi generico emptionis, & venditionis, vtpatet ex extrauag. communibus Mart. V. & Calixti III. Vnde etiam iure, & non sola consuetudine inductus est, nec vera est illa doctrina Baldi asserentis omnem contractum consuetudine sola inductũ, esse innominatum, vt cum Valasco, Feliciano, & communi ait Reb. §. Neque ab omni contractu innominato resilire licet, saltem in foro interno, aut etiam externo Canonico: neque ab omni nominato resilire nefas est. Nam à mandato resilire licet. §. rectè *institution. mandati.* & à societate. *lege sed & socius. §. fin. ff. pro socio.* & à deposito. *lege 1. §. penult. ff. depositi.* & à precario, vt ait Rebell. §. Sed quod attinet ad forum conscientiæ solùm est attendenda intentio contrahentium. Nam quomodo cũque se voluerint

Digitized by Google

obligare, manent obligati non solùm in conscientia, & foro interno, sed etiam in foro externo secundùm leges expressas huius Regni. Sæpe autem non vult aliquis se obligare ad aliquid faciendum, nisi sub conditione quòd alius aliquid faciat tali tempore, aut modo: vnde tunc eo ipso quòd alter non faciat, potest resilire à contractu. Aliquando verò vult se obligare modò alter etiam se obliget, & ideo si alter se obliget, licèt id ille non faciat, non potest resilire à contractu: & sic est in proposito. Si tamen tempus faciendi designatum in contractu elapsum non est, & alter est paratus implere quod ex sua parte debet, nullo modo est licitum in conscientia à contractu resilire, aut pretium repetere; quidquid fortè in contrarium dicāt *Bald. l. petens. C. de pactis. & l. apud acta. C. de transactio.* Riminald. Lancelot. Bereng. & alij, quos citat, & sequitur Felici. *1. de censib. c. 3. n. 8.* & Pincianus *de successionum creat. §. 12. n. 4.* imò lex, quæ id statueret, iniusta esset secundùm Molin. *de contract. disp. 258.* Nec placet quod ait Rebellus, illorum sententiam non parum probabilem esse, & absque periculo defendi posse: sed placet quod statim ipse subiungit, contrariam sententiam esse securiorem, & verisimiliorem, quæ asserit ex contractu innominato, siue ex pacto nudo, etiam antequam vestiatur per formam stipulandi, aut per cohærentiam alterius contractus nominati incontinenti adiecti, aut per iuramentum, aut per rei traditionem, aliúmve modum, consurgere obligationem naturalem, si modò partes statim se obligare intendant; vt tenet Accursius. *l. petens. C. de pactis.* & priori reuocata Baldus *C. de rerum permut.* Felin. *c. 1. de pactis. n. 13.* Grego. Lopez *l. 3. tit. 6. partita 5.* per textum ibi dicentem, licitam esse pœnitentiam in eiusmodi pactis ante adimpletionem, si modò non interueniat promissio, qua videlicet contrahentes intenderint se obligare. *& ca. & c. qualiter, de pactis.* conceditur actio ex pacto nudo.

Num. 3. A D leges Cæsareas pro prima opinione citatas respondet Couarr. *c. quanuis pactum. p. 2. §. 4. n. 14.* eas esse tantùm permissiuas, vt sunt plerçque aliæ. Sed non satisfacit, quia licèt illæ quæ resilire à contractu innominato permittunt, permissiuæ dici possint: tamen illæ, quæ concedunt actionem ad repetendum datum de manu alterius contrahentis inuiti, non sunt permissiuæ; sed approbatiuæ, qualis est illa. *l. pecuniam.* & aliæ similes.

MELIVS ergo respondetur cum Rebello, leges illas esse intelligendas, quando non constiterit, contrahentes voluisse statim se obligare; nam in obscuris minimum est sequendum, de regulis iuris in 6. Quæ obscuritas sæpe contingit in cōtractibus innominatis, do vt des; facio vt facias; facio vt des; do vt facias, in nominatis verò rarior est.

VNDE patet si census pecunia credita ematur, quòd vbi Bulla Pij V. recepta non est, fieri potest, vt dixi *dub. 8. difficul. 1.* non posse emptorē re integra à cōtractu recedere. Idem est si loco pretij promisisset actionē licitam eo pretio æstimabilē. Quæres, an si debitor per plures tertias à solutione census deficiat, possit cogi ad redimendum? Respondet Graf. posse cogi, quanuis de æquitate, si de

debitor ante condemnationem soluat, non cogatur ad restitutionem pretij.

DVBIVM XLIV.

An census inter immobilia bona numerentur?

SVMMARIVM.

1 *Auctores referuntur.*
2 *Sententia affirmans census ad longum tempus inter bona mobilia computari.*
3 *Quodnam sit iniure longum tempus.*

Num. 1. DE hac re agit Bellug. *in Speculo Principum. Rubrica 13. §. restat n. 8.* vbi Camillus Borrelus *in additionibus in litera A.* Philip. Portius *lib. 3. communium opin. concluſ. 11. pagin. 997.* Gutierr. *in practi. lib. 2. q. 146. n. 2.* Bartholom. Humada *l. 1 tit. 17. part. 2. in gloſ. 2. n. 1. fol. 155. in fine.* Caballin. *in mille loq. 217. n. 1.* Iacobus Menochius *conſil. 29. n. 16. volum. 1. communium opin. pag. 13. verb. annuos reditus. & pag. 182. verb. reditus annui. & de arbitrariis. caſu 233.* Matienzo *5. collectionis tit. 11. l. 2. gloſ. 1. n. 83. & titulo 11. l. 7. gloſſa 1. numero 18. & 22.* Auendanno *reſpon. 23. n. 1.* Tiraquel. *de retractu linagier. ex n. 3.* & alij relati *dub. 7. difficul. 1.* & hîc poſtea referendi.

Num. 2. PRIMA ſententia eſt, reditus, ſeu cenſus ad longum tempus inter bona immobilia computari. *Clem. exiui de Paradiſo. verb. cúmque annui reditus. & l. iubemus. C. de ſacroſan. Eccleſiis. & l. ſi quis inquilinos. ff. de legat. 1. & §. 1. de non alien. reb. Eccleſ. in Nouella. & c. 1.* iuncta gloſſa recepta *de rebus Eccleſia non alian. in 6.* gloſſa, Bart. Bald. & alij *d. l. iubemus.* Tiraq. §. dicens eſſe communem ſententiã; quod etiam ait Vinsfeld. *de vſuris. ſuper c. in ciuitate. de vſuris. q. 9.* Carolus Molinæus *de vſuris. q. 37. n. 173.* & Andreas Gail *lib. 2. practi. obſerv. obſer. 10.* licèt hic auctor, qui practicarum rerũ in Imperio fuit obſeruantiſſimus, dicat, in quibuſdã Germ. Prouinciis, & ciuitatibus Imperialib. ſtatuto receptũ eſſe, vt reditus redimibiles inter mobilia cõputẽtur, & eis cedãt, quibus ex ſtatuto res mobiles debẽtur.

QVÆ ſtatuta, & cõſuetudines in ſucceſſionibus ex teſtamento, vel ab inteſtato obſeruandæ ſunt. *l. Imperatores. ff. de pollicit. l. venditor. §. ſi conſtat. ff. communia prædiorum. & l. an in totum. C. de edific. priuatis,* niſi pactis illis derogatũ ſit. Quia pacta fieri poſſũt, vt reditus redimibiles, nõ obſtantibus cõſuetudine, & ſtatutis inter immobilia computẽtur, cùm hoc iuri conſentaneum ſit, vt ex dictis conſtat. Auendann. verò ad *leg. 6. Tauri. gloſ. 11. numero 29.* ait cenſus redimibiles non eſſe bona immobilia, nec mobilia: ſed medij generis: irredimibiles verò eſſe bona immobilia, & citat Mieres *tract. maior. p. 1. q. 40. n. 14. & 15.*

SED quia diximus, reditus, ſeu cẽſus ad lõgum tẽpus inter immobilia bona cõputari, quæritur, quodnam ſit in iure lõgũ tẽpus. Reſpondetur, longũ tẽpus dici 10. annorum. gloſ. *l. cùm de in rẽ verſo. ff. de vſuris. in verb. longo. & in l. filius. C. de petenda hæredi.* & Doctores in his legibus. Card. *dicta Clem. exiui.* & alij ibi cõmuniter. Tẽpus autẽ perpetuum vocatur 30. annorũ gloſ. §. 1. *inſtitu. de perpet. &*

temporal. action. glos. *auth. si quis ruinas. verb. dentur. C. de sacros. Eccles.* Felin. *c. sicut. n. 30. de senten. excommuni.* Pan. *c. nulli. de reb. Eccles. non alienan.* Tiraq. & Gail. ẽ. Obserua autem, licèt ius ad pensiones sit res immobilis, tamẽ ipsas pensiones inter mobilia computari, vt ait Vinsfeld. ẽ. Bald. *c. quæ in Ecclesiarum. col. 4. vers. sed statim quæritur de constit.* Andr. Alciatus *l. morientium. ff. de verb. signif.* Molinæus *in consuet. Pariſi. tit. 1. §. 1. gloſ. 1. n. 36.* Tiraq. ẽ. *n. 10.* & alij quos citat, & refert in praxi apud eos seruari, & apud multos alios, vt relatione diuersarum consuetudinum comprobat.

HINC *dub. 7. diffic. 1.* diximus etiam vbi recepta est Bulla Pij V. vnũ censum in alio fundari posse.

DVBIVM XLV.

An & quomodo in censibus præscribi possit?

SVMMARIVM.

1 *Difficultas, an præscribi possit contra ius, quod censitor habet exigendi pensiones? Vbi ratio dubitandi proponitur, & duplici conclusione ex quorundam sententia respondetur. num. 2. 3.*

4 *Secunda difficultas, an præscribi possit contra ius, quod venditor habet remitendi censum?*

5 *Tertia difficultas, an census præscribi possit contra censuarium?*

Num. 1. PRIMA difficultas, an præscribi possit cõtra ius quod censitor habet exigendi pensiones? Pro parte affirmante est, quòd omne ius, siue publicum, siue priuatũ, præscriptione extinguitur 40. annorum spatio & interuallo, ex *l. omnes. vers. nullúmque ius. cum complicibus. C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.* quod etiam in reditibus annuis procedit, ex *l. eos. C. de vsuris.* & facit tex. *in l. plures. C. de fide instrum.* notat bona glossa ibi *in c. tuæ. el. 2. de decimis.* & sequitur Rebuff. *tract. de constitutione redituum. to. 2. glos. vnica. in princip.* In contrarium est quòd in censu non vnum, sed plura debita, & obligationes sunt quotannis pullulantes, ex *l. si in singulos. ff. de annuis legatis.* dicẽte plura esse legata, vnum purum, alia sub conditione, si vixerit: & ob id vsu capi non possũt, quia in quolibet anno de per se ius capiendi inspicitur, ex *l. cùm in annos. versic. vt per singula. eodem titulo. l. cùm in annos. 23. ff. quando dies legatis cedat.* facit *l. cùm notissimi. §. fin. C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.* vbi notat glossa *vers. cuiscumque.* quam communiter approbari testatur Carolus Ruinus *consilio 34. n. 6. lib. 2. consiliorum.* Alciatus *l. vnica. C. de sentẽtiis, quæ sine iusta causa proferũtur.* & Lara *in l. si quis à liberis. §. sed vtrùm. n. 40. ff. de rebus dubiis.* & nouissimè tradit Parladorus *lib. rerũ quotid. c. 1. §. 13. n. 44.* Cui sententiæ nihil obstare videtur *dicta l. omnes.* quæ procedit in actionibus habentibus continuum cursum. Secus tamen videtur, quando vna obligatio, & contra eam vnica actio nascitur. Deinde *in d. l. eos.* speciale est vsurarum odio, vt ibi obseruant Bellapertica, Rayne-rius, & Cynus *q. fin.* & Alberic. *in l. cùm notissimi. §. fin. col. penùl.* & hanc legem esse communem interpretationem illius tex. testatur Iason *l. de pupillo*

pillo. §. sin pluribus. n. 4. ff. de noui oper. nuntia. Neque item obstat textus *in d. l. plures.* procedit enim respectu illius reditus, qui ante legitimum tempus effluxit. Alij reditus qui postea cœperunt deberi, non potuêre præscribi, quanuis Hugo, & Roserius relati à glossa *dicto verbo cuiuscumque.* vnicam sufficere præscriptionem affirment, eámque incipere à tempore cessationis solutionis.

Num. 2. His pro ratione dubitandi vtrinque propositis, Anto. Gomez iunior *tract. de censib. c. 5.* ad propositam difficultatē duplici conclusione respondet Prima est, contra censū qui in signum subiectionis, & recognitionis Principi præstatur, vt *in c. 20. de censibus. & cap. magnum. 11. q. 1.* præscribi non potest, vt notat glos. per tex. ibi, *in cap. cùm non liceat. de præscrip.* & est tex. de hoc expressus *l. comperit. C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.* & *l. 6. tit. 29. partita 3. l. 5. tit. 11. lib. 2. fori.* & *l. 1. tit. 15. lib. 4. nouæ compilationis.* Quod in specie notauit Pan. *c. cùm contingat. & c. ad audientiam.* vbi Felin. *de præscrip.* & plures alij, quos refert, & sequitur Rebuffus vbi s. *articulo 2. glossa vnica. numero 1. & 2.* & Petrus Follerius *tractatu de censibus. folio 300.* Emanuel *de censibus. conditione 5. dubio 1.* Vega *in Summa, & Epitom. verbo census. casu 17.*

Num. 3. Secunda conclusio, ocontra censum consignatiuum, de quo disputamus, præscribi potest, vt resoluit Parladorus s. §. *12. num. 41. & §. 13. num. 44.* Emanuel & Vega s. Probatur primò ex adductis pro hac parte initio huius difficultatis, quæ non bene postea soluuntur. Secundò, quia nulla ratio est quare contra hæc iura censuarij non præscribatur, sicut & contra alia iura, & contra leges, nimirum spatio aliquo temporis bona fide non soluendo pensiones, quas soluere tenebatur.

Nec obstare putat Anton. Gom. quod in contrarium adducebatur cū communi opinione de annuo legato, quoniam annua stipulatio vna est, & ideo sufficit vna præscriptio ex *l. si Stychum. 16. §. stipulatio. ibi. vna est. ff. de verb. oblig.* Legata verò annua sunt multa, & ideo non possunt vna præscriptione præscribi. Quam differentiam inter annuum debitum ex vltima voluntate, & ex contractu constituit glossa *d. verb. cuiuscumque.* vbi eam sequuntur Bart. & Fulgo. *num. 2.* & est glossa consimilis *in l. de pupillo. vers. remissionis. §. si in pluribus. ff. de noui operis nuntia.* & communiter approbari testantur Panorm. *num. 38.* Parisius *num. 33. cap. auditis. de præscriptio. 4.* Bal. *tracta. de præscriptionib. 4. part. 4. partis principalis. quæstio. 4.* Gigas *de pensionib. quæst. 37. num. 5.* Anton. Gom. Senior *2. Variarum. cap. 11. num. 25.* Parlado. *d. cap. 1. §. 12. num. 4* Pro qua sententia est lex, *si vsus fructus alternis annis. ff. quibus modis vsusfructus amittatur.* inducendo eam à contrario censu. & *in cap. de quarta. de præscriptio.* Vnde sufficit vna præscriptio 40. annorum, licèt quarta singulis annis soluenda sit. Neque obstare putat Emanuel suprà quòd quotannis noua obligatio oriatur: nam omnes vni antiquæ nituntur, qua præscripta cæteræ præscribuntur, vt pereunte radice rami pereunt. Sed meliùs diceret illas non esse nouas obligationes, sed vnam antiquam

Digitized by Google

mandandã executioni quolibet anno, vt lex vna de cõmunione Paschali quolibet anno mãdanda est executioni, & sic de legibus humanis præcipientibus aliquid quotannis fieri, contra quas præscribi potest : & similiter contra ius censitoris non soluendo multis annis pensionem bona fide.

Num. 4. SECVNDA difficultas est, an præscribi possit contra ius, quod venditor habet redimendi censum? Quidam posse dixêre spatio 30. annorum. Oppositum verius iudico; quod latè probat Molina *tom. 2. de iust. disp. 374.* & Gaspar Rodericus *t. de redit. bus. quæst. 19. per totam.*

Num. 5. TERTIA difficultas, an census præscribi contra censuarium possit? Hanc difficultatem rectè resoluit Salon *art. 3. de censibus. controuer. 25. in fin.* quinque assertionibus. Prima est, si in solutionibus explicatum sit eas fieri ex beneuolentia, vel ex legato defuncti, vel alia causa à iure censitico aliena, nunquam præscriptione constituitur census : quia constat alio titulo factas esse.

SECVNDA, solutiones factæ nulla expressa causa per tempus non immemoriale, neque valent ad instituendum cẽsum, neque vllam aliam obligationem titulo præscriptionis, saltem in foro animæ : quia redditæ fortè sunt ex beneuolentia, aut ex alia causa, quæ præscriptionem non admittat. Credit idem sentire Iurisperito, teste Salyceto *l. cùm de in rem vers. ff. de vsur. quæst. 4.*

TERTIA, solutiones factæ à tempore immemoriali, quanuis nullam causam contineant, iure præscriptionis inducunt obligationem, vt in posterum fiant. Nam illa immemorialis, & continuata solutio vim habet causæ, & tituli, vt docet optimè Couarr. *reg. possessor. de regu. iuris in 6. p. 2. §. 4. num. 4.*

QVARTA, si in solutionibus exprimebatur causa census, titulo præscriptionis inducunt censum si 10. annis sint continuatæ. Ita communis Iurisperitorum, cui standum in foro animæ, quanuis in foro externo non tam titulo præscriptionis, quàm ex probata rei veritate compelletur censuarius, vt ait Belluga *de censualib. numero 19. §. & quod iste.* Simile est in emphyteusi.

QVINTA, si omnibus pensatis dubium sit an census, vel emphyteusis sit, census iudicari debet, quia odia restringi, &c. & in ambiguis quod minus est, eligendum est. Ita Nauar. *Comment. de vsuris. num. 109.* Couarr. *3. Varia. cap. 10. num. 4.* Lege Caballinum, seu Molinæum *de vsuris. quæst. 17. num. 194. & quæst. 26. num. 205.* Similiter si dubium sit, an census sit redimibilis, vel irredimibilis, iudicandus redimibilis eadem ratione. Hæc Salon, cui subscribo. Vide dicta *dub. 35.*

DVBIVM XLVI.

An ciuitas, vel communitas libera possit super se censum constituere?

SVMMARIVM.

1. *Conclusio affirmatiua.*
2. *Census personalis licitus est, nec prohibitus à Pio V.*

RESPONDEO, posse, vt tenet Vinsfeldius *lib. de vsuris. super cap. in ciuitate. de vsuris quæst. 30. con. 3.* Num. 1.

cum

eum Henrico de Hoita *tract. de censib. dub.* 1. & Conrrado *de contractib. q.* 74. & probat, quia ciuitas, siue communitas est res immobilis, & perpetua nata fructificare; quia singulis annis percipit fructus ex agris, tributis, censibus, & laboribus subditorum: ergo sicut licitum est constituere in domo, aut prædio: ita etiam in communitate; licèt enim ciuitas seu communitas libera non sit perpetua in eisdem personis singularibus; est tamen perpetua per successionem & continuationem personarum, sicut fluuius per successionem partium aquæ in eodem loco & alueo. Item in domo potest constitui census secundùm Bullam Pij V. ergo multò magis super ciuitate & Repub. libera. Neque incommoda quæ comitantur censum personalem constitutum in priuata persona, locum habent in communitate, aut ciuitate libera. Hæc Vinsfeldius; in quibus patet censum perpetuum constitui posse in communitate, etiam vbi vim habet Bulla Pij V. esto per illam prohibitum sit constitui censum in persona, vt *con.* 2. docuerat Vinsfeld.

Num. 2. Ego probabile puto censum personalem prohibitum nõ fuisse à Pio V. & ideo etiam vbi Bulla eius recepta est, licitum esse. Sed si census personalis prohibitus fuit à Pio V. consequenter dicendum puto, prohibitum esse censum constitutum in ipsa communitate, quæ est quasi priuata persona in emptione, venditione, & aliis contractibus; vnde non potest super se census constituere vbi locum habet Bulla Pij V. nisi subiiciendo censui domum, agrum, aut alia immobilia præter seipsã: & ita in praxi seruatur. Vbi tamen non habet locum Bulla Pij V. cùm possit constitui in persona, vt *dub.* 3. ostendi, à fortiori poterit constitui in communitate, nempe in persona temporalis, in communitate perpetuus.

DVBIVM XLVII.

An qui emit censum ab vsurario, & dubitat an sit per vsuras acquisitus, teneatur restituere?

RESPONDEO cum Vega *in Summ. & Epitom. casu* 28. non teneri, quia in dubio melior est conditio possidentis, secus si id certò sciat. Sed in hac re idem est de censu, & de aliis rebus emptis ab vsurario. Num. 1.

DVBIVM XLVIII.

An qui fictè promisit se soluturum censum propter pecuniam quam debebat, teneatur censum soluere?

RESPONDEO cum Vega *in Summa, & Epito. verb. census. casu* 29. si creditor ex ea pecunia retenta à debitore empturus erat illum censum, vel redempturus alium, tenetur debitor soluere censum ratione damni cessantis, vel lucri emergentis ex illa fictione, & fraude. Hîc nihil est speciale præ aliis fictionibus, ex quibus lucrum cessat, vel damnum emergit. Num. 1.

DVBIVM

Digitized by Google

DVBIVM XLIX.

An consuetudo posit abrogare legem positiuam, quæ pretia censibus præscribit & taxat?

Num.1. RESPONDEO, posse. Ioan. Medin. *q. 2. de censibus.* Palac. 4. *de contract. c.7.* Salon 2. 2. *disp. de censib. art. 3. controuersia 11. in fin.*

ET generatim quòd consuetudo possit derogare legi, docent Belluga *de consualibus n.14.* Tiraquel. *de retractu linagier. in præfatione. n.17.* Couar. *3. Varia. c.13, n. 4.* glossa *Clem. statutum. verb. consuetudine. de electione.* & alij Theologi ac Iurisperiti quos *tract. de legib.* retulimus, & secuti sumus, & & ibi etiam explicuimus latè qualis debeat esse cõsuetudo, vt legẽ abroget: de quo Salon suprà.

DVBIVM L.

An Clerici, Ecclesiæ & Religiosi teneantur obedire legibus Principum secularium taxantibus pretia censuum?

Num.1. RESPONDETVR ex Salone 2. 2. *disp. de censibus. art. 3. controuer. 10. in fin. & q. 77. art. 1. controuer. 10.* illos in suis contractibus, & commerciis debere obedire Principibus secularibus; quod præsertim est verum de legibus taxãtibus pretia censuum, & aliarum rerũ, vt latè docuimus *tract. de legibus.* Idẽ docet Didacus Perez 8. *ordinamenti. tit. 2. in Rub. pag. 32. & sequenti.* vbi rẽ. tractat latissimè, & Gaspar Rodericus 1. *de reditibus. q. 6. n. 49. & quæst. 10. n. 12.*

DVBIVM LI.

Vtrùm sine scriptura, vel instrumento tabellionis contractus census validus sit?

Num.1. RESPONDEO cum Salone 2. 2. *disp. de censibus. art. 2. controuer. 25. in medio.* vbi est recepta Bulla Pij V. nullũ esse, cùm ea Bulla statuat irritũ esse nisi in confectione instrumenti coram tabellione, & testibus pecunia numeretur. Vbi autem ea Bulla recepta nõ est, neque datur alia lex, aut consuetudo contractũ sinè scriptura factũ irritans, validus est, sicuti & aliæ emptiones, & cæteri cõtractus, vnde tradito pretio statim emptor fit dominus census. Hæc conclusio est Theologis certissima, & videtur Bart. *l. 1. C. de iure emphy.* Probatur, quia per se, & ex natura rei scriptura non est necessaria ad contractus; sed sufficiunt verba, vel alia signa cõsensum exprimẽtia; scriptura autem requiritur ad memoriam, & fidem, ac probationem inter homines. *l. cõtrahatur. C. de pignorib.* licèt glos. *c. 1. §. postquam autẽ. verb. scriptis de censibus. in 6.* ponat aliquos casus in quibus requiritur scriptura, in quibus tamẽ hũc nõ numerat, & addit, nec in omnibus illis esse omnino necessariũ.

DV

DVBIVM LII.

Quis teneatur facere expẽsas pro scriptura census, & eius expeditione.

Num. 1. RESPONDEO, emptorem. Bald. Cynus, Salycet. Angel. Paul. de Castro, Alberic & alij *l. eos. nõ longè à fin. in verb. interdicta.* per illũ tex. *C. de vsuris.* Alberic. *l. dissolutè. C. de cõdictione ex lege.* Cœpola *de simulatis contract. præsumpt. 6.* Molinæus *de vsuris. quæst. 6. num. 130.* Vinsfel. *de vsuris ad cap. in ciuitate. quæst. 1. 2. con. 19.* Ratio est, quia scriptura est ad comprobationem iurium emptoris, & apud ipsum manet: & qui sentit commodũ debet incommodum sentire. *c. qui sentit. de regu. iur. in 6. l. secundũ naturã. ff. eodem.* debitórque non tenetur propriis expẽsis aduersariũ instruere. *arg. leg. Prætor. in fin. ff. de edẽdo.*

DVBIVM LIII.

Vtrùm sit licitũ minori pretio censum emere quã sit legè taxatũ, cũ pacto nõ recipiẽdi pensionẽ per quadriennũ, vel aliud certũ tempus?

Num. 1. GASPAR Rodericus tenet partem negantem 1. *de reddib. q. 13. n. 31. & 32.* sed sine fundamento, quia sicut emptor apponens grauamina venditori debet ea compẽsare incremento pretij, vel diminutione pensionis: ita venditor apponens grauamina emptori debet ea compensare iusta diminutione pretij, vel augmẽto pẽsionis.

DVBIVM LIV.

Quis sit Iudex legitimus quando agitur de redemptione census.

Ioan. de Salas.

RESPONDEO, Iudicem creditoris esse adeundum: quia cùm agitur ad distractum, forum rei sequi debemus. *l. 2.* vbi glos. & alij *C. vbi, & apud quem.* Signorolus *cons. 162.* Tiraquel. alios referens *lib. 1. retract. §. 8. glos. 5. n. 2.* Gaspar Rodericus 1. *de reditib. q. 18. n. 53.* Num. 1.

DVBIVM LV.

An census fructuarius iustus sit, & an merito ad pecuniarium reductus fuerit?

SVMMARIVM.

1 *Supponuntur tria.*
2 *Huiusmodi census prohibiti sunt, & reducti ad pecuniarios.*

SVPPONO primò, licitum de se esse emere, & vendere censum fructuariũ, hoc est, in frumento, vino, oleo, aliisve similibus fructibus soluendum. Ita tenent communiter Theologi, & Iurisperiti, Henric. de Hoita *de contractib. dub. 2.* Conrad. *q. 72.* Gab. *4. d. 15. q. 12. con. 1.* Maior *ibid. q. 34.* Medina. *q. 11. de vsuris.* quæ est prima *de censibus.* Innoc. *c. in ciuitate. de vsuris.* Vinsfeld. *super eodem c. q. 15. con. 1.* Ioan. Anani. & alij *eodem. cap.* Ambrosius à Vignate *super c. salubriter. à n. 74.* Couarr. *3. Variar. c. 2.* Nauarr. *Comment. de vsuris. n. 104. & 120.* Guido Papa *tract. de vsuris. n. 74.* Petrus Ancharran. *consil. 30.* & alij multi, præsertim moderni; & res est clara, quam multis rationibus probat Conrr. Num. 1.

Digitized by Google

Conrad. & addunt Nauar. & Vinsfeld. nec in Bulla Pij V. prohibitum fuisse.

SVPPONO secundò tales census secluſa lege positiua in contrariũ in eadem ſpecie, & quantitate postea ſoluendos esse in qua sunt constituti, siue fructus in pretio creuerint, siue decreuerint. Ita Nauarr. *Cõmẽta. de vſuris n. 120. q. 30.* Salon 2. 2. *art. 4. de censibus controuer.* 2. Ioan. Med. *q. 15. de vſuris.* quæ est 15. & vltima *de censibus.* §. *ſequitur ex dictis.* Vinsfeldius *illa q.* 15. *con.* 2. & alij. Probatur primò, quia ius ad illos fructus in illa quãtitate, seu fructus illi in ea quãtitate iusto pretio empti sunt: ergo ex iustitia debentur; antecedens patet, quia iusta rerum pretia nõ secũdùm præteritum, vel futurum tempus, sed pro tempore quo emuntur æstimanda sunt. *l. 2. C. de reſcind. vend.* & *l. pretia rerum. ff. ad l. Falcidiam,* quanuis cùm fit contractus perpendendum sit quem valorem tempore traditionis res habebunt; & maiorẽ tunc habebunt valorẽ si maior sit ſpes incrementi, quàm decrementi futuri; aliàs venditiones omnes eſſent mutandæ, quia passim pretia rerũ ſucceſſu temporis variantur. Vnde mores, cõsuetudines, & aliæ circunstantiæ occurrentes tempore cõtractus, nõ quæ postea fortassis erũt, considerandæ sunt iuxta Bart. *l. omnes populi. n. 39. ff. de iuſt. & iure.* Bald. *l. leg. & conſtes, C. de legib.* Gloſ. *c. licèt canon. de electio. in 6.* Felin. *c. fin. n. 2. de conſtit.* & certè licèt fructus minuantur in valore, non maiorem mensuram reddet censuarius: ergo nec si augeantur, reddet minorem, quia sicut operatur oppositum in oppoſito, sic propoſitum in propoſito. *cap. ſciendum. 8. q. 1.* Confirmatur ex *l. ſancimus. C. de admi. tut. l. qui furere. ff. de teſtam.* & oppoſitorum eadem est ratio. *l. etſi contra tabulas. ff. de vulg. l. ſi quis. ff. de acquir. rer. hæredit.* Ex quibus colligit optimè Couarr. *loco cit. c. 6. n. 8.* quod ſemel legitimè factum est, non debere retractari ex his, quæ postmodùm acciderint.

TERTIO ſuppono, censum fructuarium redimibilem in hoc Regno Castellæ per *legem 4. tit. 15. lib. 5. nouæ collecti.* quæ edita est Matriti anno 1534. & est lex 127. prohibitum esse, & census eiusmodi antea cõstitutos reductos esse ad rationẽ vnius pro 14. In Lusitania verò esse licitos, & frequentes, docet Molin. *tom. 2. de iuſt. diſp. 347. §. ex parte verò.*

HIS ſuppoſitis, dico meritò eiusmodi census prohibitos esse, & reductos ad pecuniarios. Ita Molineus *de vſuris. q. 21.* Couar. *3. Variar. c. 1. q. 10. n. 31.* Sot. *6. iuſt. q. 5. art. 2. ad 1.* Vinsfeld. 5. *con. 4.* Salon 5. Ratio est, quia tales reditus magis ſuſpecti erãt, maiorémque fraudis ac iniquitatis ſpeciem habebant quàm pecuniarij, vt cum Molinæo, & Couarr. 5. docet Vinsfeld. *con. 3.* quoniam rerum pretia in Rep. frequentiſſimè variantur; & vix duobus annis continuis in eodem ſtatu permanẽt, nec tempore emptionis ob rerum & temporum mutationem certa moraliter æstimatio fieri potest: vnde hæc emptio redituum ad exceſſum iuſti pretij, & deceptionem est aptior, & debitori periculoſior. Hinc in Imperio constitutiones sunt, vt ait Vinsfeld. *illa con. 4.* quæ reducunt pensionem frumenti, & vini ad iuſtam pretij æstimationem, itavt in fru *Num. 2.*

Digitized by Google

frumento, & vino non plus accipiatur, quàm quod resolutum in pecuniam faciat valorem vnius pro. 20. vt tum alibi, tum maximè est videre in ordinatione politica reformata à deputatis Imperij anno Domini 1577. Francfordiæ sub Rodulpho II. *tit.* 19. vbi ratio redditur his verbis. Contingit quòddum frumenta, & vina in vili pretio sunt, quidam in huiusmodi speciebus emunt census, qui durát etiã tépore caritatis annonæ, ita vt quandoque in pretio recipiantur pro 100. 10. aut 20. aut etiã 30. quod non solùm vergit in damnum pauperũ, sed etiam in præiudicium dominorum, quibus pauperes subduntur, cùm exhausti substantia necessaria debitos census persoluere, & onera consueta subire nó possint; atque talis emptio est contra diuinas humanásque leges, charitatem proximi, bonósque mores, & præsertim contra Imperij cõstitutiones. Conceditur nihilominùs quòd reditus frumenti, vini, aliarúmque specierum emantur, ita tamen vt non plus in frumento, vino, aut aliis rebus accipiatur, quàm quod resolutis speciebus in pretium pecuniæ, non nisi 20. florenis vnus ematur; & taxatio facienda habito respectu ad tempus celebrati contractus, vel ad pretium quo frumentum, & vinum currenti anno venduntur spatio 14. dierum post tempus messis, aut autumni, & semper tam liberum erit venditori census singulis annis redimere. Qui contra hanc constitutionem fecerit dolo, astutia, aut fraude emptor capitalem summam perdet, & aliàs ex officio à magistratu punietur pro ratione excessus. Hæc in illa cõstitutione. Et Carolus Molinæus *q. 21. de vsuris.* testatur Senatum Parisiensem sæpe arestis & decretis annuos reditus frumentarios cum pacto redimendi constitutos statuisse commutandos ad rationem vnius pro 15. ita tamen vt debitori electio daretur soluendi in frumento, vel pecunia ad ratione vnius pro 15. Cùm enim reditus frumentarij rusticos & agricolàs qui suis laboribus totam Rempub. nutriunt, exhauriant, meritò à bonis omnibus damnantur; semper enim fuerunt, & sunt rustici, & possessiones ruri tenentes, vt rectè Molinæus *loco cit. num.* 220. ait, pecunia carentes, procliuiores, & faciliores dum occurrit necessitas, ad constituendum reditus in fructibus, quàm in pecunia; quare prudenter moderatores Reipub. salutaribus constitutionibus eis prospexerunt, non secus atque olim Iustinianus *in constit. 32. in authen. nullum cred. agrico.* inhibuit exercere antichresim in agricolas, ne impediretur cultus agrorum, & pauperes rustici fundis, & rebus exuti locum relinquere cogerentur. Vide plura de hac re in Vinsfeldio suprà.

DVBIVM LVI.

Vtrùm emptor census teneatur permittere venditori, vt censum per partes redimat, & quid de diuidenda solutione pensionis

SVMMARIVM.

1 *Prima sententia affirmans emptorem teneri permittere redemptionem per*

Digitized by Google

partes, nec licere in pactum deducere, vt redemptio fiat tota simul.

2 *Vera sententia tenet pactum de redimendo simul, & non per partes totum censum licitum esse. explicatur num. 3.*

4 *Census redimibilis mutuo contrahentium consensu constitui potest concessa facultate venditori ad redimendum illum per partes.*

5 *Emptor potest in pactum ferre, vt venditor non possit per minutissimas partes censum redimere.*

6 *Pactum de redimendo toto censu simul non est illicitum ex se.*

7 *Si deducatur in pactum, vt venditor non possit per partes, sed totum simul censum redimere, non ideo pretium augeri oportet.*

8 *Etiamsi ematur census ex paupere, potest in pactum deduci, vt totum simul redimere teneatur.*

9 *Ad contraria argumenta respondetur.*

10 *An debitor reditus possit inuito creditore vnius termini pensionem diuidere, soluendo partem illius?*

11 *An valeat pactum vulgare de redimendo reditu in eisdem speciebus moneta quibus fuit constitutus?*

12 *Variis casibus respondetur iuxta doctrinam traditam.*

Num. 1. NAVAR. *Comment. de vsuris. num. 101. & 102.* secundùm aliquos existimat, emptorem teneri permittere redemptionem per partes, nec licere in pactum deducere, vt redemptio fiat tota simul. Suadetur primò ex *l. quidam existimauerunt. ff. de reb. credi.* vbi habetur Prætorem humaniùs facturum, si coëgerit creditorem ad accipiendum debiti partem, quæ illi offertur. Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: ergo etiam in censu id seruandum est. Cõfirmatur: nã debens aliquid Reipub. potest illi per partes soluere. *l. vltima. C. apoch. pub. lib. 10. & l. placuit. C. de collat. fundi patrim.* ergo à fortiori qui debet priuatæ personæ, potest illi per partes soluere. *arg. c. cùm in cunctis. de electione.*

SECVNDO, quia obligatio conferendi aliquam quantitatem est diuidua in se & in effectu. *l. 2. §. & harum. ff. de verb. oblig. & l. si stipulatus sum. §. si decem. ff. de solutionibus.* vbi habetur. *Qui decem debet, partem soluendo liberatur.* Nec valet dicere, has leges intelligi creditore volente, secus inuito. Nam leges non declarant quæ perspicua sunt, sed quæ dubia: solùm autem poterat esse dubium de solutione per partes inuito creditore; ergo de hac loquitur.

TERTIO argumentatur Alciatus *d. l. quidam existimauerunt.* nam si liceret debita per partes soluere, iniqua esset lex 12. tabularum decernens, vt debitum defuncti diuidatur inter hæredes illius pro portionibus hæreditatis. Nam iuxta hanc legem non daretur debitum totum simùl, sed quando quisque hæredum partem suam offerret, teneretur creditor eam accipere.

QVARTO, quia in 1. extrauag. Martini V. *de emptio. & vendi.* dicitur, *ipsum annuum censum in totum, vel in parte pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandocumque vellent redimere.* & in 2. Calixti III. *vers. hoc adiecto.* dicitur, reditus redemptionem posse membratim, & pro parte fieri: & Pius V. in sua Bulla statuit censum

Digitized by Google

censum per partes redimi posse.

QVINTO, quia pactum hoc est graue, & onerosum valdè debitoribus, præsertim pauperibus, quales esse solent, qui censum vendunt; quia non possunt totam sortem simul habere; ergo non est licitum, saltem communi pretio hoc onus censuariis imponere.

HANC sententiam tenet Palac. *de contract. c.6.* & alij recentiores Theologi, si credimus Saloni infrà. Eandem tenent Sotus *6. iust. quæst. 5. art. 3. con. 4.* Guttier. *in practicis. lib. 2. quæst.* 174. Azeb. *ad l. 1. tit. 15. lib. 5. compilat. numero 5.* Felicianus 1. *de censibus. capite 8. numero* 16. sic redimus Gaspari Roderico *1. de censibus. quæstione 18. numero 35.* Et quidem Nauarrus illud pactum censet vsurarium; Sotus autem & Guttierrez iniustum tantùm. Quidam limitant hanc sententiam, vt venditor possit redimere censum per partes maiores, vt per medietatem, tertiam, vel quartam partem, non per minores, seu minutissimas: & vt possit fieri pactum, vt non nisi totus simul redimatur, aucto tamen pretio pro ratione huius grauaminis: quia Pontifices solùm prohibent imponi venditori hoc onus communi pretio. Alij, vt Lopez *1. Instructorij negoti. cap. 59.* dicunt, si debitor est diues, posse fieri pactum, quo cogatur ad totum simul censum redimendum; si verò est pauper, non posse cogi ad redimendum totum simul, quia esset indirectè cogere illũ ad numquam redimendum, cùm nũquam possit tantam pecuniã congregare qua totum censum simul redimat, vnde est censũ emere irredimibilẽ. Ita Lopez dicit sẽsisse Pennã. Idem tenet Vega ĩ.

SECVNDA & vera sententia tenet pactum de redimendo simul, & non per partes totum censum, esse licitum, saltem si pretium census ita augeatur, vt cõpensetur hoc grauamen venditoris. Hanc tenet Moli. *tract. 2. de iust. disp. 393.* & ait omnes in ea conuenire, & specialiter citat Nauarrum (qui malè à Salone, Gasp. Roderico, & aliis pro contraria sententia citatur) *Commentario de vsuris. num.* 78. Sotum *6. iust. quæst. 5. art. 3.* & alios, quos refert, & sequitur Guttier. *2. practi. quæstionum, quæst. 174.* & Sotus ac Gutierr. aiunt arbitrari, si non augeatur pretium, contractum esse iniustum; sed non vsurarium, Nauar. verò etiam vsurarium. Ipse verò Molina cum Sarmiento *7. Select. cap. 1. n. 27. & 28.* non solùm censet posse in pactum deduci, vt totus census simul redimatur, sed etiam cùm nullum aliud pactum nisi de retrouendendo ponitur, emptorem non teneri permittere redemptionẽ per partes, sicut nec in aliis mercibus; imò si grauetur emptor, vt census redimi possit per partes, minuendum esse pretium pro ratione illius grauaminis. Vnde infert contra Guttierrez s̃. non esse iniustum contractum, si emptor non aucto pretio in pactum deducat, non posse censum per partes redimi, sed pretio taxato per legem emat censum cum prædicta conditione. Idem tenet Emanuel *tract. de censibus. cond. 6. dub. 4.* Sed malè tribuit Soto & Angli: nam Sotus suprà putat emptorem debere pretium augere si in pactum deducat redemptionem non posse per partes fieri. Angles autem *quæst. de censibus. art. 6. conditione 7. con. 4.* tantùm docet non esse necessariam conditionem, vt

Num. 2.

census possit per partes redimi. Læsius 2. *iust. cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 93. ait emptorem non teneri redemptionem per partes admittere, licèt in censibus de quibus consulti sunt Martin. V. & Calixtus III. id fuerit permissum; & sic conuentum erat. Hoc enim Pius V. non petit in Bulla sua, & meritò, quia id posset esse valdè incommodum emptori, qui si integram summam perciperet, vel bonam eius partem, posset prædium, vel aliam rem fructiferam comparare. Citat Boninsignium *cap.* 14. *de censib. num.* 11. vnde posset emptor, ait Læsius, in pactum deducere, vt non redimat nisi totum simul, vel notabilem partem. & *dub.* 11. *n.* 73. dixerat pactum, quòd census non possit redimi per partes, esse licitum, & consentaneũ naturæ contractus: nam in cæteris emptionibus cum pacto retrouendendi non habet ius venditor redimendi per partes: ergo nec in emptione census, nisi expressè deducatur in pactum, vt liceat per partes redimere: vel nisi iura, aut consuetudines loci id concedant, & creditorem non teneri debitũ etiãsi sit diuisibile, per partes accipere, habetur *l. tutor.* §. *Lucius. ff. de vsuris.* & notant Doctores. *l. quidam existimauerunt. ff. si certum petatur.* Ad idem est lex, *obsignatione totius. C. de solut.* Sa *verb. census. num.* 3. solùm ait etiam vbi recepta est Bulla Pij V. posse in pactum deduci, vt census redimatur totus simul.

PETRVS Ledes. 2. *p. Summæ tract.* 8. *cap.* 34. post omnes conditiones pag. 450. tenet cum Orellana sine augmẽto pretij posse deduci in pactum, vt redẽptio per partes minutas non fiat, non tamen vt redimatur totus simul: item si persona est pauper, hoc non posse in pactum deduci sine magno augmento pretij, quia non poterit censuarius tantam vim pecuniæ simul habere: vnde permittendum est ei vt per tertiam, vel quartam partem redimat; alioqui census erit ferè irredimibilis, & pretio census ferè irredimibilis emendus erit. & Nauarr. *Comm. de vsuris.* ait emptorem teneri admittere, vt census per quartas partes redimatur: quia quarta pars est notabilis pars census.

BANNEZ 2. 2. *q.* 74. *art.* 4. *dub. vlt. de censibus.* ait primò illam conditionem positam à Marti. V. & Calixt. III. iam non esse necessariam, quia Pius V. eam supprimẽs aliis expressis tacitè eam reuocauit. Secundò dicit, licitum esse in contractu ponere, vt venditori liceat census per partes redimere, minuẽdo tamen pretium, quia grauat emptorem. Tertiò, si nihil sit cõuentũ, nõ teneri emptorem admittere redemptionem per partes, quia tantùm fuit pactum de retrouendendo, nisi fortè consuetudo sit in contrarium. Quartò, si nunc emptor cogitur in foro externo admittere redemptionem medietatis, posse fieri pactum, vt venditor huic consuetudini renuntiet sibi fauorabili, & tunc emptor debet augere pretium, quia venditor huic fauori renuntiat. Quintò, non esse attendendum de iustitia (quidquid sit de charitate, aut misericordia) in hac conditione, vt quidam volunt, an emptor sit diues, vel pauper, quia pretia rerum eadem sunt diuitibus, & pauperibus. Totam hanc sententiam Bannez retulit, & secutus est Ioannes Baptista Corrad. *in Summa.*

Digitized by Google

*ma.quæst.*235.Consonat Vega *in Summa,& Epitome.casu* 19.dicens vtrumque pactum initio fieri posse, nisi venditor sit pauper;nam illi imponi non potest onus redimendi totum censum simul, quia esset censum emere irredimibilem; cùm pauper non possit totum censum simul redimere; pro quo dicendi modo etiam Ludouicum Lopez retulimus in fine primæ sententiæ.

PETRVS Vinsfeld. *super cap.in ciuitate.de vsuris.quæst.* 12. *con.*16. ait:licitum est censum emere adiecta conditione, vt non per partes, sed simul tota fiat reluitio, vt nunc passim apud nos emuntur. Citat Sotum suprà,& Ioann.Baptist.Lupum *de vsur. Comment.2.§.2. n.71.* & addit duo: alterum est, pro hoc grauamine venditoris augeri debere pretium:maius enim debet esse pretium quando reluitio debet fieri tota simul, quàm si per partes fieri posset.Alterum est, hoc non habere locum in terris temporaliter Pontifici subiectis propter Bullam Pij V. de censibus, in qua Pontifex vult reluitionem posse fieri per partes.Hoc idem dixêre Nauarr. *Comment.de vsuris. num.*101. & Salon *art.3.de censibus. controuer.* 24. *in princip.* Quod non possum non mirari, cùm in tota illa Bulla de redemptione census per partes nihil habeatur, vt aduerterunt Læsius,Sa,Bannez,& Ioann.Baptista Corradus suprà. Malè etiam Salon ibi putat Nauarrum *illo n.*101.*& sequentib.* reprobare tanquam iniustum, & vsurarium pactum de redimendo simul toto censu: nam ibi positis vtrinque argumentis potiùs videtur tenere non solùm hanc pactionem esse licitam: sed etiam sine illa creditorem cogi non posse, vt particulatim census redimatur.Illud etiam quod ex Ban. & Baptista Corrado retulimus,hanc conditionem,quòd census per partes redimi posset, positam à Marti. & Calixto, tacitè fuisse reuocatam à Pio V.quia eius nō meminit, falsum est:quia illi Pontifices, vt sæpe diximus,licèt census cum illa conditione constitutos probauerint, non tamen eam necessariam esse explicarunt,aut eam præceperunt:ergo nec expressè,nec tacitè potuit reuocari; maximè cùm suppressio illius cōditionis (si esset præcepta) ad eius reuocationem tacitam non sufficeret.

MVLTA etiam de hac quæstione dicit Salon ibi,& Gaspar Rodericus *1.de reditib.q.*18.*n.* 35. & aliis, quæ à nobis opportunè referentur, & nūc silemus,vt sensum nostrum promamus.

DICO igitur primò,census redimibilem,mutuo contrahentium cōsensu,constitui posse concessa facultate venditori ad redimendum illū per partes.Id certum ait Salon, quia Martin. & Calix. suprà census cum ea facultate constitutos approbarūt: & ratio suffragatur; nam cùm ius censiticum oneroſum sit, rationi est consentaneum,vt possit vēditor hoc onus à se excutere via sibi commodiori in totum,vel per partes, consentiente emptore, ac volente tali beneficio illum afficere, pro quo an debeat venditor pretij aliquid remittere,dicemus postea. Modò tantùm aduerte, falsum esse quod dicit Anton. Gom.infrà,in nostro Regno esse consuetudinem compellendi censitorem, vt admittat redemptionem per medietatem, vel tertiam partem, Num.4.

Digitized by Google

partem, etiamsi præcesserit pactum de redimendo toto simul.

Num. 5. SECVNDO dico: emptor potest hanc conditionem in contractu exigere, vt venditor non possit per minutissimas partes censum redimere. Ita Salon cum Soto, & meritò dicit esse certum apud omnes, quia valdè incommodum esset emptori, vt facultas esset venditori redimendi cēsum per partes minutissimas, quæ facilè elabuntur, & non facilè aggregantur ad aliquod prædium, vel aliū censum ex illis emendum, maximè cùm possit censuarius reliquas partes sortis nūquam dare: & ita etiam sine hoc pacto nunquam cogunt Iudices creditorem, vt ad redemptionē census minutissimas partes accipiat. Vide Comitol. *lib. 3. q. 28. n. 8.* vbi docet non posse cogi creditorem decimam vt partem pretij accipiat: & si hoc deducatur in pactum, minuendū esse pretium census.

Num. 6. DICO tertiò: pactum de redimendo toto censu simul non est iniquū, vel illicitum ex se. Ita tenent omnes, vt dixit Molina, & malè dixit Salon esse contra Nauarr. & Palac. & peiùs dixit Gaspar Roderi. suprà esse contra Nauar. Sotum, Guttier. Azebedum, & Felicianum; quanuis hoc dictum bene admittāt Salon, & Gaspar Rodericus, qui præter Sarmientum, Anglem, Emanuelem, Ioan. Baptistam Lup. & Sotum suprà, refert etiam pro hac sententia Franc. S. Garsiam, & Spinum relatos à Feliciano, & addit Paris. Modernum *in labyrintho diuidui. 2. p. num. 215. & 3. p. n. 295.* & Iacobum de Graffis *libro 2. decisionum. cap. 18. num. 24.* Eandem sententiam tenent Sarmien. & Ottomanus infrà, & Antoñ. Gom. *tract. de censibus. cap. 3. num. 13.* Toletus 5. *Summæ. cap. 45. num. 4.*

PROBATVR primò, quia hoc pactum non est prohibitum in extrauagan. Martini V. Calixti III. nec Pij V. vt vidimus; nec potest assignari aliud ius humanum, canonicum, vel ciuile, vbi prohibeatur: nec verò est prohibitum iure naturali, quia quisque potest emere rem cum oneribus sibi expedientibus vēditori impositis, modò æqualitas, & iustitia seruetur. Item, quia æquum est, & emptori sæpe necessarium, vt sicut totum pretium census in emptione simul datur, ita in redemptione simul reddatur: ergo iustè potest emptor hanc conditionem exigere proportionato pretio dato.

TERTIO, quia iure communi non cogitur creditor accipere solutionem debiti per partes, vt patet ex *l. tutor. §. Lucius. ff. de vsuris.* vbi dicitur, soluta parte sortis adhuc decurrere vsuras minori debitas, nisi in contractu habeatur posse sortem diuisim solui. *& l. 2. §. & harum. ff. de verb. oblig.* dicitur, debitorem quantitatis inuito creditore non posse solutionem diuidere, neque partem præstare præterquàm in fauorem libertatis, vt dicitur *l. cùm hæres. §. penult. ff. de statuliber.* & ita conditionem hanc contra Fulgosum, & Alciatum tenet Sarmientus *6. Selectarum. c. 17. & lib. 1. c. 1. n. 27.* Ottomanus *lib. singular. qq. quæst. 20.* ergo non erit absurdum exprimere hanc conditionem, quia quod aliàs inest, expressum nihil nocet. *l. 3. ff. de legat. 1. l. non rectè. C. de fideiussor. vers. nam licet. ibi. Nihil hæc res mutat conditionem iuris.* Confirmatur, quia Iurisperiti communiter dicunt debiti solutionem

Digitized by Google

tionem inuito creditore nō posse diuidi, vt affirmat tanquam commune axioma Tiraquel. *de retract. conuentio. §. 4.* ergo nec pretium census poterit in redemptione ipsius inuito creditore diuidi. Confirmatur secundò, quia in redemptione census debet creditor indemnis seruari. *l. debet. ff. de edilitio edicto. ibi. indemnis enim emptor discedere debet.* non autem seruaretur indemnis, si redemptio membratim fieret, cùm partialis solutio habeat incommoda. *l. planè. ff. familiæ herciscundæ.* ergo. Confirmatur tertiò ex *l. fistulas. §. fundum ff. de contrah. empt. ibi. Nec si partem soluat ex empto cum venditore aget, quoniam ita contractum as alienum diuidi non potuit.* Ad idem facit *l. obsignatione totius. C. de solutio. & l. in executione. §. pro parte. ff. de verborum obliga.* Alia ad hoc probandum adducunt Nauarr. *Commentario de vsuris. numero 101. & sequentibus.* & Gaspar Roderic. suprà, sed non oportet in re perspicua immorari, quam vsus Hispaniæ proborum & doctorum contrahentium, & consulentium, ac Iudicum confirmat: quem vsum etiam apud suos esse Vinsfeldius suprà affirmat Consuetudini autem loci standum in hac re esse rectè admonent Sotus, Salon, Læsius, Bannez, Baptist. Corrad. & nonnulli alij suprà: nā consuetudo vim legis habet.

Num. 7. Dico quartò: si deducatur in pactum, vt venditor non possit per partes, sed totum simul censum redimere, non ideo pretium augeri oportet. Ita cōtra Sotū, Guttier. Bannez, Corrad. Felicia. & Nauar. tenent Moli. Sarmien. Eman: Salon, Gaspar Rodericus, Antonius Gomez. Ratio est, quia hoc pactum alicubi nihil operatur, nam etiam sine illo potest emptor non admittere redemptionem per partes. Alibi autem etiamsi aliquid operetur, vt in nostro Castellæ Regno, vbi consuetudo est, vt non adiecto hoc pacto cogatur censitor admittere redemptionem per partes notabiles, vt per medietatem, vel tertiam partem; præsertim si census est magnus, ipsa eadem consuetudo habet vt propter hæc pacta pretium non mutetur; imò & lege ita pretium est constitutum, vt propter hæc pacta, quæ rem efficiunt maioris, vel minoris naturalis valoris, non immutetur valor lege taxatus. Sic eodem pretio emitur triticum omne, quanuis vnum sit maioris valoris naturalis quàm aliud; sic in vino, & aliis mercibus habentibus pretium taxatum contingit; sic in locatione iumentorum pro itineribus videmus. Et hinc etiam dico cum Salone non oportere, vt venditor deducens in pactum, vt ei liceat per partes notabiles censum redimere, descendat à pretio per legem taxato, quidquid dicat Molina, Sarmient. Emanuel, & Toletus: nam consuetudo, & lex non patitur in hoc Regno, vt propter hæc pacta pretium maius, aut minus sit.

Num. 8. Dico quintò: etiamsi ematur census ex paupere, potest in pactum emptor deducere, vt totum simul redimere teneatur. Est Soti, Bannez, Ioannis Baptistæ Corradi, Salonis contra Ludouicum Lopez, Pennam, & Vegam suprà. Quia in contractibus non debet attendi an aliquis sit pauper, aut dives; alioquī iniquum erit communi pretio emere censum redimibilem à pau-

Digitized by Google

pere, quem scio nunquam esse habiturum facultatē redimendi; quod redundaret in damnum pauperum: nam si augendum propterea esset pretium, nemo ab illis censum redimibilem emeret, cùm nemo vellet pretium augere, timens ne communi pretio totum censum citò redimant præter spem collecta tota sortē.

Num. 9. AD primum argumentum respondeo cum Salone suprà ad 2. in debitis contractis, quæ Iudicis decreto & sententia soluenda sunt, posse Prætorem iuxta varias locorum, temporum, & personarum circunstantias creditoribus præcipere vt solutionem, vel redemptionem per partes accipiant, quando aliud conuentum non est.

AD secundum, in iure obligationem conferendi quantitatem aliquam diuiduam esse, id est, non repugnare quin illa diuisim, & per partes reddatur, & sic acceptanda sit, quando lex, vel consuetudo ita præscribit, vel Iudices præcipiunt: quod non tollit, quin ex mutuo contrahentium consensu, vel ex lege, aut consuetudine diuidi non possit.

AD tertium respondeo, latum esse discrimen inter debita reddenda ab hæredibus defuncti, & alia ab vno tantùm persoluenda: illa namque necessariò diuidenda sunt in partes, cùm hæredes nō teneantur ad debita defuncti, nisi iuxta partes hæreditatis acceptæ; quod rectè disponunt leges 12. tabularum: at cùm vnus solus est debitor, vt in censu redimibili, potest illud debitum integrum, vel per partes solui, prout contrahentes conuenerint, vel si non conuenerint, prout lex, vel consuetudo, vel Iudices præscripserint. Quòd si nec ex lege, nec ex consuetudine, vel conuentione res constet, non tenetur emptor per partes solutionem accipere, sicut tenetur in aliis emptionibus, vel redemptionibus pretium per partes accipere; sed iustè exigere potest, vt simul totum detur.

AD quartum: iam vidimus in illis extrauag. Martini & Calixti approbari contractum de redemptione per partes, non tamen reprobari contractum de simultanea redemptione, vt docet Gaspar Rodericus, & Salon suprà; & multo minùs in Bulla Pij V. quæ de hac re nihil dicit, imò Gaspar Rodericus suprà contendit ex illa colligi censum non posse per partes redimi, quia præcipit redimi eodem pretio. Sed neque collectio hæc firma est: quia eodem pretio redimi census censetur, etiamsi per partes reddatur, & paulatim census redimatur.

AD quintum respondeo, maius onus esse emptoris, vt census per partes redimatur, quàm venditoris, vt quando voluerit redimat illum totum simul, ideo sic est redimendus quando aliud conuentum non est, nec consuetudo, lex, aut Iudices præcipiunt redemptionem per partes admitti. Quòd si pauperes sic redimere censum non valent, vel illum non emant, vel sibi damnum imputent: melius enim illis esset vendere census irredimibiles, quia maius pretium accepissent pro illis, quàm communi pretio illos emere cum

Digitized by Google

cum eo pacto, vt redimi per partes non possint.

HABEMVS ex dictis, emptorem non teneri acceptare partem pretij ad redimendam partem census nisi aliter conuentum sit: sic nec debitum sub conditione, tollitur, nisi conditione in totum adimpleta. *l. cui fundus. de cond. & demonst.* Fulgos. & Decius *l. quidam exstimauerunt. num. 6. ff. si certum petatur.* Nauarrus *Commentario de vsuris. num.* 103.

HANC conclusionem de censu non redimendo per partes inuito creditore ampliat Gaspar Rodericus suprà *numero* 37. vt locum habeat etiam in pluribus cēsuarij hæredibus: non enim poterit vnus eorum pro sua hæreditaria portione reditum inuito creditore redimere: quia ex persona hæredum non mutatur qualitas obligationis. *dicta l.* 2. §. *& harum. ff. de verb. oblig.* & in specie ita tenuit Parisi. Modernus *in consuetud. Parisien. p.* 1. §. 11. *numero* 14. Ampliat secundò, & eadem ratione, vt nec ab vno ex pluribus creditoris hæredibus possit eo inuito reditus pro parte, seu portione sua redimi. Vnde infert Gaspar *n.* 37. si reditum vendidisti duobus adhibitis fideiussoribus; quibus promisisti reditum in triennio redimere, & eos obligatione eximere, & decedas quatuor relictis hæredibus, quemlibet eorum hæredum teneri in solidum reditum redimere, & fideiussorem, & quemlibet hæredum eius ab obligatione liberare; & quemlibet fideiussorum hæredem posse in solidum agere, eo quòd creditor non tenetur reditum diuidere, nec eius hæredes tenentur redemptionem pro parte pati; vt aduertit Moder. prædictus *in labyrinth. diuid. 2. p. num.* 215. *& num.* 38. infert Gaspar, non solùm non posse reditum pro parte redimi, quando ita contrahentes pepigerunt, sed etiam quando conuentum inter eos non est, vt ait Modern. *3. p. labyrinthi. num.* 23. Reliquorum autem debitorum, id est, pensionum decursarum solutio diuidua est, & à principali; postquam eorum dies cesserit, separata, ex *l. prædiis. §. His. & §. Pater. l. quæsitum. §. Peto. ff. de lega.* 3. vnde debitor reditus, saltem si non ideo immineat implicatio rationum, potest integram vnius termini pensionem offerre, nec creditor recusare poterit, vt tenet Gaspar *num.* 39. cum Moderno Parisie. *2. p. labyrinthi. n.* 48. Potest tamen pensionum solutio ex pacto indiuidua fieri, vt tractat Gaspar *ibi, & libro 2. quæst. 9. num.* 62.

SED quæres, an debitor reditus possit inuito creditore vnius termini pensionem diuidere soluendo partem illius? Mouet hanc quæstionem lex *si placuit. C. de collat. fundo patrimon. lib.* 11. *ibi, & quantum habuerint pensionis paratum. glos. penul. l.* 2. *C. de iure emphyt.* Num. 16.

SED lex illa procedit in emphyteuta Principis, cui specialiter concessum est pensionem pro parte soluere, aliis verò id non licet, vt tenet Gaspar *lib. 1. q. 18. num.* 39. Iason *l. quidam existimauerunt. nu. 7. §. si certum pet.* Gomezius *tom. 2. Vari. cap. 3. num.* 13. Caldas Pereira *de nomin. emphy. q. 10. num.* 33. Et eandem sententiam de pensione emphyteutica loquens sequitur Aurelius Corbulus, de causa priuationis

Digitized by Google

ob non ſolutum canonem *quæſt.* 7. alios referens. Si verò debitor plurium annorum reliquator vnius anni penſionem ſoluat, pro priori anno, vel antiquiori penſione cenſetur ſoluiſſe, imò etiamſi pro vltimo anno offerret, non teneretur creditor accipere, tum ne conturbet rationes ſuas, tum ne ex eo præſumatur pro præcedentibus annis, vel terminis iuxta *leg. penultim. de apochis publ. libro* 10. *Codicis.* & notatur *in dicto labyrintho. 2. p. numero* 44. vt ait Gaſpar *illo numero* 39. *in fine.*

Num. 11. QVÆRIT vlteriùs *numero* 40. an valeat pactum vulgare de redimendo reditu in eiſdem ſpeciebus monetæ, quibus fuit conſtitutus? & poſitis pro parte negante argumentis *numero* 41. *&* 42. tandem *numero* 43. *& ſequentibus* reſoluit, pactum eſſe licitum cum quibuſdam temperamentis: ſæpe enim creditor non erat ſortem numeraturus in pecunia aurea, ſed in argentea, vel minuta; debitor autem ſiue profecturus, ſiue prædium auitum redempturus, quod non poterit redimi niſi nūmis aureis, ſpecialiter illis indigebat, ideo noluit vendere reditum, niſi haberet ſortem in aureis. Ex eiſdem autem cauſis iuſtè creditoris intereſſe poteſt nummos potiùs aureos retinere, vel recuperare poſſe. Cùm ergo non ſolùm creditorum interſit (alioqui hoc ſolùm non ſufficeret) ſed etiam debitorum, quibus vt plurimùm, præſertim in magnis ſummis, vtilius eſt in huiuſmodi aureis ſortem accipere, quàm in alia viliori moneta, iuſtum eſt pactum. Non ſolùm enim vſus ſimplicis quantitatis æris alieni neceſſarius eſt, ſed etiam quandoque vſus certæ ſpeciei monetæ.

TEMPERAT primò hanc doctrinam, vt propter defectum vnius aurei tantùm, ſi debitor ſuppleat in proba moneta æquiualenti, non debeat oblatio reprobari. Idem de tribus, aut quatuor aureis in magnis ſummis: quia propter tam modicum defectum non dicitur probabiliter intereſſe creditoris; nec de tam leui defectu curandum eſt. *leg. quanuis. de conditionib. & demonſtrationib.* Baldus *leg. pro hæreditariis. col.* 2. *C. de hæreditar. actionibus.* Antonius Corſetus *tractatu de minimis.* idque eo magis quo reditus eſt grauior, & quo diutiùs perſeuerauit, & maximè ſi creditor nihil de penſionibus remittit, ſed cum puluiſculo certat exigere. Creditor enim qui ſummum hunc & lucroſum quatuordecimæ reditum recipit, non eſt audiendus, ſi nimis oneroſus eſſe pergat, vel nimis acerbus exactor. *leg. ſi ſeruus. Codice de pignoratitia. act. leg. ſi bene. Codice de vſuris.* Quod eſſet ſi propter defectum vnius, vel alterius aurei, vel leuiorem, vellet totam oblationem cauillari, nec admittere debitorem, qui fortè prædia redemptionis causâ vendidit, vel eius procuratorem ad ſupplendum quod deeſt in proba moneta, ſed ſemper totum reditum currere. Huiuſmodi nimis ſordidas & infeſtas ſcrupuloſitates contemnere & ſpernere Iudices debent, *dicta leg. ſi ſeruos. dicta leg. ſi bene facit. leg. ſicut.* §. *ſi debitori, quibus modis pignus, vel hypotheca ſolui.*

TEMPERAT

Digitized by Google

TEMPERAT secundò, si creditor sortem numeratam in specie rara, minúsque frequenti; quia facultas redimendi esset nimis angusta, & sic non esset libera: quod est contra substantiam horum reddituum. Idem si tempore contractus species numeratæ frequentes erant, sed postea successu temporis raræ: tunc enim sufficiet in alia frequenti specie similis materiæ sortem reddere. Hoc enim æquitas postulat, quæ in his attendi debet. *leg. in omnibus. ff. de regul. iuris.*

TERTIO temperat, vt si sors sit numerata in multifariis speciebus, putà in coronatis argenteis, & aliis minutis monetis; sufficiat totam reddere in vna specie: nec admittendum pactum contrarium tanquam nimis captiosum & onerosum.

QVARTO temperat, vt si constet, quòd creditoris nullo modo interfit monetam promissam accipere, putà auream, quia vult eam commutare cum minori, & solùm recusat minorem, vt officiat, satis sit minorem reddere: quia non licet creditori dicto pacto, aut alio iure sibi competenti vti ad officiendum, & non ad seruandum quod sua interest. *leg. in fundo. §. constituimus. de rei vendicatione.* Alia temperamenta habes *dub. 24.*

Num. 12. SED quid si debitor non habet pecuniam, nec emptores bonorum suorum, potéstne bona dare æstimata creditori reditus in solutum, & sic reditum redimere? Videtur posse per *authen. hoc nisi debitor. C. de solutis.* idque si plures adsint creditores bonorum, & non adsint emptores, æquum existimauit Azebedus *leg. finali. titulo 21. numero 133. libro 4. nouæ collectionis.* qui in hanc sententiam refert Pizarrum. Sed Gaspar Rodericus 1. *de reditibus. quæstione 18. numero 42.* ait, se in Pizarro nihil inuenisse. *numero* autem 50. ait hanc Azebedi doctrinam defendi non posse, quia creditor reditus cogi non potest bona æstimata & taxata pro sorte in solutum recipere, sed pecuniam tantùm numeratam, & aliter non impeditur pensionum cursus, vt post Roma. & Iasonem dixit Menochius *de arbitrariis libro. 2. casu 232. numero 5.* & Rodericus suprà, ac *libro 2. quæst. 9. num. 68. in fine.*

SED quid si agitur de pondere & probitate monetæ ab aurifice probanda, cuius expensis id fieri debet? Bartol. quem omnes sequuntur, *leg. Paulus. col. 1. numero 4.* respondet, communibus expensis, per *leg. 4. §. 1. finium regund.* & placet Roderico *illa quæstione 18. numero 52.* nisi tamen constaret pecuniam esse probam, & creditorem non nisi causâ vexationis hoc petere.

SED quandoque reclamant monetales, quasi ad se solos spectet probare, & reprobare, sicut & cudere. Atqui duplex est probatio, inquit Rodericus *num. 52.* Altera iudicialis & definitiua, quæ ad præfectos monetarum spectat. *leg. 11. titulo 22. & leg. 1. titulo 23. libro 5. nouæ collectio.* Altera extraiudicialis, quæ ad quemlibet rei peritum spectat, vt ad

Digitized by Google

quoslibet campsores, & nummularios, & est mos antiquus, vt patet ex Aristot. 2. Rhetor. cap. 37. conferente Iudicem argentario, vt sicut ille nummum adulterinum à probo nummo; ita hic iustum verum à fucato discenrat.

CÆTERVM si solùm agitur de probitate, & puritate materiæ, monetales id sibi vendicant, & ab ipsis fieri solet tam per aquam chrysuleam, quàm per ignem, quibus fit aurum obrizum, & excoctissimum, de quo auro, & quare obrizum dicatur, vide Couarruuiam *de collatione numismatum. capite 3. §. 1. numero 5. vers. hæc quidem.* vbi *numero* 4. agit de probanda qualitate monetæ; de quo etiam Decianus *tractatu criminali. libro 7. capite 26. numero 7.*

DVBIVM LVII.

De quodam contractu census vitalitij posito à Comitolo lib. 3. moralium responsorum. c. 24.

SVMMARIVM.

1 *Si bona fide fiat hic contractus, caret vsuræ & iniustitiæ labe.*

Num. 1. A Catherina hac ratione instituitur census cum Andrea; centum Andreæ tradit hisce conditionibus. Prima, vt quinque pro sua, & filiæ suæ vita singulis annis soluat, & ipsis defunctis ad nihil ampliùs teneatur. Secunda, vt quando ipsæ in grauiorem aliquam necessitatem coniectæ fuerint, sortem possint redhibere.

HVNC contractum Comitolus censet vsurarium, quia quoties voluerint Catherina, & eius filia, possunt grauiorem necessitatem fingere, & pretium repetere post lucrum in sortem non computandum, & sic habent implicitè lucrum pro mutuo.

SED certè si bona fide fiat, non solùm contractus caret vsuræ labe, sed etiam iniustitiæ: nam pro illo pretio posset Catherina censum maioris valoris emere, nempe perpetuum redimibilem: quia verò venditori imponit onus restituendi pretium cùm in grauiorem necessitatem ipsa, vel eius filia inciderit, dat maius pretium quàm sit census vitalitij etiam ad duas vitas; ergo iustè compensat illud onus, & sic neque vsuram, neque iniustitiam committit, & ius habet repetendi sortem non computatis in eam decursis pensionibus, si verè in grauiorem necessitatem inciderit. Si autem fingat hanc necessitatem, iniustè facit: nec debitor tenetur ei credere, nisi satis probetur, vel constet moraliter.

DVBIVM LVIII.

De alio contractu census vitalitij posito à Comitolo eodem lib. c. 25.

SVM

SVMMARIVM.

1 *Imprimis tradit Comitolus censum vitalitium licitum esse.*
2 *Deinde ponit casum, cui respondetur.*

Num. 1. COMITOLVS *eo cap.* imprimis statuit, censum vitalitium licitum esse, vt contra Henricum Gandensem *quodlib. 11. quæstione 39.* Gaufredum *in Summa.* & glossatorem Raymundi, & Tabienam *vsura. 5. §. 8. & vsura. 15. §. 9.* docent Pisanella *vsura. 3. §. 5.* Innocen. *capite in ciuitate. de vsuris.* & Ioannes Andreas & Panormitan. qui sentiunt, emi posse eiusmodi censum olim constitutum, non tamen ipsa emptione constitui. Contra quos meritò simpliciter, & sine distinctione census vitalitios licitos esse docent Syluester *vsura. 2. §. 12.* Angel. *verbo vsura. §. 44.* Conrrad. *de contract. quæstione 79.* Richard. *quodlib. 2. quæstione 23.* Palud. quem citat, & sequitur Gerson 2. *p. tract. 36. de contractib. consid. 6.* Sotus *6. iustitiæ. quæstione 5. articulo 2. in fine.*

QVOD verum est non solùm de censu constituto pro vita venditoris, sed etiam emptoris, vt docent Richardus *quæstione citata articulo* 4. Angelus & Syluester suprà.

Num. 2. DEINDE Comitolus hunc casum ponit. Ex ciuitatis statuto Petrus, qui filiam habet vnius anni, centum dat ciuitati ea lege, vt si ad 15. annum ea peruenerit, quingentos in dotem tribuat; quòd si antea moriatur, ciuitas 100. lucretur; quem contractum esse vsurarium docet Angelus *vsura. 1. §. 42. & 43.* Rosella *vsura. 2. §. 40.* Armil. *eodem verbo. §. 36.* Tabien. autem *vsura 16. §. 10.* & Syluester tenent esse licitum, quia hîc non est mutuum; sed ludus fortunæ, & tam Petrus quàm ciuitas æquali periculo se exponunt, ciuitas perdendi 500. pro 100. acceptis, quod est maius periculum ex parte obiecti: Petrus verò se exponit periculo amittendi 100. spe quingentorum; quod periculum est longè probabilius, licèt minoris damni. Ipse Comitolus ait tutum esse ab huiusmodi contractu abstinere, sed si fiat, & celebretur, non esse condemnandum, cùm eum nulla certa ratio, vel humana lex, vel communis Doctorum consensio condemnet.

EGO licitum eum existimo, quia emere licet censum ad tempus determinatum irredimibilem, emendo ius ad annuam pensionem. v. g. dando 7. vel 8. pro vno annuatim reddendo per 15. annos: amplius autem potest exigi, si non sit annuatim recipienda pensio; sed totus cumulus pensionum recipiendus sit post 15. annos. Ita verò videtur facere Petrus in illo casu: posset enim quotannis pro 10. recipere 10. vel 12. in quindecim annis; vt autem toto eo tempore nullam recipiat pensionem, & si filia moriatur antequam 15. annos attigerit, nihil prorsus dare ciuitas teneatur, potest residuum vsque ad summam 500. Petrus recipere in filia sua 15. annum explente. Si obiicias, quòd

pro

Digitized by Google

pro periculo ſuſcepto nihil vltra ſortē poteſt recipere mutuans ex *c. nauigant. de vſuris.* vbi dicitur, vſuram eſſe mutuum dare nauiganti, vel eunti ad nundinas cum pacto recipiendi aliquid vltra ſortem, etiamſi mutuans periculum in ſe ſuſcipiat. Reſpondeo, hîc non eſſe mutuum, ſed emptionem iuris ad habendum 500. pro 100. poſt annos 15. deinde etiam mutuantem poſſe pro periculo auctarium aliquod recipere: & ad *cap. nauiganti.* reſpondet Roſella *vſura.* 1. §. 62. intelligi quādo ille non rogatus periculum ſuſcepit. Sed credo cum Tab. parum referre quòd rogatus, vel nō rogatus periculum ſuſceperit. Et cōmunis expoſitio eſt, illum damnari, quia pro mutuo, & non pro periculo in ſe ſuſcepto auctarium receperit. Ita Tabien. *vſura.* 12. cum Antonino *2. p. tit. 1. cap. 7.* §. *20.* & Piſanella *vſura 1.* §. *24.* quos videtur ſequi Comitolus. Sed latiùs *c. nauiganti.* expoſuimus *tract. de vſuris.*

ALIA de cenſibus videri poſſunt apud Felicianum *tom. 1. & 2. de cenſib.* Verginium *lib. de cenſibus.* Gaſparem Rodericum *lib. de annuis reditibus.*

TRA

Digitized by Google

TRACTATVS DE CAMBIIS.

Auctores referuntur.

Num. 1. DE cambiis differunt Canonistæ *cap. finali de vsuris.* Nauar. *in Cõmentario huius cap.* quem in summam redigit *in Manuali. cap.* 17. *post numerum* 283. De iisdem differunt Angelus *vsura.* 1 *num.* 51. Sylvest. *vsura.* 4. Rosel. *vsura.* 6. Tabien. *vsura.* 15. Armil. *verb.* campsor, Caiet. *in opusculis to.* 2. *tract.* 7. qui totus est de cambiis. & *verb. cambium.* & super Caiet. ibi. Didacus à Rosar. & Palac. Sotus *6. iust. q.* 8. & *seqq.* Ioan. Medi. *C. de restit. tract. de cambiis.* Bartholom. Medin. *in Summa lib.* 1. *c.* 14. §. 24. Conrad. *de contract. q.* 93. *vsque ad* 99. Gab. 4. *d.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 12. Maior *ead. d. q.* 36. & 37. Læsius 2. *iust. c.* 23. Rebell. *de obligat. p.* 2. *lib.* 11. Comitolus *lib.* 3. *responsionum. q.* 15. & 16. Toletus *lib.* 5. *Summæ. c.* 50. & *sequentib.* Salon *to.* 2. *de iust. post q.* 78. vbi & Bannez, quem transcribit, aut *Ioan. de Salas.* compendio refert. Ioan. Bapt. Corta. *tract. de cambiis. adiecto Summæ.* Valen. agit de eadem re 2. 2. seu *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 23. Mol. *to.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 396. & *sequentib.* Thom. Boninsignius *tract. de camb.* Angles *in floribus.* 4. *p.* 2. *q. de cambiis.* Gasp. Roderic. 3. *de reditib. q.* 5. *n.* 17. Mercad. *lib. de contract. tract. de cãbiis.* Petrus Ledesma 2. *p. Summæ. tract.* 8. qui est *de iustitia commut. pag.* 453. & deinceps. D. Thom. *lib.* 2. *de regimine Principum.* Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. & 3. *p. tit.* 8. *c.* 3. Hieronym. à Luca *tract. de camb.* Couar. *tom.* 2. *tract. de collati. numismatum. c.* 7. *n.* 3. & *seqq.* Eman. Rodriguez 2. *p. Summæ. c.* 102. *vsque ad* 105. inclusiuè Iacobus de Graf. *1. par. decisionum. lib.* 1. *c.* 110. Alphon Vega *in Summa, & Epitome. verb. cambium.* Emanuel Sa *eodem verbo.* Palac. *lib.* 3. *de contractib. per totum.* Ludouicus Lopez 2. *p. Instructory negotiãtium.* Fabianus de Genua, vel Ianua *tract. de cambiis.* Franciscus Garsia 2. *p. de contractibus. tit.* 12. Guttierrez 2. *practicarum. q.* 178.

Digitized by Google

DVBIVM I.

Quid sit cambium, & quomodo ab aliis contractibus differat.

SVMMARIVM.

1 *Nominis cambij variæ acceptiones.*
2 *Cuius generis iste contractus sit. vbi quatuor opiniones referuntur, & ad contraria argumenta respondetur num. 3. 4. 5.*

Num. 1. CAMBII nomine non vtuntur Cicero, aut Quintilianus; bene tamen alij Latinæ linguæ periti, Priscillianus *lib. 10. cap. 2.* vbi ex Ennio affert, *Leucatem campsant*, Vnde ars campsoria sic appellata à D. Thom. *2. de regimine Princip. cap. 13. & 14.* quæ etiam dicitur nummularia, vt & cāpsores nummularij, apud Aristot. 1. Polit. c. 6. & Matthæum cap. 21. *mensas nūmulariorum subuertit.* A Græcis hæc ars dicitur collybia, & campsores collybistæ, quia lucrum campsorum dicitur collybus, vt habet Budæus *in Pandectis. l. vlti. ff. de pignorat. actione.* Dicuntur etiam campsores, bancarij, telonarij, argentarij & mensularij, vt refert Couarr. suprà probans ex Plauto in Persa, & Asinaria, & ex Terentio in Phormione; & domus campsoriæ vocabantur Romæ tabernæ argentariæ. Vnde lex, *qui tabernas argentarias. ff. de contrahen. emptione.* & lex, *argentarius. ff. de edendo. in princip.* Habebant has domos in foro prope Ædem Castoris. Vnde, vt ait Budæus *l. si hominem. ff. depositi.* ortum fuit, vt quando hi recedebant fallentes suos creditores, dicerentur cedere foro.

MEMINERE huius cōtractus sub nomine *permutationis* Arist. suprà, & D. Thom. *2. 2. q. 74. art. 4.* Nec mirum, quia generatim cambium idem est quod permutatio, speciatim autem in communi vsu significat permutationem pecuniæ pro pecunia: quando verò aliæ res pro pecunia, vel aliis rebus permutantur, non dicuntur strictè, & in communi vsu cambiri, sed vendi, emi, aut permutari: imò si pecunia consideretur, vt metallum quoddam pulchra figura insignitum, præscindendo à valore legali, emi potest, & interdum dando aliam pecuniam æqualis valoris legalis, & aliquid amplius, quia valor naturalis alterius pecuniæ maior est propter metalli maiorē puritatem, vel excellentiam, aut propter figuræ pulchritudinem, antiquitatem, aut raritatē, vt ait Tolet. *5. Summ. c. 51.*

Num. 2. ROGAS, cuius generis sit iste contractus. Quidam dicunt esse emptionem, & venditionem: nam quanuis pecunia vt est pretium, & mensura aliarum rerum, merx non sit; vt tamen ad alios vsus conducit, merx esse potest. Vel licèt sit mensura aliarum rerum, potest etiam esse mensura alterius pecuniæ, ita vt alia pecunia per eam ematur. Ita tenet Caiet. *opusc. de camb. c. 6. & 7.* Sylvest. *vsura. 4. q. 7. dicto 1. & q. 8. dicto 1.* Boninsignius *tract. de camb. c. 6. n. 7.* Bannez *2. 2. tract. de camb. dub. 3.* Nauar. *c. 17. n. 291.* Petrus Ledes. *2. p. Summæ. tract. 8.* vbi de cambiis *con. 2. ad finem*, malè citans Thomam *2. de regimi. Princip. c. 13. & 14.* Sotum *6. iust. q. 6. art. 2.* nam ibi nihil dicunt: & Sotus *q. 8. eiusdem libri.*

Digitized by Google

libri. artic. 1. *&* 2. docet oppositum. Alij dicunt esse mutuum quoddam, quando pecunia præsens datur pro absenti eiusdem rationis, quia in isto cambio datur pecunia post aliquod tempus reddenda, vt in mutuo. Hanc sententiam tribuit Conrrado & Ioanni Mediuæ Salon *quæst.* 2. *de cambiis.*

Nam. 3. ALII dicunt hunc esse contractum innominatum, do vt des. Ita Salon *q.* 1. *de cambiis. art.* 1. *&* 2. *ad* 2. & Molin. *disp.* 396. & Rebellus *de oblig. iust. p.* 2. *lib.* 11. *q.* 1. cum Nauar. *cap. nauiganti. de vsuris. num.* 9. colligente eam ex *l. ex placito. C. de rerum permut. & l.* 1. *ff. eodem.* & aliis legibus. *& num.* 21. tribuente eam Calderino *consil.* 11. *de vsuris.*

ALII dicunt esse contractum nominatum à cæteris diuersum, cui proprium nomen est cambium. Ita etiam dici posse putat Salon locis citatis. Quæstio est de nomine, & non magni momenti, vt docet Nauar. suprà, & Læsius *2. de iust. & aliis virtutib. cap.* 23. *dub.* 1. Existimo tamen esse contractum innominatum à nominatis, & aliis innominatis diuersum. Nam à mutuo differt, vt docet Conrrad. *de contract. q* 98. *con.* 1. *& q.* 99. *con.* 2. Salon *illa quæst.* 1. Læsius *illo dub.* 1. Rebellus *quæst.* 1 *de cambiis.* Valen. 2. 2. *disp.* 5 *q.* 23. *pun.* 1. Sotus 6. *iust. quæst.* 8. *art.* 1. *&* 2. Vega *in Epito. & Sum. verb. cambium. casu* 1. Palac. 2. *de contract. cap.* 3. *&* 4. Primò, quia materia cambij est sola pecunia, mutui verò etiam alia vsu consumptibilia, vt frumentum, vinum, & oleum. Secundò, quia mutuum postulat interuallum inter dationem, & redditionem pecuniæ: cambium non nisi per accidens, quando commutatur præsens pecunia in distantem, cuius non potest statim fieri traditio: imò res quæ existit, potest commutari cum futura, vt triticum præsens cum eo quod in messe fuerit collectum, & pecunia præsens cum futura, vt contra Sotum 6. *iustitia. quæstione* 12. *articulo* 2. *colum. penultima.* & Grasis 1. *parte decisionum. lib.* 2. *cap.* 110. *n.* 3. & Sylvest. *vsura.* 4. *q.* 9. *dicto* 6. docent Nauar. *cap.* 17. *numero.* 287 Molina *tract.* 2. *de iust. disp.* 396. Vega *in Epito. & Sum. verb. cambium. casu.* 11. Læsius 2. *iust. cap.* 23. *dub.* 1. *num.* 3. Rebell. *de oblig. p.* 2. *lib.* 11. *q.* 6. *n.* 10. Si enim talia possunt emi, & vendi, cur non etiam commutari; cùm contractus emptionis, & venditionis similis sit contractui permutationis? *l.* 1. *&* 2. *ff. de rerum permutatione.* imò idem formaliter in esse moris, vt docet Sotus 6. *iustitia. q.* 8. *art.* 1. & Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 20. *punct.* 1. *& q.* 23. *punct.* 1. cum D. Thom. *q.* 61. Sicut enim furtum auri, & argenti, & vini, & pecuniæ eiusdem rationis & speciei sunt in esse moris, ita permutatio pecuniæ pro pecunia, pro vino, oleo, &c. sunt eiusdem speciei in esse moris.

TERTIO, quia in mutuo potest restitui eadem numero pecunia; in cambio non, sed ad cambium debet esse diuersa saltem numero. Quod verò aliqui dixêre, in cambio pecuniam debere reddi diuersæ rationis, vt Valen. suprà, & Ioann. Medin. *q.* 1. *de cambiis.* meritò impugnant Rebellus *q.* 1 *de camb.* Soto 6. *iust. q.* 8. *art.* 1. *& q.* 10. *art.* 1. Molin. *disp.* 398. *in princip.* nam si pecunia eiusdem speciei reddatur, vt solet Romæ, cum ea, quæ in Hispania est tradita, ne-

Digitized by Google

mo negauerit esse cambium: semper tamen debet esse pecunia diuersa specie, vel loco: in mutuo verò hoc non requiritur.

QVARTO, mutuum datione vnius pecuniæ completur, cambium verò non completur, sed inchoatur, vsque ad traditionem alterius pecuniæ. Ergo cambium non est mutuum. Nec verò est venditio, aut emptio, vt docent Sotus *6. iust. quæst. 8. art. 1. & art. 2. con. 3. in fin.* Vega suprà, Graf. *c. cit. n. 1.* & Salon *q. illa 1. de cambiis. art. 1. & 2.* quia emptio est commutatio pecuniæ pro re, quæ non est pecunia. *l. 1. & 2. ff. de rerũ permut. l. 1. ff. de contrahenda emptio.* Cambium verò est commutatio pecuniæ pro pecunia. Item emptio, & venditio ante traditionem pretij, vel rei completur: cambium verò & permutatio non; vt patet *l. 1. ff. de rerum permut.* Item in venditione vnum est pretium, aliud merx: in cambio autem non est maior ratio cur vna pecunia sit pretium, vel merx quàm alia, præsertim si sint æquales in valore. Vnde Sylvest. suprà, & Eman. *2. p. Sum. cap. 102. n. 2.* dicunt solùm esse emptionem, quando vna pecunia est alia melior, saltem, quia est præsens, & tunc meliorem habere rationem pretij, & deteriorem rationem mercis. Sed meliùs dicit Tolet. *5. Summa. c. 51.* pecuniam, vt metallum est, emi posse; non verò vt pecunia est. Neque verò cambium depositum est. Primò, quia in depositio eadem numero res est restituenda: in cambio verò diuersa. Secundò, quia depositarius non potest rem depositam in proprios vsus conuertere: secus campsor, vel campsuarius. Neque verò cambium locatio est, quia in locatione datur pretium pro vsu rei locatæ, vel conductæ, in cambio autem nihil recipitur, aut datur pro vsu pecuniæ: non igitur locatur pecunia, & alioqui non transferretur eius dominium, quia in locatione non trãsfertur dominium rei locatæ. Sed dicunt aliqui locari operas, do enim pecuniam vt des pecuniam. Contrà, quia dare pecuniam non est opera locabilis, nisi quatenus pro labore numerandi pecuniam aliquid datur: in cambio autem non datur sic pecunia; sed solùm auctarium aliquod minimum pro labore numerandi pecuniam, & datur pecunia pro pecunia. Non est igitur locatio, sed genus quoddam permutationis, vt patet ex *l. 1. ff. de rerum permut.* Vnde innominatus contractus est, nam præter emptionem, & venditionem omnes permutationes sunt contractus innominati, vt dicit Mol. suprà, & Rebell. cum communi Doctorum; & colligitur ex legibus, do autem vt facias, & facio, vt facias; sunt etiam contractus innominati, vt etiam affirmat Molina.

VT autem in emptione, cui contractus cambij similis est iuxta leges ad hoc citatas, venditor tenetur de euictione, & tenetur defectus rei venditæ manifestare, ita in cambio. Salon *quæst. 1. de cambiis. art. 1.* Molina *disp. 369.*

ADVERTIT autem Nauar. *illo n. 9.* **Num. 4.** ante cambij ex vtraque parte impletionem licitum esse ab eo resilire, non secus atque in cæteris innominatis contractibus plerique putant esse per iura concessum. Vnde Bart. *leg. 2. Codice de rerum permutatione.* asserit non transferri dominium

ante

Digitized by Google

antequam is,qui accepit ex sua quoque parte contractum adimpleat. Sed Rebellus *q.illa 1.de cambiis. n.10.* ait,licèt cambium pecuniæ pro pecunia,vel rerum quarum neutra est pecunia sint contractus innominati; tamen etiam ante impletionem ex vtraque parte,obligare in foro conscientiæ(quidquid sit de externo, de quo egit *p. 2. lib. 2.*) ita vt neutri liceat sine alterius consensu à contractu resilire , nisi fortè contrariam mentem sese mutuò habere intelligant;præsumántve,imò etiam transferre dominium posse per rei ex vna parte traditionem, vt apertè in permutatione presbè sumpta patet ex *l. cum precibus. C. de rerum. permut.* ad quam Bartolus non videtur aduertisse.In cambio verò idem consuetudo habet:is enim qui pecunias accipit, non tamquam alienas eas assecurare solet quousque ex sua parte impleat,sed tanquam suas statim potest distrahere,non secus , ac si per mutuum illas accepisset. Nec ab illa generali regula,quæ habet,traditione rei transferri dominium,*instit. de rerum diuisione.§.vendita.*fieri debet exceptio in cæteris contractibus dominij translationis , præterquàm in venditione , vbi per rei traditionem antequam pretium sit ab emptore solutum , vel pro soluto habeatur, non transfertur dominium , idque ex priuilegio ipsius contractus pecuniarij iuxta gloss. *in leg. 1. Codice de rerum permut. & in leg. traditionibus. C.de pactis.*

Num. 5. A D iura verò quæ licitam esse pœnitentiam in contractibus innominatis asserere videntur , respondent aliqui intelligenda esse, quando mens contrahentium talis est, vt se obligare non intenderint. Rectiùs tamen dices,prædicta iura non negare obligationem naturalē pro foro conscientiæ ex contractibus innominatis suapte natura resultare:sed tantùm velle non debere cōtrahentes cogi in foro externo, nec vnum in eo foro posse agere aduersùs alterum pro impletione contractus innominati , ne patentius litibus ostium aperiatur. Vide quæ *lib.1.q.3.*dixi. Hæc Rebellus , de quibus alibi dicam. Vide Palac. *lib. 7. de contractibus.*vbi latè disputat, an aliqui contractus sint innominati , & cur sic appellentur,& an obligationem producant,&c.

DVBIVM II.

Quotuplex est cambium.

SVMMARIVM.

1 *Cambium reale & fictum quid sit.*

2 *Quid minutum , quidve locale.*

MISSA diuisione cambij latè dicti,quam ponit Sotus *libro 6. de iustitia.questione 8. art. 2.* & Salon *questione 1. de cambiis. articulo 1.* Toletus *libro 5. capite 50.* & alij multi , vt cambium aliud sit pecuniæ pro pecunia, aliud pecuniæ pro non pecunia,aliud non pecuniæ pro nō pecunia: quia hîc agimus de cambio strictè sumpto , quod est cōmutatio *Num. 1.*

Digitized by Google

pecuniæ pro pecunia; omissa etiam alia diuisione Caiet. *opusc. de cambiis. c.1.* vt aliud sit apertè licitum, aliud apertè illicitum, & vsurarium, aliud dubium, quia hæc diuisio non pertinet ad substãtiam cambij, sed ad accidentia iustitiæ, vel iniustitiæ certæ, aut dubiæ. Cambium communiter diuiditur in reale, & fictum seu siccum. Cambium fictum seu siccum est quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eo quòd imaginem quandam cambij præ se ferat, vt quãdo fingitur alibi solutio facienda, & dantur literæ ad ipsum, tamen solutio est facienda in eodem loco, & propter solam temporis distantiam redditur sors cum lucro. Hoc dicitur siccum, quia caret humore, & succo, vel substantia, seu iusto titulo, & vi ad pariendum, vel operandum iustum lucrum. Reale verò est quod non est fictum cambium, sed verum, non siccum, sed viride, & vires habens ad pariendum, & operandum iustum lucrum.

Hoc cambium est duplex; alterum scilicet minutum seu manuale, in quo monetæ maiores pro minoribus eodem loco de manu ad manũ reddendæ commutari solent. Alterum locale seu per literas, quia solutio in diuerso loco per literas facienda est. Minutum est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei, vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum æreis, maiorum cum minoribus, arrosorum cum integris, vetitorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patritiorum cum externis. Locale seu per literas, quãdo permutatur pecunia præsens cũ absente. Hoc fit dupliciter, primò, vt campsuarius det hîc pecuniam alibi recipiendã. Secundò, vt cãpsor det hîc pecuniã alibi recipiendã. v.g. Romæ, vbi suũ factorem, vel correspondentẽ habet. Vide Mol. *disp. 398.* qui rectè de cambij diuisione agit, & Rebellum 2. *p. de oblig. lib.* 11. *q.* 3. Lęsium 2. *iust. cap.* 23. *dub.* 1. Palac. 3. *de contract. c.* 3.

DVBIVM III.

An cambium minutum cum lucro licitum sit, & qua ratione?

SVMMARIVM.

1 *Licitum est aliquando, primò ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.*
2 *Secundò, ratione officij cambiendi, à Principe, vel Repub. iniuncti.*
3 *Tertiò, ratione puritatis materiæ.*
4 *Quartò, ratione commoditatis.*
5 *Quintò, ratione antiquitatis, pulchritudinis, vel raritatis.*
6 *Sextò, ratione vsus, seu expendibilitatis.*
7 *Cambium cum lucro aliquo sæpe est licitum, & ars campsoria licitè potest exerceri.*
8 *Medina impugnatur.*
9 *Ratione commoditatum recipi potest aliquid vltra pretium taxatum pro moneta superioris metalli.*
10 *Tria docet Molina circa propositam difficultatem.*
11 *Explicatio doctrinæ præcedentis.*

RESPONDETVR, licitum esse aliquando, vt docent Læsius 2. *de virtutib. c.* 23. *dub.* 2. Salon 2. 2. *tom.* Num. 1.

tom.2.disp.de cambiis. q. 2. Toletus *lib. 5.c.51.* Conrrad. *de contract. q. 99.* Bannez 2.2. *tom.2.tract.de cambiis.dubio* 2. Petrus Ledesm. *tract. de cambiis. con. 2. difficul.1.* Sotus *6.iusti.q.9.art.vnico.* Molin. *tom.2.de iust.disp.399.& 400.* Caiet. *tract.de cambiis.* Vega *in Sum.& Epito. verb.cambium.casu 1.* Sa *n.* 1. Valen. 2. *2.disp.5.q.23.pun.2.&* 4. Med. *q.* 2. *de cambiis.* Nauarr. *Comment.c.fin. de vsur. n.10.* Couar. *de colla.nummis.c.7.n.4.* Syl. *vsura.4.q.7.* Rebell. *de oblig.p.2.lib.11.q. 4.n.3.* Sa *verb.cambium.n.1.& 2.* Graf. *tom.1.decisionum.lib.2.c.110.n.* 12. *& sequentibus.* Angles *q.de cambiis.art.3.& art.5.dub.4. diffic. 6.* & alij cõmuniter, quos postea citabo, qui ponunt varias causas, ob quas id sit licitum, quæ non semper omnes concurrunt.

PRIMO, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis tantùm potes exigere supra valorem legitimũ, seu lege taxatum, quanti æstimabitur illa spes lucri, qua te per cambiũ priuas, vt si constitueras nummos aliò deferre, vbi plus valent: vel alibi merces emere, vbi sine damno alia moneta emere nequis. Eodem modo licitũ est accipere supra pretium lege taxatum vini, olei, & cæterarum mercium, si aliò, vbi plus valẽt, delaturus eras, vel in aliud tẽpus, in quo maiorem haberent valorem, reseruaturus. Hic titulus quãdo interuenit, manifestè honestat cãbium minutum cum lucro. Valen. *illo pun.4.* Nauar. *c.17.n.292.* Med. *q.2. de cambiis.* Caiet. *opusc.de camb.c.* 1. *&* 9. Eman. 2. *p.Sum.c.*103. cum Conrra. Syluest. & Garsia *de contract.* 2. *part. cap.*7.

Num. 2. SECVNDO, ratione officij cambiẽdi, à Principe, vel Repub. iniuncti. Nam officium sic susceptum includit obligationem cambiendi, & multa onera pretio æstimabilia, vt paratam habere pecuniam varij generis in gratiam aliorum, numerare cùm aliquis petierit, custodire assiduè cum solicitudine, manere domi per se, vel famulos expectando campsuarios petentes ad cambium, esse expositum deceptioni, & errori in numerando, & accipiendo falsam monetam pro vera, attonsam pro integra, &c. Ad quæ officia habere oportet famulos, & officiales fideles, & peritos, quales non semper inueniuntur, & quorum defectus valdè incommodus esse potest campsori. Ratione igitur huius obligationis, & onerum, & obsequiorum, quę in aliorum commodum præstantur, potest campsor à singulis aliquid exigere, si aliunde stipendium non habet, nempe quantum necesse est vt tale officium ex æquo compensetur: sicut de monte pietatis dictũ est à nobis *tract.de vsuris.* vbi Læsius *cap. 20.dub.penultim.libri citati.* Valen. *illo pun.4.*

NOTAT autem idem Læsius *c.23. dub.2.* ratione huius tituli nõ solùm posse campsorẽ aliquid lucrari dum monetam magnam cambit pro parua, vel auream pro argentea; sed etiam dum minutam pro magna, siue aurea, siue argentea commutat. Nam vtrunque fit in gratiam eius qui permutationẽ petit, & ob vtrũque susceipitur officium, & varia pecunia procuratur, & nulli alteri negotiationi exponitur, nec persona alteri officio vtili vacat. Graf. *illo n.*12.

QVANVIS autem quidam, vt Caiet. *tract.de cambiis, c.1.5.6.& 7.* putent nihil

Digitized by Google

nihil posse accipere eum, qui sponte sua absque auctoritate Principis, vel Reip. tale officium assumit, nisi quia se priuat aliqua commoditate. Meliùs tamen Læsius *illo dub.* 2. Ledes. *2.p. Sum. tract. 8.* vbi de cambiis. *con.5.* Eman. *2.p. Sum.c.103.n.1.& 4.* Palac. *3.de contract.c.2.* Guttier. *2. practicarum.q.178. in fine.* Lopez *Instruct. negot.lib.2.c.2.* Mercado *lib.4.de contract.* Anton. *n.2.p.tit.1.c.7.§.47.* Rebellus suprà *n. 4.* Angles suprà dicens, decretum esse in quadam pragmatica Regia. Conrrad. *de contract.q.99.con.5.* Nauar. *c.17.n.288.* Conrr. suprà *con.4. & 5.* Sotus *6.inst.q.9.art. vnico.* Vega *in Sum.& Epito.verb. cambium. casu 11.* Bannez *tract. de camb. dub. 5. con. 2.* & alij affirmant, posse aliquid exigere, licèt minus quàm qui ex obligatione præstat illa obsequia, vel subit ea onera. Nam etiam sponte susceptа in aliorum gratiam digna sunt mercede, & possunt non illis applicari sine illa. Idem tenet Ioan. Med. *q.2.de cambiis.* licèt *q.1.§. penul.* contrarium primo aspectu innuere videatur. Nauarr. *c.17.n.288. & in Comment. c. fi. de vsur.n.19.* Gab. *4.d.15.q. 11. art. 3. dub.12.* Maior *ibi.q.37.* Couarr. *tract. de colla.numism.c.7.in prin.n.4.* Sylvest. *vsura.4.q.7.dicto 3.* Molin. *tom. 2. disp. 399.* Valen. *illo puncto 4.* Ioan. Baptist. Corrad. *tract. de cambiis.* & quanuis Caiet. *tract.de cambiis.c.1.* putet ratione labori numerandi pecuniam nihil posse exigi; quia hic labor non est pretio æstimabilis, vel si est pretio æstimabilis, sufficienter compensatur labore alterius qui pecuniam etiam numerare debet.

Sed communis sententia est ratione huius laboris posse aliquid exigi, etsi parum. Conrrad. suprà *con. 5.* Sotus *lib.6.q.9. art. vnico.* Læsius *illo dub.2.* Nauarr. suprà. Vega *verb. cambium.casu 1. in Summa, & in Epitome.* Palac. suprà. Sylvester *vsura. 4. §. 7. dicto 3.* Molina, Rebell. & alij paulo antè citati, imò Caiet. *in Sum. verb. cambium.* absolutè & indistinctè affirmat, fas esse pro cambio minuto moderatum lucrum accipere.

Ratio est, quia hic labor est pretio æstimabilis, licèt interdùm gratis subiri soleat: quare cùm fiat ad petitionem alterius, poterit pro eo exigi compensatio; ab eo enim qui petit laboris aliquid in suum commodum præstari, potest merces peti: vnde etiam in mutuo aliquid ratione huius laboris & aliorum accipi posse, testantur Læsius *ibi*, & Molina *disp. 399.* cum Medin. Nauarr. & Maiori. adde Durandum *3.d.37.q.2. n.6.* Valen. *2.2. disp.5.q.23.puncto 4. con.5.* Bannez *2.2.tract.de camb. dub.5. con.4.* de quo dicam *dub.* 40. Neque verum putant numerationem vnius compensari per numerationem alterius; quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambiū petit, sicut in mutuo: nam secunda est propter primam; prima autem est propter petētem: ergo etiam secunda censetur esse propter eūdem. Et hæc ratio procedit, etiamsi quis non habeat ex officio cambire, sed semel aut iterum cambire velit.

Tertio, ratione puritatis materiæ. Ioan. Medina *q.3.de camb.* negat hoc titulo posse aliquid accipere campsores, quia in taxando pretio Princeps habuit rationem puritatis materiæ, ac proinde non potest moneta ob hāc causam pluris æstimari. Sed cōtrarium tenent Læsius, Sotus, Nauar. Petrus Ledes. Angles, Tolet.

Digitized by Google

Tolet. Couar. Bãnez, Palac. Eman. 5. Caiet. *opusc. de cambiis. cap. 6.* Guttierr. Lopez. Sylueſt. Rebellus ſuprà *quæſt.* 5. Grafis *num.* 14.

PROBATVR, quia ſcutum auri puriſſimi, cui nihil alieni metalli eſt admixtum, etſi non ſit maioris taxæ legalis, quàm ſcutum auri impurioris, eſt tamen maioris pretij vulgaris ratione materiæ: communi enim hominum iudicio pluris æſtimatur, quia materiæ æſtimabilis, nempe auri, plus habet, & ad plures fines magis conducere poteſt, ad deaurandas res, ad pompã & ornatũ, ad cõficiendũ ex illo annulos, torques, iocalia, & alias res aureas, & alias minores monetas in eodem Regno, vel maiores, aut æquales in alio, ad faciendum aurum potabile, & coquendas cum eo carnes pro medicina, & ad alia multa, & quia magis ſplendet, rutilat, & lætificat. Ergo inſtar mercis pluris poteſt vendi, aut commutari. Sic antiqui ducati duplices pluris æſtimabantur, quàm noui, etiam quando lege idem pretium habebant. Itaque licet veteres commutare nouis cum tanto auctario, quanto plus auri eſt in illis quã in his. Sic pluris æſtimantur, præſertim extra Hiſpaniam, nummi argentei Mexicani, quàm Segobiani, quia plus argẽti habẽt, & min⁹ mixturæ ſeu ligæ.

AD argumentum Ioann. Medinæ reſpondeo cum Læſio, Petro Ledeſ. Sa, Palac. & aliis communiter, Principis mentem non eſſe quin huiuſmodi nummi puriores, ſi tanquam res commutentur cum impurioribus, poſſint ratione materiæ pluris æſtimari (id enim eſſet irrationabile, ac proinde non obligaret ſubditos in conſcientia) ſed tantùm præſcribere pretium eorum, quatenus ſunt menſura rerum venalium, & ſolutionis debitorum, vt ſequenti dubio amplius declarabo.

QVARTO, ratione commoditatis conſeruandi, transferẽdi, numerandi, & vbique negotiandi, nam in pluribus locis currit, & libentiùs recipitur, & pluris æſtimatur, quia eſt rarior. Eſt etiam maioris ſecuritatis: nam Principes ſolent facilè ex auctorare, vel minuere inferiores monetas, ſuperiores verò euehere. *Num. 4.*

HVNC titulum negat etiam Ioann. Med. ſuprà, & nonnulli alij: ſed affirmant Caiet. Bann. Sot. Læſius, Sylu. Petrus Ledeſma citãs Orellanam & Canum, Couar. Rebell. Sa, Graf. *n. 13.* Angles, & alij communiter, & meritò. Quis enim nõ pluris æſtimet mille aureos coronatos in auro, quàm in pecunia minuta argentea, vel ærea? Itaque in his permutãdis poteſt hæc commoditas, qua ſe quis priuat, æſtimari, nihil tamẽ amplius peti poteſt ratione commodi, quod alteri inde prouenit, vt rectè notant Læſius & Caiet. quia ſcilicet id eſt per accidẽs.

SED contra hunc titulũ obiiciunt Ioann. Med. & alij primò, quia Princeps in pretio taxando huius commoditatis rationem habuit. Secundò, quia ſicut moneta magna, & aurea ſuas habet cõmoditates, ita etiam minuta, eleemoſynæ enim paruæ, & emptiones rerum vilium ſine minuta moneta fieri non poſſunt.

AD primum reſpondet primò Læſius, Principem eatenus habuiſſe rationem huius commoditatis, quatenus maius pretium illis nummis impoſuit, quàm tantundem auri in minutiſſimas partes diſtributum haberet: eo tamẽ pretio impoſito adhuc

Digitized by Google

pluris æstimatur quàm pretium illud in minuta pecunia : neque id Princeps tollere potest (quanuis possit prohibere cõmutationẽ) quia est conditio consequẽs rei naturam.

SECVNDO respondet Læsius, & alij, Principem non intendere illos nummos taxare secundùm omnem rationem, & ad omnem vsum, quem habere possunt, sed solùm, vt sunt mensura rerum venalium, & solutionis debitorum. Dupliciter enim nummi considerari possunt, primò formaliter, vt nummi, seu vt sunt mensura rerum venalium, qui est vsus earum primarius. Sic non plus valent, quàm lege Principis sunt taxati, vel saltem, quàm vulgò in emptionibus, & debitorum solutionibus solent exponi.

QVOD addo, quia sæpe fit, vt valor nummorum crescat supra taxam legalem, ex appretiatione & vsu vulgi, Principe non contradicente, idque ob materiæ puritatem, vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur; & tunc possunt passim in contractibus eo pretio exponi; quia illud censetur legitimum. Secundò, materialiter, seu ratione conditionum, quas habent ex materia, vel figura, vt ratione puritatis, vel copiæ materiæ, vel raritatis, vel cõmoditatis, vel antiquitatis, vel pulchritudinis. Hæc enim omnia cẽsentur conditiones materiales; nam etiam ipsa imago est quid materiale in nummo, quà nummus est. Secundùm hanc rationem habẽt vsum secundariũ, vt docet D. Thom. 2. *de regim. Princip. c. 14.* & fiunt res vendibiles, & permutabiles cum aliis nummis, nec sunt taxati lege, sed habent vulgarẽ æstimationem, quæ nõ consistit in indiuisibili, sicut legitima, sed constat suis gradibus pretij infimi, medij, & sũmi. Vnde possunt vendi, & permutari cũ aliquo lucro, iuxta receptã locorũ cõsuetudinẽ. Ita docẽt Caiet. *c. 1. & 6.* Conr. Rebel. Sot. & Nauar. suprà, & alij passim. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare, nisi secũdùm æstimationem legalem, seu eam, quã habent vt nummi ad vsum primarium, vt tenent Læsius & Rebellus.

AD secundam rationem respondet Læsius, licèt monetæ paruæ sua etiam commoda habeant, tamẽ exiguam copiam cuique sufficere, quæ facillimè haberi potest : nemo enim quærit ingẽtes aceruos exiguæ monetæ, sed magnæ, cuius summa copia quæritur : interdum tamen moneta inferioris metalli tam erit necessaria ad negotiãdum, vt pro 32. dispondiis, seu marauedinis licitè accipi possit argenteus, vt ait Bannez. Admonet tamen Rebellus in Lusitania *l. 4. extrauag. tit. 10. §. 10.* sanciri, ne pro monetis aureis Lusitanis cambiẽdis inter priuatos ampliùs quàm taxatus ipsarũ valor recipiatur. & *l. 3. ordinat. tit. 8. p. 3.* ne pro regalibus Castellanis ampliùs quàm 36. quadrãtes, & tertia pars vnius quadrantis, id est, *dous ceptis*, recipiatur.

AN verò solutio in quacũque moneta sit necessariò à creditore accipiẽda, vide *dub. 33.* Pro solutione autẽ argumẽtorũ Med. videre licèt Palac. qui latè omnia soluit *3. de contract. c. 2.*

QVINTO, ratione antiquitatis, pulchritudinis, vel raritatis : hæc enim cõditio facit nũmos pluris æstimari quã alioqui valerẽt. Læsi. Tole. Rebell. & alij. Sed hic titulus in 4. inclusus fuit : & ad hũc pertinet curiositas, *Num. 5.*

Digitized by Google

tas, & doctrina aliqua peculiaris, quæ ex figura quarundam monetarũ elicitur. Itẽ vendẽti esse charã, eo quòd sit maiorũ suorum auctoritate cusa, vel alia ratione, & ideo eam nollet alienare. Toletus suprà.

Num. 6. SEXTO, ratione vsus seu expendibilitatis, vt aiunt Caiet. *cap. 6.* Læsius, & Salon; vt si in aliquo loco commutes nummos, qui possunt ibi expendi cum iis qui non possunt: cùm enim non habeant ibi pretium, vt nummi, sed solùm vt aurum, vel argentum, possunt notabiliter minoris emi, quàm valeant in sua prouincia, inquit Læsius. Quanuis si prouinciæ essent vicinæ, & facilè possent eò deferri, & ex eis emi necessaria, vel transituris in illam prouinciam, aut in ea habitantibus pro patritia pecunia dari, non possent multo minoris emi, aut commutari. Hac ratione, inquit Molin. *disp. 399. in fin.* qui in confiniis sunt Regnorum, lucrari solent cambiendo pecunias asportatas ex alio Regno, quæ in loco, in quo fit cambium, valorem non habent, pro minori pretio quàm valeant, vnde sunt asportatæ; id quod licitè fit, eo quòd in loco, in quo fit cambium, valorem non habent, eásque asportando in eum locum vbi valorem lege taxatum habeant: aut pro eo valore eas commutando cum transeuntibus in eum locum. Consentiunt Medina *q. 3. de cambiis. §. vltim.* & alij.

SED addit Molina, tam modicum posse esse aliquando pretium habita ratione materiæ monetæ (vt si esset argentea Lusitaniæ) vt contractus esset iniustus cum restituendi onere vsque ad infimum pretium iustum: si enim pretium pro æquali frusto argenti esset infra infimum iustum, quo argentum in massa in simili vendendi modo emi consueuit, sanè contractus esset iniustus cum onere restituendi vsque ad infimum pretium iustum.

HIS titulis potest fieri cambium manuale cum lucro. Alia ratio adducetur *dubio 6. in fin.* nimirum cùm est certum, vel probabile, breui exauctorandam, vel minuendam monetam; tunc enim licebit eam emere, vel commutare minori pretio quàm lege sit taxata.

QVOD verò diximus, etiam priuatis licitum esse cum lucro cambire, intellige, etiam non obstante iure positiuo huius Regni, vt *dub. 5.* dicam contra aliquos existimantes, lege positiua Regni huius Castellæ prohibitum esse priuatis cambire cum lucro.

Num. 7. Ex dictis de iustitia cambij minuti seu manualis, & ex dicendis de iustitia cambij localis seu per literas, constat cambium cum lucro aliquo sæpe esse licitum, & artem campsoriam posse licitè exerceri.

HOC est contra Hostiensem *in Summa tit. de vsuris.* Antoninum 2. *& 3. p.* & alios, qui, vt refert Caiet. *op. de cambiis. c.* 2. absolutè artem campsoriam damnarunt, quibus ex recentioribus subscribere videtur Mercatus 4. *de contractib. cap.* 1. & quidam Iurisp. Genuensis magni nominis, apud Fabianum Genuensem *tract. de cambiis. p.* 2. *cap. 7.*

SED nostrum corollarium docent ex Iurisperitis, gloss. *authen. de fide iussoribus. §. argentarios.* Bald. & Salycet. *l. 2. C. si aduersùs rem iudica. & l. 3. C. de exerc.* Ioannes Ananias *cap. fin. de vsuris.* Nauarr. *eod. cap. num.* 11. Ex

Digitized by Google

Theologis Conrtad. *de contractib. q. 98. & 99.* Rosell. *vsura. 6. §. 6.* Angel. *vsura. 1. num. 52.* & optimè ibi Angeli scholiastes Iacobus Vngarellus, Salon *q. 1. de cambiis. art. 2.* Sotus, Molina, Rebellus, Valentia, Bannez, Petrus Ledesm. Caiet. Fabianus Genuensis, Graf. Tolet. Palac. Eman. Veg. Sa, Molina, Læsius, & alij citati initio huius materiæ, & omnes recentiores tam Theologi quã Iurisperiti: & cõstat ex Bulla Pij V. de cãbiis. Et quanuis Arist. 1. Polit. cap. 6. & 7. artem istam damnare videatur, tamẽ reuerà eam non dãnat, sed docet in ea vsurpari pecuniam ad vsum eius minùs proprium, & naturalem, scilicet ad commutationem pro alia pecunia, cùm eius vsus magis proprius & naturalis sit, esse pretium & mensuram aliarum rerum, & pro illis commutari. Argumẽta quæ cõtra hãc artem fiunt, facilè diluit Salon suprà.

Num. 8. Ex dictis quoque patet, non rectè dixisse Medinam *q. 2. de cambiis.* cambium minutum cum lucro, seu recipiendo aliquid vltra pretium taxatum à lege, licitum non esse, nisi ratione lucri cessantis, vel dãni emergentis, vel officij, vel alterius tituli distincti ab excellentia, puritate & commoditatibus superioris metalli: cuius sententiam malè Soto tribuit Bannez *2. 2. tract. de camb. dub. 2.* quia Sotus nominatim impugnat Medinam; eam tamen sentẽtiam sequitur Valentia *2. 2. disp. 23.* quæ est de cambiis, *puncto 2.* & præter illas duas rationes ex Medina relatas, nimirum quia Rex in taxatione monetæ superioris attendit ad omnes illas commoditates, & quia etiam in inferiori moneta sunt suæ commoditates, vtitur hac ratione. Eadẽ frumẽti quantitas, quæ iustè emeretur pro pecunia aurea, iustè emitur secũdùm omnes pro pecunia inferioris metalli, quæ est pretium legitimum aureæ pecuniæ, seu pecuniæ metalli superioris: ergo etiam iustè pro pecunia metalli superioris commutabitur inferior pecunia iuxta taxatum eius pretium, ac proinde iniustè pro illa exigitur maius pretiũ: quæ enim omnibus consideratis sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se.

RETINENDA tamen est sentẽtia *Num. 6.* asserens, ratione talium commoditatũ recipi posse aliquid vltra pretium taxatum pro moneta superioris metalli. Sotus *6. iust. q. 9. art. vnico.* Caiet. *tract. de camb. c. 6.* Sylvest. *vsura. 4. q. 3.* Nauar. *c. 17. n. 283. lit. D.* aliàs *n. 288.* vel *287. & Comm. v. vlt. de vsur. n. 20.* Bãnez *2. 2. tract. de camb. dub. 2.* Sa *verb. cambium. n. 2. & 3.* Couar. *tract. de collatione numismatũ.* Læsius *2. de iust. c. 23. dub. 2.* Petr. Ledesm. *2. p. Summ. tract. 8. de iust. commut.* vbi de cambiis *con. 2.* citãs Canũ, & Orellanã; & verè dicẽs hũc esse vsum timoratorum & doctorum hominũ: nam scutũ quotidie cõmutabãt 12. nũmis argenteis, quãdo taxatum erat 11. cum 24. marauedinis: nunc verò 11. argenteis taxatum est à Rege Philippo III.

ET ad nouã Valentiæ rationẽ respõdeo, illas duas monetas esse æquales in ordine ad emptiones inter se, sicut cum vno tertio, scilicet frumẽto, sed in ordine ad se esse inæquales, quia in ordine ad se nõ sũt taxatæ, & ideo plꝰ exigi potest pro moneta cõmodiori ad asportãdũ, numerãdũ, &c.

CONCEDIT tamẽ Med. si cõsuetudo vigere incipiat, vt pro pecunia aliqua accipiatur aliquid vltra pretium lege taxatũ, & Princeps illiúsve Senatus

Digitized by Google

natus id sciat, nec puniat, aut cõtradicat, tunc censendum esse voluntatem illius non esse, vt lex ea in parte obliget: atque adeò tutò tunc posse accipi incrementum illud. Molina *disp.* 341. Ego, inquit, etiam adderem, ex tũc incrementũ illud limites ingredi pretij naturalis iusti, licitéque deinde posse extendi intra limites iusti pretij naturalis, quia in indiuisibili non consistit, nec est fixum, sicut est pretium lege taxatum. Atque hac ratione Medina immunem defendit à culpa, & à restituẽdi onere consuetudinem accipiendi incrementum pretij pro quibusdam pecuniis aureis antiquis. Iuxta eam verò sententiam dicendum esset, eos qui primò accipere incrementum illud cœpêre ante tacitum illum ac præsumptum consensum Principis, non solùm peccasse, sed etiam restituere id esse astrictos illis, à quibus illud accepêre, vtpote adhuc vim lege retinente. Hæc Molina. Ego verò addo ex *tractat. de legibus*, præscribi aduersùs legem posse, etiam Principe ignorante.

Num. 10. Deinde Molina tria dicit circa propositam difficultatem de pretio vltra lege taxatum recipiendo pro superiori, & cõmodiori moneta. Primò, nunquã quãdo cudũtur monetę, pretiúmq; illis statuitur, valere plus materiam illarum spectatam quoad cõmoditates omnes, quæ ex ea percipi possunt, quàm sit pretiũ, quod monetis imponitur, imò minùs, quãdoquidem ex materia vnde monetæ cuduntur, extrahuntur expensæ, quæ in eis cudendis fiunt, soluitúrque tributum, si quod inde Principi sit soluendum; valdéque stultus esset Princeps, qui minùs pretium imponeret monetæ quam cudi iuberet, quàm esset tunc valor materiæ, ex qua fieret. Iuxta copiam ergo materiæ quæ tunc est, commoditates omnes illius, cæteráſque omnes circunstantias cõcurrentes imponitur pretium monetis, neque quisquam tunc pro illis plus pretij inueniret ratione materiæ, aut cuiusuis alterius circunstantiæ. Atque in hoc verum dicit Medina.

Secvndo dicit Molina, eo ipso quòd moneta inferior in auro quoad caracta, Hispanè *quilates*, vel quoad pondus, euditur, eíque pretium imponitur æquale præcedenti monetæ, aut maius, cessare censetur lex, quæ præcedenti monetæ pretium imposuerat, posúntque homines ascendere in pretio illius precedentis intra limites iusti naturalis, quod in se habet, spectatis circũstantiis omnibus cõcurrentibus, nisi Princeps rationabili ex causa cõtrarium præcipiat: erítque irrationabilis, atque iniusta lex, qua id statuet, nisi rationabili ex causa id fiat, quandoquidem irrationabile, atque iniuriosum subditis est, sine rationabili causa æqualia pretia rebus in valore inæqualibus statuere. Cum hac nostra doctrina ex se perspicua, ac manifesta consentiunt leges Castellæ & Lusitaniæ circa monetas aureas: etenim Philip. *l.* 13. *declarationum. tit.* 21. *lib.* 5. *nouæ collectionis.* postquam taxauit scuta, vt deinceps essent valoris 400. marauedinorum, præcepisétque vt nullus quacunque ratione plus pretij acciperet pro illis, declarauit valorem ducatorum illorum purioris auri, quos Ferdinandus & Elizabetha cudi fecerant, esse maioris valoris quàm fuerint quando iussi sunt cudi, iuxta maius pondus, & maiorem copiam

Digitized by Google

auri, quam habent; præcepítque vt valerent 429. marauedinos. Neque sanè quisquam meritò ante eam euectionem scutorum quoad pretiũ, damnare poterat accipere pro ducatis pretium proportionale scutis habita ratione non solùm maioris ponderis, sed etiam maioris copiæ auri purissimi, quam habent. Similiter *Lusitanæ l. 4. tit. 11. p. 4. legum extrauag. à §. 3. vsque ad 9.* explanatur maior valor grani aurei cruciatorũ 24. caractorum supra valorem grani aurei monetarum 22. caractorum, & vnius octauæ caracti, dicitúrque granum auri harum posteriorum monetarum esse valoris *6. reais* cum dimidio, granum verò illarum priorum esse valoris 7. *reais* cum tertia parte vnius septimæ, & ita obiter declaratur valor grani intermediarum monetarum.

TERTIO, dicit Molina, cùm quãdo monetæ auri cuduntur, eísque pretium primò imponitur, esse soleat copia magna eius auri, atque iuxta eam magnam copiam, & cæteras circunstantias tunc concurrẽtes eis pretium imponatur; sanè si temporis progressu circũstantiæ varientur, extractíque de Regno monetis illis auri purioris, cõsũptíque in deaurãdo, & aliis ministeriis magna sit earũ raritas, atque penuria, multúmque appetantur, vel ad deaurandum, vel ad ornatum, & pompam, vel ad similia alia, cáque ratione valor earum materialis multùm accrescat, credendum non est, legislatores velle vt lex antiquæ taxæ perseueret, neque si vellent, iustum id esset atque æquum: quare tunc absque peccato, & restituendi onere vendi possent pretio iusto ipsarum naturali, non solùm tanquam merces, sed etiam tanquam pretium in commutationẽ pro aliis rebus, quoniam semper eadem est ratio de moneta vtroque modo spectata, vt rectè Ioannes Medina affirmat. Atque tunc meritò non contradicunt, nec puniũt ministri publici, qui iuribus non vtuntur ad subditos durè, & iniquè vexãdos, sed per epieiciã similes leges interpretantur locũ iã non habere variatis tãtùm circũstãtiis, quæ erant quando leges illæ latæ sunt. Licèt ergo leges Ferdinandi & Elisabethæ insertæ sint *titulo 21. lib. 5. nouæ collectionis*, propter multa alia in eis contenta, quæ hodie vim habẽt: quemadmodum tamen quod de valore ducatorum taxato in eis continetur hodie vim non habet declarãte id Rege Philippo *l. 13. citata*, nec ante eam declarationem vim habebat, vt dictum est, ita neque verba, quibus ea taxa seruari præcipitur, vim hodie habet. Philippus autem licèt præceperit ne vlla ratione plus acciperetur pro scutis, quàm pretiũ ab ipso taxatum, eo quòd & quando ea lex lata fuit, & modò maxima sit earum copia; dum tamen ad ducatos antiquos deuenit, solùm detimiuit, quem valorem hodie haberent, collatione facta cum valore scutis imposito, neque addidit verba illa, vt nulla ratione liceret accipere plus pretij. Quoniam ob eorum raritatẽ, necessitatem, & vtilitatem ad aliqua, integrum est accipere totum valorẽ naturalem, quem spectatis omnibus circunstantiis concurrentibus habent. Atque, vt summatim dicam, in quocumque tempore licitum est accipere pro vnaquaque moneta, quãtùm eo tẽpore acciperetur pro æquali-

Digitized by Google

li frusto auri eiusdem ponderis, ac puritatis: quoniam ea auri quantitas non ex eo est inferioris conditionis ac valoris, quòd in monetam sit redacta, quàm si in monetam nõ esset redacta, quin potiùs melioris cõditionis, maioríque valoris est redacta in monetã: quare ex eo capite aliquid amplius posset accipi, quàm pro æquali frusto auri.

Num. 11. Hæc Molin. ex quibus patet ipsũ cum Ioan. Medina, & Valen. sentire non posse manente taxatione monetæ, & vigente lege taxante monetã, plus pro illa accipi quàm lege taxatum sit, ratione puritatis, vel commoditatis materiæ: secus ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, vel officij cambiendi, vel quia ex taxatione minoris, aut inferioris metalli, vel ex mutatione circunstãtiarum, lex quæ pretium taxauit, incipit vim non habere. Quæ opinio satis est acuta & probabilis: habet tamen aliquam difficultatem. Primò, quia si ex eo quòd imponatur idem pretium metallo minoris puritatis, vel ponderis, cessat taxatio monetæ præcedentis cusæ in puriori, vel maiori portione eiusdem metalli. v. g. auri, & manet melior illa moneta in pretio merè naturali, perdet valorem quem ei adiecerat auctoritas Principis, & Reipublicæ, qui fortè erit minor quàm monetæ de nouo cusæ, quia licèt hæc sit minoris valoris naturalis, tamen fortè est maioris valoris simpliciter, eo quòd maius incrementum accipiat à lege quàm superior moneta habeat à natura. Secundò, si valor legalis talis monetæ tunc cessat, ergo verè non erit moneta, & non cogetur creditor eam accipere pro solutione debiti pecuniarij, sicut nec frumẽtum, vinum, aut oleum: quod est absurdum. Tertiò, quãdo cuditur moneta aurea, antequam circumstantiæ varientur ob quas fiat maioris valoris, est commodior mihi simpliciter & omnibus pensatis, quàm moneta inferioris metalli eiusdem valoris legalis; ergo vt me priuem ista commoditate, possum aliquid accipere vltra taxatum valorẽ: maximè cùm iam id recipiatur ratione damni emergentis, nempe quia me priuo tali commoditate, & taxatio solùm facta est in ordine ad emptiones, locationes, & debitorum solutiones, in quibus non est conuentũ de qualitate monetæ, in qua solutio facienda est: & quòd in taxatione monetæ Princeps non videtur respexisse ad omnes commoditates metallorum, sed ad naturales & cõmunes. Sunt enim quædam commoditates non naturales omnino, sed resultantes ex ratione monetæ, quę ab impositione voluntaria pendet. Si enim aurum non esset ad monetam redactum, nihil, vel parum cõmodi esset posse facilè transportari, & numerari, siquidem non esset eo veluti aliarum rerum pretio negotiandum, ac proinde neque esset vtilius ad negotiandum, nec in suo valore haberet maiorem securitatem. Imò nec in dando valorem monetæ necesse est seruare proportionem, quæ est in valore naturali metallorum, ita vt si seruato eodem pondere valor naturalis est duplo maior, etiam legalis sit duplo maior, sed satis est attendere an Reip. expediat hunc, vel illum gradum valoris legalis adiicere naturali. Censeo ergo cum communi opinione, si quis

vide

Digitized by Google

viderit monetam aliquam considerato valore tum naturali, tum legali sibi esse commodiorem, posse aliquid vltra pretium à lege taxatũ accipere, vt se priuet ista commoditate: imò etiamsi sibi non esset cõmodior, si tamen per se loquendo omnibus esset commodior, liceret in commutatione auctarium accipere, quoniam taxatio pretij non est pro commutationibus vnius pecuniæ cum alia, in quibus ipsa pecunia est veluti merx, sed pro commutatione pecuniæ cum aliis rebus, vt sequenti dubio dicemus.

INTERIM aduerte Sotum *6. iust. q. 9. articulo vnico cit.* dixisse, posse esse monetam tantæ pulchritudinis, vt gemmæ æquiualeat. & Sa *verb. camb.* verè dixisse: *Plus valet pecunia præsens quàm absens, item cùm multi accipiunt ad cambium, & pauci dant, item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasionẽ, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum; quæ omnia considerari oportet, ne facilè cambia, quæ sunt in vsu, damnentur.* Angles etiã *q. de cambiis. art. 5. dub. 4. diffic. 6.* bene docuit integrum esse pecuniam auream cariùs vendere, aut commutare quàm sit eius pretiũ legale, & ratione materiæ resolubilis in panes aureos ad vasa deauranda, in quibus plus lucri erit, & ratione formæ, seu pecuniæ, quæ faciliùs asportabitur, seruabitur, & vbique terrarum recipietur, saltem libentiùs quàm argentea pecunia.

NON tamen mihi placet quod ait Palac. *lib. 3. de contractib. c. 2.* iam aureos nummos duplicatos non habere rationem monetæ, sed mercis; vnde iniustum non esset eos vendere maiori pretio, quàm erat antiquus eorum valor: erat namque eorum valor 22. regalia & duo dispondia: nunc verò venduntur pro 15. aut 26. regalibus. Non, inquam, placet, quia si non esset adhuc moneta, nemo cogi posset accipere in eo solutionem debiti, etiam secundùm valorem antiquum: quod est falsum.

DVBIVM IV.

An etiam in ordine ad emptiones, & debitorum solutiones possit pecunia magis æstimari quàm sit lege taxata, vt si sit purior, vel commodior, &c.

SVMMARIVM.

1 *Sententia asserens etiam in ordine ad emptiones, & debitorum solutiones pecuniam superioris metalli magis æstimari posse, quàm inferioris.*
2 *Distinctione vtendum.*
3 *Inter extremas sententias media eligitur via.*

GANVS relatus à Petro Ledesma *2. p. Sum. tract. 8. de iustitia commut. con. 4. de cambiis.* & à Bann. *2. 2. tract. de camb. dub. 2.* ait, etiam in ordine ad emptiones, & debitorum solutiones pecuniam superioris metalli magis æstimari posse, quàm inferioris metalli. Quod etiam tenuit Molina *tract. 2. de iusti. disp. 401. dicto 3.* quando post taxationẽ propter circumstantias minutus est valor naturalis monetæ. Ipse verò Ledesma secutus Bannem suprà, ait commutationes Num. 1.

tiones rerum venalium, quarũ mensura est pecunia, esse duplices; ad quasdam enim præcedit debitum, & obligatio iustitiæ, vt cùm quis mutuum soluit & reddit, nam de iustitia tenetur soluere & reddere. Similiter cùm quis debet aliquid, quia domum, vel operariũ cõduxit. Aliæ verò fiunt nullo debito de iustitia præcedente, sed liberè, & gratis, vt in emptionibus; nam communiter neque emere, neque vendere quis tenetur. In commutationibus primi generis illicitũ putat accipere plus pro pecunia quàm lege taxatum sit, & ait esse communem sententiam omnium Theologorum. Rationem reddit, quia pretium nummi, vt est mensura aliquarum commutationum, taxatum est; si autem in ordine ad has nõ esset taxatum, in ordine ad nullas taxatum esset, quia statim probabitur in ordine ad alias taxatum non esse: ergo in ordine ad has taxatũ est. In cõmutationibus verò posterioris generis putat licitum esse plus pro pecunia puriori, vel cõmodiori accipere, quàm lege taxatũ sit, in hac ait conuenire communiter Doctores, præsertim eos qui cõmutari posse cum lucro pecuniam superioris metalli cum pecunia metalli inferioris censent, quos ait licitum putare merces aurea moneta emere minori pretio quàm argentea, vel ærea. Probat, quia licitum est cum lucro cõmutare auream monetam pro argentea, vel ærea, vt superiori dubio decisum est licitũ esse cum lucro cõmutare monetã aureã pro rebus venalibus, quia moraliter idem est commutare pro illis, & pro inferiori pecunia. Et ideo dicendum est pecuniam non esse lege taxatam in ordine ad commutationes voluntarias, sed in ordine ad necessarias, ad quas faciendas potest Iudex compellere, vt ad solutionem mutui, vel domus, aut operarij conducti.

COMMVNITER tamen Doctores docent, pretium pecuniæ non solùm in ordine ad solutiones debitorum, sed etiam in ordine ad emptiones, & venditiones taxatum esse, quia taxatum est, vt est mensura rerum venalium, & aliorum commerciorũ, quæ sunt veluti emptiones, & venditiones, nam cùm quis domum, vel operarium conducit, eius vsum, vel operas emere censetur.

ALITER ergo distinguendũ puto. Vel ab initio conuentum est, in qua moneta soluenda sit res empta, locata, & conducta, & tunc standum est pacto. v.g. emi triticum exigente venditore, vt totum pretium à lege taxatum ei darẽ, & in auro teneor dare: si autem non est conuentum de genere monetæ, in quacunque tenetur pretium accipere. In ordine ad has solutiones, & emptiones, aut conductiones taxatum est pretium pecuniæ, & quædam merces taxatæ sunt, ita vt non possint pluris vendi quàm tali, vel tali pretio; sed venditor potest conuenire de hac, vel illa moneta vsuali, in qua soluendum sit tale pretium. Quando autem merces taxatæ non sunt, potest venditor conuenire de summo pretio, & de genere monetæ, exigendo vt sibi soluatur in optima moneta, & si emptor annuerit, manebit ad id obligatus; potest tamen non annuere, & non emere cum obligatione dandi tale pretium in illa moneta: sed medium, vel infimum, vel in moneta

Num. 2.

Digitized by Google

media, aut infima. Rem autem taxatam per legem 12. argenteis, vel cuius pretium infimum vulgare sunt 12 argentei, non potest emere scuto taxato 11. argenteis cum dimidio, vt falsò sensêre Canus, & Petrus Ledesma. Potest tamen emptor non efficere contractum emptionis, nisi facta priùs permutatione, vel sub conditione quòd fiat illa permutatio monetæ superioris pro inferiori cum lucro.

Num. 3. TAM ergo Medina, & Valentia relati superiori dubio, decepti sunt, dicentes, eandem esse rationem de moneta in ordine ad cambia, & in ordine ad emptiones, locationes, & solutiones, & propterea sicut in ordine ad emptiones, & solutiones, nō posse plus accipi quàm lege taxatū sit: quàm Canus, & Molina, & partim Ledesma & Canus hîc relati dicentes, eandem esse rationem in ordine ad cambia, & ad alia; & ideo sicut in ordine ad cambia potest plus accipi quàm lege taxatum sit, ita in ordine ad alia.

INTER has igitur sententias extremas media via eligenda, vt possit pro pecunia puriori, & commodiori plus accipi, quàm lege taxatum sit, in ordine ad cambia, nō in ordine ad alia. Quā sententiā tenēt Caiet. Lessius, Sylvester, Nauar. Sotus, & Couar. relati dubio præcedenti, & perspicuè Sa verb. *cambium n.* 2. dicens, *aureus, cuius pretium æstimatur* 11. *Iuliis, potest dari pro* 12. *est enim illa pretij taxatio facta ad emptiones, non ad permutationes.* & Toletus 5. *Sum. c.* 51. vbi ait, si pecunia consideretur ratione materiæ, posse locari, cōmodari, emi, vendi, & patia lios contractus, quos patiuntur aliæ res, & ipsa pateretur, si nō haberet sigillum numismatis, nec esset pecunia. Hoc dictum est cōmune, & ratio eius aperta est, quia ex eo quòd sit pecunia, nō amittit naturam, & alias qualitates quas haberet semota ratione pecuniæ. Hinc duo sequuntur. Alterum est, posse pecuniā cōmodari, locari, & pro locatione eius pretium recipi, vt pro locatione aliarum rerum, vt si locetur ad sanitatem, cui conducit coquendo cū ea carnes, vel aliud faciēdo, vel ad ostentationē, aut alios vsus, quos habet præcisa ratione monetæ. Alterū est, quòd licet hoc modo excedēdo valorē eius legalem, putà si scutū valet 10. potest vendi maiori pretio, quia hîc non consideratur vt pecunia, aut pretium, sed vt res, ac si aurū esset. Vnde multis de causis excedi potest valor legalis. Primò, ratione puritatis, & nobilitatis: nam aurum auro, & argentum argento purius, & nobilius esse potest. Secūdò, quia talis pecunia rara est, nec inuenitur. Tertiò, ratione antiquitatis, vel pulchritudinis. Quartò, quia vendenti chara est, nec ipse alienare eam vellet, sed propter importunitatē emptoris eam vendit.

SI tamen pecunia consideretur vt est pretium, non licet valorē eius legalem excedere. v.g. nō licet emere rem augendo valorem Iuliorum, aut pecuniarum quibus emitur: id enim facere peccatum est ex suo genere mortale, & obligans ad restitutionem; & in hoc omnes conueniūt. Possunt tamē pecuniæ maiores pro minoribus dari, & econtrà, exigēdo aliquid vltra valorē moralē pro tali permutatione. & hoc est cābiū minutū quod ferè omnes Doctores approbant. Debent tam obseruari tres cō-

ditio

Digitized by Google

ditiones Prima ne sit aliqua in campsore falsitas, putà quia radit pecunias, aut vnam pro alteradat, aut orichalcũ pro auro, aut minorẽ pro maiori. Secũda, ne decipiat in valore, si enim ei cõstet monetã plus valere, quãuis alter putet minùs valere, debet ei veritatẽ aperire. Tertia, vt pretiũ cãbij sit iustũ: pretiũ autẽ iustũ cognoscitur ex lege, vel consuetudine taxãte illud, vel proportione loci adeũ, in quo lex est: vel vsu fori habita cõsideratione abũdãtiæ, vel penuriæ pecuniarum. His seruatis cambium licet cum lucro etiã nõ habentibus cãbiẽdi officiũ, vt tenet Sotus *6. iust. q. 9. art. vnico.* Vnde cùm aliquis Regnũ aliquod ingreditur in quo pecuniæ alterius Regni nõ sũt in vsu, & vult cum aliquo illius Regni mutare, licet huic minùs dare quàm sit valor legalis pecuniarum, dum modo iustum sit pretium. Addit Toletus cũ Soto ꝯ. Cùm in emptiõibus miscetur aliqua permutatio absque dolo, & fraude, licet valorẽ legalem excedere. v.g. emit quis domum valẽtẽ 500. aureos singulos Iuliorũ 11. & paratus est reddere pretiũ hoc in argẽto, si venditor velit sibi in auro reddi, potest emptor offerre minùs, puta 490. Hoc autẽ nõ fit solius emptionis ratione, nã sic pretiũ minui, vel augeri nõ potest; sed ratione cõiũctæ permutationis. Hæc Toletus.

DVBIVM V.

Qui possint esse in Regno Castellæ & Lusitaniæ publici campsores, & an alij possint cambia facere priuatim?

SVMMARIVM.

1 *Quid in Regno Castellæ dicendum.*
2 *Quid in Regno Lusitaniæ.*

Dico primò, in Regno hoc Castellæ liberũ, atque immune à quocũque grauamine est omnibus obire munus publici campsoris, sed in Curia debent esse electi à Rege, in aliis locis à Iudicibus & Rectoribus *(regidores)* ciuitatis, vel oppidi, in quo munus exercere debent. *l. 1. tit. 18. lib. 5. nouæ collectio. l.* autem *4. eiusdem titul.* eis permittitur pro cambio vnius Castellani accipere 4. marauedinos, pro cambio verò ducati, aut doblæ tres marauedinos, & pro cambio vnius floreni duos marauedinos: atque idẽ de ducato repetitur *l. 62. tit. 21. eiusdẽ libri.* Nauarrus *in Comment. cap. fin. de vsur.* refert Salmãticæ publicũ campsorem, quo tempore ipse ibi docebat, solitum fuisse accipere pro cãbio vnius ducati vnum marauedinũ. Num. 1.

In Lusitania verò, vt refert Mol. *tract. 2. de iusti. disp. 399.* inhibitum est *4. p. legum extrauag. tit. 11. l. 4. §. 9.* tam pro dandis, quàm pro accipiẽdis monetis aureis, quæ in eo Regno valorem habent, siue cusæ sint in eo Regno, siue in alio, quicquam incrementi vltra iustũ earum valorẽ accipere sub pœna amissionis valoris earum, dimidium accusanti, & dimidium alterum in redemptionem captiuorum: & insuper sub pœna duorum annorum exilij ad loca Africæ. Excipitur, nisi sit aliquis constitutus à Rege publicus campsor in aliquo loco, præscripto illi à Rege certo aliquo incremento; tunc enim licitè poterit illud accipere. Si autem præscriptum ei non sit certum Num. 2.

Digitized by Google

incrementum,ſub eiſdem pœnis nihil poteſt accipere,eſto conceſſum ei à Rege ſit,vt publici campſoris munus exerceat. Cùm autem incremẽtum,quod campſor hoc modo iuſtè accipit,non accipiatur pro moneta, quam dat, ſed pro obſequio quod præſtat, conſequens profectò eſt, vt in huiuſmodi cambio duo contractus inueniantur coniuncti, vnus cambij pecuniæ pro pecunia æquali in valore;alter verò locationis operarum campſoris pro iuſto illo incremento:ſicut enim *diſp.* 364. dixit Molin. cum Med.Nauarro,Dur.Maiori,& aliis,quanuis mutuans nihil poſſit accipere vltra ſortem pro mutuo,poteſt tamẽ ex ipſa rei natura accipere moderatum ſtipendium pro numeranda pecunia,& pro aliis obſequiis,quæ mutuando in commodum mutuatarij præſtat.Ita *diſp.* 399. dicit, campſorẽ poſſe pro obſequiis commemoratis accipere moderatũ ſtipendium, quantùm eſt ex natura rei, Remp. tamen prohibere poſſe ne quis pro cambio quicquam accipiat vltra valorem monetæ quam cambit. Tum ne monetarum pretia accreſcant, tum ne externi offerendo plus pretij pro aureis, aut argenteis monetis,illas in Reip. præiudicium extrahant:& Sotus *6. iuſt. q. 9. art.vnico.con.3.*ait, latam iamdudum eſſe legem in hoc Regno Caſtellæ, vt nullus pro cambio minuto accipere poſſit incremẽtum præter publicos campſores ad id à Repub. deputatos, affirmátque eam legem ex ſuo genere obligare ſub culpa lethali, tranſgreſſorémque reſtituere teneri incrementum. Econtrà Nauar.*in Comment.c.fin.de vſuris.n. 19. & in Sum. c. 17. n. 288.* ait,quanquam in hoc Regno prohibitum ſit, quenquam ſuſcipere munus campſoris publici propria auctoritate, non tamen prohibitum eſſe priuatis cambire,& pro cambio iuſtum accipere ſtipendium, citátque pragmaticas, quæ id tantùm ſtatuunt, ſolúmque reprehendit, quòd legem pro ſua ſententia non citet. Couarr. *op. de collatione numiſm.* & Eman. 2. *p.Sum. c.103.con. 5.* & Rebellus 2. *p. de oblig. lib.* 11. *q.4. n.7.* Soti opinionem amplectuntur,& pro ea citant *l. 1.tit.8. lib. 5. ordinamenti.* quæ eſt lex prima *tit.18.lib.5.nouæ collectionis.* In ea tamẽ, vt bene notat Molina *diſp.399.* ſolùm prohibetur,quenquam munus campſoris publici ſuſcipere,niſi in curia Regia eligatur à Rege,& in aliis oppidis à Iudice,& Rectoribus, vt retulimus:ea verò non prohibet alios cambium priuatim exercere, imò generatim dicit *todos cambien y puedan cambiar ſin pena y ſin calumnia alguna*;ſaltem quoad hæc lex hæc non eſt in vſu, ſi autem in vſu non eſt, non obligat, vt fatetur Rebell. addens ſimilem legem eſſe in Luſitania *4.part.extrauag.titulo 11. l. 4.* §. 10. in cuius tranſgreſſione, inquit, licèt timeri poſſit de culpa lethali propter pœnam, quam adiungit de amiſſione monetæ eodem minuto cambio commutatæ, & inſuper de exilio in Africam per biennium; probabilius tamen videtur non maiorem, quàm venialem culpam committi, cùm non adeò acerba pœna appoſita videatur; quod ſimiliter pro Regno Caſtellæ dictum putat. Quanuis Mercatus *libro 2. de cambiis.* nullum putet eſſe peccatum. Hæc Rebellus. Sed iam dixi

Digitized by Google

dixi illa lege Castellæ id non prohiberi. Ex legibus verò, quibus hodie monetæ aureæ taxatæ sunt, quas dubio sequenti referam, quibus prohibitum est vlla ratione plus accipere, fortè inhibitum priuatis esse censendum, inquit Molina *illa disp. 399.* accipere incremẽtum pro cambio minuto, vt Guttier. *2. lib quæst. pract. quæst. 178.* contendit. Sed malè, quia pretium monetarum non est taxatum in ordine ad commutationem vnius pro alia, sed pro aliis rebus, & vt publicus campsor potest pro labore & obsequiis aliquid accipere, ita & alij; & ita habet modò vsus frequentissimus, vt priuati cãpsores aliquid vltra pretium taxatum accipiãt dando monetas aureas pro argenteis, vel argentas pro aureis. Vnde non placet quod subiungit Molina, in Regno Castellæ & Lusitaniæ non esse in more positum vt pro cambio minuto quicquam ex hoc capite laboris, qui pro campsuario suscipitur, accipiatur: quãuis magis in more sit, vt accipiatur pro commoditatibus superioris monetæ, quibus se priuat, quásque aliis confert cambiens.

Recte tamen protinus admonet, id quod Sotus & Couarr. affirmãt, nempe data lege, quæ pro cambio minuto quicquam accipi inhibeat, si aliquid accipiatur, esse restitutioni obnoxium, non carere scrupulo, si sermo sit de pretio alioquin pro cambiendi actu ex ipsorummet sententia iusto. Etenim licèt Princeps in Reip. commune bonũ possit in eo euentu accipientem efficere incapacem incrementi illius, & *l. non dubium. C. de legib.* dicatur satis esse prohiberi aliquid lege, vt si fiat, cassum ac nullum esse censeatur: nihilominùs cùm in re proposita iusta sit compensatio ex natura rei inter id quod accipitur, & id pro quo accipitur, atque eiusmodi leges pœnales esse soleant, in quibus locum non habet lex, *non dubium*, vt præter multa alia, quæ circa eam legem diximus, constat ex dictis *disp. 88.* præsertim ad confirmationem primi argumenti, neque tales leges incapaces efficere soleant iusti stipendij eos, qui illud accipiunt, arbitror, in tali legum transgressione solùm interuenire peccatum inobediẽtiæ Principi, ex suo genere nequaquam lethale, neque ante latam sententiã obligationem esse restituendi iustum ex natura rei stipendium acceptum. Quòd si quod acciperetur ex natura rei, limites iusti stipendij excederet, tunc lethale peccatum ex suo genere esset accipere incrementum vltra limites iusti cum onere illud restituendi. Hæc bene Mol. De lege autem illa, *non dubium*, multa dixi *tract. de legib.* Et quòd in euentu qui priuatim, prohibente lege, cum lucro cambiunt non teneantur restituere, rectè probat Læsius *lib. 2. c. 23. dub. 2. num. 17.* quia non tenentur Reip. cùm nihil damni illi sit illatum: neque ei cum quo cambium fecêre; quia nulla ei facta est iniuria, cùm non plus ab eo sit acceptum, quàm communi campsorum iudicio nummi in tali permutatione soleãt æstimari. Concinit & Rebellus suprà, dicens. Cæterùm si in vtroque Regno merces à priuatis accipiatur contra leges citatas, quanuis venialiter peccetur, non tamen obligatio mercedem restituendi cõtrahi videtur, quidquid Sotus contradicat, cùm nec per di-

Digitized by Google

ctas leges, nec aliunde contractus ipse cambij irritari videatur. Nec obstat lex *non dubium*, citata, ea enim videtur procedere duntaxat, quando aliunde constat, mentem legislatoris fuisse contractum irritum reddere. Si tamen pro mercede vltra latitudinem iusti pretij aliquid reciperetur, obligatio esset restituendi excessum illub sub mortali, vel veniali, pro ratione notabilis, vel non notabilis excessus. Hæc Rebell. Quod verò dicebamus, personis quibuscumque licitum esse priuatim cambire, his verbis docet Sa *verb. cambium. num. 5. Cambio lucrari etiam ei licet, qui alioqui non habet ordinarium campsoris officium, sed ex occasione oblata facit.* Et ratione lucri cessantis, & damni emergentis quemlibet in hoc Regno cum incremento cambire posse, non obstante illa lege, fatetur Eman. suprà, & videtur cum Soto & Couar. dubitare, an lex illa in Hispania, quoad hoc sit in vsu, an verò vel nunquam fuerit vsu recepta, vel per contrariam consuetudinem sit contra eam præscriptum.

DVBIVM VI.

De variis aureis, atque argenteis monetis in Castella temporis progressu cusis, déque earum valore tunc & modò, atque de valore massæ aureæ, vel argenteæ in eodem Regno diuersis temporibus, & de monetis Lusitaniæ.

SVMMARIVM.

1 *Tria notanda.*
2 *Ex doctrina præcedenti varia explicantur.*
3 *Aliqua notatu digna à Molina traduntur. vbi quæritur, num quædam emptio argenti sit iniusta cum onere restituendi?*
4 *An ex parte emptorum pactum liceat, vt intra certum tempus eiusmodi argentum alteri non reuendant?*

OBSERVA cum Mol. *disp.* 400. selibram auri, aut argenti, *marco* Hispanè dicitur, & in quibusdam aliis regionibus, *marca*, esse ponderis octo vnciarum. vncia diuiditur in 8. octauas, quas Hebræi *adharcon*, Græci *drachmi*, Latini *drachmas* appellant; Hispani verò corrupto nomine Græco, Latino, & Hebraico *drama*, *adarame*, & communiùs *adarme*. Suspicatur tamẽ Molina vocabulum *adarame* à Sarracenis qui Hispanias occuparũt, & quorum lingua cum Hebræa maximè est coniuncta, in Hispanos dimanasse, vt pleraque alia Hispana vocabula: in hoc autẽ Regno dimidiũ octauæ, hoc est 16. vnciæ partem, *drama*, seu *adarame*, vel *adarme* appellãt, & *castellanum*. habet selibra 64. octauas, granum autem est 72. pars octauæ. Num. 1.

OBSERVA etiam cum eodem, artifices ad exprimendam auri puritatem, aut impuritatem; selibram aut quodcumque aliud auri pondus appellare 24. caractorum de 24. *quilates*, quando est purissimum nullam habens admixtionem alterius metalli; & hoc dicitur aurum obrizum, quòd Græcè *sincerum*, ac *delicatum* significat: alij obrizum quasi Ophirizum, & ex Ophir adductum esse dicunt. Cæterùm dura admodùm est ea etymologia Molinæ. Quando autem 23. partes auri mixtam habent vnam partem

Digitized by Google

partem alterius metalli, dicitur 23. caractorum, quando verò 22. partes sunt auri & duæ alterius metalli, dicitur 22. caractorum, & sic deinceps: caracta autem diuiduntur in octauas, & alias proportionales partes maiores, ac minores.

SIMILI modo ad meliùs exprimendam puritatem, vel impuritatem argenti, diuidunt selibram, aut quodcunque aliud pondus argenti in 12. partes, quas denarios appellant: quando autem selibra argenti nihil alterius metalli habet admixtum, dicitur 12. denariorum & purum: quando verò 11. partibus argenti admiscetur vna alterius metalli, dicitur argentum 11. denariorum, & sic deinceps. Denarium diuidunt in 24. partes, quas grana argenti vocant, quò fit, vt plus ponderis habeat granum argenti, quàm auri.

OBSERVA tertiò, in hoc Castellæ Regno à Ferdinando, eiúsque vxore Elisabetha, referente Couarru. *de collat. veterum numism. cap. 3. in prin. num. 2. & §. 1. n. 4.* & habetur *l. 1. tit. 21. lib. 5. nouæ collect.* cudi fuisse iussos ducatos ex auro 23. caractorum cum tribus quartis. Itaque solùm illi auro deerat 4. pars caracti, vt esset purissimum: & fortè illa parua pars alterius metalli illi permiscebatur ad aliquantam maiorem firmitatem, eo quòd purissimum aurum non adeò durum sit, sed facilè flectatur. Cudebantur verò ex selibra auri 65. ducati, & tertia pars alterius: atque ita vnusquisque ducatus habebat vnam octauã vnciæ auri, demptis ab vnoquoque 64. ducatorum tot granis pro expensis in cudenda moneta, quot sufficerent ad conficiendum vnum alium ducatum, & tertiam partẽ alterius. Quò fit, vt vnusquisque ducatus habuerit minùs quàm octauam vnciæ auri ferè granum cum dimidio. Illi iidem Reges cudi præterea ex eodem auro fecêre monetam aliam duplam ad hanc quæ dobla in hoc Regno nuncupatur, & aliam quintuplam, quinque scilicet aureorum; aliam decuplam, aliam 20. aliam 50. aureorum. Cùm autem ducatus in hoc Regno valeant vndecim regales argenteos, & vnum merauedinum: regalis verò argenteus valeat 34. marauedinos, ducatus valebat 365. marauedinos. Hæc omnia habentur *l. 4. tit. 20. lib. 5. nouæ collectionis.* Quò fit, vt selibra illius auri in massa æstimaretur tunc pretio 24. mille marauedinorum: etenim 64. ducati ad rationem 375. marauedinorum conficiunt 24. mille marauedinos. Ducatus autem cum tertia parte alterius, qui insuper ex selibra auri conficiebatur, erant pro expensis cudendi ex massa illa eas monetas. Quo fit, vt massa ponderis selibræ illius auri æstimaretur 24. mille marauedinis, ad rationem 375. marauedinorum pro octaua vnciæ: ducati verò confecti ex libra vna habebant valorem 24. mille quingentorum marauedinorum, eo quòd ducatus cum tertia parte alterius, qui pro expensis extrahebatur ex 64. octauis vnicæ, ex quibus reliqui 64. ducati conficiebantur, valebant 500. marauedinos.

EX his facilè intelligitur primò, *Num. 2.* cur ducato in hoc Regno impositum fuerit pretium vnius marauedini vltra 11. regales argenteos; vt enim selibræ auri illius imponeretur pretium 24. mille marauedinorum, singulique

gulíque ducati drachmam auri haberent, demptis ex 64. tot granis pro expensis quæ sufficerent ad ducatum vnum cum tertia parte alterius conficiendum, id effectum est.

SECVNDO intelligitur, drachmas illas Euangelij ponderis fuisse ducatorum huius Regni, seu regalium argenteorum, vt ex dicendis constabit: modò tamen argenteis, & aureis addas quod ab vnaquaque drachma ex qua vnusquisque conficitur, pro expensis extrahitur. A pŏdere enim illi nummi drachmæ dicti sunt: erant tamen argentei, & non aurei; & didrachma, aut didrachmum, quod in tributum soluebatur, & de quo etiam mentio fit in Euangelio, duas drachmas appendebat, respondebátque duobus regalibus argenteis.

TERTIO intelligitur, tĕpore quo ducati illi cusi sunt, granum aureum fuisse valoris 5. marauedinorum, & ferè quartæ partis vnius marauedini: nam 72. grana quæ appendit octaua vnciæ auri ad rationem 5. marauedinorum pro vnoquoque grano reddunt valorem 365. marauedinorum. Quindecim verò marauedini, qui vsque ad 375. marauedinos superfunt, 65. quartas vnius marauedini habent: quò fit, vt 12. tantùm quartæ vnius marauedini desint, vt grana auri eo tempore essent valoris 5. marauedinorum, & quartæ partis vnius marauedini.

TEMPORIS progressu, quia purissimum illud aurum multùm in aliis prouinciis æstimabatur, extrahebatúrque ex Hispaniis, Carolus V. vt habetur *leg.* 10. *declarationum, titulo* 21. *lib.* 5. *nouæ collect.* refértque Couarr. *de collat. numismatum. cap.* 3. *in princ. num.* 2. *&* §. 1. *numero* 4. cudi iussit monetas ex auro 22. caractorum, quas tum *coronas*, tum etiam *scuta* voluit nuncupari. 68. ex illis habent pondus selibræ; valor verò cuiuscumque eorum erat 10. regalium, & 10. marauedinorum, seu (quod idem est) 350. marauedinorum. Si autem hinc demas scutum vnum, quod in tributum Regi ex vnaquaque selibra horum scutorum soluebatur, & insuper vnum *temin* auri, & tres quartas alterius quæ ad expensas in cudendis illis monetis soluebantur. *l.* 46. *tit.* 21. *lib.* 5. *nouæ collectio.* inuenies tunc selibram massæ illius auri 22. caractorum, valorem habuisse 2331. marauedinorum: *temin* enim 12. grana auri habet, & valet duos regales argenteos. *Temin* verò, & tres quartæ habent grana 21. & valent tres regales argenteos cum dimio, hoc est, 119. marauedinos, qui cum scuto quod eo tempore valebat 350. marauedinos, conficiunt 469. marauedinos. Hos si demas à 23800. marauedinis, comperies selibram massæ illius auri valuisse 23331. marauedinos Hæc fusiùs prosequitur Molina.

PHILIPPVS II. anno 1566. vt habetur *leg.* 13. *titulo* 21. *libro* 5. *nouæ collectionis.* nihil in pondere & caractis horum scutorum mutando, valorem singulorum ad 400. marauedinos euexit. Sed lex ipsa illos euexit ad 429. marauedinos: postea Philipus III. euexit illos ad 13. regales argenteos, quos nunc valent.

LEGE 4. *titulo* 24. *libro nouæ collectionis.* inhibitum est aurificibus confice-

Digitized by Google

conficere ex auro artefacta, nisi quæ sint auri 24. caractorum, vel viginti caractorum: imponuntur in eadémque lege pœnæ vendétibus artefactum quod minùs aliquid auri habeat pro aliquo ex illis trium, quali Ferdinandus & Elisabetha ex argento 11. denariorum & 4. granorum iusserunt cudi regales argenteos 67. ex vnaquaque selibra, qui proinde 20. grana ligæ habent alterius metalli, æris nempe, vt habetur *l. 2. tit. 21. lib. 5. noua collect.* valor horum erat 34. marauedinorum, vt habetur *l. 4. eiusdem tituli.* Selibra autem massæ huius argenti taxata est, vt non maiori pretio vendi posset quàm 65. regalibus argenteis, vt habetur *l. 5. eiusdem tituli.* Cùm autem ex ea 67. regales cudantur, vt *eadem l. & l. 2. citat.* habetur, consequens est, vt regales solùm habeát 32. marauedinos argenti, cùm pro expensis solùm ex selibra eorũ regalũ soluatur vnus regalis, vt habetur *l. 46. eiusdem tituli.* & insuper vnus marauedinus, vt ministri domus monetæ affirmãt; consequens est vt reliqui 33. marauedini in lucrum illius cedant, qui argentũ tradit, vt ex illo regales fiãt; quod apertè significant *l. 5. eiusdem tituli.* Quoad hæc omnia nihil vsque ad hodiernũ diem immutatum est, vt partim constat ex *l. 13. declarationum eiusdem tit.* hoc excepto quòd schedula Regis missa ad domus monetæ Hispaniarum impositũ est tributum 50. marauedinorum soluendorũ Regi ex quacũque selibra argenti quæ in eis cuditur, atque id tributum *segnorage* nuncupatur. Itaque hodie cudenti selibram argenti solùm reddũtur 64. regales argentei cum dimidio.

Ioan. de Salas.

De monetis autem Lusitaniæ tractat latè Molin. *disp. 400.* vnde *disp. 401. in fin.* colligit leges Lusit. quæ monetis aureis pretia imposuêre, nõ obligare hodie in conscientia: sed posse etiam pro monetis impurioris auri, quibus pretium 1000. aut 500. *reais* est cõstitutũ, accipi plus pretij intra limites valoris earum naturalis, propter ea quæ *disp. 400.* dixerat. Lex verò quæ regales argenteos taxauerat, vim (inquit) amisit eo ipso quòd regalis argenteus ad valorem 40. *reais* fuit euectus. simúlque cessarunt scrupuli, & difficultates, num pro eis accipi posset vltra pretium lege taxatum: nec enim est, qui pro eis hodie offerat vltra 40. *reais.*

EADEM disp. 401. in fin. infert, cũ legibus tã Castellæ, quàm Lusitaniæ declaratũ hodie sit, quantùm monetæ aureæ antiquæ in pretio ascenderint, quantúmque hodie valeant, cõstat, siquis hodie soluere creditori suo velit in eis monetis, cogendum creditorẽ esse illas accipere in pretio illis legibus declarato, neque iustè accipi posse pro minori pretio, eo quòd illud sit minimum iustum, quod hodie habent, nullúsque minori pretio illas dabit; nisi qui hodie illarum valorem ignorauerit. Quòd autem attinet ad pretium maius, quod hodie pro monetis aliquibus inuenitur, iustéque iuxta ea, quæ dicta sunt, accipitur vltra id quod legibus declaratum est, vt de monetis 1000. aut 500. *reais* Lusitanis dictum est; nullus sanè creditorum cogi potest accipere illas maiori illo pretio, quoniam incrementum illud quod pro eis inuenitur, spectat ad pretium illarum non legitimum, sed naturale, quod in indiuisibili nõ

consistit, quamplurimique sunt, qui illas dant pretio quondam legibus taxato, quod interim dum aliud non statuitur, nec declaratur, censendum non est egredi limites infimi pretij iusti. Debitor autem ipse quærat, qui maius pretium pro illis det, & tunc soluat in aliis pecuniis.

Num. 3. *DISP.* etiam 400. *prope fin.* aliqua dicit Molina notatu digna. Primum est. Cùm in Castella, & Lusitania massæ auri pretium non sit lege taxatum, neque item argenti, nisi illi in Castella quæ 11. est denariorum, & 4. granorum, vt selibra illius vendi non possit vltra 65. regales, cùm tamen prohibitum non sit illam minori pretio emi, quotidiéque vel illo pretio, vel minori ematur, ac vendatur, prout quisque potest, facilis erit responsio ad dubium; num sequens emptio argenti iniusta sit cum restituendi onere? Multi cùm pecunia indigent vendere coguntur artefacta argenti, quæ habent; dum verò illa aurificibus, aut mercatoribus vendenda offerunt, non plus pretij pro illo reperiunt, quàm si argentum illud fabrefactum non esset, cùm tamen opificium multùm aliquando valeat: interdum etiam non plus pro eo argento reperiunt, quàm ad rationem 64. regalium pro selibra, ita vt præter valorem opificij descendere cogantur in valore massæ regalem vnum in vnaquaque selibra. Respondet Molina, cùm in ea re nulla transgressio humanarum legum fiat, vt dictum est, atque in ea merce aurifices, aut alij mercatores, qui eam emunt multùm pecuniæ collocent, vt illam mundando, atque aptando, iterum maiori pretio reuendant, damnandam non esse eam emptionem vt iniustam; modò tamen spectato illo emptionis modo (qui aurificibus ex suo officio non secus incumbit, quàm bibliopolis emere minori pretio libros, qui ipsis vendendi offeruntur, vt maiori pretio illos reuendant) pretium quod pro illis dant, attentis circunstantiis omnibus concurrentibus, atque inter eas, quòd vltroneæ merces minùs valent, prudentis arbitrio non iudicetur in eo emendi modo non attingere ad infimum iustum. Tanti enim valoris potest esse opificium, & tanta posset esse spes breui eam mercem reuendendam esse longè maiori pretio, vt meritò iniusta prudentis arbitrio iudicari posset ea emptio cum restituendi onere quantùm ad infimum pretium deesset, etiamsi selibra 65. regalibus emeretur, idque nihil impediente quòd pretia eiusmodi rerum in indiuisibili non consistant, sed magnam latitudinem habeant. Non tamen damnes, inquit, quæ consuetudine in hac parte recepta esse comperies; quoniam ea consuetudo multùm facit, vt pretium in eo emptionis modo iniustum non sit censendum.

Num. 4. SED dubium est, an ex parte emptorum pactum liceat, vt intra certum tempus argentum huiusmodi alteri non reuendant, sed fas ipsis sit intra idem tempus illud redimere pretio maiori quàm fuerit quod pro eo acceperint? Respondet Mol. si vera interuenit venditio, ita vt si argentum illud medio tempore pereat, emptori

Digitized by Google

ptori pereat, & contractus primus iuxta ea quæ dicta sunt, iustus sit, atque in secundo non cõstituatur maius pretium, quàm illud, quod primus emptor iustè accipere poterat à quocũque emptore pro eodem argento, neque vsuram, neque iniustitiam in eo cõtractu interuenire, sed potiùs gratiam, quã primus emptor venditori primo facit, seipsum inhabilem reddendo ad eam mercem cuiquam alteri intra id tempus vẽdendam; vt *disp.* 376. adhibitis etiam aliis exemplis ostensum est. Secundũ quod *in ea disp.* 400. aduertit Mol. quanuis quãdo erant in hoc Castellæ Regno ducati illi valoris 375. marauedinorum, & in Lusitania iidem ducati seu cruciati erant valoris 400. *reais*, cambia pecuniarum de loco ad locum, ac cõtractus fierent, multáque alia constituerentur mẽtione facta de ducatis non solùm in his Regnis, sed etiã ex eis ad prouincias alias, atque ex prouinciis aliis ad ipsa, & hodie similiter cãbia, atque contractus sub nomine ducati fiãt, multáque alia cõstituãtur; à multis tamen tẽporibus facta variatione in auri valore, nullũ nũmũ in his Regnis esse qui eius sit valoris, sed valorẽ illũ quo ducati nomine quondã intelligebatur, atque hodie etiam intelligitur, solui facta cõpensatione ad æqualitatẽ cum eo valore in aliis monetis, vt quotidianus vsus testatur. Sed aduerte communiter in ducatis Castellæ non haberi rationem marauedini, sed nomine ducati intelligi 11. regales argenteos.

PRÆTEREA Mol. *disp.* 401. aduertit, in Lusitania *lib.* 6. *ordinationum tit.* 6. §. *vlt.* prohibitũ esse destruere monetas argẽteas, aut eas destrui præcipere, vt ex eis fiat artefactũ, aut quacumque alia ratione, esto alterius sint Regni, pœnámque statui exilij 10. annorum ad loca Africæ, atque amissionis dimidiæ partis bonorum diuidendæ æqualiter inter accusantem, & fiscum Regis: & sub eisdem pœnis inhiberi seligere monetas maioris ponderis, eásque vẽdere ad pondus. Qui autem aliquid horum fecerit, si de numero eorũ ministrorum Regis sit, quibus incumbit recipere pecunias Regis, pœnam mortis incurrit, atque amissionis omniũ suorum bonorum. Nescio tamẽ (inquit) an ea lex tãto rigore executioni mandetur, vt lethalis culpæ condemnandus sit aurifex, vel persona alia priuata, quæ pecunias aliquas argenteas destruxerit, vt ex illis artefactum conficiat, præsertim postquam euecto regali argenteo ad pretium 40. *reais*, & imminuta quãtitate tostonis, quantum *disp. præced.* relatum est. Quòd si lex illa in suo robore permaneret perseuerãtibus circũstantiis, quæ erãt, quando lata fuit, plenéque executioni mandaretur, nõ dubitarem obligare sub culpa lethali, attenta pœnæ acerbitate, & damno, quod Reip. ex eo euenit, quòd monetæ æqualis valoris ac maioris ponderis destruãtur, vt regulariter euenire solet, quando monetæ aliquæ destruuntur. Ea tamen lex nõ intelligitur de monetis argenteis quæ in Lusitania valorem non habent, vt liquidò constat *l.* 3. *tit.* 11. *p.* 4. *legum extrauag.*

NOTAT etiam Molina ibi, in Regno Castellæ *l.* 67. *tit.* 21. *nouæ compil. iuncta l.* 6. *tit.* 17. *lib.* 8. sub pœna capitis, amissionisque omnium bonorum prohiberi destruere monetas

aureas,argenteas,vel æreas,aut illas ex hoc Regno extrahere.Hanc tamé legem non intelligit de monetis illis antiquis,quæ hodie rariſſimæ sũt & quarum loco aliæ ſucceſſerunt, ſi quæ ad deaurandum deſtruantur, quoniam & eſt modicum quid, & mutatio temporum ac circũſtantiarum licitum id reddit.

NOTAT præterea Molina, licèt cambium monetarum fieri in eodé loco debeat ad æqualitatem valoris, ſi tamen timor probabilis eſſet breui monetam aliquam publica auctoritate minuendam in valore, licitè emi poſſe minori pretio, quàm lege eſſet taxata. Quoniam timor ille ac probabilitas quòd minuenda ſit in valore,efficit illam minoris valoris, non ſecus ac pecunia, quæ collocata eſt in tempeſtate, aut à periculo maris pendet, iuſtè emittur minori pretio, quàm ſit lege taxatum. Ita Med.*q.* 3.*de cambiis.*§.*vltimo.*Interim tamen dum pecunia illa publica auctoritate imminuta non eſt, licitè dari pretio taxato putat Molina, quoniam reuerà adhuc retinet antiquum valorem ad effectum,vt licitè dari,ac expendi poſſit in eos vſus in quibus expendenda foret, ſi non eſſet talis timor. Concinit Sa *verb. camb.*dicens,dubium de valoris mutatione variare valorem ipſius.

DVBIVM VII.

An miniſter deferens ſolutionẽ inpecuniis aureis, illáſque in itinere iuſtè commutans pro maiori pretio,ſibi retinere poſsit incrementum?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur quæſtio.*
2 *Reſpondet Molina tribus aſſertionibus n.3.4.& quiddam obſeruat n.5.*
6 *Rebellus quatuor concluſionibus reſpondet n.7.8.9.*

IDEM eſt ſi commutando eas in inferiores monetas cum lucro, ex inferioribus monetis emeret merces domino ad id eum mittenti. Idem dubium eſt de miniſtris Regis, aut alterius qui reditus, & alia debita ipſius in auro,vel argento recipiũt, & de depoſitariis,qui in eadé moneta pecuniam recipiunt,& poſtea ex præſcripto Regis, aut alterius, cuius ſunt miniſtri,ſoluunt ſtipẽdia, ac debita, alióſque ſumptus faciũt, an poſſint, ſi pecuniam eo medio tempore cum incremento commutent, ſibi incrementum retinere? Num.1.

RESPONDET Molina *tract. 2. de iuſtitia.diſp.402.*per has concluſiones. Prima eſt.In omnibus his propoſitis euentibus ſi is miniſter, aut depoſitarius, poſtquam eas pecunias aureas cambiuit cum incremento, iterum ex pecunia cum eo incremento accepta comparet minori pretio ſimiles alias pecunias aureas, eíſque executioni mandet, quæ illis aliis pecuniis ex eorum præſcripto,quorum negotia agit, erat executurus, licitè retinere poteſt incrementum, tanquam fructum ſuæ induſtriæ, licèt vſus fuerit pecunia aliena. Idé tenet,& meritò Leſius *lib.2.c.23.dub. 2.n.*18.dicens,ſi tradam famulo, vel negotiorũ geſtori mille aureos in auro,vt ſoluat meo creditori, nõ curás qua ſpecie id fiat,& ille eam commu Num.2.

Digitized by Google

mutet contra monetam argenteam cum lucro, eáque soluat creditori retento lucro, non teneri ad restitutionem illius lucri. Ratio vtriusque auctoris est, quia illud lucrum est effectus industriæ proueniens ex negotiatione pecuniaria famuli industria, & periculo facta, ac proinde nec domino pecuniæ debetur (sicut dum fur, vel vsurarius negotiatur aliena pecunia, nec tenetur domino pecuniæ lucrum dare) nec etiá creditori eius, quia hæc species illi nõ erat debita, & illi integrè alia specie est satisfactũ.

Num. 3. SECVNDA conclusio Molinæ, in qua etiam cum illo conuenit Læsius. Si domini voluntas, saltem quasi habitualis fuit, vt illam pecuniæ speciem meo creditori traderet, eo quòd cuperem illi gratificari, & dare occasionem illâ lucrandi, tunc distinguendum est; vel enim creditor illa specie erat lucraturus, vel non erat. Si erat lucraturus, tunc famulus tenetur ei de lucro cessante, quanti illa spes lucri æstimabitur; quia hæc species erat ei debita, quam non soluendo est ei causa iniusta amissionis lucri. Si autem non erat lucraturus; sed pretio communi exposituras, ad nihil tenetur, quia etsi iniuriam fecit speciem debitam non soluens, tamen nihil damni intulit. Vide Læsium *eodem lib. cap.* 20. *dub.* 18. *&* 19. & Molinam 5. ac *disp.* 327.

Num. 4. TERTIA conclusio Molinæ. Si is qui pecuniam alteri mittebat, erat quasi habitualiter contentus, vt internuntius potiùs eo lucro gauderet, quàm is, ad quem eam mittebat, aut ea de re nihil curabat, internuntius licitè facit cambiendo cum lucro, & illud sibi retinere potest, etiãsi qui eam mittebat, ita esset affectus, vt vellet potiùs sibi lucrum, quàm famulo: quia creditori, vel donatario nulla fit iniuria non dando illi eam speciem, nec eius lucrum: neque verò domino pecuniæ: quoniam si internuntius eam pecuniam esset furatus ab eo, qui illam mittit, tale lucrum non pertineret ad dominum eius pecuniæ, etiamsi ita esset affectus, vt potiùs sibi, quàm furi id lucrum vellet. Ergo nec in re proposita lucrum pertinet ad dominum pecuniæ, sed ad famulum, nihil impediente illo affectu domini.

OBSERVAT tamen Molin. quando depositarius est talis, vt dominium depositi ad ipsum spectet, non ad deponentem, quia suo periculo suscipit deposita, neque reddere tenetur id potiùs numero, quod recipit, quàm aliud, vt esse solent publici depositarij pecuniarum, & receptores, quos *Almoxarifes*, vel *Thesoreros* Regis appellant, atque alij similes, tũc magis habere locum, quæ dicta sunt. Licèt enim pecuniam auream recipiant communi pretio, satisfaciunt tamen reddẽdo quæ apud ipsos sunt deposita in quacumque pecunia, soluendóque Regi, aut aliis, quorum sunt ministri, atque ex eorum præscripto quibuscumque aliis in quacumque moneta. Quare si quid, cambiendo similes monetas aureas, lucrentur, ad ipsos spectat lucrum, atque hoc est vnum ex commodis, ac velut stipendiis, quæ ex suo munere reportant. Num. 5.

Num. 6. PRÆDICTIS consonat Rebellus *de oblig. p.* 2. *q.* 8. vbi ponit de hac re quatuor conclusiones. Prima est. Si in propositis negotiis post lucrum ex aliena pecunia, quomodocumque campsa receptum, iterum aliã eius-

Digitized by Google

dem prorſus rationis minori pretio acquiras, quam iuxta domini præſcriptum abſque vllius partis detrimento tradas iis, quibus debetur, fas tibi erit retinere lucrum illud tanquam tuæ induſtriæ fructũ, quanuis ex re aliena tanquam inſtrumento comparatum ſit. Idem dicendum eſt, ſi triticum alienum vẽderes tempore quo triticum cariùs valet, tantundémque poſtea emeres eiuſdem bonitatis, & in eodem loco reponeres; lucrum enim retinere potes, ſi dominus triticum eouſque erat ſeruaturus; quidquid ſit de peccato in aliena re inuito domino contrectanda. Hæc de ſe conſtat, cùm nullius in hac retentione iniuria cernatur.

Num. 7. SECVNDA concluſio. Si alienam pecuniam alicui tradere iuſſus, priùs nomine tuo cum altero pro lucro cambias, ac viliorem pecuniam tradas, rectè poteris lucrum iſtud tibi ſeruare, ſi modò dominus pecuniæ per verba, aliáſve coniecturas velle ſaltem virtute cenſeatur, vt tibi ſerues: ſecus verò ſi velle præſumatur, vt eadem numero, vel æquè bona tradatur in gratiam creditoris cui tradi iubeatur. Prior pars de ſe patet: poſterior probatur; quia creditorem, cui iuſſu domini tradenda fuerat, ab eodem lucro iniuſtè impediiſti, & damnum ei intuliſti, poſito, quòd inde lucrum ſimiliter eſſet receptu-rus. Ergo totum ſatisfaciendum erit (excepta compenſatione tuæ induſtriæ) ſi ſupra id fortè quod facere tenebaris, impendiſti.

Num. 8. TERTIA concluſio. Si pecuniæ dominus perſeueret in eadem voluntate donandi lucrum illud creditori cui tradere pecuniam iuſſerat, eidem, non domino ſatisfaciendum erit, vt patet: ſi verò dominus voluntatem mutaret antequam creditori fieret ſatisfactio, domino, non creditori reſtitutio facienda erit, vt aliqui volunt: tum quia ab eodem lucro recipiendo ob valorem ſuæ pecuniæ iniuſtè fraudatus fuit, vt ſuppono; tum quia famuli miniſterium debet potiùs in domini, quàm in creditoris vtilitatem cedere; ſi quidem creditor ante traditionem ſibi factam nullũ ius ad eaſdem numero pecunias habebat, quod tamen haberet, ſi famulo, vel procuratori ſuo traderentur; quare damnum illud domino læſo à te compenſandum erit, quanuis dominium lucri ex eo cambio facti penes te ſit, non ſecus ac pretium acceptum à fure pro re aliena, quam vendidit, ad furem pertinet. Confirmatur: nam ſi tu per fraudem, vel mendacium voluntatem domini tui, vel alterius nitereris mutare, vt tibi rem donaret, quam mihi fortè donare conſtituerat poſtea domino detecta fraude, dominus ex ſeſe liberè mutaret eam voluntatem donandi, antequam res mihi eſſet tradita, vel à me, vel ab alio, nomine meo accepta foret, profectò res, totúſque rei valor ad dominum pertineret, ac proinde ſi quod ex iniuſta rei contrectatione damnum pateretur, eidem ſatisfactio illius damni facienda foret, non mihi, præterquàm iniuriæ per fraudem, vel mendacium mihi irrogatæ, ſi alicuius momenti foret, & cuiuſuis alterius damni, ſi quod in bonis, ad quæ ius iuſtitiæ haberem, datum fuiſſet.

SVPPONIT in vtraque concluſione, lucrum illud vel à creditore fuiſſe capiendum, vel à domino, ſi à te non fuiſſent impediti, atque adeò

damnu m

Digitized by Google

damnum fuisse datum. Sed quid si veri similiter à neutro foret tale lucrum recipiendum, & consequenter nullum damnum per te datum fuisset?

Num. 9. QVARTA conclusio. In eo euentu, quo nullum damnum domino, aut alteri dares, ad te lucrum pecuniæ campsæ tamquam fructus tuæ industriæ pertineret, quia eadem ratio pro te militat, quæ cernitur in depositario, vsurario, & fure, de quibus communiter dicitur, si per pecuniam à se raptam, vel vsurariè acquisitam, vel apud se depositam negotientur suo proprio nomine, ad se lucrum pertinere, quanuis ad restituendū damnum emergens, & lucrum cessans dominis teneantur: quod iudicium vim habet ex illa regula iuris, *qui sentit commodum, damnum sentire debet*, & vice versa. Si autem aliquod damnum ex tali cambio, vel negotiatione contingeret, ad negotiantes pertineret: ergo & lucrum.

SED contrà, quia si famulus iussus rem vendere pro 10. venderet pro 12. lucrum spectaret ad dominum: ergo similiter in casu proposito. Negatur consequés: nam famulus cambiens per pecuniam domini, nomine proprio cambit, ideo ad ipsum pertinet lucrum, & damnum. Ille verò alius nomine domini vendit, ideo ad dominum pertinet lucrum, & damnum.

SECVNDO obiicies, quia fructus permutationis pecuniæ, eius fructus est: ergo ad dominum pecuniæ pertinet, vt si ager, vel equus alienus à famulo locaretur, tota merces domino deberetur, præter id quod fortè industriæ famuli supra debitam industriam impensæ responderet.

RESPONDEO, lucrum illius cambij fructum esse industriæ famuli, non verò pecuniæ; quia pecunia nō est fructifera secūdùm se: si tamen inde lucri nihil famulus acquisisset, sed potiùs dānū alteri intulisset, non est propter adhibitam industriam à toto damno excusandus, cùm in gratiam sui, non domini, industriam suam posuerit. Hæc Rebellus.

DVBIVM VIII.

An campsor in cambio locali, quando prior accipit, vt alibi reddat, possit aliquid lucrari, & quo titulo?

SVMMARIVM.

1 *Quædam suppositio.*
2 *Potest lucrari variis titulis.*
Primo, titulo translationis virtualis, & eminentis.
3 *Secundo, titulo assecurationis.*
4 *Aliqui impugnantur.*
5 *Dubio cuidam fit satis.*

SVPPONIMVS cambij localis vtilitatem, & necessitatem; frequenter enim homines indigent in vno loco pecunia, quam habent in alio, vel ad merces ex eo loco asportandas, in quo illa indigent, vel ad ibi commorandum, vel ad quoscunque alios sumptus ibi faciendos, nec tamen possunt eam exportare ex alio loco, aut quia sub grauibus pœnis inhibitum est illam extrahere ex eo Regno, aut quia Num. 1.

tranferri

transferri non posset sine magno periculo maris, latronum, aut alio simili, aut non sine magnis sumptibus, laboribus, ac molestia, aut non tam citò quàm citò in alio loco est necessaria, vel esto nihil horum interueniat, pecunia illa non valet in loco vbi illa egent, vel non tantùm, quantùm in loco, in quo illam habent.

QVOD autem examinare intendimus, est, an licitum campsoribus sit pro huiusmodi commutatione de loco ad locum priùs accipiendo, & postea reddendo pecuniam, incrementum aliquod accipere, supposito quòd valor pecuniæ in vtroque loco sit æqualis? nam si esset minoris pretij & valoris, vbi campsor accipit, quàm vbi eam restituit, non est dubium quin possit licitè incrementum accipere, vt in sequentib. dicetur.

Num. 2. RESPONDEO, posse lucrari, idque variis titulis. Gab. 4. *d.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 12. Maior *quæst.* 37. Conrad. *de contractibus q.* 99. *ferè tota.* Caiet. *tract. de cambiis cap.* 1. & 6. Medina *q.* 4. *de cambiis.* Nauar. *cap.* 17. *num.* 289. & *ad cap. fin. de vsuris. num.* 21. Rebellus *de oblig. p.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 6. Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 23. *puncto* 4. Tolet. *lib.* 5. *c.* 54. Sotus 6. *iust. quæst.* 10. *art.* 1. Molina *to.* 2. *tract.* 2. *de iust. disp.* 403. Læsius *lib.* 2. *de iusti. cap.* 23. *dub.* 3. Lopez *in Instructo negoti. lib.* 2. *de cambiis. cap.* 4. Gaspar Rodericus 3. *de reditib. quæst.* 5. *num.* 17. Bannez 2. 2. *to.* 2. *tract. de cambiis. & dub.* 5. *& dub. vlt.* Petrus Ledesma 2. *p. Summ. tract.* 8. vbi de cambiis, *con.* 6. Emanuel 2. *p. Summ. cap.* 104. *num.* 1. Sa *verb. camb. num.* 1. Primò, titulo translationis virtualis, & eminentis, quem titulum omnes fere ponunt: traiicit enim cãpsor modo virtuali, & eminẽti pecuniã quam hîc habes in locum, vbi optas eam esse, citiúsque, & securiùs, quàm si eam esset realiter translaturus; nam se obligat ad dandam alibi æquiualentem. Pro hac igitur translatione virtuali, vel eminenti potest aliquid accipere, sicut agaso, vel nuntius qui certo pretio pactus est 100. aureos in locum remotum transferre, si inueniat hominem, qui accepta hîc illa pecunia, paratus sit tantumdem tibi gratis numerare, potest accipere pretium translationis virtualis, ac si reuerà & formaliter pecuniam transtulisset. Idem est si hîc expendat illam pecuniam, & in loco destinato det aliam similem quam ibi habet. Nec refert, quòd sine incommodo vllo, aut labore hoc fecerit, quia id suæ industriæ, aut bonæ fortunæ assignandum. Idem dicendum de campsore; licèt minùs possit exigere pro virtuali trãslatione, quàm pro formali, nempe pro ratione obsequij, quod est multo minus, quia facilitas & commoditas operæ præstandæ multùm detrahit de pretio, vt Molina, & Læsius annotarunt. Nec refert quòd dãs suam pecuniam campsori, non intendat formaliter, & explicitè conducere operam campsoris; satis enim est id velle virtualiter, & implicitè volendo formaliter cambire, & campsor potest suam pecuniam pluris æstimare, quatenus conducit ad virtualem translationem pecuniæ alienæ; & pro hoc obsequio, & beneficio indebito aliquid accipere. Neque obstat huic obsequio, & virtuali translationi, quòd penes ipsum maneat acceptæ pecuniæ dominium; non enim,

Digitized by Google

enim obligatur ad dandam eandem numero alibi, sed æquiualentem; & hæc obligatio est pretio æstimabilis, quia est magnum & indebitũ beneficium, leuat enim illum onere transferendi suam pecuniam in eũ locum, & ea ratione plus valet vtrique pecunia absens quàm præsens; nam per præsentem non posset cãpsor dare, nec petens accipere talẽ commoditatem habendi alibi pecuniam, qua ibi indiget, & felix fortuna, vel industria campsoris fuit ibi habere pecuniam, vt hoc beneficiũ aliis præstare posset, & pro eo pretium aliquod accipere; quod si lege non sit taxatum, vt regulariter taxari non solet, non cõsistit in indiuisibili, sed habet certam latitudinem, vt pretia rerum venalium, conférque non parum ad iudicandum pretium aliquod esse in hac re iustum consuetudo id accipiendi, modò per tyrannidem, monopoliis, aut siti insatiabili pretia rerum plus augendi, quàm natura rei postulat, non sit introducta, vt notat Molina. Multitudo verò petẽtium cambium, & paucitas campsorũ auget eiusmodi pretium, sicut econtrario paucitas petentium cambium, & multitudo cãpsorum illud minuit, vt notãt Ioan. Med. Nauar. Maior, & Molina *locis citatis*: tametsi Medina non videatur penetrasse rationem illam virtualis transportationis, in qua duplex contractus admiscetur: vnus permutationis pecuniæ pro pecunia; atque hic fieri debet ad æqualitatem. Alter locationis operarũ atque industriæ in pecunia saltem virtualiter transferenda de loco ad locum: & ratione huius accipitur etiam statim incrementum cum eius & præsentis pecuniæ dominio. In hoc autem cambio potest interuenire iniustitia ex parte campsoris cum onere restituẽdi, si maius incrementum accipiatur, quàm sit dignus pro industria & obsequio præstito. Vsura verò interuenire non potest, quia ipse neque formaliter, neque virtute mutuò dat. Quia vero is, qui cum eo cõtractum cambij init, virtute dat illi mutuò, quatenus priùs ei soluit in vno loco, vt recipiat postea in altero, poterit committere vsuram cum restituendi onere; vt si cernens campsorẽ indigere hîc pecunia, det illi cum onere, vt tantundem restituat in loco distanti. Tunc enim petit vltra sortem onus transportandi pecuniam in locum distãtem, quod onus pecunia est æstimabile, ac proinde vsuram committit cum onere restituendi, si credimus Molinæ, & Nauarro suprà, & aliis. Ego tamen his non acquiesco, quoniam in hoc euẽtu vterque recipit ab altero beneficium; nam campsor indiget hîc pecunia, alter verò alibi, & horum beneficiorum vnum altero compensatur: ergo ad æqualitatem possunt cambire, vt si ego Salmanticæ do tibi triticum quo indiges, possum petere, vt tantundem des mihi Burgis, vbi tu illud habes, & tantundem valet. Confirmatur ex eo quod paulo pòst subiungit Molina, si duo vicissim egerent transportatione pecuniæ: vnus v. g. Olysipone Toletum, alter Toleto Olysiponem, tunc esto vnus ex officio esset campsor, & alter non, licitum esset vni dare pecuniam in vno loco, vt alter tantundẽ redderet in alio, quoniam vt duabus sequẽtibus disputationibus dicetur, licitum est cuique eorum virtualem

transportationem pecuniæ, qua alter indiget, illi vendere, & lõgè maiori cum ratione licitum erit mutuam transportationum cõpositionẽ facere. Hæc Molina. Cùm igitur in re proposita etiam qui petit ad cambium, virtualiter transportet campsori pecuniam ab alio loco in hũc, vbi ea eget, poterit dari transportationum compensatio, & ad paria cãbiri. Si tamen petens ad cambium conueniret, vt tantundem pecuniæ sibi daretur in loco, vbi plus valeret, esset vsura cũ onere restituendi, quia esset virtuale mutuum cum lucro ratione temporis, vt tenet Molina, qui addit: quãdo campsor indigeret hìc pecunia, sed dans illam alibi eadem indigeret, vbi æqualiter valeret, neque locorum distantia esset magna cùm pretium transportationis esset modicũ, præsumi sæpe posset campsorem remittere velle ex liberalitate, atque in recompẽsationem beneficij quod suscepit, modicũ illud incrementum. Quando verò incrementum esset magnum, non leues coniecturæ sufficerent, vt tutò quis posset sibi persuadere ex gratitudine, & liberalitate fieri eam remissionem. Hæc additio Molinæ necessaria non est, quia iam diximus ex iustitia posse fieri illorum beneficiorum, & virtualium transportationum compensationem; neque necessariam esse gratitudinem, aut liberalitatem campsoris. Quanuis, sicut *dub. 3.* cũ multis Doctoribus diximus, eum, qui sponte suscepit cãpsoris officium minùs posse à singulis pro cãbiendi exercitio recipere, ita dicẽdũ videatur, minùs posse recipere eũ, qui semel, aut iterũ oblata occasione beneficium cambij alteri præstat, quàm ille recipiat, qui ex officio, præsertim à Republica impositio, cambia ad bonum aliorum vtilia exercet. Quod si ita est, qui dat pecuniam publico cãpsori, cùm indiget, vt eam postea sibi tradat in loco alio, vbi ea indiget, minùs potest recipere pro virtuali transportatione, quàm ipsemet publicus cãpsor, qui ad cambiendum conquirit, & habet paratas varij generis pecunias, & famulos, & ab aliis se expedit negotiationibus, & occupationibus quæ sibi vtiles essent.

SECVNDVS titulus, quo luerari *Num. 3.* potest campsor in hoc cambio, ponitur à Læsio, Gasp. Roderico, Bannes, Eman. & Ludouico Lopez, assecuratio, & dicit Lopez hanc sententiam esse inter omnes receptissimam. Probat, quia campsor accipiens hìc pecuniam aliò traiiciendã, non solùm suscipit onus traiiciendi, sed etiam periculum, vt si pereat, non danti, sed ipsi pereat: atqui suscipere periculũ traiectionis est pretio æstimabile, vt patet, quando cũ nuntio paciscimur, vt suo periculo transferat. Nec refert quòd campsori in pecunia transferẽda nullũ sit periculum, cùm ipse eam alibi paratam habeat: id enim ipsius industriæ, vel fortunæ assignandum; & satis est illam obligationem qua se obligat alteri, vt rẽ ipsius saluã̃ loco condicto repræsentet, esse pretio æstimabilem, etiãsi eam facillimè posset implere.

Ex quibus sequitur, quo longius est iter & periculosius, eo amplius ratione assecurationis, & translationis posse stipulari, quia ea traiectio pecuniæ si reipsa fieri deberet, esset difficilior & periculosior.

SED notat Læsius assecurationem

im

implicitè contineri in obligatione transferendi, prout in praxi exercetur. Hoc enim ipso quòd cāpsor accipit pecuniam, vt alibi restituat, cēsetur eam assecurare, quia acceptat eius dominium, ac proinde non minùs se obligat, quàm si eam assecuraret: quare videtur non minus posse exigere pretiū, quàm si duplici obligatione se obstringeret, traiectionis & assecurationis. Verùm non ita est in praxi; quia enim dominium præsentis pecuniæ, quam hîc accipiunt, est valdè commodum campsoribus; ideo communiter parui æstimant illam implicitam assecurationem, & traiectionem, neque multùm curāt, an locus procul absit, an sit propinquus, sintne pericula itinerum, an non; quò fit vt sæpe is qui petit pecuniam aliò traiici, prior tradens, vt postea alibi recipiat, lucretur à campsoribus, tanquam ipse campsoris munus exerceret: qua in re campsores ostendunt se non satis intelligere iustos titulos, ob quos in reali cābio possunt lucrari, & sæpe alia quædam spectare, in quibus est magna quædam suspicio vsuræ, quanuis aliqui eorum sibi persuadeant, hoc negotium cambiorum, & iustos titulos meliùs à se, quàm à Doctoribus intellectos. In eo tamen quòd in pretio constituendo non omnes titulos cōgerant, quos alioqui possent, ostendunt, se satis sincerè procedere, nec facilè eorum contractus, tanquam vsurarios condēnandos, quādo pretia, vt passim fit, communi iudicio sūt cōstituta. Hæc Læsius.

Ego tamē existimo assecurationē, & trāslationem virtualē nihil aliud esse quàm formalē obligationē dādi alibi pecuniam æquivalētem, in qua cōferēda nullū est periculū, nullúmque onus præter illud quod præcessit, ponendi eā ibi, & habendi correspondentes, qui illam dent literis ab eo acceptis, & domi expectādiveniētes ad petendum cambia, & habendi libros rationum, & numerādi pecuniam, & ab aliis lucris abstinēdi, &c. pro quo beneficio petentibus applicato & exhibito possunt campsores aliquid recipere, vt docent Petrus Ledes. 2. p. *Summa. tract. 8. con. 7.* Alij tituli, quasi distincti ab isto, sunt ficti à Doctoribus, sicci & frigidi, qui nisi adhūc reducātur, nō sufficiūt iustificare lucrū campsorū, quādo pecunia vtrobique eundē valorē habet, quādo verò habet hîc maiorem valorē, nihil cāpsores recipiūt, sed ille maior valor cōpensatur beneficio quod præstant, vel etiā dando aliquid vltra sortem in alio loco, idem est, si ea magis indigent alibi, quàm hîc, quia alibi plus ea lucrantur, vel alia ratione: tūc enim nihil solēt recipere pro trāsportatione, quia cōpēsatur alio beneficio. Hoc genus cābij licitū esse, ac proinde cāpsorē legitimū titulū habere lucrandi, cōstat ex Bulla Pij V. quam de cambiis edidit, & ex Lusitanis ordinationibus *lib. 4. tit. 14. §. 6.* & ex lege quā tulit Sebastianus Lusitaniæ Rex an. 1570. vt ait Mol.

Ex quo patet nō bene aliquos definiisse cābia sicca cùm cāpsor priùs dat: & postea cū incremento recipit; nā cābia sicca illicita sunt: nō autem est semper illicitū cāpsori priùs dare, & postea cum incremento recipere. ergo. *Nota.*

Loqvvntvr autē eo modo apud Gasparē Roder. ē. Laur. de Rod. *tract. de vsur. p. 2. q. 26 n. 8. & p. 3. q. 1. n. 1.* Pal. Rúb. *repet. c. per vestras. not. ab. 6. §. 9. n. 13.*

Digitized by Google

Nauar. *in Comment. c. fin. de vsur. n.* 21. *& 78. & in Sum. c.* 17 *n.* 283. aliàs 286. Menechaca *lib. controu. vsu frequentiu, c.* 60. *à n.* 7. dicentes (si Roderico credimus) cambium verũ, & reale licitũ esse, vt quando campsor priùs accipit pecuniam; quàm det; siccum verò illicitum, vt quando campsor priùs dat, quàm accipiat. Sed Nauarrus nõ sic definit cambium siccum, sed refert, & impugnat Laur. de Rodul. & Sylvest. sic definientes, quos etiã cũ Naua. reiicit Mol. *disp.* 398. *ad finem.*

Num. 5. SED quid si pecunia hîc vbi campsori datur amplius valeat, quàm vbi est reddenda campsuario, fàsne erit integrã aliã mercedẽ recipere prẽter pecuniæ summam? Rectè negãt Sot. Rebell. suprà, & alij, alioqui duplex lucrũ pro eodẽ obsequio reportaretur. Itẽ, quia post integrã trãsportationis mercedem tota pecunia transportata cãpsuario debetur, & quòd plus ibidem valeat. Vnde aliquando continget vt cãpsuarius nõ solùm nõ teneatur illã mercedẽ cãbij soluere, sed etiã possit aliquid pretij exigere vltra totidem pecunias alibi sibi à campsore soluendas; si videlicet excessus valoris vbi à campsuario tradũtur, maior sit toto pretio iusto trãsportationis. Ita docẽt Sylu. Cait. Sot. Didac. à Rosar. & Rebellus suprà.

DVBIVM IX.

Vtrùm quando campsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo?

SVMMARIVM.

1 *Sententia asserens hoc cambium illicitum esse cum onere incrementum restituendi.*

2 *Contraria sententia vera est.*

3 *Varij tituli lucrandi in hoc cambio referuntur, & explicantur.*

HOc cambium illicitum esse & vsurarium cum onere restituendi incrementum, definiêre Lusitanæ ordinationes *lib. 4. tit. 14. §. 6. seu antepenult.* & tenuêre aliqui Doctores: quia tunc campsor non videtur transportare pecuniam, quam non dat, sed potiùs recipit in loco distãti, qua de causa non potest ratione obsequij, quod nõ præstat, accipere incrementum illud: neque videtur esse alius illud accipiendi titulus præter expectatam solutionem, in qua formaliter, aut virtute cernitur ratio mutui: ac proinde ea incrementi acceptio videtur vsuraria. Idem cambium damnat Antonin. *3. p. tit. 8. cap. 3. in principio* cum Bern. Innoc. Goffredo, Innoc. & Hostien. & Sarmientus 7. *Selectarum. cap. 2. num. 7. & 8.* Albornoz *lib. de contractib.* vt refert Palac. *3. de cõtract. c. 4. §. quocirca.* Num. 1.

CONTRARIA sententia vera est & communis. Conrrad. *de contract. q.* 99. Caiet. *tract. de cambiis. cap. 8.* Sotus *6. iust. q.* 10. *art.* 1. Nauar. *cap. fin. de vsur. n. 25. & in Summa. cap. 17. nu. 289. 290. & 294.* Ioan. Med. *q. 4. & 5. de cambiis.* Mol. *tract. 2. de iust. disp.* 404. Lessius 2. *iust. cap.* 23. *dub.* 4. & Antonin. suprà refert multos viros doctos & timoratos sic tenere. Idẽ tenet Bannez 2. 2. *to.* 2. *tract. de cambiis. dub. 5. & dub. vltimo.* Reb. *de oblig. p.* 2. *lib.* 11. *q.* 7. *n.* 6. dicens, approbatum fuisse hoc cambium à Pio V. in Bulla de camb. & à Sebastiano Lusitaniæ Rege lege lata anno 1573. Hãc etiã sentẽtiam tenet Val. *2. 2. disp. 5. q. 23. pun. 4.* Saverb. *cãbiũ. n. 3. &* 4. Tol. *5. Sum. c. 55.* Graf. Num. 2.

Digitized by Google

*p.1.decisionum.lib.2.c.110.n.5.*cum Ioan. And. *cap.nauiganti.de vsuris.* Salycet. *authen. ad hæc.c. de vsuris.* Angles *q.de camb.art.4.diffic.2.* Ponũt hi auctores varios titulos lucrãdi in hoc cãbio.

Num.3. PRIMVS titulus, quem ferè omnes ponunt, vt Læsius, Molina, Valen. Nauar. Sa, est virtualis translatio: quia numerando hîc pecuniam præsentem ei, qui habet absentem, tantundẽ beneficiũ ei prẽstat, quantũ si pecuniã absentẽ huc trãsferret; atqui hoc obsequiũ translationis est pretio æstimabile: ergo etiã numeratio pecuniæ præsentis pro absẽti est pretio æstimabilis, quia æquiualet formali trãslationi. Nec ex eo quòd cãpsor nõ recipit prior, sed posterior, minori præmio dignus efficitur, imò maiori dignꝰ est, si maioribꝰ expẽsis, & industria opus sit, vt alibi habeat, qui nomine suo pecuniam recipiat vel si vbi reddenda est, minùs valeat, quàm vbi eam dedit. Aliqui hunc titulum reiiciunt. Primò, quia is qui prior accipit, vt alibi restituat, videtur potiùs pecuniam campsoris aliò traiicere, quàm campsor ipsius: ergo illi potiùs mercedem debebit campsor, quàm ipse campsori. Secundò, campsor non potest aliunde huc transferre pecuniam alterius, nisi antea eam acceperit: sed non accepit antea. ergo.

SED ad primum horum respondet Læsius. Campsor censetur transferre pecuniam alterius, quia præstat operam æquiualentẽ translationi: & quia liberat illum onere transferendi, & illud in se suscipit; & quãuis alia ratione campsuarius videatur traiicere pecuniam campsoris, non tamen ideo campsor ei debet mercedem, quia campsor eius operam non implorauit. Ad secundum respondet. Non potest eam tranferre realiter antequam acceperit, potest tamen æquialenter, facit enim aliquid æquialẽs trãslationi.

ADDIT Læsius quasi alium titulum, quem priùs cum hoc confudetat, inquit enim. *Sed etiamsi concederemus, campsorem non traiicere pecuniam alterius in hoc cambio; tamen ex permutatione aliquid lucrari potest, quia pecunia procul absens à loco contrahentium minoris æstimatur cæteris paribus quã præsens: ergo præsẽs potest cũ lucro cõtra absentẽ permutari. Antecedẽs probatur, tum quia absens nõ præbet ex natura rei eam facilitatẽ & commoditatẽ, quàm præsens: tum quia absens, quantùm est ex natura rei, sine sumptu, & periculis non potest effici præsens, imò interdum maioribus periculis est expositus. Hinc fit, vt etiam merces absentes minoris valeant, quàm præsentes.* Hanc rationem reddit Syl. *vsura. 4. quæst. 4. versùs finem.* Caiet. *tract. de camb. cap.7.* Nauar. *cap. 17. num. 295. & in cap. fin. de vsuris. num. 62. & 63.* & Valen. s. *con. 4.* vbi etiam docet hunc titulum esse distinctum à præcedenti: Sa verbo cambium. *num. 3.* Tol. 5. *Summ. cap. 54. num. 1. & 53. num. 3.* quanuis hunc titulum reiicere videatur Bannez suprà, & Sotus 6. *iust. quæst. 12. art. 2.* vbi ait absentiam pecuniæ secundùm locum nihil facere ad lucrum campsoris secluso periculo; & Angles s. & latiùs hunc titulum reiicit Palac. *de contractib. lib. 3. cap. 4.* quia sic cùm campsor priùs recipit, non posset referre lucrum. Item quia etamsi non negotiantibus pecunia præsens vtilior sit quã absens, nempe ad emenda cibaria, vestes, & vtensilia: tamen mercatoribus pecunia

Digitized by Google

absens est melior quàm quæ in arca seruatur : nam absente pecunia emunt, quæ postea cariùs vendunt. Sed dici potest cãpsorem cùm priùs recipit, lucrari ratione traiectionis & officij; cùm vero priùs dat, lucrari ratione pecuniæ præsentis, quæ simpliciter melior est absenti, licèt secundùm quid absens possit esse melior mercatoribus. Ibidem etiam *con.* 2. & 3. reiicit alios lucrandi titulos, & tandem resoluit titulum lucrandi vniuersè in cambiis solùm esse ratione officij: vnde etiam videtur reiicere titulum traiectionis, vt communem omnibus cambiis: non enim putat reperiri cùm campsor priùs dat, quia potiùs alter traiicit aliò pecuniam campsoris: non aduertit Palac. etiam campsorem virtualiter traiicere huc pecuniam campsuarij.

Nec obstat primò, quòd campsor alterius pecuniam sine periculo, & labore efficit virtualiter præsentem, tum quia id non semper verum est; nam sæpe magnos sumptus, & pericula ob id perfert, & suos factores, quos alibi habet magna mercede conducit, tum quia si id ita est, hoc ipsorum industriæ & bonæ fortunæ est acceptum ferendum. Satis enim est pecuniam absentem loco ex ipsa rei conditione minoris æstimati, eo quòd communiter non sine periculis, & sumptibus præsens haberi queat.

Non obstat secundò, quod interdum campsori commodum sit pecuniam habere absentem; quia hoc non prouenit ex ipsa conditione absentiæ per se consideratæ, sed ex industria campsoris, qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere; vnde non tenetur idcirco eam secundùm se pluris æstimare. Sicut enim is, cui commodum est reducere equum Louanio Parisios, non tenetur illud commodum æstimare, aut minùs pro reductione equi stipulari, si aliquis eius opera in equo reducendo vti velit: ita campsor, cui vtile est pecuniam, quam dat Hispali, recipere Antuerpiæ, non tenetur illud commodum æstimare, aut minùs pro sua opera exigere, quando aliquis flagitat ad hoc eius industriam. Hæc Læsius; de quibus vide etiam quæ dicimus *dub.* 11. & concinit Valen. suprà. Et eundem titulum transportationis virtualis, & leuati oneris in se transferẽdi, quod alius subire deberet, vt transferret suam pecuniam cum labore, sumptibus, & periculis, & interdum cum tanta mora; vt ea translatione non succurreretur eius necessitati & indigentiæ, ponunt Molina suprà, Caiet. Nauarr. & alij, qui bene dicunt, pro hoc obsequio, & gratuito, ac indebito beneficio transportationis virtualis & leuaminis ab onere transportandi aliquid exigi posse. Confirmat primò Molina eandem sententiã: quia non plus, neque maioribus sumptibus, aut industria facit campsor priùs accipiens, & postea dans, quàm priùs dans, & postea accipiens, sed minùs: ergo si ille potest lucrari eo cambio, vt dubio præcedẽti dictum est, à fortiori hic, de quo in præsenti dubio, cùm maiorem gratiam & beneficiũ præstet.

Confirmat ex Bulla Pij V. de cambiis, quæ cambium hoc approbauit: & Sebastianus Lusitaniæ Rex lege lata anno 1577. die 5. Nouembris. Auctor verò legis alterius

contra

contrariæ Lusitaniæ errauit, dum secutus opinionem falsam damnauit hoc cambium vt vsurarium, & legi naturæ contrarium, vt Molina dicit, quanuis Rebellus dicat solùm illud damnasse propter præsumptionem, & periculum vsuræ.

Ex his colligit Molina primò, licitè quondam Genuenses cum lucro commutasse reditus annuos quos in Castella in locis ab Hispali distantib. habebant pro reditibus annuis Hispali recipiendis, si excessus erat moderatus ratione habita onerum, quibus leuabant dominos talium censuum, & fortè simul etiam ratione habita difficultatis in eis recuperandis à ministris Regis.

Colligit etiam rectè potuisse mercatores conuenire cum nobilibus fœminis Olysiponensibus habentibus annuos reditus in Castella, pro certa quantitate pecuniæ, vt ipsi exigerent à ministris Regis, & Olysiponem transferant, ac tradant huiusmodi mulieribus, nimirum translatione virtuali, quia Olysipone pecuniam habebant ibi dandam pro ea, quam in Castella recipiebant, & qua ibi indigebant ad negotiandum.

Læsivs verò colligit cum Nauarr. *in cap. fin. de vsuris. num. 21. & sequentib.* campsorem lucrari posse, etiamsi vtrobique sit idem pretium monetæ, & eadem copia, vel inopia. Valen. verò colligit, quo plus distant loca, eo plus posse campsorem lucrari, quia virtualis translatio est maius beneficium præstitum campsuario: & si campsor priùs det pecuniam quàm recipiat, est magis distans, ideo minoris valoris ad suos vsus.

An verò possit præterea lucrum aliud habere quando pecunia est maioris æstimationis in loco vbi à campsore datur, quàm vbi à cãpsore recipitur, dicemus infrà; & an aliis titulis campsores lucrari possint.

In *principio disp.* 405, rectè docet Molina hæc duo genera cambij, de quibus hoc & præcedenti dubio actum est, non solùm licere campsoribus publicis, qui id habent ex officio, sed etiam aliis priuatis hominibus: quoniam effectus qui in gratiam petentis cambium præstatur, valet incrementum illud, à quocumque is effectus præstetur: neque est lex aliqua, quæ tale cambium priuatis hominibus prohibeat. Idem docet Rebell. suprà *num. 9.*

Saltem in hoc & sequenti cambio posse campsorem aliquid recipere propter periculum, expensas, labores, & obligationem, vel animi promptitudinem, qua paratus est dare, & accipere, meritò docent Tolet. *lib. 5. cap. 53. num. 3. in fine.* & alij communiter, vt Grasis *2. decisionum. cap. 110. num. 4.*

DVBIVM X.

Vtrùm campsor possit lucrari etiamsi det, & recipiat intra idem Regnum?

SVMMARIVM.

1. *Sententia negans refertur.*
2. *Præfertur sententia affirmatiua.*
3. *In hoc Regno Castellæ doctrina hæc, quæ ex natura rei vera est, est interdicta.*

4 Cui

4 *Cuidam dubio respondetur.*
5 *Aliqua ex dictis colliguntur.*

Num. 1. OTVS *6. iust. quæst. 10. art. 1. & quæst. 13. art. 1.* negat, quem sequitur Gaspar Rodericus *3. de annuis reditibus. quæst. 5. num. 17.* citans Mercadum *4. de contract. cap. 7. fol. 178. 2. p. vers. algunas veçes.* Thomam de Vico *tract. de cambiis. cap. 1. num. 4.* Lopez *lib. 2. Instructo. negot. cap. 12.* & putat Rodericus tale cambium esse siccum & vsurarium. Eandem sententiam tenent Palac. & Didac. à Rosar. vterque *super Caiet. verb. cambium.* excipiunt, nisi auctarium recipiatur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.

Num. 2. SED communis & vera opinio est, lucrari posse. Nau. *c. 17. n. 290. & ad c. fin. de vsur. n. 28.* Boninsignius *tract. de cambiis. cap. 7. num. 27.* Læsius *2. iust. cap. 23. dub. 4. num. 32.* Molin. *tract. 2. de iust. disp. 405. parte 2.* Emanuel *2. p. Summa. cap. 104. num. 4.* citans Garsiam *tract. de camb.* imò Nau. & Eman. putant hoc alibi docuisse Sotum, & ita sibi fuisse contrarium. Idem tenet Rebellus *de oblig. p. 2. lib. 11. q. 6. num. 14.* & ait Sotum idem tenere *6. iust. quæst. 13. art. 1.* in posteriori editione, & non se retractare, sed explicare, quâuis priorem sententiam Soto tribuant Nauarr. Palac. & Didacus à Rosar. 5. & Tolet. *lib. 5. c. 54.* qui tamen hanc posteriorem sequitur, & Angles *quæst. de camb. art 4. con. 2.* Vega *in Sum. & Epit. verb. cambium. casu 27. & 28.* Probatur, quia sicut opera, quam præstat transferendo pecuniam alterius ab vna prouincia, in aliam modo dicto, est pretio æstimabilis, ita etiam ex vna vrbe in aliam distantem intra eandem prouinciam, siue priùs accipiendo, & postea dando, siue econtrà.

CONFIRMATVR: nam agasones scholasticorũ pro formali trãsportatione pecuniæ ab vna Regni parte in aliam pretium licitè accipiunt: ergo similiter campsores pro virtuali pretium accipere possunt. Neque credit Molina Sotum intendisse hoc negare, sed solùm non esse dignam tanto pretio quantum mercatores accipiunt à nobilibus pro pecunia, quam in curia Regis illis dant, recipiendam postea in locis in quibus nobiles habent suos reditus, & domicilia: ea enim via mercatores nomine *cambij* vsuras palliare solent. Nam minus pretium exigi debet, quando cambium est à partibus minùs distantibus, & vbi minus esset realis transportationis periculum, & vbi pro reali transportatione nulla soluuntur tributa, & minores in ea essent faciendi sumptus. Et quòd à locis distantioribus, si cætera sint paria, transportatio hæc virtualis maiori pretio compensari debeat, docent etiam Nauar. & Toletus suprà, Graf. *tom. 3. decisio. lib. 2. cap. 110. num. 4.* Angles 5. *& art. 5. dub. 4. diffic. 4.*

Num. 3. QVANVIS autem ex natura rei hæc sententia nostra vera sit, tamen in hoc Castellæ Regno *l. 8. tit. 18. lib. 5. noua collect.* prohibitum sit tam naturalibus, quàm exteris, dare pecunias ad cambium cum quocumque incremento, vel interesse ab vno loco eiusdem Regni ad alium, etiam vbi fuerint nundinæ, sub pœna amissionis totius pecuniæ quæ ita data sit accipienti illam ad cambium, & vt qui illam dedit, subiaceat pœnis omnibus

vsurariorũ: quã legẽ Nauarrus *locis citatis* dicit solũ habere locũ, quãdo cãpsor priùs daret pecuniã, quã postea acciperet cũ incremento in alio loco; quoniã in huiusmodi cambio palliari potest vsura, vt ratione mutui dilatæ ve solutionis accipiatur incrementũ: non autem habere locum quando campsor priùs acciperet, & postea daret minùs in alio loco, quoniam in huiusmodi cambio nullum est periculum palliãdi, aut committendi vsuram: prohibitióque illius impedimento esse potest, ne licitè, & cum Reipub. ac priuatorum detrimento transferatur ab vno loco in alium eiusdem Regni, vbi scholastici, & alij ea indigent. Arbitratur etiã Molina legem illam Castellæ non comprehendere hunc secundũ contractum, quoniam id non est dare pecuniam ad cambium cum interesse iuxta intentum illius legis. Eman. quoque suprà putat hanc legem vel non esse vsu receptam, vel intelligi quando campsor priùs dat, & postea recipit. Palac. *3. de contr. cap. 3. in fine.* licèt innuat hanc legẽ vsu esse receptam: tamen *cap.* 4. ponit cambia intra Regnum, vt ab Hispali in Methinam. In Lusitania autem licèt idẽ prohibuerit Rex Sebastianus anno 1570. tamen 1577. id permisit, quando pecunia acciperetur in aliquibus ex quatuor nundinis, quas in Lusitania statuit, & quæ nõ sunt sortitæ effectũ, vt solueretur in aliis ex eisdẽ nundinis, aut quando pecunia acciperetur extra loca nundinarum, vt solueretur in proximis ex eisdẽ nũdinis. Idémque Rex in quadam prouisione quam Molina affirmat apud se habere ante legẽ latã anno 1577. reuocauit legem latam anno 1570. quoad omnia cãbia, quæ iuxta Bullã Pij V. aut Lusitanas ordinationes, vel naturam rei licitè possunt exerceri. Quò fit, vt hodie illicitum non sit in Lusitania cambium ab vno loco in alium eiusdem Regni, cum incremento, modò id sit moderatum.

SED quid si contra præscriptũ legis positiuæ ob cambium de loco ad locum eiusdem Regni aliquid acciperetur quod ex natura rei liceret accipere, essétne restitutioni obnoxium nulla expectata sententia? Molina meritò negat, quoniam reuerà obsequium id valet quod pro eo acceptum est. Esto tamen contractus propter huiusmodi legem esset nullus (quod lex Castellæ nõ sonat, sed solùm sub grauibus pœnis id prohibet fieri) qui tamen id accepit, nõ tenetur ante latam sententiam illud reddere, licèt lex id præciperet, quia pœnalis esset ea in parte, & ita ante latam sententiam in foro conscientiæ non obligaret. Ita Molin. *Num. 4.*

Ex dictis patet falsum esse, quod dicunt Bannez *2. 2. to. 2. tract. de camb. dub.* 8. & Ledesm. *2. p. Sum. tract. 8. con 21. de camb.* Ioan. Bapt. Corrad. *tract. de camb.* qui summæ appẽdet, cambium omne intra idem Regnum lege illa Castellæ esse prohibitũ, & licèt non esset prohibitũ, fore iniustũ si in eo lucrari velit cãpsor, non solũ ratione traiectionis (quod licet) sed etiã ratione penuriæ, & abũdãtiæ pecuniæ. Probat hoc vltimũ Ban. qa intra idẽ Regnũ facilis est asportatio pecuniæ, & perinde est ac si vbiq; esset pecunia ad eiusmodi cambia transigenda, & ideo nihil potest exigi ratione copiæ, vel inopiæ, licèt possit aliquid exigi ratione transportationis: in diuersũ autẽ Regnũ difficilis est trãsportatio quia,

quia vel est lege prohibita, vel magnis periculis expositа : vnde copia pecuniæ non solet esse similis. Ledes. autem probat, quia æstimatio pecuniæ ratione abūdantiæ, vel penuriæ attendēda est in diuersis Prouinciis, vel Regnis,& non in locis eiusdem Prouinciæ,vel Regni,alioqui etiam in diuersis domibus eiusdem oppidi posset æstimatio in ordine ad cambia variari : ergo cambia intra idem Regnum cum lucro ratione penuriæ,vel abundantiæ illicita sunt.

ADDIT Bannez id esse intelligēdum regulariter;namsi contingeret duo Regna ita inter se conuenire, vt pecuniæ liberè ac facilè transferri possent,non essent licita illa cambia,& econtrà si loca eiusdem Regni essent adeò dissita, vt transportatio esset difficillima, vt per multas ambages fieri deberet,& copia,vel inopia pecuniæ esset valdè diuersa, licita essent eiusmodi cambia, vt inter Castellam & Indiam Occidentalem quæ ad idem Regnum spectant, sunt.

PATET etiam ex dictis falsum esse quod videtur Nauar. suprà dicere, cambia intra Regnum prohiberi nō posse,nam etiam extra Regnū propter incommoda annexa prohiberi interdum possent,vt monet Rebellus *q.cit.n.14.seu finali.*

PATET etiam quid sit dicendum de eo quod scribit Sa *verb. cambium. n.6.* etiam in eodem Regno licet cābium per literas, nisi sit lex quæ id prohibeat:præsumit enim fraudem, quæ si absit,non intendit prohibere. Idémque dicendum de cambiis omnibus alioqui licitis,aut cambiorum licitis conditionibus, si lege aliqua prohibeantur ; cessante enim fraude,quam lex præsumit, fieri possunt. Hæc ille,quæ admitto quatenus dicit cambia intra Regnum licitè fieri posse nisi lege sint prohibita : sed nō admitto , stante lege prohibente cambia intra Regnum,vel cum alia conditione non vetita iure naturæ; esse licita, eo quòd leges fundentur in præsumptione, quæ si non consonat veritati , non obligant in conscientia:nam vt dicémus *dub. 13. & 24.* sæpe leges prohibent conditiones iure naturæ nō prohibitas,quia possunt esse occasiones peccandi, & tales seruari debent in conscientia, etiamsi illæ conditiones alioqui essent licitæ:nec tales leges dicuntur fundari in falsa præsumptione , sed in veris periculis , quæ illis conditionibus coniuncta esse solent.

DVBIVM XI.

An possim lucrari dando pecuniam hîc ea indigenti,reddendam alibi,vbi ea indigeo?

SVMMARIVM.

1 *Explicatur titulus.*
2 *Respondetur affirmatiuè.*
3 *Explicatur doctrina;Doctorum sententiis expeditis.*

VERBI gratiâ, habeo pecuniam hîc, qua indigeo in Flandria ad merces emendas , vel soluendum debitū, vel ad aliquid aliud, trādituráque erā illā alicui cāpsori,vt soluēdo aliquid pro traiectione Flādriæ reciperem, accedit Num. 1.

Digitized by Google

accedit ad me alius qui hîc indiget pecunia, quã habet in Flãdria, & cãbium petit, posſúmne illi dare hîc pecuniam, quam cum ſtipendio mihi ſoluto reddat in Flandria?

Num. 1. RESPONDEO, poſſe, vt ait Molina *tract. 2. de iuſt. diſp. 40. p. 1.* & Læſius *2. de iuſt. c. 23. dub. 4.* Sotus *6. iuſt. q. 10. art. 1.* Med. *q. 5. de cambiis.* Emanuel *in Sum. p. 2. c. 104. n. 1.* Lopez *2. Inſtruct. negotian. c. 4.* Bart. Med. *1. Sum. c. 14. §. 24.* Valen. *2. 2. diſp. 5. q. 23. puncto 4. con. 4.* Graſ. *tom. 1. lib. 2. c. 110. n. 6.* Vega *in Epit. verb. cambium. caſu 16. n. 3.* & latiùs *in Summa. 1. p. col. 341. & 342.* Ratio eſt, quoniam miniſterium quod alteri præſto, eſt pretio æſtimabile, quanuis alia via incommodum meũ redundet: ergo poſſum idem pretiũ pro eo accipere, ac ſi commodũ mihi non eſſet, ſic quando aliquis detulit conductum equum in aliquem locũ, facturúſque erat expenſas in illo reducendo ad locatorem, ſi conductorem inueniat qui in eum locũ ipsũ aſporter, licitè eum poteſt illi locare, nihil impediente quòd inſuper lucretur expẽſas quas in equo reducẽdo erat facturus. Cùm enim cernatur æqualitas inter vſum equi, quẽ concedit, & pretium, quod pro eo accipit, iuſtus eſt contractus quem celebrat, etiamſi aliunde per accidẽs commodum ex illo reportet. Similiter eſto quis conducturus eſſet equũ in aliquem locum, ſi inueniat, qui ipſius operam locare velit ad aſportandum equũ in eũ locũ, poterit accipere iuſtũ ſtipendiũ pro labore & induſtria reducendi equũ, eſto ipſe ſumptibus alienis eques in eũ locũ eat, excuſétque ſumptus itineris & cõducẽdi aliũ equũ. Quia obſequiũ, quod alteri præſtat, dignũ eſt ſtipẽdio illo, per accidens autem eſt quod ex eo obſequio maius aliud commodum reportet.

ADDIT bene Molina, ſi ſimul qui aſportatorem quærit, ſciat de neceſſitate alterius indigentis equo, & econtrà, poterunt inuicem ſibi remittere vel pretiũ totum quod vnus viciſſim intendit accipere ab alio pro eo quod illi locare conatur, vel partem, vel nihil, & quidquid inter eos conuenerit, erit iuſtũ. Quia nullus eorum tenetur celebrare contractum, qui in alterius bonum cedit, ſed poterit ſolùm velle celebrare cõtractum, qui in ipſius bonum cedat, neque illum coniungere cum altero contractu; ſi autem ob ſuam neceſſitatem, velit remittere aliquid, id eſt in ſua optione. Idem dicendum eſt de mercatoribus, quorũ vterque de alterius neceſſitate ſciret. Decentia tamẽ moralis ac Chriſtiana charitas poſcit, vt de eiuſmodi rigore fiat remiſſio, cum tamen, qui remittere nollet, non damnes culpæ, ſaltẽ lethalis, inquit Molina. Ioan. Med. *q. 5. de cambiis. §. ius ſorte.* affirmat vſuram committi ſi indigens mille ducatis in Flandria, illos tradat mercatori qui quærat alium, qui eos velit ad cambium in Hiſpania, vt cum incremento illos ſoluat in Flãdria, vnde fiet vt ille primus cum lucro reportet pecuniam ſuam in Flãdriã. Non tamen video, inquit Molina, cur ſit cenſendum interuenire vſuram. Quoniam reuerà ille vtitur iure ſuo tradendo eam pecuniam ad cambium illud, in quo quiuis alius, qui non egeret pecunia in Flandria, poſſet licitè lucrari: ex eo autẽ quòd per accidens ſequatur tranſportatio ſuæ pecuniæ in Flandriam, vt opta-

Num. 3.

Digitized by Google

bat & intendebat, non redditur contractus ille illicitus, vt explanatum est, & ipsemet Ioan. Med. consentit: neque item ex eo redditur illicitus, quòd per se, vel per alium inuitet ad cambium alioqui iustum.

VIDE dicta *dub. 9.* Vide etiam Rebellum *de oblig. p. 2. lib. 11. q. 7.* vbi hunc contractum cum Medin. damnat; & ad dubium propositum, an si tu indiges hîc pecunia quam Romæ habes, & ego Romæ indigeo pecunia, quam hîc habeo, vterlibet ab altero pretium cambij & transportationis exigere valeat? Pro parte affirmante refert Sotum, & Medinam suprà: pro negãte autem Mercatum *lib. de camb. c. 2. ad finem.* Lopium 2. *de contractib. c. 3.* cum Garsia, quem citat.

IPSE verò ait: quando neuter cõtrahentium ab altero rogatur, vel præuenitur, & onera ac commoda transportationis sunt æqualia, neuter ab altero iustè potest mercedem cambij exigere: quia eadem est ratio de vtroque, & sic daretur quasi bellum iustum ex vtraque parte. Si verò vnus præuenit, & rogat alium, is deteriorem efficit suam conditionẽ, quia cambia vltronea vilescunt, sicut merces, & locationes vltroneæ; nam eadem est ratio in cambio, quæ in emptione & locatione: ergo qui rogatur potest aliquid pro cambio recipere, licèt minùs, quàm si in æquali necessitate non esset constitutus: & ideo contractum illum quẽ Med. damnat, & ipse danat, quia in eo ille rogat, & præuenit per alium, vnde viliorem & deteriorem fecit conditionem suam: ergo non potuit stipendium exigere, sed deberet dare. Sed quid (inquit) si præuẽtor ignoret præuenti necessitatẽ, vel vtilitatẽ, tenebitúrne præuẽtus eã declarare, vt minorem cambij mercedem exigat? Respondet, imprimis minùs fideliter præuentum agere, si eam subticeat. Deinde posito quòd cãbij merces omnibus spectatis sit iusta subticendo nõ peccabit, ac proinde ad nullam tenebitur restitutionem, si eodem pretio ac modo præuentor contrahere debuisset: si autem vel non esset cõtracturus, vel sub minori pretio, & intra iusti pretij latitudinem, profectò tantæ culpæ ac restitutionis esset condemnandus, quantæ capax fuerit damnum illud ex simulatione profectum. Si enim tantũ fuerit, quantum ad lethale sufficiet, mortaliter peccabit, & ad restitutionem erit obligandus.

IDEM quod dicit de cambio, dicẽdum ait de transportatione equi vtrique contrahentium necessaria. Partem huius doctrinæ repetit *q. 8. n. 2.* & concinit Sa *verb. cambium n. 4.* dicens, in cambio lucrari potest qui rogatur pecuniã accipere alibi reddendam, vel dare alibi recipiendam: ille enim velut transfert ad locum vbi reddenda: hic verò velut trãsfert à loco vbi recipienda. Graf. quoque ait, dantẽ posse aliquid pro cãbio accipere modò sit præuẽtus. Cæterùm existimo cum aliis initio citatis, quemlibet posse exigere stipendium cùm neuter alterum præuenit, quod rarò continget: item etiam qui præuenit, posse stipẽdium exigere, & recipere, & alioqui cambium non facere: & præuentum idẽ posse & in nullo horum casuum dari bellũ iustũ ex vtraque, vel altera parte, quia nullus potest alterũ cogere ad dãdũ stipendium. Itẽ præueniẽtẽ posse petere totum stipendiũ, ac si præuentus fuis-

Digitized by Google

fuisset, quia licèt merces vltroneæ vilescant, quatenus emens potest in pretio descendere, non tamen quasi vendens teneatur descedere, alioqui qui expositi sunt ad vendendum & cambiendum tenerentur descendere à pretio communi mercium & cambiorum; quod est falsum, & contra vsum. Quod dictum est de stipendio cambij vtrique partium necessario, dicendum de transportatione equi vtrique parti necessaria, & idem vsu seruatur.

DVBIVM XII.

An campsor possit lucrari ratione maioris æstimationis pecuniæ vbi eam dat quàm vbi eam recipit?

SVMMARIVM.

1 *Lucrari potest, siue ea maior æstimatio sit intrinseca, siue extrinseca.*
2 *Maior æstimatio, vel minor extrinseca ex quatuor potest causis prouenire.*
3 *Quid de intrinseca dicendum.*
4 *Occurritur obiectioni cuidam.*
5 *An si commutetur ducatus Castellæ pro ducato Lusitaniæ, vel Flandriæ inibi recipiendo, commutatio censeatur ad æqualitatem?*
6 *Obiectioni cuidam fit satis.*

Num. 1. RESPONDET bene Læsius 2. *iust. cap. 23. dub. 4. numero 34. & sequentibus.* posse lucrari, siue ea maior æstimatio sit intrinseca, siue extrinseca. Intrinsecam vocat eam quæ est à lege, vel consuetudine (quæ vim legis habet) quia lex & consuetudo accommodari solent in taxatione monetæ causis intrinsecis monetæ, nempe qualitati, & ponderi materiæ. Hæc æstimatio dici potest legitima, quia à lege est. Extrinsecam vocat eam quæ ex causis extrinsecis, & fortuitis prouenit, ratione cuius non censetur maior plus valere respectu minutarum in eodem loco, quanuis & hunc habeat, vt superiùs diximus ratione puritatis, & maiorum commoditatum: sed tota pecunia simul plus valet tum respectu rerum venalium in eodem loco, tum respectu pecuniarum, quæ sunt in alio loco.

PROVENIT autem maior, vel minor æstimatio extrinseca ex quatuor causis. Prima est copia, vel inopia pecuniæ. Quo enim in alio loco apud mercatores est maior copia pecuniæ, eo ipso est minoris valoris ad res venales præsentes, & etiam ad pecunias dissitas, quæ tunc rerum venalium rationem subeunt, comparandas, & consequenter pro eisdem mercibus plus pecuniæ dandum est quàm dum est inopia. Copia enim pecuniæ facit pretia mercium crescere, quia pecunia quæ pro illis datur, minoris æstimatur. Pari modo, quo minor est copia pecuniæ, maioris est valoris respectu mercium, & facit decrescere pretia mercium, quia ipsa pluris æstimatur. Sic in Indiis minùs æstimatur pecunia, quàm in Hispania, & in Hispania, quàm in Belgio, & magis merces: sic etiam copia mercium minuit earum pretium, & inopia auget. Num. 2.

SECVNDO, maior æstimatio pecuniæ prouenit ex maiori numero

Digitized by Google

petentium ad cambium, & minor ex minori; sicut multitudo emptorum auget pretia rerum, & paucitas minuit.

TERTIO, maior æstimatio pecuniæ manat ex paucitate dantium ad cambium, & minor ex multitudine, vt pretia mercium crescunt ex paucitate vendentium, & minuuntur ex multitudine.

QVARTO, ex necessitate pecuniæ, vt si Principi ingentes summæ pro bello, vel alia causa publica sint corrogandæ, vel ingens copia mercium offeratur venalis: quo enim pecunia est magis necessaria ad quosdam vsus magni momenti, eo pluris æstimatur respectu aliarum rerum venalium.

Num. 3. RATIONE igitur æstimationis intrinsecæ seu legalis qui dat 100. aureos Antuerpiæ, vt Hispali recipiat; debet Hispali plus recipere, quia Antuerpiæ maiorem habet aureus æstimationem legalem. Si verò det Hispali, vt recipiat Antuerpiæ, debet minùs Antuerpiæ recipere, sepositio traiectionis pretio, & incommoditatis, quam patitur in absentia suæ pecuniæ, qua interim negotiari posset, & fortè negotiaretur, quibus spectatis rarò minùs accipit Antuerpiæ. Similiter ratione æstimationis extrinsecæ ortæ ex illis quatuor causis, plus valét pecuniæ tum ad merces, tum ad pecunias absentes comparandas, quàm si istæ causæ abessent; nam pecuniæ absentes se habent instar merciũ respectu præsentis. Hanc sententiã docet Caiet. *tract. de camb. c. 5. & 7.* Nau. *c. 17. n. 291. & 294. & sequentibus. & cap. finali de vsuris. num. 51. 59. 62. 65. & sequentib.* Sotus *6. iust. quæst. 12. art. 2. & sequentib.* Bannez *2. 2. to. 2. tract. de camb. dub. 8.* citans Victoriam. Eman. *2. p. Sum. cap. 104. num. 3.* Bart. Medina. *1. Sum. cap. 14. §. 24.* Sa *verb. cambium. num. 3.* Tolet. *5. Sum. cap. 54.* Tabien. *vsura. 15.* Sylvest. *vsura. 4. quæst. 8. §. 1. &* Molina *disp. 406. & 410.* qui tamen sententiam Ioann. Medi. & Valen. suprà impugnatam sequitur, quòd nec ratione maioris puritatis, vel commoditatis potest in eodem loco recipi pro moneta aurea, argentea, vel ærea plus quàm lege taxatũ sit: secus in diuerso. Sed quidquid sit de hoc, probatur conclusio. Nam monetæ non habent pretium legitimum lege (vel consuetudine habente vim legis) introductum respectu aliarum monetarum, saltem diuersi loci: sed vulgare, quod non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem secundùm hanc duplicem æstimationem, quam periti huius negotiationis bona fide illis imponunt: poterunt campsores ergo recipere maiorem pecuniæ quantitatem, vbi minùs valet pro minori vbi plus valent data, vel danda. Vnde constat, campsores simul interdum lucrari triplici titulo, nempe traiectionis, & valoris intrinseci, & extrinseci, præcipuè tamen attendere solent ad valorem extrinsecum, & ratione illius lucrari, vnde semper inquirunt vbi est pecunia, & necessitas pecuniæ, vt ibi dare possint, recipere autem, vbi est copia & vilitas pecuniæ, vt notant Læsius, Sotus suprà, Mercad. *illo c. 5.* & Molin. *illa disp. 410.*

DICES, si campsor velit lucrari ratione traiectionis, non potest lucrari ratione valoris, quia traiiciendo tuam pecuniam eò vbi plus valet, illud incrementum tuum est, Num. 4.

non

non campsoris : ergo non debes ei aliquid ratione maioris valoris. Ob hoc argumentum Sotus *6. inst. q. 12. art. 2.* docet, campsorem dum lucratur ratione maioris valoris, non posse simul lucrari ratione traiectionis. Sed contrarium docet Læsius cum reliquis Doctorib. in quibus est Molina *disp.* 410. Primò, quia sunt distincti tituli pretio æstimabiles. Secundò, quia si pecuniæ vtrobique habent æqualem valorem, nihilominùs potest lucrari ratione traiectionis: ergo similiter si vbi pecunia datur à campsore, maiorem habet valorem: vnde ad argumentum respondent Molin. & Læsius, campsorem illum non transferre realiter & formaliter pecuniam tuam (tunc enim solùm posset petere pretium translationis & assecurationis, sicut baiulus) sed transferre illam secundùm æquivalentiam & superabundantiam, dando tantundem de suo, & aliquid amplius in valore, vnde debes ei ampliùs dare, & insuper pretium translationis.

Num. 5. SED quæres, an si commutetur ducatus Castellæ pro ducato, nummus aureus pro nummo aureo, vel argenteus pro argenteo Lusitaniæ, vel Flandriæ inibi recipiendo, commutatio censeatur ad æqualitatem in valore legali, seu intrinseco quod est quærere, an ducatus vel nummus aureus, vel argenteus idem valeat in his tribus Regnis seu Prouinciis loquendo de valore legali? Supponimus, nullam esse monetam in his Regnis, quæ ducatus vocetur, licèt olim fuerit moneta aurea sic vocata, & valor quem tunc habebat, vocatur modò ducatus, nempe in Castella 375. marauedini, qui efficiunt 11. argenteos cum vno marauedino: in Lusitania olim *400.* reais, & in Flandria æstimatio illius in grossis respondet 400. reais Lusitaniæ. Porrò nummus simplex argenteus valet in Castella 34. marauedinos, in Lusitania olim valebat 36. reais; iam verò 40. & sic ducatus plus quàm 400. reais, seu regales æreos.

QVÆRITVR ergo an isti argentei, ac proinde ducati sint æqualis omnino valoris in Castella & Lusitania, & ita ad æqualitatē fiat commutatio dando vnum ducatum in vno Regno recipiendum in alio? Nauarr. *Comment. cap. fin. de vsuris. num. 60. & 61. & in Manuali. cap. 17. num. 295.* arbitratur non esse commutationē ad æqualitatem, essēque mutuum iniustum, & vsurarium, si quis det 100. ducatos, vel argenteos in Castella, vt totidem recipiat in Lusitania, quia ibi plus valent modò, imò & tempore Nauarri quando argenteus valebat 36. reais. Nam reais, seu regalis æreus Lusitaniæ videtur æquivalere marauedino Castellæ: continet enim 6. ceptis, sicut marauedinus in Castella 6. cornados olim continebat, aut 6. meajas, quæ monetæ iam non sunt in vsu, sed infima moneta, quæ etiam iam rara, vel nulla est, est vna *blanca* & duplex *blāca*, est vnus marauedinus: nec enim vlla est moneta, quæ dicatur marauedinus, sed infima moneta Castellana est iā duplex marauedinus. Sicut ergo esset vsuariū mutuò dare triticum recipiendum in eadem mensura vbi plus valet, ita mutuò dare ducatum, vel argenteum in Castella recipiēdum vbi plus valet, nempe in Lusitania, vsura videtur.

SED

SED Molina *disp* 407. tenet ducatos & argenteos in Lusitania, & Castella, in Valentia, Aragonia, Catalonia, & Italia eiusdem valoris esse, & æqualē esse inter eos cōmutationē. Quia hęc est, & fuit sēper mercatorū & cāpsorū praxis, qui meliùs norunt rerum æstimationes quàm Doctores scholastici. Apud illos autem nummus argenteus eundem valorem legalem vbique habet, & marauedinus Castellæ maiorem valorem habet quàm regalis æreus Lusitanus, etiam antequam nummus argenteus in Lusitania valeret 40. reais: idémque censent mercatores de marauedinis Castellæ collatis cum grossis Flandriæ. Vnde lex quam Carolus V. circa cambia tulit, & refertur à Nauarr. *cap. fin. de vsur. num. 30.* ait 375. marauedinos Castellæ in Lusitania valere 400. reais, loquitur antequam nummus argenteus in Lusitania valeret 40. reais, & vt ait Molina, falsò putat Nauarrus ei legi standum esse. Nam reuerà non solùm est contra æstimationem, & praxin mercatorum, sed etiam contra rationem: nam regalis æreus Lusitanus est modò in valore 40. pars argentei, & olim 36. ergo est minoris valoris quàm marauedinus Castellæ, qui est 34. pars argentei. Similiter in Valentia, Catalonia, & Aragonia denarius in valore excedit marauedinum Castellanum, quia est 23. vel 24. pars argentei: vnde quando merces eodem nummo argenteo in hoc Regno, & illis emuntur, non emuntur regali æreo Lusitano marauedino, & denario coronæ Aragonicæ: argentei ergo sunt æquales, non verò monetæ minutæ. Vnde quando statutum est in Lusitania vt regalis argenteus 40. æreos valeret, non tam ipse creuit in valore quàm ærei decreuerunt; vnde merces quæ pro certo numero æreorum dabantur, tunc pro maiori numero eorum dari cœperunt. Sic in Castella, quando valor monetæ æreæ variatus fuit; argenteæ valor immutatus & inuariatus mansit. Deinde si Nauarri opinio vera esset, sequeretur vsuram hodie committi, si quis in Castella mutuò daret 100. ducatos, vel mille & 100. nūmos argēteos, vt reciperet mille in Lusitania: quia pro 374. marauedinis reciperet 400. & plures reais, quorum quilibet per se æquiualet vni marauedino: quod est ridiculum.

ADMONET tamen Molina illa lege cuchente argenteum ad 40. reais effectum esse, vt qui deberet 40. reais, solueret vno argenteo, quod antea non poterat: similiter vt merces lege, aut consuetudine taxatæ 40. reais, possent deinceps emi vno argenteo, quæ antea non poterant eo solo emi. Aduertit etiam ducatum 400. reais iam non valere nisi 10. argenteos, vnde non posse ad æqualitatē commutari cum ducato Castellæ, qui valet 11. argenteos, & vnum marauedinum.

BENE autem dixit Sotus 6. *iust. q.* 12. *art.* 1. vsuram esse si quis mutuò det pecuniam vbi habet minorem valorem, vt eam recipiat, vbi maiorem valorem habet, vt si ducatus plures regales argenteos valeret in Italia, quàm in Hispaniis, qui tamen eiusdem essent in se valoris cum regalibus Hispanis, aut si ducatus plures grossos valeret in vno loco quàm in alio,

&

Digitized by Google

& grossi essent in se æqualis valoris.

Num. 6. SED aduersùs id quod diximus, ratione maioris valoris, quę ex circunstantiis habet pecunia in vno loco, quàm in alio, posse plus pecuniæ accipi in vno loco, quàm detur in alio, arguitur, quia sit à loco, in quo minor est copia, & maior necessitas pecuniæ licitum est cambire minorem pecuniæ quantitatem pro maiori reddenda vbi maior est illius abundantia, & minor necessitas, idque propterea quòd ex circũstantiis illis minùs valeat pecunia in vno eorum locorum, quàm in alio; sequitur licitum etiam esse cambium minoris quantitatis pecuniæ tempore, quo minor illius est copia, & maior necessitas in aliquo loco pro maiori quantitate reddenda in eodem loco, tempore, quo in eo maior erit pecuniæ abundantia, & minor necessitas: quod nullus concedat. Sotus 6. *iust. q.* 12. *art.* 2. negat consequentiam, quia quando pecunia reddenda est in eodem loco, & alio tẽpore, est mutuũ, pro mutuo autem non licet quicquam accipere. Hanc solutionẽ meritò impugnat Moli. *disp.* 410. licitum enim est mutuanti accipere plus in quantitate quando est æquale in valore ei quod antea dedit, vt si mutuò dedit vnam tritici mensuram, potest postea duas accipere, quando duæ habent eundem valorem quem antea habebat vna: imò esset vsura mutuò dare vnam mẽsuram tritici reddendam quando plus in duplo valet, vt dictũ est etiam cũ Soto in materia de vsuris: ergo similiter in pecunia si plus antea valebat quàm postea, licitum erit plus in quantitate & æquale in valore recipere.

Ioan. de Salas.

VNDE Mol. ibi aliter respondet ex dictis *in calce disp.* 406. rationẽ negãdi consequentiam esse, quia pecunia, siue ipsius sit magna necessitas, siue magna copia & abundantia, nũquam comparatione loci, in quo est, habet rationem mercis, sed semper retinet pretium & valorem lege taxatum, aut consuetudine receptum (loquor, inquit, de regionibus, in quibus pretia monetarum sunt fixa, neque pendent à voluntate & pacto priuatorum) eáque de causa comparatione eius loci non habet maiorẽ valorem vno tempore, quàm alio, sed solùm vt commutetur pro pecunia in alio loco.

OBSERVAT tamen ratione lucri ex eo cessantis quòd quis det mutuò pecuniam eo tẽpore quo minor est illius copia, & maior necessitas, vt in eodem loco restituatur tempore quo futura est maior illius abundãtia, & minor necessitas, licitè posse accipi incrementum, quantum lucrum illud cessans æstimabitur; vt si tempore quo magna est penuria, & necessitas pecuniæ, decrescant ea de causa merces in pretio, isque qui pecuniam habet, empturus erat tunc merces, quibus lucraretur, & aleret suam familiam, atque quòd eam alteri concedat restituendam in eodem loco, priuetur eo lucro, aut emergat illi damnum, quia empturus est postea maiori pretio necessaria ad familiam, vtique quãdo illam concedit, poterit deducere in pactum incrementum vltra sortem, quantũ tale lucrũ cessans, aut emergens æstimabitur. Simili modo si erat eam daturus alteri ad cambium in alio loco cum notabili lucro, atque vteã cõcedat reddendã in eodẽ loco,

priuetur eo lucro; sanè tantum incrementum poterit deducere in pactum, quantum æstimabitur lucrū, quo ea de causa priuatur.

SED difficile intellectu videtur, quomodo si decrescūt merces in valore, non crescat pecunia, & ecōtrà: si enim modò vno aureo emo vlnā panni, quam antea non poterā emere nisi duobus aureis, proculdubio videtur creuisse valor pecuniæ, & eius moralis æstimatio: taxa autem legis eadem perseuerat quatenus sē. per valet aureus 13. argenteos, & argenteus 34. marauedinos, sed cùm illi crescant in valore, etiam crescit valor argentei, & aurei. Ergo si mutuò do aureum, bene possum pacisci vt si tempore, quo redditur, duplo minorem valorem habuerit, dentur mihi duo aurei: vel reddenda est ratio cur non possim.

RESPONDETVR ergo, me id nō posse, quoniam cùm nullū sit certum tempus reddendi mutuum: sed hoc pendeat partim ex volūtate mutuātis, qui potest quando voluerit exigere, si nullū designauit terminum, & post terminum præfixum etiam potest quando voluerit exigere, & similiter mutuatarius potest quando voluerit restituere, & mutuans tenetur acceptare solutionem, sicut non debet mutuatarius minùs dare si decrescat in valore ex circunstantiis, ita nec tenetur plus dare si crescat; alioqui contractus esset inæqualis, cùm vnus maiori periculo subiaceret, quàm alius, & hic alius maiorem haberet spem lucri quàm ille.

ALIAM habes huius rei rationem *dub. 35. ad 2.*

DVBIVM XIII.

An campsor possit aliquid exigere ratione lucri cessantis ex cambio?

SVMMARIVM.

1 *Illud incrementum potest exigere vt se indemnem seruet.*
2 *Explicatio Bullæ Pij V.*
3 *Quid addat Læsius.*
4 *Quid colligat Læsius.*
5 *Quomodo iudicandum est quādo pretium cambij realis iustum sit, quando non.*

VT si pecunia quam tradit ad cambium, erat destinata maiori lucro, ita vt deducta æstimatione laboris, expensæ, & periculi illa spes lucri maioris pluris valeret quàm commune lucrum cambij, respōdeo, posse illud incrementum exigere, vt se indemnem seruet. Ita Molina *disp.* 404. Læsius 2. *iust. c.* 23. *dub.* 4. *n.* 42. Nauarr. *c.* 17. *n.* 301. *& 303. & 292.* Med. *q.* 2. *de cambiis.* Eman. 2. *p. Sum. c.* 104. *n.* 6. *& 7.* Rebellus *de oblig. p.* 2. *lib.* 11. *q.* 8. *n.* 1. & fusiùs *q.* 13. *n.* 2. Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 23. *pun.* 4. *con.* 2. Num. 1.

RATIO, quia sicut in aliis cōtractibus licet de lucro cessante conuenire, vt me seruem indemnem; ita in contractu cambij, vbi eadē est ratio.

NEC Pius V. vetuit, indefinitè deducere in pactum lucrum cessans, sed tantùm vetuit, à principio siue aliàs certum & determinatum interesse pacisci etiam in casu non solutionis, voluitque solùm ex euentu secu Num. 2.

Digitized by Google

secuto iudicari & exigi posse. Ita Lęsius *eodem.c.dub.vlti.n. 90.* Valen. ꝛ. Sed quid si definiretur, & determinaretur à principio? Nauarr. Val. & Molin. dicũt, adhuc posse exigi, & recipi in foro conscięntiæ, si verè cessat tãtum lucrum: quia Bulla illa fundata est in præsumptione vsuræ; lex autem quæ in præsumptione fũdatur, vim non habet in foro cõscięntię, quando de contrario eius præsũptioni in eodem foro constat. Sed existimo non fundari in falsa præsũptione, sed in veris periculis & occasionibus vsuræ, quibus id statuendo obuiare nititur. Vnde vbi ea Bulla esset recepta, existimo, illũ peccare mortaliter sic paciscendo, vt indicat Læs. *dub.4.* & magis exprimit *dub.vltimo.n. 90.* vbi posita sentętia Nauarri, subiungit: Hæc sententia videtur vera, præsertim cùm Põtifex nõ irritet tale pactũ; mẽs tamẽ ipsius est absolutè tale pactũ vetare: vnde erit illicitũ vbi Bulla est recepta, quanuis nõ irritum. Hæc ille. Vide dicta *dub.24.*

Num.3. ADDIT. Lęsius aliũ titulũ *n.43.* distinctũ à lucro cessante, & aliis superiùs positis, dicęs: Quartus titulus esso potest carętia pecuniæ suæ, & id quod huic carentiæ est coniunctum, nempe periculũ, ne nõ restituatur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiãdi: magni enim æstimãt omnes mercatores, & cãpsores quòd ad vnũ, duos, vel tres mẽses cogãtur carere sua pecunia, idque tũ ob periculũ, cui exponitur, tũ quia interim priuãtur commoditate per illam aliter negotiãdi. Vnde in omnibus cãbiis, quo lõgius est tẽpus in quod eã cõcedũt, eo plus exigũt lucri, & quo breuius, eo minùs. Atque hic est potissimus titulus, quem mercatores in cãbiis hoc tempore spectãt, vt ipsimet disertè fatẽtur, addentes omnia cambia huius tẽporis iniqua esse, si hic titulus nõ sit iustus: parui autẽ æstimãt traiectionẽ, quantũuis locus distet; qua in re ait Læsius, nõ prudẽter facere; nã reuerà titulus traiectionis est præcipuus in cãbio reali; ob hanc enim causã sũt cãbia introducta. An verò iste titulus validus sit, tractat Læsius *dub. 6.* nos inferiùs *dub. de cambio Francofurtensi.*

Ex dictis colligit Læsius *n. 44. & sequentib.* quid dicendum sit ad speciem facti, quam Sot. *6. iust. q. 12. art. 2.* proponit, cuius æquitatẽ se ignorare fatetur. Tempore Soti si campsor accipiebat Metymnæ restituturus in Flandria, lucrabatur in singulos aureos 50. dispondia seu marauedinos: si verò accipiebat in Flandria recepturus Metymnæ, lucrabatur 70. vel 75. cùm tamen nõ videatur recepturus nisi 50. tunc enim tãtùm valebant in Flandria 360. marauedini, quantùm Metymnæ 400. vnde accipiens Metymnæ, vt in Flandria restitueret, poterat accipere 400. qui valore æquãtur 360. in Flãdria reddendis, & præterea 10. in pretium traiectionis, & sic lucratur 50. Verùm non apparet cur in Flandria dans 360. possit recipere 450. cùm non possit Metymnæ plus accipere quàm ipse ibidem solet dare pro 360. Flandricis. Sed dicendum est quòd quando accipit Metymnæ, tunc solùm lucratur ratione diuersæ æstimationis pecuniæ, & ratione traiectionis: ratione diuersæ æstimationis accipit 400. marauedinos Metymnæ pro 360. in Flandria: nam istæ duæ summæ sunt valore æquales ad diuersa ista loca comparatæ,

Digitized by Google

& sic lucratur 40. ratione autem traiectionis accipit adhuc 10. & sic lucratur 50. accipit enim 410. marauedinos, & reddit 360. tunc enim dicitur lucrari quãdo plus materialis pecuniæ accipit quàm dederit, etiãsi illud plus nõ pluris æstimetur in illo loco, quàm istud minus in hoc loco.

SI verò prior det in Flandria, tunc dat 360. marauedinos, & Metymnæ recipit post duos menses 430. vel 435. sicque lucratur 70. vel 75. 40. enim accipit ratione diuersi valoris, cùm 400. Metymnæ non pluris valeant, quàm 360. in Flandria: præterea accipit 10. ratione traiectionis, & 20. reliquos ratione carétiæ pecuniæ, eo quòd prior det, & debeat per duos menses sua pecunia carere: hũc enim titulũ maximè æstimant campsores & mercatores.

SED hoc lucrum reuerà est nimium, inquit Læsius, & excedere videtur metas iustitiæ, nec quisquam est qui hoc tempore tantùm lucretur; duobus enim mensibus lucratur 20. in 100. nam in singula scuta lucratur 75. marauedinos, quòd si prior det Metymnæ 400. marauedinos, non recipiet in Flandria solùm 360. vt quidam putant (sic enim nemo vnquam campsor vellet pecuniam suam dare, nam amitteret 400. marauedinos in singulos aureos) sed tanti æstimabit carentiam pecuniæ duorum mensium, vt ei in Flandria sint restituendi 410. vel circiter. Hæc Læsius. Molina verò *disp. 410. §. ex proximè dictis.* ad hanc difficultatem paulo aliter propositam breuiùs, & aliter respondet, vtrunque cambium posse esse iustum, quia ratione diuersarum circunstantiarum 360. in Flandria valere poterunt quantùm Metinæ 420. ac tunc si cambium petatur à Metina in Flandriam, iustè detrahit campsor 10. à 420. pro onere, quo leuat eum, qui cambium petit. Si verò petatur cambium à Flandria in Metinam, iustè addit 10. supra 420. quæ sibi reddantur Metinæ propter onus quo leuat eum, qui cambium petit. Hæc Molina, cui consonat Bannez 2. 2. *tom. 2. tractat. de cambiis. dubio 8. condit. 2.* & Ledesma *2. parte Summæ. tractatu 8. con. 13. de cambiis.* Angles *quæstione de cambiis. articulo 5. dubio 1. & 2.*

EX dictis infertur ad quæ capita coniiciendi sint oculi, vt iudicetur quando pretium realis cambij iustum sit, an non, quantúmque liceat accipere in vnoquoque cambio incrementi, & quãdo oporteat vel nihil accipere incrementi, vel etiam minorem accipere summam quàm sit data, vt cambium iustum sit.

PRIMVM caput est diuersus valor quem eadẽ pecunia habet in diuersis locis respectu minutarum pecuniarum, quæ in illis locis sunt æquales; vt si nummus idem aureus valeret in vno loco 12. argenteos, & in aliis 13. & ipsi argentei essent inter se æquales. Iam autem superiùs diximus *dub. 12.* marauedinos Castellæ nõ esse æquales cum reais Lusitaniç, nec cũ denariis Aragoniæ, Catal. & Val. Ad quod ibidẽ adduxi Molinam *disp. 407.* qui idẽ repetit *disp. 410.* nam denarius est maioris valoris quàm marauedinus, & hic quàm reais, & ideo si cambium fieret in his monetis, & daretur æqualis earũ numerus, non esset cambium ad æqualitatem.

SE

SECVNDVM caput est diuersus valor monetæ, non legalis, sed ex circunstantiis desumptus, de quo valore actum est etiam *dub.* 12.

TERTIVM caput est virtualis trãsportatio, de qua diximus *dub. 8. & 9.*

QVARTVM caput est lucrum cessans, vel damnum emergens, de quo diximus in præsenti dubio: de tribus prioribus capitibus agit Molina *disp.* 410. Vbi etiam obseruat, iustum pecuniæ valorem in ordine ad cambia in distinctis locis vno & eodem tempore non consistere in indiuisibili, sed latitudinem habere, nõ secus atque habẽt alię merces lege minimè taxatæ, idẽque esse de valore transportationis virtualis pecuniæ, vnde non solùm ad diuersa loca, sed etiam ad eundem eodem tempore esse posse diuersum, & in diuersis temporibus, id est, faciliùs ob diuersitatem circunstantiarum. Sed id debet cẽseri pretiũ iustũ summum, medium, vel infimum quod communiter tale iudicatum fuerit, modò non sit introductum per fraudem monopolij, aut aliam similem. Si enim qui in nundinis pecuniam retinent, inuicem conueniant, vt nullus nisi cum tanto incremento det ad cambium, atque id incrementum sit vltra commune pretium rigorosum, quod secluso eo monopolio erat futurum, sanè qui causa fuerunt illius excessus, peccarunt cum onere restituendi excessum acceptum. Smiliter si ante nundinas, vel statim in nundinarum principio aliqui ad cambium accipiant cum minori incremento ad diuersa loca pecuniam totam, quæ in eo loco est, vt initio nundinarum, aut in illarum progressu illam cum longè maiori incremento ad suum libitum dent ad cambium ea indigentibus, eo quòd ipsi soli illam obtinent; vtique si eam concedant vltra iustum pretium rigorosum, quo alioqui in nundinis foret concedenda, & quo æquitas postulat, vt concedatur, attenta pecuniæ quantitate, quæ apud ipsos est, lethaliter peccãt cum onere restituendi. Quòd si neque hi, neque præcedentes pretium iustum rigorosum excedant, quod foret alioqui futurum, non cogerem (inquit Molin.) eos restituere, iuxta dicta *disp.* 345. tametsi interuenire in eo possit peccatum contra proximorum & patriæ charitatẽ, dignum quod acerrimè prohibeatur & puniatur. Quãdo autẽ aliqui præsumẽtes multùm valituram esse pecuniam in nundinis aliquibus, acciperent ad cambium ad diuersa loca totam pecuniam, quæ in eo loco est, vt postea illam concederent ad cambium maiore pretio iusto, quod æquitas tunc iuxta circunstantias concurrentes postularet, non esset cur lethalis peccati damnarentur, quoniam in iis omnibus suo vterentur iure, neque cuiquam facerent iniuriam, eo quòd id artem, dexteritatémque negotiandi spectet. Concinit Bannez *dub. cit. in fin.* & Ledesm. suprà *con.* 17. & 18. Præterea cùm dicimus commune pretium censendum esse iustum, excipit Molina, nisi sit ratione alicuius capitis, ex quo aliquid iniustè accipiatur, vt si pro maiori tẽpore pecunia cõmuniter maiore pretio daretur ad cãbiũ: vt enim bene notat Nau. *c. fin. de vsur. n. 59. & in Sum. c. 17. n. 295.* emptorũ abundãtia, quando res iniquè vẽditur, non facit pretiũ crescere, neque pretiũ attẽdendũ est pe-

Digitized by Google

nes iniquè vendentium communem vsum. Vide alia minoris momenti, quæ ibi notat Molina. Huic autem quod vltimò dicebat, consonat Ledesm. suprà *con.16.* dicens multitudinem petentium ad cambia sicca non augere pretium veri,& realis cambij, & ratione huius multitudinis plus exigere, esse vsurarium. Sed *con.* 17. addit, si culpa aliorum campsorum sit penuria,& paucitas pecuniæ iusto pretio cambiendæ,posse illum, qui in culpa non fuit, augere pretium sui cambij: quia in simili casu posset quis augere pretium aliarum suarum mercium: ergo & sui cambij. Itaque qui non est in culpa defectus pecuniæ,eo existente, sed ex culpa aliorum; augere potest pretium ipsius cambij Vide alia his affinia *dub. 18.& 38.*

DVBIVM XIV.

An cambium sit vsurarium cum onere restituendi totum quod vltra sortem fuerit acceptum,quando aliquis concedit alicui pecuniam soluendam cum incremento in loco, in quo intelligit accipientem neque pecuniam habere, neque alium qui eius loco eam soluat, sed præsumit soluendam cum incremento in eo loco,in quo ad cambium accipitur?

SVMMARIVM.

1 *Est cambium siccum & vsurarium cum onere restituendi.*

2 *Quando cambium vsurarium aut siccum non sit. num. 3. 4.*

5. 6. *Quid à Rebello ex dictis colligatur.*

RESPONDETVR esse cambium siccum & vsurarium cum onere restituendi. *Num.1.* Cùm enim in eiusmodi cambio nulla sit formalis,aut virtualis trãsmissio pecuniæ de loco ad locum, neque vera releuatio eius, qui ibi pecuniam habeat, à transmissione illius in locum in quo cambium accipitur, imò neque sit commutatio pecuniæ vnius loci pro pecunia in alio; sed sit commutatio pecuniæ in hoc loco pro alia cum augmento in eodem loco ratione dilationis solutionis, vtique in eo cambio non aliud cernitur, quàm mutuum cum incremẽto pro expectata solutione, quod est vsurarium cambiúmve siccum. Multo autẽ iniquius est quando ita conceditur hîc pecunia soluenda cum incremento in loco vbi non habent petentes, vnde soluant, vt si ibi tempore præfixo non soluatur, recambientur literæ ex illo loco in hunc cum nouo incremento. In tali enim contractu duplex cambium iniquum cernitur cum onere restituendi vtrumque incrementum. Neque campsores excusantur si literas mittant ad loca ad quæ primum cambium fuit sumptum,& dicant per eos stetisse qui cambium acceperunt, quòd ibi non soluerint, ipsósque paratos fuisse ad eam pecuniam in illo loco recipiendam. Ita docent omnes Doctores. Caie. *opusc. de cambiis.cap.*1. Sotus *6.iusti.quæst.*10. *art.*1. Nauarr. *Comment.cap. fin. de vsur. num.*25. *& 29. & in Manual. cap.*17. *num.*286.

Digitized by Google

num. 286. 290. & 298. *versic. aduertant. & consil.* 31. *de vsur. num.* 5. *lib.* 5. Sylvest. *vsura.* 4. *quæst.* 9. *dicto* 5. Molin. *tract.* 2. *de iusti. disp.* 404. Gaspar Rodericus *de reditib. lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 17. Franc. Garsia *de contract. p.* 2. *cap.* 13. *pag.* 417. Lopez 2. *p. Instruct. negot. cap.* 12. *fol.* 341. *col.* 2. *in princ.* Mercado 4. *de contract.* vbi de camb. *cap.* 7. *fol.* 177. *versic. la primera.* Angel. *verb. vsura. num.* 54. Fabian. Genuensis *tract. de camb. n.* 57. Menechaca *lib. controu. vsu frequent. cap.* 7 *num.* 12. Hierony. Gab. *consil.* 158. *num.* 5. & 7. *lib.* 1. Ioann. Baptist. Lupus *Comment. de vsuris. super cap. nauiganti.* §. 2. *num.* 19. & 23. Bart. Med. 1. *Summa. cap.* 14. §. 24. Caualcan *decisione* 12. *num.* 22 23. & 24. Peguera *quæst.* 23. *num.* 4. *versic. oportet enim.* Bertazol. *consil. crimin.* 254. *num.* 3. Eman. 2. *p. Summ. cap.* 104. *num.* 6. & 7. & *cap.* 105. *num.* 1. Rebell. *de oblig. part.* 2. *lib.* 11. *quæst.* 6. *con.* 3. Palac. 3. *de contract. cap.* 3. Vega *in Epito. & Summ. verb. cambium. casu* 21. 30. & 31. Estque hodie definitum à Pio V. Bulla de cambiis edita anno 1564. & alia anno 1570. & Rex Sebastian. lege, quam tulit in Lusitania anno 1570. celebranti huiusmodi cambium in pœnam statuit, vt dans ita cambium amitteret statim totum quod sic daret accipienti illud ad cambium, idque statim ante vllam sententiam, neque accipiens renuntiare posset huic legi, & esto id solueret, posset tam ipse quàm hæredes ipsius illud repetere. Ei verò, qui eiusmodi cambium acciperet, graues pœnas statuit, si aliquid eius, quod ita accipere, restitueret in se, aut in aliquo æquiualenti, campsori. Neque lex quam postea anno 1577. tulit, circa huiusmodi cãbiũ, quicquã mutauit.

In pragmat. etiam Matriti edita anno 1598. cambia sicca damnantur, & pœnis vsurarum plectuntur.

Navar. *Comm. cit. num.* 14. cum Sylvest. *vsura.* 4. *quæst.* 9. *dicto* 7. ait, vt cambium vsurarium ac siccum non sit, satis esse si esto is qui cambium ad aliquem locum accipit, neque pecuniam, neque respondentem in eo loco quando cambium recipit, habeat, verisimiliter tamen sit habiturus tempore solutionis, eamque ibi soluet. Siue habiturus eam ibi sit mutuò, siue sumendo illam ibi cum interesse ad alium locum, aut aliqua alia ratione. Hoc tamen intelligendum censent Molina & Rebellus suprà, quando eam pecuniam est habiturus ab aliquo alio, non verò ab eo, aut à respondente seu famulis eius, cui est eam soluturus ibi. Sed de hoc infrà *dub.* 17. nam multi putant, procuratorem campsoris sustinere posse duas personas, & nomine campsoris recipere, & nomine petentis ad cambium dare, & soluere. *Num.* 2.

Ex dictis colligit Rebellus suprà, *num.* 11. iuxta communem à campsore adhibẽdam diligentiam vt exploret, an petens hîc pecuniam alibi reddendam, verè habeat animum soluendi alibi, alioqui exponet se periculo lucrandi ex mutuo, & mortaliter peccaret: si autem eam det falsò credens petentem non habere animũ soluẽdi alibi, ait peccaturum quidem ex conscientia erronea si lucrum recipiat, nec restituat, si tamẽ postea compererit habuisse animum soluendi alibi, licèt postea illum mutauerit, non teneri ad restitututionem lucri in foro conscientiæ: posse etiã vbi dedit pecuniam, *Num.* 3.

ea ndem

Digitized by Google

eandem cum lucro recipere secluso scandalo, licèt in foro exteriori ob præsumptionem vsuræ puniretur.

DVBIVM XV.

An si campsor bona fide dedit ad cambium existimans alterum habere pecuniam in loco destinato solutioni, & postea comperiat non habere, possit accipere incrementum illud in loco, vbi pecuniam dedit?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans suadetur.*
2 *Sententia tenens tale cambium esse siccum, & campsorem nihil posse vltra sortem recipere.*

Num. 1. ALIQVI negant. Molina *disp.* 404. *in fin.* affirmat accipere posse non solùm damnorum compensationem ex alterius culpa subsequutorum, quia fortè daturus fuisset pecuniam illam alteri ad cambium, aut expositurus esset illam honestæ alteri negotiationi, sed etiam si ea damna minora sint, posse accipere quantùm sua intererat, dari sibi pecuniam cum incremento in loco constituto in contractu, posséque cogere eum, qui cambium accepit, vt suis sumptibus ponat pecuniam illam cum eo incremento illo in loco, si id fieri possit. Ducitur, quoniam contractus licitus in se erat, ac bona fide ex parte campsoris celebratus, & adimpletus. Cùm ergo sit contractus innominatus, consequens est vt cogere eum possit, qui secum contraxit, vt etiam is ex sua parte eum adimpleat, si id fieri possit, vel vt in loco, in quo sunt, soluat quantùm campsori intererat, eum impleuisse contractum in alio loco, iuxta ea quæ ex iuris dispositione *à disp.* 253. & præsertim *disp.* 255. dicta sunt. Neque hæc solùm habent locum in foro conscientiæ, sed etiam in externo. Tametsi in externo, si coniecturis præsumatur campsorem sciuisse, sciréve debuisse, eum, cum quo contrahebat, nec pecuniam, nec respondentem in illo alio loco habere, condemnabitur is contractus tanquam vsurarius, subiicíque campsor poterit vsurariorum pœnis. Conf. quia fraus & dolus nemini debent patrocinari. Item quia venditio rei alienæ à fure celebrata est valida, iuxta dicta *disp.* 327. & 380. non quidem vt emptor comparet dominium rei alienæ emptæ, sed vt fur de euictione teneatur quantùm emptori intererat, ipsum effici dominum rei emptæ. Consentiunt quæ *disp.* 362. diximus de eo qui bona fide boues ab eo emit, quos illum habere credebat, eosdémque illi locauit. Hæc Molina, & ita vidi in hoc euentu interesse cambij cum sorte recipiendum Matriti, Barcinonæ cum sorte receptum esse, vbi pecunia campsario data fuerat. Consonat Læsius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 7. *num.* 69. vbi ait: Si campsor bona fide ad cambium dederit in certum locum, putans alterum ibidem habere pecuniam, aut habiturum, potest vbi resciuerit fraudem, illum cogere, vt cõtractũ impleat, & ibi soluat; quòd si alter nolit ibi soluere, poterit campsor.

Digitized by Google

campſor repetere ſortem, & pretiũ cambij in loco vbi dedit, & intereſſe; quod patitur ex eo, quòd loco cõſtituto ſolutũ non ſit. Ratio eſt, quia cùm ipſe bona fide contractum ex parte ſua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte ſua implere quantùm poteſt, vel ſoluere quantùm intererat campſoris eũ impleri: alioqui contractus ſemper paterẽt fraudibus, & contrahentes poſſent cum magno ſuo incommodo eludi.

Num. 1. SED Petrus Ledeſ. 2. *p. Sũmæ. tract. 8. de iuſt. commut.* vbi agit de cambiis *con.* 5. ait tale cambium eſſe ſiccum, & ſic campſorem nihil vltra ſortem recipere poſſe, & ſi receperit, teneri ad reſtitutionem ipſius, niſi bona fide conſumpſerit, quia tunc ſolũ tenetur reſtituere id, in quo factus fuit ditior; poſſe tamen exigere à cãpſario damnum emergens, & lucrũ ceſſans ex ea fraude. Et hæc ſententia mihi magis placet, quia iuxta communiorem opinionem, qui fictè & ſine animo ſe obligandi aliquid promiſit, non tenetur implere in foro interno, ſed tãtum tenetur de damno emergenti, & lucro ceſſante, vt *tract. de matrimonio* oſtendimus.

HANC ſententiam tenet etiã Veg. *in Epito. verb. cambiũ. caſu 22.* dicens: *campſor dans ad cambium in certum locum, ſi poſtea compererit, accipientem non habere in eo loco creditum, nec correſpõſalem, non poteſt aliquid exigere ratione cãbij, ſed tantũ ratione lucri, quod ex ea fraude ipſi illis mõſibus ceſſauerit.* Idem docet *in Sum. verb. camb. eodẽ caſu 22. & in Sũma, & Epito. eodẽ verb. caſu. 32.*

DVBIVM XVI.

De praxi cambiorum quæ hoc tempore viget.

Ioan. de Salas.

SVMMARIVM.

1. *Tria circa huiuſmodi praxin conſideranda ſunt; perſonæ, nũmi, pretiorum variatio.*
2. *Quis contractus vſurarius ſit.*

DE hac re ſic ſcribit Læſius *2. iuſtitiæ. c. 23. dub. 5.* Vt hæc praxis intelligatur tria potiſſimùm ſunt conſideranda. Perſonæ, quæ ad cambium concurrunt, nummi, ſecundùm quos cambia ad varia loca reguntur, & variatio pretiorum ſecundùm longius, vel breuius tempus. Num. 1.

QVOD ad primum attinet, regulariter quatuor perſonæ requirũtur, vt contractus cambij ſit perfectus, campſor, campſarius, reſpondens cãpſoris, & reſpondens campſarij.

DVM enim campſor alicui pecuniam numerat, accipit ab illo obligationem de pecunia illa alibi ſoluẽnda, & hanc tranſmittit ad ſuum reſpondentem, vt ibi eam recipiat, & campſarius ſimiliter ſcribit ad ſuum reſpondentem, vt ibidem eam ſoluat, ſi hîc acceptet, & ſoluat reſpondenti campſoris, iam perfectũ cenſetur primum cambium. Sæpe tamen nõ ſoluit, ſed tradit illi obligationem tanquam pecuniam acceptaſſet ad cambium, quam ille remittat ad campſorem, & ſimul ſcribit ad campſarium, vt ſoluat campſori recambium.

INTERDVM cãpſarius nõ habet reſpõdentẽ vbi pecunia eſt reſtituẽda: ſed cãpſor aſſignat ei ſuũ reſpõdẽtẽ, qui acceptet debitũ nomine eius, & nomine cãpſarij ſibimet ſoluat, diuerſas perſonas repreſẽtãs & diuerſa officia exercẽs. Hîc rursũ obligationẽ ſcribit, tanquã ipſe ad cambium

Digitized by Google

acceperit,eámque trãſmittit ad primum campſorem,vt à campſario ſolutionem accipiat, cum pretio cambij,& recambij. Quotieſcunque autem fit ſolutio,reſpondens campſoris detrahit ex tota ſumma ſuas prouiſiones,quas vocant,id eſt,mercedẽ ſui laboris, quæ ſunt bini,vel terni aurei in ſingulos millenarios:vtrùm autem hæc ſint iuſta, patebit dubiis ſequentibus.

De ſecundo vario nummorum genere cãbia regũtur ad varia loca; explicat autem Læſius quomodo fiat Antuerpiæ ad loca præcipua Europæ. Vide illum, non enim oportet transferre quæ ipſe circa hoc dicit.

Quoad tertium verò dicit,quãdóque mercatores cambia ſua dirigunt ſecundùm nundinas,tunc quo longiùs abſunt nundinæ, eo maius faciunt pretium cambij, ac proinde eo minùs dãt pro pecunia quã alibi ſunt accepturi;quò vero propiùs abſunt,eo minus eſt pretium,ac proinde eo plus dant pro pecunia,quã alibi ſunt accepturi,ita vt ſæpe non lucrentur, ſi nũdinæ ſint valdè vicinę. Quod an iuſtè fieri poſſit *dub*. 18.cũ eodem Læſio dicemus.

Rebellvs *de oblig.p.2.lib.11.q.12.* ponit praxim cambiorum iuxta leges Luſitaniæ quas interpretatur.

Mvlta etiam circa cambiorum praxin tractat Mol.*de iuſt.tract.2.diſp. 408.*& Sotus *6.iuſt.q.11.& q. 12.ab art. 2.*Mercatus *4.de contract.c.3.& 4.*

Num.2. Adverte autem,vſurarium eſſe illum contractum, quo nõnulli pecunias ſuas mercatoribus initio nũdinarum,vel ante nundinas tradũt, vt in nũdinarum medio,vel fine, vel in aliis futuris nundinis aliquid vltra capitale accipiant, vt docet Rebell.*de oblig.p.2.lib.11.q.14.n.1.* cum Nauarr. *c.17.n.296.* Val. dicens eſſe certũ inter omnes Catholicos. 2.2. *diſp.5.q.23.pun.4.con.1.*Tol.*lib.5. c.53.* Angl.*q.de camb.art.5.dub.4.difficult.5.* Vega *in Sum.& Epito.verb. cambium. caſu 46.&* 49.& Henricus Rex Luſitaniæ,& Cardinalis *in libello monitionum ad Confeſſores.2.p.poſt medium,*niſi illud lucrum accipiant ratione lucri ceſſantis,vel damni emergentis, vel quia contractũ ſocietatis,& aſſecurationis cum mercatoribus ineunt, vel quia iniuſtè cogũtur, vt interdũ Reges cogũt ad ſibi mutuãdũ;inquo cuẽtu pro cõpenſatione iniuriæ poſſunt aliquid, ſecluſo ſcandalo, vltra ſortem recipere ſecundùm Rebell. *ẽ.q.14.n.2.*

Adverte,malè Anglem Nauarro tribuere quòd cõtra Sotũ doceat licitum eſſe mutuò dare, vt in aliis nundinis eiuſdem loci aliquid vltra ſortem accipiat,ſed ſolùm docet cõtra Sotum licere ad alia loca eiuſdẽ Regni cambire.Sed ſi in diuerſamoneta ſolutio fieri debeat,poſſet à cãpſario exigere id quod poſſet in cãbio minuto exigere, quia tale cãbiũ reuerà minutũ eſt, cùm ſit vnius pecuniæ cum alia in eodem loco,vt tenet Vega *in Sum.& Epito. caſu 50.*

DVBIVM XVII.

An cambium ſit licitũ,cùm pro campſario reſpondet procurator, ſeu reſpondens campſoris, vt in cambio Beſuntino vel Biſuntino,& ſimilibus?

SVM

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1. *Prima sententia asserens tale cambium esse siccum, iniustũ, & vsurarium: cum onere restituendi quod pro cambio, vel recambio accipit capsor. Probatur variis argumentis & confirmationibus.*
2. *Secunda sententia affirmans hoc cambium esse licitum si iustum pretium in eo seruetur. Probatur ab auctoribus variis argumentis, & à pluribus obiectionibus vindicatur n. 3.*
4. *Si is qui petit à campsore non sit habiturus pecunias alibi actu, vel in credito, idque norit campsor, peccat contra iustitiam cum onere restituendi, si ei ad illum locum cambiat.*
5. *Si is qui petit possit habere pecuniam in illo loco per aliquem, qui non sit in ministerio campsoris, campsor non peccabit contra iustitiam si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum.*
6. *Sic tertia, & quarta conclusio breuiter statuitur n. 7.*
8. *Ad contraria argumenta responsio.*

Num. 1. PRIMA sententia est, tale cambium esse siccũ, iniustum, & vsuariũ cum onere restituendi quod pro cambio, vel etiam recambio accipit cãpsor.

QVAM sententiam tenet Molina *tract. 2. de iustitia. disp.* 404. Gaspar Rodericus *lib. 3. de annuis reditib. q. 5. n. 17.* cum Mercado *4. de contract. c. 7. versi. demas de esto*, dicens, in cambio reali debere quatuor personas interuenire, dantem & accipientem hîc, dantẽ & accipientẽ alibi; & illos quibus mittuntur literæ cambij non posse sibi soluere. Eandem tenet Sot. *lib. 6. de iust. q. 10. art. 1. in fin. & q. 13. art. 1. con. 3.* Comit. *lib. 3. q. 15. & 16.* qui tamen malè pro hac sententia citat Tabien. *vsura. 15. n. 4. §. 3.* & Nauarrum *in Sum. c. 17. n. 289. & à n. 297. vsque ad 299.* Anton. *3. p. tit. 8. c. 3.* cum Bern. Goffredo, Innoc. Hostiensi, Syluest. *vsura. 4. q. 9.* Angel. *vsura. 1. n. 51.* Caiet. *tract. de camb. c. 1.* Roscellã *vsura. 6. n. 13. & 51.* Conrrad. *de contract. q. 99.* Medinam *de camb. q. 5. & 9.* Qui condemnant quidem cambia sicca, sed non loquũtur in casu præsenti, vt fortè nec 17. patres Societatis, quos inquit Romę consultos à P. N. generali Euerardo, Mercuriano, inter quos fuisse ait Toletum. Nec patres Laynez, Adornus & Palmius, quos ait Ianuæ idem docuisse, & Pium V. eorũ suasu motum proprium de cambiis edidisse. Hanc tamen sententiam tenet Palac. *3. de contract. c. 3.* Rebellus *de oblig. p. 2. lib. 11. q. 6. con. 3. n. 10.*

SVADENT primò, quia in vero, & reali cambio cùm traditur pecunia, reperiuntur duæ personæ distinctæ, campsor & campsarius: ergo & in solutione; par enim ratio est, cùm vterque sit actus iustitiæ commutatiuæ, quæ quidem nõ potest esse eiusdem ad seipsum, sed vnius ad alterũ. maximè quòd recipiens literas cãbij, licèt possit referre personã campsoris ad recipiendam solutionẽ: tamẽ personã campsarij fingit potiùs, quàm referat ad faciendã solutionẽ nomine ipsius, cùm neque pecuniã, nec creditum habeat cãpsarius apud illum factorem, neque nomẽ eius factor ille forsã agnoscat, sed quidquid agit, in fide & ex cõmissione cãpsoris agat, & iuxta ordinem sibi ab eo præscriptum: ergo in omnibus gerit personã ipsius, & facit quod ipse faceret, si in persona propria ibi esset:

Digitized by Google

sed si in persona sua ibi esset, nō posset sustinere duas illas personas soluentis & recipientis solutionem: ergo nec factor ipsius potest duas illas personas referre.

SECVNDO, in cambio reali debēt inueniri diuersæ pecuniæ, & diuersorum dominorum; nemo enim secū, aut vnam pecuniam suam cōmutare dicitur cum alia etiā sua; sed in euētu prædicto tota illa pecunia est campsoris: ergo non est vera cōmutatio, & cambium reale, sed fictum, siccū, & inane, sicut quando merces & pretium esset eiusdem, nō esset vera emptio, sed ficta. Cōfirmatur: nam sicut in emptione, vel permutatione (cui cambium comparatur, vt docet Bal. dus *consil. 190. n. 4. lib. 2.* Nauarr. *c. 17. n. 289.* Rota Genuensis *decisione 31. n. 4. & 5.*) requiritur pecunia, & res, quæ vēditur; vel vna res, & alia, quæ pro illa permutatur; ita in cābio requiritur duplex moneta, vt post D. Thom. dicit Caiet. *tom. 2. op. 7. de camb. c. 4. versi. secundùm.* Fabian. Genue. *de cambiis. p. 2. c. 5. n. 56. & 57.* Nauarr. *c. 17. n. 298.* non autem censetur ad hūc effectum duplex moneta, cùm vtraque est eiusdem domini, ergo tale cambium non est reale & verū, sed fictum. Sicut nemo potest, nisi fictè, e mere suam domum, vel permutare suum vinū cū suo oleo, vel triticum suum cū alio suo tritico, quod alibi habet.

TERTIO, in hoc cambio Petrus hìc accipiens pecuniam à Ioanne post quatuor, vel sex menses reddēdā, cogitur in eodē loco eidē Ioāni illā restituere cū lucro, eadē ratione ac si mutuò illā accepisset restituēdā post aliquod tēpus cū auctario: sed hoc secūdum est vsura: ergo & illud primū. Literæ autem quæ cōficiūtur vel ab ipso Petro, sicut disponit idē Ioan. vel ab eodē Ioanne ad suū factorē, & rationes illæ & computationes quas factor Ioannis scribit in suo libro rationū, & aliæ literæ quę secūdæ, & quasi per 2. cābiū remittūtur ad Ioānē, quibus indicitur Petro illius pecuniæ solutio, nil aliud reuerà sūt, quàm ambages & circuitus quidam, in quibus impij ambulāt, & figmenta cupiditatis ad dissimulādū mutuū illud vsurariū Ioānis cū Petro ignorante plerūque omnes hos circuitus, & solū sciēte, se pecuniā, qua plurimùm indiguit, accepisse à Ioāne, post aliquod tēpus cū auctario in eodem loco restituendam.

QVARTO, in hoc cambio reipsa perinde se habet miser campsarius, ac si literas dedisset fictas, nēpe aut nō mittēdas, aut redituras inanes, & soluturus esset interesse; cū nullā habeat in loco solutionis pecuniā, vel creditū, sed ab eodē cāpsore omnia ordinētur & ad eius nutū fiāt; quinimò habet se sicut mutuatarius, cū quo cōueniret mutuās, dabo tibi cētum aureos, quos restitues hìc post quatuor mēses cū lucro, quod campsores reciperēt. Hæc autē conuētio esset vsuraria: ergo & illa cambij.

QVINTO, committitur etiam in hoc cōtractu alia iniquitas, quia campsor scribens ad suum factorē vt sibi ipsi persoluat in fide & nomine ipsius campsoris pro hoc officio, quasi verum creditum ad verum cambium exhibuerit campsario, exigit ab illo præter interesse cambij illius ficti aliquod stipendium illius officij, quod factoriam vocamus. Et non unquam factor ille, qui fingit solutionem, & remisit alias literas

literas à loco solutionis, exigit quoque pro suo officio & factoria aliud interesse, seu stipendium, quæ omnia apertissimam iniquitatem continere videntur.

Num. 2. SECVNDA sententia asserit, hoc cambium esse licitum, si iustum pretium in eo seruetur. Ita tenet Læsius 2. *iustitiæ. cap.* 23. *dub.* 7. vbi docet, hoc cambium dici Besuntinum, quia ad vrbem Besanzon dari solet, præsertim à Genuensibus, vbi non est frequentia mercatorum & mercium: dici etiam Placentinum, quia ad eam quoque vrbem datur frequenter: addit approbatum fuisse in quadam consultatione *art.* 7. à viris doctissimis in Lusitania, & à Syluestro *vsura.* 4. *quæst.* 9. *dicto* 6. Nauarro *in Manuali. cap.* 17. *n.* 289. & 301. Thom. Boninsignio *c.* 7. *de camb. n.* 7. 8. & 9. Eãdem sententiam tenere videtur Vega *in Epito. verb. cambium. casu* 14. & 22. & *in Summ.* 1. *p. col.* 340. & 345. & 346. Et Comitol. *lib.* 3. *q.* 15. ait, quẽdam ex Augustiniana familia pro cambio Bisuntino, & Lugdunensi (quod pro eodem habet) seu Placentino, scripsisse ann. *1554.* & aliũ è Dominicanis ann. *1587.* vulgari lingua, qui tamẽ postea Latinè scribẽs cambiũ Bisũtinũ periculosũ existimauit.

SA *verb. cambium.* in approbationem huius cambij scribit *nu.* 8. *cambium quod fit sustinente campsoris procuratore duas personas in nundinis, scilicet creditoris & debitoris, quod vulgò dicitur, colla riccorsa, est à Pio V. approbatum Bulla quadam data ad Bononienses.*

SALON *q.* 4. *de camb. art.* 2. *controuer.* 12. refert Thomam Senensem Dominicanum, hoc cambium iustum censuisse, cui opinioni ipse Salõ subscribit vocans eam valdè probabilem. Primò, quia si potest cãpsor, vt plerique fatẽtur, dare literas ad proprium factorem, quibus ex pecunia sua, vel alterius factor ipse soluat cambium ab ipso campsore collatum, debito illo per alias literas ad eundem campsorem postea remisso: cur non licebit eidem campsori efficere vt ex sua ipsius pecunia soluatur? Quod enim per alios præstare possumus in contractibus ciuilibus, cur non poterimus per nos ipsos præstare? Secundò, quia regula est Syluestri communiter ab omnibus recepta, verum & iustum cambium esse illud, in quo nec aliquid sumitur ratione temporis, nec campsuarius in aliquo grauatur: certum est autem campsarium, neque ratione tẽporis aliquid reddere, neque grauari in aliquo, propterea quòd cambium hîc acceptũ literis cãpsoris ab eius procuratore alibi persoluatur ex pecunia cãpsoris, cũ nõ persoluat campsuarius nisi illud idẽ interesse quod solueret si propriũ aliũ factorẽ ibidẽ haberet, qui ex propria pecunia solueret: ergo hoc cambiũ est verũ & iustũ. Tertiò, quia hoc genus cãbij exercetur publicè ab omnibus mercatorib. Italiæ in Lugdunũ, Bisũtiũ, Placẽtiã, aliáve loca, in quibus celebrãtur publicę nũdinæ, exercetur enim Florẽtię, Mediolani, Ianuę, & in præcipuis illius prouiciæ ciuitatib. sciẽtibus sũmis Pont. vel saltẽ Episcopis, & aliis ordinariis illarum ciuitatũ, & locorũ, ꝙ nõ permitterẽt, si contractus esset vsurarius, vt non permittũt alias vsuras, ideo .n. Pius V. cãbia sicca nõ permisit, sed suaBulla dãnauit, & reiecit, quia vidit esse vsuraria. Quartò, quia à viris fide dignis Matriti & Val. accepimus anno

Digitized by Google

Domini 1574. Grego. XIII. cùm in Sicilia plurimi dubitarent an per Bullam Pij V. hoc cãbium esset prohibitum, Cardinales congregationis ab Archiepisc. Panorm. cõsultos. Congregatio auctoritate S. D. N. censuit, huiusmodi cambium literis Pij V. minimè comprehendi. Hæc latiùs Salon.

Num. 3. LÆSIVS verò probat, quia si hoc cambium esset iniustum, maximè, quia campsuarius non habet pecunias vbi soluendum est, sed hoc non obstat, quia non requiritur vt actu ibi habeat, sed sufficit vt habeat in credito apud amicum, vel vt facilè possit habere correspondentem, qui eas ibi det mutuò, vel ad cambium, vt docet Nauar. *in Sum. cap.* 17. *num.* 289. *& 301. & in consil. loco cit.* & Syluester suprà: hoc enim sufficit, vt fiat cambium verum & reale, non siccum & fictum. Atqui iste hoc pacto facilè potest habere pecuniam & respondentem: ergo ex hac parte non est iniustum, fiet enim tunc vera emptio, vel permutatio pecuniæ, quam campsarius ibi habet per mutuum, vel aliud cambium reale.

DICES primò, nõ habet ibi alium respondentem cui debitum traiiciat, nisi respondentem campsoris; atqui hoc perinde est, ac si ipse campsor responderet, quod fieri videtur in fraudem vsurariam. Respondeo, si campsor illum cogeret, vt suo respondenti traiiceret debitum, id iniquum foret, quia præter naturam contractus non potest obligari: sed campsor id ei relinquit liberũ. Quòd si ipse sponte petat à campsore sibi aliquem respondentem dari, certè nulla fit ei iniuria, sicut enim quiuis alius (qui condicto tempore ibi potest soluere, potest ei respondere, debitúmque acceptare: ita etiam is quo ipse campsor vtitur, ibi potest hoc munere fungi.

DICES secundò, saltem hoc non licebit, quando respondens campsoris, cui creditum transmittitur, est famulus, vel merus executor campsoris, vel collega in societate. Nam tunc cẽsetur vna persona cum campsore, ac proinde dum ipsi debitum traiicitur, ipse sibi solueret; quæ solutio videtur fictitia & imaginaria. Respõdeo, nõ esse imaginariam: potest enim vnus & idem, quatenus subit diuersas personas seu officia, sibi ipsi soluere, sibique esse creditor, & debitor. Hic autem subit duas personas, nempe campsoris, quatenus dat ad cambium, & transmittit debitum campsori, & campsarij, quatenus nominee ius sumit ad cambium, & soluit debitum campsarij, & mittit ad eum literas vt soluat recambium. Itaque vt respondẽs campsoris solutionem acceptat, & vt respondens campsarij solutionem facit. Nihil enim refert ad iustitiam contractus, quòd idem sit v riusque respondens, modò in arbitrio eius, cuius interest, relinquatur, sicut etiam mutuans potest esse fideiussor siue assecurator mutuatarij, si mutuatarius id velit, vt diximus *cap.* 20. *dub.* 1.

SECVNDO probat Læsius, quia si tu à mercatore petas mutuum, & ille dicat se nolle dare mutuum, sed esse paratum vendere pannũ creditò, quem ipse præsenti pecunia ipsi, vel alteri reuendas, non peccat contra iustitiam, quanuis interdum contra charitatem, vt ostensum est *cap.* 21. *dub.* 16. Similiter si dicat se esse paratum

Digitized by Google

paratum emere aliquid præsenti pecunia à te, si ei dicas te non habere illud, & offerat tibi merces, quas alibi habet, vendendas creditò iuxta communem æstimationem, quas paratus est præsenti pecunia redimere si velis, contractus est iustus. Huic autem similis est contractus præsens cambij, in quo dicit campsor, se nolle mutuare, sed esse paratum emere pecunia præsenti tuam pecuniam absentem, quam habes. v. g. Besuntij, & si ibi non habes, nec potes habere per alios, paratus est tibi creditò ibi vendere, & præsenti pecunia eandem emere.

Dices primò, iste non liberè, sed coactè accipit tale cambium: coactio autem facit inuoluntarium & irritat contractum: ergo hoc cambium est iniquum. Respondeo, non cogi à campsore, sed à sua necessitate, & hæc coactio non causat inuoluntarium requisitum ad valorem & iustitiam contractus, vt patet in emptionibus, & venditionibus, aliisque contractibus qui vrgenti necessitate fiunt. Pactio autem vsuraria non ideo est irrita, quia inuoluntaria, sed quia mutuatarius nō intendit transferre vsuras, nisi quatenus eas iure debet pro vsu pecuniæ, vt dictum est *cap.* 20. *dub.* 18.

Dices secundò, pretium in hoc cambio semper est iniustum: ergo & cambium. Antecedens probatur, qui pecunia, quam campsuarius cāpsori vendit, pluris valet ob sumptus, quibus eam campsuarius comparare debet, sicut merces maioribus laboribus & sumptibus comparatæ pluris valent, vt frumentum aduectum ex Sicilia, quàm in agro Romano natum. Respondeo, quando merces secundùm se habent communem æstimationem, non ideo pluris valent, quòd maioribus sumptibus sint comparatæ, vt dictum est *cap.* 21. *dub.* 4. atqui pecunia illa habet æstimationem communem in illo loco, ad quem cambium mittitur, vt patet, alioqui sequeretur vlnas panni cōparatas maiori pretio non posse emi pretio infimo currente: quod est contra omnes. Nec est simile de fumēto Siculo, quia melius est Romano: quòd si non esset melius, possem illud emere eodem pretio, quo vulgò venditur Romanum.

Dices tertiò, hoc cambium videri siccum, quia literæ remittuntur inanes; vnde pecunia eodem loco, quo accepta est, redditur campsori cum lucro: quod lucrum non videtur exigi nisi ratione dilationis. Respondeo, non esse siccum: nam literæ, per quas fit, verè mittuntur, & virtute earum fit vera solutio in loco destinato: non enim est necesse pecuniam re ipsa ibi numerari, sed sufficit ipsam ibi esse, & debita, creditáque per chirographa transferri (qui modus solutionis est vsitatissimus inter ipsos mercatores) ita vt sit aliquis, qui acceptet debitum, & aliquis qui acceptet creditum, siue vnus & idem eandem functionem subeat, siue diuersi. Vnde verum non est literas redire inanes; nam virtute earum soluitur pecunia, & aliæ fiunt & mittuntur literæ recambij. Hæc in summa Læsius.

Vt autem explicem quod sentio, *Num.* 4. sit prima conclusio. Si is qui petit à campsore, non sit habiturus pecunias alibi actu, vel potestate, seu in credito, idque cāpsor norit, contra iusti

iustitiam peccat cum onere restituendi, si ei ad illum locum cambiat. Ita Thomas Boninsign. *tract. de camb. cap.* 7. Læsius, Nauarr. Sylvest. & omnes auctores relati pro prima & secunda sententia, & *dub.* 14. contra cambia sicca Salon *quæst.* 4. *de camb. art.* 2. *controuer.* 12. Fabianus *tract. de camb. p.* 2. *cap.* 2.

RATIO est, quia cambium est permutatio inter duas pecunias diuersorum dominorum: hîc autem campsarij nulla interuenit pecunia: ergo non est permutatio & cambium verum, sed fictum, & sic pretium pro cambio sumi non posset, vt si quis emeret boues ab aliquo, qui nullos habet, & postea illos ei locaret, emptio & locatio esset nulla, nullúmque posset pretium pro locatione sumere.

AN verò si campsor existimauit campsarium habiturum pecuniam in illo loco, & postea comperiat non habere, possit pretium cambij cum sorte in loco, in quo eam dedit exigere, vidimus *dub.* 15.

Num. 5. SECVNDA conclusio. Si is qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicum, vel alium, qui non sit in ministerio, vel societate campsoris, non peccabit contra iustitiam campsor, si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum; fieri tamen potest vt peccet contra charitatem proximi. ita Læsius *illo dub.* 7. *num.* 70. Molina, Nauarr. & Sylvest. citati pro prima & secunda sententia, & latiùs Salon.

PRIOR pars probatur, quia ex iustitia non tenetur ei dare mutuum, sed potest nolle ei dare nisi ad cambium cum lucro, sicut posset nolle dare pecuniam, nisi emendo domum, vel agrum, vel equum petentis.

POSTERIOR pars probatur; nam contra charitatem est non dare mutuò, sed cum tanto interesse homini pauperi & tenui indigenti hîc maximè pecunia.

TERTIA conclusio. Licitum est campsori offerre campsuario suum respondentem vel socium, & petere ab eo, vt ex propria respondentis pecunia soluat nomine campsarij pecuniam cum pretio cambij, quam recuperabit sumens ad cambium soluendum campsori à campsuario in loco vbi primum cambium celebratum est. Ita Salon 2. 2. *to.* 2. *quæst.* 4. *de cambiis. art.* 2. *controuersia* 11. contra Mercatum 4. *de contractib. cap.* 7. & alios nonnullos. Sed cum aliis multis id probantibus, quia ad cambium reale, & verum illud tantùm requiritur, vt pecunia in vno loco accepta soluatur in alio per factorem suum: nec refert quòd ille idem sit factor campsoris, aut quòd campsor talem proposuerit campsario procuratorem, & creditum dederit eidem campsario apud talem procuratorem. Sicut vera emptio est in qua venditor rogat amicum vt soluat pro emptore, & apud amicum est pro eodem fideiussor: & pro hoc beneficio potest campsor aliquid recipere, vt duo pro cētum, sicut si alius fideiuberet pro campsuario posset à campsuario aliquid recipere: eadem enim est ratio, imò contra eundem Mercatum docet Salon ibid. procuratorem illum posse pro illo officio quod gerit in vtilitatem campsoris, & campsuarij, ab vtroque partem aliquam stipendij exigere, licèt non possit ab vnoquoque integrū illius

Num. 6.

officij

officij ſtipendium accipere. Plura de hac concluſione dicit Sal. ibidem.

QVARTA concluſio. Si is qui petit à campſore nõ poſſit habere aliũ qui ipſius nomine ſatisfaciat in loco condicto, quàm ipſum correſpõſalem, vel ſocium campſoris, & ex pecunia cãpſoris, vel ſocietatis, probabile eſt eſſe contra iuſtitiam tunc ad cambium dare: ſed oppoſitum eſt probabilius. Vtramque partem tenet Læſius *illo dub. 7. n.* 71. & prioré ſuadẽt auctores, & rationes allatæ pro prima ſententia. Poſterioré autem auctores, & rationes adductæ pro ſecunda ſententia, & ſupponimus omnia ſeriò agi, ita vt ſi factor campſoris qui debet reſpõdere pro cãpſuario, fugeret, vel decoqueret, campſor non ſit habiturus actionẽ in campſuarium: nam campſuarius ſolùm ſe obligauit ad intereſſe cambij, ſuppoſito quòd ille verè reſpõdeat; ad ſortem tamẽ ſe obligat in quocunque euentu ſoluendam.

HÆC ſecunda pars probatur ex Bulla illa Pij V. ad Bononienſes, quã refert Sa *verb. cambium. n.* 8. vbi conceſſit Bononiẽſibus cambiũ exercere, in quo procurator cãpſoris duas perſonas ſuſtineret, quã Bullã fatetur Comitolus *lib. 3. q. 15. n. 10.* ſe vidiſſe Venetiis typis impreſsã. Sed ad eã reſpondet, priuilegiũ illud fuiſſe Bononiẽſibus conceſsũ, Bullã autẽ poſterioré de cãbiis editã à Pio V. pro omnibus Chriſtianis, & per eã explicandam eſſe illã priorem. Sed hoc nõ ſatisfacit: nã illa Bulla nõ cõcedit priuilegiũ exercẽdi cãbia illicita ex natura rei, nec sũmus Põtifex poteſt cõcedere tale priuilegiũ, ſed declarat talia cãbia eſſe licita, Bulla autẽ declaratoria ad omnes pertinet, nec poſterior Bulla de cãbiis illi aduerſatur, aut illã declarat: ergo cambia in quibus procurator cãpſoris duas ſuſtinet perſonas approbata sũt per Pontificem, & licita. Secundò reſpõdet Comitolus, eſſe licita ſi fiãt quæ in ea Bullã continẽtur, videlicet vt campſor bis numeret pecuniam cãpſuario, primò, in loco in quo ambo ſunt, ſecundò, in loco vbi procurator campſoris perſonam etiam campſuarij ſumit: quod tamen non fit. Sed contrà, quia ita fit implicitè, & virtute; nomine enim cãpſuarij habentis fidem, ſeu creditum campſoris, ſoluit ipſi campſori primum cãbium, & vt ſoluat ſumit ad cambiũ ex commiſſione campſuarij, & ſoluẽdum ab eodem campſuario. Cùm igitur in loco ad quem literæ campſarij ſeu campſuarij mittuntur, fiat vera ſolutio, cambium eſt reale, & non ſiccum, & conſequenter eſt licitum ſeruata pretij æqualitate, vt quando habet correſpondentem diuerſum à procuratore cãpſoris, vel cùm procurator campſoris eſt etiam procurator alicuius mercatoris, qui pro campſuario ſubſcribit literas.

ET minor erit ſuſpicio labis vſurariæ, ſi campſor rogatus à campſario, & non rogans dederit correſpondentem illum campſario, vt pro illo ſoluat, vt notant Salon *illa contro.* 12. & Fabian. ſuprà; quanuis etiam rogans poterit campſor nullam vſuram, vel iniuſtitiam in ea aſſignatione committere.

AD primũ argumẽtũ primæ sẽtẽtiæ, cõſtat ex dictis nõ repugnare naturæ cambij, vt idẽ procurator, ſeu factor duplicẽ gerat perſonã, & creditoris recipientis ſolutionem *Num.* 8.

Digitized by Google

cambij, & campſuarij ſoluentis illud: cùm duplicem etiam agat perſonam cùm fit cambium per literas ſubſcriptas à mercatore, cuius factor eſt etiam factor & correſpõſalis ipſius campſoris: & ſimiliter quando campſor per literas indicit illi eidẽ factori, vt ex propriis cambium ſoluat, iuxta dicta *in 3. con.*

AD confirmationem reſpondeo, illum non ſoluere in perſona campſoris, ſed campſarij habentis apud ipſum fidem, ſeu creditũ à cãpſore.

AD ſecundum reſpondeo, in cambio illo duas monetas diuerſorum dominorum reperiri, vnam, quæ hîc datur campſario: aliam, quam alibi dat campſuarius per ſuum factorem qui eam ſumit ad cambium, vt ſoluat pecuniam receptam in hoc loco, & priùs fit ipſius, quàm alibi ſoluat campſuarius per ſuum actorem, vnde ibi reperitur duplex moneta, & diuerſorum dominorum, & ſic fit cambium reale, & ſic diluitur confirmatio.

AD tertium reſpondeo, Petrum non cogi reddere illam pecuniam poſtea in eodem loco cum auctario: ſed in alio, vbi verè eam per procuratorem ſumit ad cambiũ, & ſoluit campſori, non tamen cogitur à cãpſore ſumere eam ad cambium, ſed à ſua neceſſitate, quia non poteſt eã aliter campſori ſoluere, niſi medio ſuo actore ſumendo eam ad cambiũ: in mutuo autem vſurario fit pactũ reſtituendi eam in eodem loco cum auctario, vnde nõ eſt ſimile. Eodémque modo poſſet fieri commutatio aliarũ merciũ, ita ſcilicet vt hîc accipiã triticũ reddendum alibi; quod vt ibi reddam medio procuratore meo emo illud ab eodẽ domino, credito tamẽ pretio, quod poſtea hîc ſoluo. Nego autem literas, ſcripta, & remiſſiones debitorum, & quæ in hoc genere cõtractus fiũt, eſſe ambages, & circuitus, ſeu figmenta ad ſimulãdas vſuras ſub titulo cambij: imò cenſeo, & ſuppono iſta omnia verè & ſeriò fieri, & factorem nomine cãpſarij ad cambiũ ſumere, & accipere ſolutionem nomine campſoris.

VNDE facilè patet ad quartũ: non enim literæ illæ quæ dantur, ſunt fictæ, nec redeunt inanes: nam earum virtute fit ſolutio pecuniæ hîc acceptæ in loco deſtinato, & ad faciendã hanc ſolutionem procurator meus ſumit ibi pecuniam ad cambium à priori campſore, qui fecit vt fidẽ, & creditũ haberem apud procuratorẽ meum, qui etiam eſt procurator ipſius, vnde hîc nõ interuenit mutuũ cum auctario recepto ratione mutui, ſed verũ, & reale cãbiũ, ac proinde nec interuenit vſura.

VLTIMVM argumentũ petit, an campſor in caſu præſenti poſſit ſtipendium aliquod recipere eo quòd aſſignet factorem campſario nullũ habenti? & dico in rigore poſſe, maximè vbi eſt conſuetudo, modò ſit moderatiſſimum, quia non tenetur cãpſor, ſicut neque alius teneretur id gratis facere. Ita tenet Sal. *illa cõtrouerſia 12. ad vltim.* addens etiã procuratorem vtriuſque poſſe pro procuratione ſua facta in vtriuſque vtilitatẽ, ab vtroque pretium accipere, partem ab vno, & partem ab alio, maximè vbi eſt cõſuetudo. Sed certè hoc pretium modicũ eſſe debet, quia ſumendo ad cambium pro cãpſuario, vt ſoluat campſori, nulli periculo ſe exponit, cùm pro cãpſario campſor ipſe fideiuſſor exiſtat:

ergo

Digitized by Google

ergo parũ debet campsarius pro officio illo. Itẽ cùm pro campsore nulli periculo se exponat, nec rem difficilem faciat, parum etiã à cãpsore potest accipere, vltra illud quod accipit pro aliis officiis, in quibus nõ sit campsarij procurator, maximè cùm in hoc modo cambiendi non habeat laborem numerandi pecuniam, sed tantùm efficiendarum literarum, & scribendi in libris. Pro omnibus autem his officiis vnum habet à campsore designatum stipendium.

DVBIVM XVIII.

An cambium Francofurtense, & similia, in quibus pretium variatur pro maiori, vel minori temporis intercapedine, sint licita?

SVMMARIVM.

1 *Pretium cambij non potest variari ratione solius temporis longioris, seu brevioris.*

2 *Hoc pretium ob alias causas licitè potest variari. Explicatur.*

Num. 1. VEGA *in Summa, & Epito. casu 29.* absolutè damnat cambia, in quibus quãto maius tempus datur solutioni, maius pretium exigitur.

PRIMA conclusio. Pretium cambij non potest variari ratione solius temporis lõgioris, vel brevioris. Ita Læsius 2. *iustitia. c. 23. dub. 6.* Med. *q. 4. de cambiis. §. de alia causa quæ tempus.* Mol. Tolet. Sot. Bann. & alij citãdi.

RATIO est, quia in cambio nõ requiritur tẽporis intervallũ, nisi quatenus est necessariũ ad translationẽ literarum, & ad præparationẽ solutionis, vt ea commodè in loco distãti fieri possit: ergo si plus temporis concedatur ad solutionem, id nõ fit ex vi contractus cãbij, sed taciti cuiusdã mutui: atqui in mutuo aliquid exigere ratione temporis vsura est: ergo.

SECVNDA conclusio. Hoc pretiũ ob alias causas iustè variari potest, videlicet primò, quia in maiori tẽpore maius est periculũ amittendi sortem, maiórque incõmoditas negotiandi, quia sine pecunia negotiari, & lucrari non possunt, & in maiori tempore maior est spes lucrãdi per negotiationẽ, aliqua oblata occasione. Vnde mercatores, & cãpsores maius incommodum putant carere pecunia ad longum tempus, quàm ad breue: ergo pro hac maiori incommoditate maius aliquid possunt exigere. Secũdò, quia quo plures sunt menses ante nundinas, eo plures petunt pecuniam à campsoribus, vt diu pretio frui possint: atquiquo plures sunt petentes, eo magis crescunt pretia cambiorum. Hęc causa quibusdam videtur sufficiens ad inducendam tantam pretij variationem. Tertiò, quia si non concederetur plus temporis quàm natura vnius cambij postulet, qui pluribus mensibus egent pecunia, deberent pluries ad cambium petere cum magno suo damno, & incommodo, quod considerantes campsores concedunt longum tempus, vt in vno cãbio virtute concedãt plura cambia, quæ ipsi interim facerent cum iisdem campsariis, si solũ tẽpus præcisè necessariũ ad trãslationẽ cõcederetur, & hoc cedit in cõmodum Num. 2.

Digitized by Google

campſariorũ, qui lõgè minùs ſoluũt, quàm ſi tot cãbia cogerentur facere. Cauſa igitur cur quo tempus longius eſt, eo maius pretium ſtatuant, eſt quia eo plura cambia virtute cenſentur feciſſe. Hac ratione vir quidam doctiſſimus illam pretij variationem excuſabat, Læſióque probatur, præſertim accedente prima & ſecunda cauſa. Confirmatur, quia iuſtitia pretij cenſetur in quoquo foro, quod periti illius negotiationis bona fide conſideratis omnibus circunſtantiis imponunt, & quo inter ſe contrahendo vtuntur nemine contradicente, vel conquerente. Atqui periti mercatores & campſores omnibus conſideratis ſic pretia variant, & ſic inter ſe contrahunt nemine conquerente: ergo hæc variatio non eſt cenſenda iniuſta. Confirmatur etiam ex regula Sylueſtri *vſura. 4. quæſt. 9. dicto 2.* & Emanuel. 2. *p. Summ. cap. 105. §. in fin.* in cambio quoties arbitrio prudentum & peritorum in arte non magis grauatur dans quàm recipiens, vel econtrà, nec attenditur precisè diſtãtia temporis, nec cambia ſunt ſicut, cambium eſt licitũ: ſed ſicca eſt in præſenti caſu: ergo. Ex his patet hæc cambia non eſſe damnanda, præſertim cùm omnes paſſim illis vtantur, inter quos ſunt viri probi, & conſcientiæ religioſæ, qui ſi iuberentur abſtinere, ſoli laxiores illis vterentur, quo fieret vt pretia iſtorum cambiorum cum magno Reip. incommodo valde augerentur: neq; enim vnquam obtineri poterit, vt mercatores non magis æſtimẽt conceſſionem longi tẽporis quàm breuis. Hæc omnia deſumpſimus ex Læſio *illo dub. 6.* & Molina *tract. 2. de iuſt. diſp. 404. §. Timoratus quidam.* Sed Med. *quæſt. 2. de camb.* & Valen. *2. 2. diſp. 5. quæſt. 23 pun. 4. con. 2.* ſolùm aſſignant primam cauſam; vt & Tolet. *5. Summæ. cap. 53. num. 4.* Angles *quæſt. de camb. art 5. dub. 4. difficult. 4.* Ex quibus patet incertum eſſe quod dicit Bannez 2. 2. *to. 2. tract. de camb. dub. 8. ad fin.* valdè ſuſpecta, imò illicita eſſe quædam cambia, quæ fiunt à Metina ad Olyſiponem, ad æqualitatem, quod vulgò dicitur *aliguale a la par*, quia in illis aliquid exigitur propter temporis interuallum, cùm enim communiter cambia fiãt plus recipiẽdo Metinæ quàm detur Olyſipone, dato vnius menſis ſpatio ad ſolutionem, cùm dantur tres mẽſes, non plus datur in vno loco, quàm recipiatur in alio. Sed poteſt dici non recipi æquale propter maius tempus expectatæ ſolutionis, ſed propter alias cauſas dictas hîc in ſecunda concluſione. Vnde Ledeſm. *2. p. Summ. tract. 8. con. 20. de cambiis* cum Caiet. *tract. de camb. c. 7.* Orellana, & aliis Thomiſtis, ait contra Sotum *6. iuſt. quæſt. vltima. art. 2.* licita eſſe cambia, in quibus dantes ad cambium, quo longiùs diſtat ſolutionis tempus, plus pretij exigunt. Sic à Metina in Luſitaniam vbi nundinæ non ſunt, ſed intra menſem ſolutio fieri debet Olyſipone, cambium ad paria fit, ab Olyſipone verò in Metinam, vbi ſolutio differtur ad proximas nundinas, dans pecuniam lucratur 6. aut 7. pro 100. & quo nundinæ longiùs, diſtãt plus lucratur. Ex his patet quid dicẽndum ſit ad quæſtionem illam, an quando, quia maius tempus conceditur ſolutioni, plures ſunt campſuarij, licitum ſit campſoribus maius pretium

tium cambij exigere? Sotus *6. iust. q. 12. art. 5. ad 2. & q. 13.* quæ est vltima. *art. 2.* negat, illum sequitur Eman. *2. p. Summ. cap. 105. con. 6.* qui adducit pro se Nauarrum *Comment. cap. fin. de vsuris. nu. 59. & in Summ. cap. 17. num. 295.* Sed hic potiùs fauet sententiæ oppositæ, nam ibi dicit multitudinem campsuariorum cambio licito augere pretium cambij. Sed cambium hoc est licitum, etiamsi detur maius tempus solutioni, præsertim vbi non seruatur Bulla Pij V. de cambiis, vetans differre solutionem vltra proximas nundinas, vel solitos terminos: ergo multitudo cāpsariorū in hoc casu auget pretiū, vt expressè tenent Molina, & Læsius suprà, & Caiet. *op. de cambiis. cap. 7.* & pro hac sententia Emanuel ipse citat Medinam, sed non indicat locum; & Medin. §. *illo cit.* potiùs dicit prorogationem temporis non esse iustam causam augendi pretium cambij, nisi alia causa interueniat, vt quia ex illa damnum emergit, aut lucrum cessat, quanuis eadem *q. 4.* §. *aduerte*, absolutè dicat, multitudine campsariorum augeri pretium cambij, & §. *illud*, indicet, quando ex prorogatione temporis sequitur multitudo campsariorum, augeri pretium.

DVBIVM XIX.

De cambio quodam quod mercatores Antuerpiæ sæpe cum Rege inierunt.

SVMMARIVM.

1 *Titulus exponitur.*
2 *Doctrina Læsij proponitur, & explicatur.*

DABANT Regi Antuerpiæ ad bellicos vsus centum millia aureorum. 82. millia in pecunia. 18. in pannis dimidio supra iustum æstimatis: nam quod valebat duobus, æstimabant tribus: vnde cùm totus pannus valeret 12000. ipsi æstimabant in 18000. Porrò ipsi in Hispania accepturi erāt intra duos menses centum aureorum millia in pecunia. *Num. 1.*

RESPONDET Læsius *lib. 2. cap. 23. dub. 6. num. 58.* primò, hunc contractum videri sic conceptum vt fraus fieret militibus, ideo enim totum onus cambij videri reuolui in pretium panni, vt in solutione stipendiorum militi pannus æstimetur, quasi reuerà tanti valeret: verū quia solutio ista non fit à mercatoribus, sed ab officialibus Regiis, nō est hęc iniuria mercatoribus imputanda, si huius consilij causa non fuêre. Si tamen possent eam absque suo incommodo impedire ineundo aliam speciē cōtractus, tenerentur ex charitate. Secundò dicit, hunc contractum non videri illicitum, nisi fortè sit excessus in lucro: continet enim tres contractus per quos seorsim si ad tantum lucrum peruenire potest, etiam potest per eosdem vnitos, dantur enim 82000. ad cambium, & venditur pannus, & hoc pretium implicitè in locum dissitum: nam soluendū est in Hispania post bimestre. Itaque si cābio formali 82000. Antuerpiæ in Hispaniā, & vēditione illius pāni cābio implicito pretij illius tātū à Rege lucrari posset, contractus esset iustus, quæ. n. seorsū iusta sūt, etiā iūctim. Nec obstat quòd videatur pannus vendi vltra iustum *Num. 2.*

Digitized by Google

pretium, quia in eo pretio conprehendunt pretium cambij expressi 82000. & taciti 12000. neque propriè est venditio, sed contractus innominatus, do vt des, comprehendens plures nominatos.

Si verò non possunt tantùm exigere seorsum, contractus est iniquus, & tenentur ad restitutionem excessus. Et sanè lucrum videri possit excessiuum, nam in effectu non dant nisi 94. aureorum millia, & recipiunt centum millia: vnde intra bimestre lucrantur 6. in centum, & consequenter dum illum contractum singulis mensibus repetunt, lucrantur 36. in cētum intra vnum annum. Accedit, quòd hac ratione vendunt summo pretio magnam vim mercium: quod commodum est etiam magno pretio æstimabile.

Ad hæc respondent ipsi, se non posse tantam vim pecuniæ sine magnis sumptibus, laboribus, & periculis conquirere, cùm eam vel ab aliis cum magno interesse debeant accipere, vel etiam ex Italia, & Hispania per multos curare deferri. Deinde in contractibus cum Regibus magna esse pericula; soluere enim quando volunt, & facilè antiquos contractus, si per eos videantur læsi, reuocare. Quòd ad pānum attinet, ideo se hunc inferere summę, quòd id fiat sine ipsius Regis incommodo, & quòd ipsi tantam vim numeratæ pecuniæ non possint assiduè habere paratam. Quòd autem lucrum videatur magnum, hoc fieri ob crebram eiusdem contractus repetitionem. Verùm vtrùm lucrum sit moderatum, aut modum excedens non est Doctorum determinare, sed proborum virorum in arte illa peritorum. Hoc tantùm affirmo, hunc contractum ex forma sua iniquum non esse. Hæc Læsius, & bene, supposito quòd contractus cum Rege fuerit non dandi pannos iusto pretio, sed dimidio supra iustum propter cambium.

DVBIVM XX.

An campsores, vt depositarij sunt, possint pro custodia stipendium & mercedem suæ prouidentiæ, & custodiæ accipere, quod stipendium, prouisionem aliqui vocant?

SVMMARIVM.

1 *Respondet Læsius.*
2 *Obiectioni occurritur.*
3 *Quid addat Molina.*

RESPONDET bene Læsius 2. *iust. cap.* 23. *dub.* 8. campsorem, vel nummulariū, qui pecuniam campsorum, mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam cum obligatione eam reddendi, quando, & cui voluerint depositores, posse accipere iustam mercedem pro custodia, & numeratione pecuniæ dandæ, & recipiendæ, & labore in libris rationum scribendæ, &c. si de ea mercede antè stipulatus fuerit, vel si ex consuetudine dari soleat: quia tale obsequium in gratiam alterius præstitum, est prætio æstimabile: si verò non fuerit stipulatus, non censebitur locasse operam suam pretio, sed gratis, vt vsu pecuniæ. Num. 1.

Digitized by Google

pecuniæ frueretur. Nam depositores ordinariè nihil dare solent, cùm bancarij libentissimè hoc onus suscipiant ob commodum, quod illis inde prouenire solet, vt videre licet Romæ, Hispali, Barcinonæ, & in aliis Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ locis, & obseruant Nauarr. *in Summa. cap. 17. num. 293.* & Mercatus *23. de camb.* quos citat, & sequitur Molin. *de iust. tract. 2. disp. 308.* & Rebellus *de oblig. p. 2 lib. 11 q. 8.* quanuis licitè possint nolle pecuniam suscipere custodiendam nisi certo pretio, etiamsi ex vsu pecuniæ interim magnum quæstum faciant: etsi enim permittatur illis vsus pecuniæ, tamẽ pretio æstimabile est quòd obligant se ad pecuniæ custodiam, & ad eam restituendam quando alteri placuerit; quòd autem interim magnum quæstum faciant, industriæ fructus est, non pecuniæ. Interdum verò pecunia non deponitur, sed in societatẽ negotiationis traditur per tres cõtractus, de quibus infrà. Sic in Hispania, & Gallia domini pecuniæ lucrari solent *6.* vel *7.* in *100.* à bancariis: & quanuis Nauar. *cap. 17. n. 293.* putet vsuram committere, hoc tamen intellige nisi contractus societatis fiat cum pacto assecurationis propter partem lucri. Si autem nolint pecuniam dare nisi mutuò, nec mutuatarius potest aliquid lucrari pro custodia, quia rem suam custodit, nec mutuans, quia vsura est pro mutuo auctarium recipere. Ita Læsius suprà.

Num. 2. SED obiicies, depositarij, quibus permittitur vsus pecuniæ, sunt domini ipsius, vnde si casu fortuito pereat, illis perit, vt ait Molina *disp. 408.* Rebell. s. ergo sunt mutuatarij. Ergo vel depositarij, quibus vsus pecuniæ permittitur, nihil possunt exigere pro custodia, vel mutuatarij possunt pro custodia accipere; vtrumque autem est contra prædicta: ergo. Respondetur tamen, licèt illi depositarij, quibus conceditur vsus pecunię periculo suo perituræ, reuerà sint mutuatarij, vt docet Nauar. *in Comment. cap. fin. de vsur. n. 40. & in Manuali. cap. 17. num. 295.* & Molina *disp. 408.* tamen sunt mutuatarij qui obligant se ad custodiendam illam pecuniam, donec mutuantes illam petant, siue simul, siue per partes, prout libuerit, in qua re oportet laborem magnum subire scribendo sæpe in libris, recipiendo, & numerando pecuniam, expectando semper eos qui cum literis depositorum veniunt, & prætera magnum onus suscipiunt custodiendi pecuniam, à quo non possunt, sicut alij mutuatarij, se exonerare cùm volunt: sed semper pecuniam debent habere in promptu, vt soluant afferentibus literas depositorum. Ideo possunt stipendium & mercedem horum laborum, & onerum accipere, vt tenet Molina, Læsius, & Nauar. s. & alij communiter, imò Nauar. s. tenet, deponentes, seu mutuantes, nisi stipendium illis dent, esse vsurarios, quia pro mutuo exigũt aliquid pretio æstimabile, nẽpe susceptionem horum laborum, & onerum. Sed meritò Læsius, & Molina docent contrarium, quia cùm id bancarij in pactum non deducunt, gratis censentur id facere propter commodum magnum, quod inde reportant, licèt possent id in pactum deducere, quia beneficium non debitum de iustitia conferunt

depo nen

deponentibus, ſicut poteſt quis pro reductione equi ſibi cõmoda ſtipẽdium exigere. Sed ſciendum eſt, Rebellum ſuprà inter contractus cambii, non verò mutui, recẽſere depoſitionem pecuniæ, quando depoſitario datur facultas vtẽdi illa, ac proinde eius dominium, & ait in cambio ad eundem locum, poſſe recipi pretiũ ratione obſequij, ſeu obligationis habendi ſemper paratam eãdem numero, vel diuerſam pecuniam, vt illi reddatur, vel cui ipſe voluerit. Itaque non pro mutuo, ſed pro vero cambio, vel alio obſequio pretiũ recipitur. Addit, quo d utiùs ſic campſor pecuniá ſeruat, maiori præmio dignum eſſe, illúdque petere poſſe, licet pecunię cuſtodia ſibi vtilis ſit, quia id ex ſua induſtria prouenit.

ADDIT Mol. bancarios, præſertim qui ſtipendium pro cuſtodia accipiunt, lethaliter peccare ſi pecuniam depoſitam in tanta quantitate in ſuis negotiationibus expendant, vt inhabiles reddantur ad tempore congruo ſoluendum quæ depoſitores petierint, aut ſoluere iuſſerint ex pecunia, quam in ipſorum depoſito habẽt, & teneri reſtituere damna etiam lucri ceſſantis quæ ex eo fuerint ſecuta, quòd iuxta deponentium præſcriptum eam non reddiderint: item ſi talibus negotiationibus intendant, vt periculo ſe exponant deueniendi ad eum ſtatum, in quo depoſita non poſſint ſoluere, quod vulgò dicitur *quebrar*, peccare mortaliter, etiamſi fortè negotiatio, poſtea feliciter ſuccedat. Idem docet Rebell. *de oblig. p. 2. tit. 11. q. 14. n. 5.* Vega *in Sum. & Epit. verb. cambium.*

ADDIT Molin. etiam bancarios alios, quibus non permittitur vſus pecuniæ, ſed ſolùm ſunt factores & reſpondentes campſorum, aut mercatorum, poſſe ab illis ſtipendium accipere, quoniam recipere, numerare, & cuſtodire pecuniam, illã iterum numerare, quando eſt reddẽda, rationes eorum cum aliis conſcribere, ac expedire interdum cum periculo proprio, ne error in numerãdo ſubrepat, aut in examinandis, aut finiendis rationibus, accipere literas cambij illorum, qui adhuc non habẽt pecuniam in ipſorum banco, ac debitores ſe loco illorum conſtituere, & alia his ſimilia, pretio ſunt æſtimabilia eo maiori, quo ad hæc præſtanda homo requiritur magni ingenij & dexteritatis, ac facultatũ, & quo miniſteria maioribus lucris, & emolumentis inſeruiunt. Vide alia apud Molinam ibi, & apud nos infrà *dub. 26.*

DVBIVM XXI.

An dans pecuniam ad cambium poſsit à recipiente pignus vel fideiuſſorem exigere?

SVMMARIVM.

1 *Concluſio affirmatiua.*
2 *Aliqua à Doctoribus addita n. 3.*
4 *Quid aduertendum.*

RESPONDEO, poſſe, vt qui mutuò dat, vel vendit aliquid, poteſt pro ſorte fide iuſſorẽ, vel pignus exigere. Læſius *lib. 2. c. 23. n. 77.* cum Boninſig. *tract. de camb. c. 7. n. 23.* *Num. 1.*

Ad

Digitized by Google

Addit, si campsor in se periculum illud suscipiat, posse aliquid bona fide æstimatũ pro illo periculo suscipere.

Num. 2. ADDIT præterea: si campsor dãs pecuniam campsario alibi à respõdente campsarij soluendam, fideiubeat pro campsario apud respondentem eius; potest aliquid pro fideiussione recipere, si respondens non sit famulus, nec factor campsoris.

PROBATVR, quia obligat se ad soluendũ respondẽti pro cãpsario, si cõtingeret campsariũ illi non soluere: quæ obligatio est pretio æstimabilis, quanuis exiguo, quando campsor aliunde est securus suæ sortis. Si verò respondens campsarij sit famulus, vel factor campsoris ex pecunia campsoris respondens, non potest campsor pro fideiussione quicquam accipere. Ita Læsius *n.* 78. probãs, tũ quia verè nõ fideiubet, nõ enim obligat se alteri pro cãpsario, nec vllum nouum periculum subit, nec idẽ potest esse creditor, & fideiussor; famulus autem soluens ex pecunia domini id volentis, censetur vna eadémque persona cum domino: ergo non est distinctio fideiussoris, & creditoris. Tum quia hoc ipso securus est famulus de solutione sibi faciẽda pro debito traiecto, quo dominus securus est de sorte, si pignus, vel aliam sufficientẽ cautionẽ acceperit: ergo pro ea fideiussione tunc nihil potest campsor recipere. Sed si nullam cautionẽ acceperit, nec cãpsarius eam dare potest, aut nõ cupit, potest campsor æstimare periculum, cui prior suam pecuniam numerando exponit, & pro illo periculo aliquid exigere, vt dictum est.

Num. 3. EXIGERE etiam potest suam prouisionem, & mercedem is, cui debitum traijcitur, id est, respondens cãpsarij, vel campsoris, nam is cuius nomine pecuniam numerat, & soluit, debet ei stipendium dare. Vnde iniqua est consuetudo quorundam qui cùm debeant. v.g. mille aureos, iubent respondenti vt tantùm mille soluat, cùm sciant ipsum nomine prouisionum detracturum 5. vel 6. de tota illa summa. Debent enim curare, vt integra solutio fiat, vnde tenentur supplere quod ille detraxit, quanuis ille detrahendo iniuriã non fecerit. Læsius s. *n.* 79. Subiũgitque *n.* 80. campsor, & respondens nihil possunt exigere à campsario ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel scribendi literas, & mittendi ad suos respondẽtes, quia ex natura contractus hunc illi laborem debent; sicut emptor numerans pecuniam venditori, vel scribens ad amicum, vt ei soluat, non potest aliquid pro eo labore à venditore petere. Similiter nec amicus pecuniã ipsi numerans, quanuis huic merces debeatur ab eo, cuius nomine illam numerat, nisi gratis velit onus suscipere. Intellige Læsium, ita vt vltra pretium cambij non possit pro illo labore aliquid exigere; iã enim suprà cum illo vidimus campsorem pro labore illo posse pretium vltra sortem exigere.

ADVERTE etiam cum Toleto *lib. 5. c. 52. n. 2.* quando cãpsores priùs dantes, pignus, vel fideiussores à campsariis petunt, minùs pretij pro cambio posse accipere, quia minori periculo pecuniam exponunt. Num. 4.

Digitized by Google

DVBIVM XXII.

Vtrùm fieri posſit pactum de eo quod intereſt campſoris, vel de recambio, ſi campſarius fuerit in mora?

SVMMARIVM.

1 *Quomodo iustè posſit fieri pactum de intereſſe.*

2 *Quomodo campſor posſit paciſci cum campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem sũmam accipere ad recambium?*

3 *An in caſu poſito præſenti concluſione campſor, & eius reſpondens poſſint conſuetas prouiſiones exigere?*

4 *An id quod campſoribus debetur ratione prouiſionum, & intereſſe poſſit ab ipſis continenter adiici ſorti, vt cambium augeatur?*

Num. 1. DIco primò, iustè fieri pactum de intereſſe, ſicut in aliis pactis; vt ſi campſor ob hanc moram debuerit ſumere pecuniam ſub vſura, vel ad cãbium, vel lucris ſperatis exciderit. Poteſt autem à principio dupliciter paciſci. Primò, de incerto, vt campſarius teneatur omne damnum emergens, & lucrum ceſſans quod poſtea ratione dilationis obueniſſe fuerit deprehenſum, reſarcire. Secundò, de certo aliquo, vt ſi exigat certũ quid pro periculo, cui ſe exponit, concedendo dilationem vltra terminum ordinarium: ſeu quia certum eſt fore, vt tale damnum ſequatur, vel lucrum ceſſet. Sed hoc ſecundum eſt illicitum vbi Bulla Pij V. de cambiis ſeruatur: per ſe tamen non eſt illicitum, inquit Læſius *lib. 2. c. 23.* cum ea moderatione, qua dictum eſt *c. 20. dub. 13.* poſſe id in mutuo permitti. hæc enim conceſſio dilationis eſt tacitum mutuum.

Dico ſecundò: campſor non poteſt paciſci cum campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem ſummam accipere ad recãbium, niſi certò conſtet tantùm lucri illum ex illa ſumma amiſſurum, quantùm ex recambio perciperet, & çampſarium nolle aliter compenſare lucrũ ceſſans, vel damum emergens. Ratio eſt, quia non poteſt plus exigere ratione moræ, quàm æſtimationem lucri ceſſantis, & periculi ſortis. Itaque cùm detrimenta recãbiorũ ſæpe ſint maiora, nõ poteſt illum ad hæc obligare. Si tamen campſor moraliter certus eſſet ſe eandem pecuniam, ſi termino conſtituto ſoluta fuerit, ſtatim ad cambium æquè, vel magis lucroſum dare poſſe, poſſet ſtipulari, vt campſarius teneatur tandiu pecuniam illam per cambia, & recambia ad ſingulos terminos accipere, donec tandẽ ſoluerit ſortẽ, niſi aliter vellet lucrũ ceſſans, & damnum reſtituere; quia hoc nihil eſt aliud, quàm illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergẽtis. Hæc ferè Læſius: cui conſonat Graf. *to. 1. lib. 2. deciſ. c. 110. n. 15.* cũ Pariſienſib. & Nauar. *c. 17.* dicens, licitũ eſſe cãpſoribus, cùm ad terminũ nõ reſpõdetur, recãbire, ſi intelligatur ratione lucri ceſſãtis, alioqui nõ, vt tenẽt Caiet. & Sot. quos ſequitur Angl. *q. de camb. art. 5. dub. 4. dif. 4.* Sed limita ſecũdã concluſionẽ, vt in pœnã moræ culpabilis liceat exigere recambium, quando ea eſt pœna moderata: nam in mutuo, & aliis cõtractibus moroſo debitori poteſt pœna conſtitui. Sic videtur intelligẽdi Nau. & Pariſ. Sic docet Tol. *lib. 5. c. 52. in fin. ſeu n. 6.* verba eius refero *dub. 38. in fin.* cõcinit Sal. *q. 4. de cãbio art. 2.*

con

controu.14. dicés, posse cãpsorem paciſci de pœna moderata morę culpabilis, posseq; cãpsorẽ aliquid exigere ratione lucri ceſsãtis, vel dãni emergẽtis ex mora, etiã inculpabili, quãdo ab initio ita pactum sit.

Num.3. PETES, vtrùm tũc ipse campsor, & eius respondens possint consuetas prouisiones exigere? Videntur enim non posse, tum quia campsarius non petit illas scriptitationes, & gyrationes vltrò citróque; sed illę fiunt gratiâ campsoris, vt videatur semper verum cambium factitare; tum quia non fit ea pecuniæ numeratio.

NIHILOMINVS respondet Læsius, posse in rigore exigere (quanuis id sit satis inhumanum, ac proinde apud honestos non vsitatum) idque titulo lucri ceſsantis. Nam ponimus campsorem, eiúsque respondentem percepturos eas ab aliis, si campsarius condicto tempore soluisset. Addit, has scriptiones non posse omitti, quia alioqui campsor censeretur vsurarius apud suos, inter quos vsu receptum est, vt nisi literarũ missio appareat, censeatur cambium ad eũdem locũ, & cõdẽnetur tanquã vsurariũ: vnde etiã ratione indemnitatis necessaria est literarum missio.

Num.4. PETES, vtrùm id quod cãpsoribus debetur ratione prouisionum, & interesse possit ab ipsis continenter adiici sorti, vt cambium augeatur?

RESPONDET Læsius suprà, id fieri nõ posse, nisi moraliter certi sint, se illud potuisse statim aliis ad cãbium dare, & per illud lucrari. Tunc enim ratione lucri ceſsanti posset illud sorti vnire ad cambij augmentũ. Adde non posse vniri si interesse vnionis sit maius lucro ceſsanti, aut damno emergenti: item ratione pœnæ nihil exigi posse nisi cũ campsario conuentũ sit: vnde si de adiectione pretij ad sortẽ in recãbio cõuentũ nõ sit, nõ poterit pretiũ recãbiri. Vega autẽ *in Sũma, & Epito. caſu. 32.* absolutè damnat exigere interesse recambij, si fuerit in mora campsarius, & *caſu 35.* ait esse apertam vsurã, si cãpsario nõ soluente in termino constituto, pretiũ cãbij, & sors recambiantur, aliud pretiũ exigẽdo pro recãbio; & *caſu 37.* ait cãpsorem posse cum cãpsario paciſci indefinitè, & cõfusè de lucro ceſsante & dãno emergẽte ex mora in soluẽdo; & *caſu 34.* ait: bene potest campsor deducere in pactũ, vt si cãpsuarius non soluerit statim visis literis, soluat certam pœnam: sufficiens autẽ pœna est, vt soluat 6. aut 5. partem interesse. Quod ita intelligo, vt vltra sortẽ, & stipendiũ cãbij teneatur soluere aliã 5. aut 6. partẽ ipsius pretij.

Ex quibus patet, nõ debere absolutè dãnari recãbiorũ ex actionẽ, vt dãnari videtur à Nau. *Comm. de camb. n.25.* Soto *6. iuſt. q.13. art.2.* Merc. *4. de contr. c.10.* Pal. *3. de contr. c.4. con.8.* Nã si cãbia & recãbia sint vera, & realia, & ex mora lucrum æquale pretio recambij ceſset, vel aliquod recambij pretium pœna moderata censeatur, recambium potest licitè exigi, vt dictum est, & cùm multæ sunt moræ culpabiles, multæ pœnæ imponi possunt, siue per recambia, siue aliter soluendæ.

DVBIVM XXIII.

Vtrùm campsor quãdo post multa cãbia, & recãbia debitor ei soluit partem aliquam, teneatur illã acceptare in sortem antequã sit satisfactum detrimentis cambij?

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo cambiorum de non acceptanda solutione sortis, nisi simul soluantur cambiorum detrimenta seu lucra & interesse, à quibusdam damnatur.*

2 *Illa consuetudo iusta est.*

3 *Ad leges in contrarium respondetur.*

Num. 1. CONSVETVDO est campsorum, vt non acceptét solutionem sortis, nisi simul soluãtur cambiorum detrimenta, seu lucra & interesse. Quidam damnant hanc consuetudinem.

PRIMO, quia quando quis est debitor ex pluribus causis eidem creditori, in potestate debitoris est soluere priùs vtri debito maluerit, quia debitor potest legem dicere rei suæ, nempe vt sit pro debito, quod ipsi placuerit, vt habetur *l. 1. ff. de solutio.* Secundò, quando quis est debitor ex pluribus causis, si aliquid soluat, id censetur solutum pro debito quod magis grauat, nisi debitor cõtrarium exprimat, vt habetur *l. 3. 4. & 5. ff. de solut.* sed magis grauat debitum sortis quàm vsurarum, seu detrimentorum, quando hæc non sũt vnita sorti: ergo prima solutio cẽsetur facta pro sorte.

Num. 2. NIHILOMINVS Læsius *lib. 2. c. 23. dub. 10.* ait, consuetudinem illam esse iustam, & iuri consentaneam. Quia, quãdo ex debito aliquo principali tanquam ex radice nascuntur alia debita tanquam fructus, tũc si fiat solutio, primò censetur fieri pro fructibus illis dependentibus, & siquid supersit, cõputatur in sortem, vt expressè habetur *l. 1. C. de solut. l. si vsuras. C. de vsuris.* idque consentaneum est praxi, in similibus debitis, vt in debito censum, & in debito ex contractu societatis.

LEGES autem illæ in cõtrarium citatæ loquuntur de debitis ex diuersis causis: hæc autem non nascũtur ex diuersis, sed ex vna eadémque radice; nam alterum ex altero tanquam fructus à re fructifera pendet. Idem dicendum quando aliquid debetur ratione interesse proueniẽtis ex mutuo. Hoc enim iura passim vocant vsuras, quas volunt intelligi solutas ante sortem. Num. 3.

DVBIVM XXVI.

De conditionibus quas requirit Pius V. in sua Bulla de cambiis edita anno 1571.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor referuntur conditiones circa cambium reale.*

2 *Circa prædictam Bullam sex notatu digna.*

3 *Explicatur sententia Ledesmæ.*

4 *An si quis contra hanc Bullam de certo interesse paciscatur, ipsúmque recipiat, teneatur illud restituere?*

5 *An quædam doctrina tradita notabili secundo vniuersè vera sit?*

HANC Bullam refert Nauar. *in sua Summa. c. 17. n. 300.* aliàs *283. vel 297.* & Rebell. *de oblig. p. 2. q. 13.* Num. 1.

IN ea Pontifex damnat tanquam vsuraria cãbia sicca, qualia sunt ea, in quibus ex intentione contrahen

hentium fit solutio in eodem loco, eo quòd alter pecuniam alibi non habet.

IVBET etiam seruari quasdam conditiones in cambio reali. Prima est, ne campsor ratione dilationis vltra terminum præstitutum concessæ paciscatur de aliquo lucro, id enim esset vsurarium.

SECVNDA, ne ab initio, vel postea paciscatur de certo interesse, etiam in euentu, quo non fieret solutio debito tempore.

TERTIA, ne realia cambia aliter quàm ad proximas nundinas fiant; vel si nundinæ non agantur, proximis terminis iuxta receptum locorum vsum.

QVARTA, vt in terminis solutionum constituendis habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; ne dū longiores præfiguntur, quàm loca destinata solutioni desiderant, fœnerandi detur occasio.

Num. 2. CIRCA hanc Bullam nota primò, secunda conditione solùm prohiberi pactum de certo interesse futuro ratione lucri cessātis, vel damni emergentis. Vnde non prohibetur pactū de interesse incerto, quod postea ex mora campsarij deprehensum fuerit, vt ait Rebell. suprà, Nauar. *cap. 17. num. 301. not. 4.* Merca. 4. *de contract. cap. 12. num. 214.* Valen. 2. 2. *disp. 5. quæst. 23. pun. 4. con. 2.* Salon *tract. de camb. q. 4. art. 2. contro. 14. conclu. 3.* Læsius *lib. 2. cap. 23. dub. vlt.* & nos diximus cū Mol. & aliis *dub. 13.* vbi etiam docuimus, si pactum de certo interesse fiat, vbi Bulla hæc recepta est, pactum esse illicitum, sed non irritum, & Bullam hanc non fundari in falsa præsumptione vsuræ, vt existimauit Nauar. *in Manuali. nu. 301.* sed in vero periculo quod vitare volens simpliciter prohibet quædam pacta in quibus vidit periculum contineri: vbi verò Bulla hæc recepta non est, vel ante illam, licitum est in cābio, & in aliis contractibus de certo interesse verisimili, ratione cuius periculi pretium recipi potest, siue lucrum cesset, siue damnum emergat, siue non, vt tenet Rebellus suprà cum Nauar. suprà, & Medin. *de rest. fol. 132.* Soto *6. iust. quæst. 1. art. 3.*

SECVNDO nota, tertiam conditionem ita debere intelligi, non licere ad secundas nūdinas dare cum maiori lucro, quàm ad proximas, cum pari tamen licere. Ita Læsius *illo dub. vlt. num. 91.* Vega *in Summa, & Epito. casu 29.* Molin. *disp. 404.* Nauar. *illo num. 301.* licèt Valen. 2. 2. suprà dicat, nec cum pari licere, nisi instante campsuario.

TERTIO nota circa eādem conditionem cum Læsio ibi; si quis ratione veri interesse plus exigeret, quando ad secundas nundinas concedit, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra hanc Bullam, vbi ea est recepta, & puniretur in foro externo tanquam vsurarius; non tamen teneretur ad restitutionem ante sententiam Iudicis. Ratio est, quia in re nulla est facta inæqualitas.

QVARTO nota cum Molina *illa disp. 404.* si proximæ nundinæ tam parum distarent à tempore in quo cambium sumitur, vt literæ cambij peruenire non possent ad eas proximas nundinas, vt in eis solutio fiat, tunc in hac Bulla non eas intelligendas esse proximas nundi-

Digitized by Google

nas, sed quæ post illas sequerentur: quoniam sermo est de proximis nundinis, in quibus possit fieri solutio.

QVINTO nota circa quartam conditionem cum Læsio §. *num.* 92. non improbari hîc terminum solutionum in nūdinis, qui sæpe triplo, vel sextuplo sunt longiores, quàm locorum intercapedo postulet, quia non possunt illis locis commodè alij termini constitui: sed de terminis extra nundinas. Videtur autem tacitè improbari consuetudo illa qua campsores eo amplius lucrantur, quo longius est tempus ante nundinas. Verùm probabile est, non improbari, quando illa variatio fit communi mercatorum iudicio, idque ob causas, quæ communiter ipsis videntur æquæ, de quibus dixi *dub.* 18.

SEXTO nota cum Læsio *illo dub. vlt. num.* 93. hanc Bullam paucis locis, & fortè nusquam esse receptam, saltem quoad omnes conditiones. Quanuis Rebell. *de oblig. iust.* referat leges Lusitanas præcepisse vt Pij V. Bulla de cambiis edita anno 571. seruetur in iis in quibus leges ipsæ aliud non disponunt.

Num. 3. HINC patet quid veri habeat, quod dicit Ledesma *2. part. Summæ. tract.* 8. *con.* 23. *de cambiis.* cambia quæ dicuntur *à tranca ferias* non esse licita, sed vsuraria. Pro quo aduertit, cambia inter mercatores triplicitor celebrari. Primò, literis visis, *a letras vistas.* Secundò, ad tempus determinatum, vt intra tot menses. Tertiò, ad proximas nundinas. Solet autem poni conditio, vt si solutio non fiat in proximis nundinis, maius pretium soluatur in sequentibus, & sic deinceps. Cambia hæc dicit esse iniusta, & vsuraria, quia ratione temporis augetur pretium, & non attigisse veritatis scopum Parisientes cùm dixêre esse licita, & campsores non posse allegare lucrum cessans ad hæc cambia iustificanda. Vnde concludit, tribus illis modis licitè cambia celebrari, modò non maius pretium in vno quàm in alio exigatur.

SED nec sibi constat, nec veritatem attingit: nam ipse cum Caiet. Orellana, & aliis dixerat *con.* 20. cambia quædam Olysiponensia, & similia, in quibus pretium pro maiori, vel minori temporis intercapedine variatur, licita esse, quod retulimus, & probauimus cum Læsio, Molin. & aliis *dub.* 18. sed cambia ad secundas, vel tertias nundinas cum maiori pretio, sunt huiusmodi: ergo sunt licita.

SED quæres, an si quis contra hanc Bullam de certo interesse paciscatur, ipsúmque recipiat, teneatur illud restituere? Nauar. *illo num.* 301. *notab.* 4. sic scribit: si æqua sit pretij taxatio pro compensando detrimento, tam de facto amissi interesse, quàm verisimiliter futuri, licèt postea non eueniret, putà in foro conscientiæ pretium ab initio, vel etiam postea taxatum, posse recipi, eo quòd prohibitio in præsumptione iustitiæ fundetur; si autem æqua sit taxatio pro onere, quod suscipitur à campsore, nulla cernitur iniustitia, cessatque contraria præsumptio pro foro conscientiæ, ac proinde licita est talis pretij acceptio. Num. 4.

AT verò Rebell. *de oblig. p. 2. lib. 11. quæst.* 13. ait peccare campsorem, ac fortè mortaliter si de certo interesse

ante

antequam lucrum cesset, vel damnum emergat, paciscatur. Insuper ad restitutionem obligandum, si quid vltra debitam mercedem, interesse reciperet ab initio, vel postea ante solutionem taxatum ratione verisimilis futuri siue lucri cessantis, siue damni emergentis, si postea reuerà non eueniret. Deinde, non teneri illum ad restitutionem in foro conscientiæ; si non maius interesse accepit, quàm fuerit re ipsa damnum emergens, vel lucrum cessans. Primam partem huius resolutionis bene probat, vt & nos *notab.* 1. quia id seuerè prohibet Pontifex ad tollendas occasiones peccati, vt expressè habetur in Bulla, quando autem aliquid prohibetur ad tollendas occasiones peccati, quanuis postea in particulari euentu nulla iniustitia fiat, tamen illicitè fit, quod prohibetur: ergo est peccatum mortale, vel veniale iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ. Secunda verò pars probatur ab eo, quia tunc non retinetur à campsore ad compensandum lucrum cessans, vel damnum emergens, quia nullum euenit, nec ratione alterius iusti tituli: ergo restitui debet. Tertia pars probatur, quia tunc tantùm valet detrimentum quod campsor de facto subiit: ergo cõtractus fuit iustus; & præterea non est irritatus, sed tantùm prohibitus à Pio V. ergo verè transfert dominium illius interesse, & retineri potest, vt in aliis contractibus, in quibus non est prohibitum paciscí de interesse ratione verisimilis lucri cessantis, & damni emergentis, seu ratione periculi, cui se exponit, siue eueniat id quod timetur, siue non. Sed ait Rebellus intentionem Pontificis fuisse, irritare tale pactum, atque adeò irritum censeri debere, iuxta *l. non dubium. C. de legibus.* sed certè non constat eam fuisse Pontificis intentionem, vnde & ipse Rebellus probabilem putat sententiam Nauarri *quæst. cit. num. 8.* imò & veram censuit *quæst. 13.* pro ea referens Medinam, & Sotum loquẽdo de tempore antecedenti Bullam Pij V. vt retulimus *n. 1.* & certè cũ prohibitio illa, vt cambium non fiat ad secundas, vel tertias nundinas, vel terminos non annullet contractum, in quo maius pretium recipiatur, non ita debeat intelligi, vt pactum sit nullum: ergo nec illa prohibitio paciscendi certum interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.

QVÆRES etiam, an quod ex Nauarr. Læsio, & Molina diximus *num.* 2. non prohiberi à Pio V. dari posse ad cambium soluẽdum in terminis, vel nundinis non proximis, seu ad intercalatas nundinas, sit verum vniuersè? nam Rebellus suprà ait, quanuis id sit verum quando, & vbi pretium cambiorum taxatum fuerit, eo quòd tunc omnis occasio vsuræ, & iniustitiæ cesset, ac proinde lex, quia cessante fine legis vniuersè, cessat lex: tamen vbi pretium cambij taxatum non fuerit, Nauarri limitatio non procedit, quia finis legis, qui est vitari occasiones peccatorum, non cessat, vehemẽs enim occasio & ansa præberetur campsoribus, vt ratione maioris dilationis soluendi ad intercalatas nundinas, siue terminos maius lucrum exigerent, atque adeò iniustitiam, & vsuram committerent. Neque huic legi debitor renuntiare potest, licèt in eius fauorem lata sit, quia etiam ordina *Num. 5.*

Digitized by Google

dinatur ad auferendas peccati cambiorum occasiones. Sed respondeo, etiam procedere vbi pretium cambiorum lege taxatum non est: nam si dilatio solutionis non fit cum maiori lucro, nulla est vsuræ, vel peccat occasio; ergo nulla est ratio prohibitionis, maximè cùm ea noceret tunc debitori, in cuius fauorem Bulla ordinatur: quod verò in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum, vt habet regula iuris *in 6.* cui consonat *l. quod fauore. C. de legibus.* ergo ea dilatio non est prohibita.

DVBIVM XXV.

Quibus modis bancariis consignentur pecuniæ, & quibus modis eas soluant.

SVMMARIVM.

1 *Duobus modis consignatur.*
2 *Duobus etiam modis soluitur.*

Num. 1. RESPONDEO cum Moli. *disp. 409.* duobus modis consignari. Vno modo numerata pecunia: altero in altera cãbij; & in quacũque alia litera, quã accipiũt, & ratione cuius nomine illã consignantis debeatur banco ab eo, qui illam est soluturus, quod in ea continetur. Addit Rebell. *de oblig. p. 2. q. 14. num. 4.* & in re aliqua certo venditionis pretio æstimata.

Num. 2. SOLVVNT etiam duobus modis. Vno, in pecunia numerata: altero, absque numeratione pecuniæ, vt trãsmittendo debitum in alium, qui eandem, vel maiorem summam debet banco; vel tradendo literã cambij ad alium locum, in quo potiùs is cui debetur, illam vult; vel bancario constituente se debitorem eius summæ, comparatione eius cui debet, qui illam consignare vult in eo banco, vel comparatione aliorum quos vult efficere creditores eius summę, qui illam in eo banco consignauit, aut soluendo aliud debitum, quod banco alius debeat. Hac ratione in nundinis Metinensibus, & aliis, quò multi accedunt cum literis cambij ad emendas merces necessarias, licèt multa emantur pecunia numerata, pleraque tamen chirographis peragũtur, quibusdam soluentibus chirographis pecuniarum, quæ sibi in banco debentur, aliisque eam solutionem acceptantibus, ac eam in eodem banco consignantibus; atque compensatione debitorum quorundam cum aliis; & concessione literarum cambij ad varia loca. Eadem ferè habet Bannez 2, 2. *to. 2. post q. 78. art. 4. tract. de camb. dub. 7.* Ledesma 2. *p. Summæ. tract.* 8. vbi de cambiis *post.* 10. *con.* Valen. 2, 2. *disp. 5. quæst. 23. pun. 3.*

DVBIVM XXVI.

Quibus formis literæ cambij scribantur, & soluantur, & quot sint nundinæ in Castella, & Flandria, & de bancariorũm stipendiis.

SVMMARIVM.

1 *Literæ cambij sub variis modis scribuntur.*

2. De-

Digitized by Google

2 *De quatuor nundinis.*
3 *Quid obseruet Molina.*
4 *Quid pro stipendio possit bancarius sibi sumere. Varia referuntur.*
5 *Quatuor conclusionibus Molina respondet:*
6 *Banncz aliis quatuor respondet assertionibus.*

Num. 1. RESPONDEO cum Mol. *disp.* 409. literas cambij sub variis formis scribi. In quibusdam dicitur, eo ipso quòd hæc tibi tradita fuerit, aut eam legeris, vel ad te peruenerit, aut aliud simile, solues tot, & tunc statim absque mora est ea pecunia soluenda: eiusmodi solutiones vocantur *à letra vista.* In aliis dicitur, tali die, vel post tot dies, aut menses, solues; & tunc veniente termino debet fieri solutio. In aliis dicitur, talibus nundinis, & tũc consuetudini est stãdum quoad tempus solutionis; regulariter tamen in more est positum, vt in fine nũdinarum solutio fiat, præscripto tempore finitis, aut ferè finitis nundinis, tunc dicuntur sterni mensæ solutionibus, atque aperiri cambia. Sic intelligitur Sotus 6. *iustitiæ. quæstione* 12. *articulo* 2. dicens, in Castellæ Regno quatuor præcipuas nundinas esse statutas diuisas per 4. anni tempora, quibus respondent totidem in Flandria, & aliis locis. In his nundinis cambia sumuntur ad varias alias nundinas, & alia loca, in quibus nundinæ non celebrantur, & similiter in aliis locis ad nundinis. cambia sumuntur ad has.

Num. 2. PRIMÆ harum celebrantur *Ioan. de Salas.* Metinæ campensi mense Maij, & in eis mensæ sternuntur, atque aperiuntur cambia 15. die Iulij. durántque solutiones vsque ad 10. diem Augusti. His nundinis respondent aliæ in Flandria mense Septembri; sternuntúrque mensæ, cambiáve aperiuntur 10. die Nouembris, & toto eo mense fiunt solutiones. Secundæ nundinæ celebrantur Metinæ de *Ruisseco*: in eis aperiuntur cambia 10. die Septembris, perseuerántque solutiones vsque ad 10. diem Octobris. His respondent aliæ in Flandria celebratæ sub Domini natiuitatem, & cambia in eis aperiuntur 10. die Februarij, solutionesque durant vsque ad finem mensis. Tertiæ celebrantur Metinæ campensi mense Octobri, cambiáque aperiũtur mense Decembri, & durant solutiones vsque ad finem mensis. His in Flandria respondent nundinæ Resurrectionis, in quibus cambia aperiuntur 10. die Maij, & durant solutiones per totum mẽsem. Quartæ celebrantur *Villalone*, quarum cambia in medio Quadragesimæ aperiuntur, & perseuerãt vsque ad Resurrectionem, eis respondent in Flandria nundinæ Iunij, quarum cambia mense Augusti aperiuntur, & perseuerant vsque ad finem mensis.

Num. 3. ALIQVANDO 4. nundinæ, quæ in Castella celebrantur, præsertim illæ quæ Metinæ campensi, iussu Regis protrahuntur vt plus durent, vel quousque appellat classis ex nouo orbe, vel aliis de causis. A nundinis Castellæ ad nundinas Flandriæ solùm conceduntur tres menses, videlicet vsque

ad proximas nundinas Flandriæ, quia id tempus videtur sufficiens ad transmissionem literarum. Idem tẽpus conceditur à nundinis Flandriæ vsque ad proximas nũdinas Castellæ. Hæc Sotus. quæ tamen nó ita intelligit Molina, quasi in principio nundinarum, & reliquo anni tempore non sumatur pecunia numerata ad cambium, si ita fuerit necesse, vel quasi literæ transmissæ, vt certa die, aut statim soluantur, soluendæ non sint tempore illo præscripto in pecunia numerata, sed quoniam literæ, quæ solutionem in nundinis præscribunt, intelligendæ sunt, quando mensæ earum nundinarum sternuntur, & cambia aperiuntur.

OBSERVAT etiam Mol. cui concinit Sotus *6. iust. q. 11. art. vnico.* & Rebell. *de oblig. p. 2. q. 14. n. 4. in fin.* non censeri aliquem in nundinis emere creditò, si soluat consi. nando pretiũ in banco, esto non soluat pecunia statim numerata: quoniam bãcarius saltem in nundinarum fine soluturus est pecunia numerata, quidquid computatis omnibus restauerit soluendum. Idem est, si merces emat consignando preces in quocunque alio, qui tandem eo modo, quo bancarius, est soluturus. Solùm ergo in nundinis emere censetur quis creditò, si emat pretio soluendo alio tẽpore.

OBSERVAT etiam, literas cambij regulariter non mitti ad bancarium, sed ad correspondentem, qui pecuniam eis contentam soluat, aut recipiat. Correspondens autem cõsignat eas literas in bãco, vt bancarius tempore literis præscripto soluat, aut recipiat: certum tamen est literas ad soluturum destinari, per eum tamen qui solutionem recepturus est, vt eas soluturus acceptet, & soluat; de quo etiam immediatè ad eum missis moneri solet ab eo pro quo solutionem est recepturus.

EST alicubi cõsuetudo, teste Mercado *de camb. c. 13.* Nauar. *super c. fin. de vsuris. n. 37. & sequentibus, & in Manu. c. 17. n. 293.* vt bancarius ex qualibet summa, quam soluit numerata pecunia, accipiat pro mercede 5. aut 6. pro mille: secus si alio modo soluat. Atque hac de causa qui merces vendunt iis, qui pretium consignaturi sunt in banco, cariùs eas illis vendunt, quia tempore solutionis in pecunia numerata acceptur us est bancarius 5. aut 6. pro mille, & quia expectaturi sunt solutionem vsque ad finem nundinarum.

OBSERVAT præterea Mol. quãdo quis pecuniam numeratam apud bancarium deposuit, si velit illam sibi extrahere, nihil dare bancario. Similiter si literas cambij, vel alias mittat, vt ex illa sua pecunia aliquid alicui detur, nihil dat bãcario: quin potiùs fertur bancarium aliquibus in locis ob lucrum magnum, quod v u pecunię depositæ reportat, solere tradere deponenti interesse aliquod, putà ad rationem quotannis 4. vel 5. pro mille: & in quibusdam aliis qui deponit in pecunia numerata 10. millia ducatorum, habet creditum pro aliis 5. nimirum bancario se obligante ad soluendum etiam illa 5. si deponens cætera, literas pro illis etiam mittat. Sotus *6. iust. quæst. 11. art. vnico. ad fin.* hoc secundum approbat; vtrumque tamen

Digitized by Google

men ex natura rei esse vsurarium, si ex pacto,& non ex animo liberali & grato faciat, docet Molina suprà cum Nauar. *cap. fin. de vsur. n. 4. & in Manu. c. 17. n. 293.* & Mercad. *de cambiis. c. 13.* Ledesma *2. p. Sum. tract. 8. con. 12. de cambiis.* quoniam est lucrū ex mutuo, cùm illud genus depositi mutuum sit. Si autem bancarius ex animo grato id præstet in recompēsationem beneficij accepti, animóque ea via alliciendi deponentem ad continuandum depositum, neque vsura est, neque peccatum, non interueniente scandalo;& sic intellexit Sotus suum dictum.

QVOD paulo antè diximus, alicubi esse in more, bancarium, quando soluit numerata pecunia, accipere ad rationem 5. aut 6. pro mille, intelligit Mercadus *illo c. 13.* quādo is qui literas cambij transmittit, nullū depositum habet apud eum bancarium, tunc enim vt bācarius se obliget ad solutionem eius pecuniæ in fine nundinarum, consuetudine in aliquibus locis receptum est, vt recipiat ad rationem 5. aut 6. pro mille, quæ ita in pecunia numerata soluerit, idque vltra stipendium, quod alioqui solet accipere pro expediēdis illorum negotiis, qui suum cambium frequentant. Dixerat autem Molina *disp.* 408. hos bancarios in fine nundinarum ab vnoquoque qui apud illos deposuēre pecuniam, quorúmque literis susceptis soluunt, recipere præmium sui laboris, plus, aut minùs, prout quisque plura, aut pauciora negotia in suo banco expedierit, nempe ab vno ducatos 8. ab alio 10. ab aliis plus, vel minus. Scribit autem Mercadus ordinariè valere illis hæc salaria 1500. aut 2000. ducatos in singulis nundinis. Præter hæc igitur salaria recipiunt 5. aut 6. pro mille ab illis qui nihil pecuniæ apud illos deposuēre, quando in pecunia numerata pro illis soluunt,& ait Mercadus esse iustum titulum; quia sicut fideiussor accipere potest pretium competens pro obligatione quam in se suscipit fideiubendo pro alio, vt *disp. 319.* tractat Molina; ita bancarius, vt in se onus suscipiat soluendi pecuniam in fine nundinarum loco eius qui transmittit literas, iustè accipit pretium illud ab eodem, quod etiam licitum arbitratur Sotus *6. iustitiæ. quæstione 11. articulo vnico.* & innuit legem in Castella esse, qua 6. illa bancario sint concessa, quando pecuniam numerat & ab eo soluenda cui numerat; cui legi consonat consuetudo, & tacitus consensus Reip. Sotum sequitur Graf. *tom. 1. decisionum. capite 110. numero 8.* Vega *in Summa, & Epitom. verb. cambium. casu 45.* meritò tamen Nauarr. *in Commentar. capite fin. de vsuris. numero 37. & 30.* id reprehendit, quia si quid antea de ea re sancitum à Ferdinando, & Elisabetha fuerat, ab eisdem fuit reuocatum *leg. 5. titulo 18. lib. 5. nouæ collect.* Nauarrus *ibi, & in Manuali. capite 17. num. 293.* absolutè damnat consuetudinem accipiendi 5. aut 6. pro mille ab iis quibus pecunia numeratur ex præscripto eius qui pecuniam in banco consignauit, & ait, bancarium debere illam illis restituere, nisi quando is cui est soluenda pecunia, vendidit merces cariùs ratione illius grauaminis, quod erat

Digitized by Google

subiturus, aut quando merè gratis condonare voluêre ea 5. aut 6. bancario: quod non est præsumendum. Ducitur, quoniam operas, quas bancarius impendit, & si quid facit pretio æstimabile, id totum facit in obsequium eius quæ præscripsit, vt eam pecuniam solueret, & cuius vices subit: quare solùm ab eo potest stipendium petere, non verò ab eo, cui pecuniam numerat. Idem ait Bar. Medina *Summa. c. 14. §. 24.* & Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 23. pun. 3.* & probat, quia vel nummularius recipit illud stipendium propter laborem numerandi pecuniam: & hoc non, quia eum laborem suscipit gratiâ sui, ne erret plus soluendo, nō ratione creditoris, qui mallet solus pecunias numerare, vel propter laborem custodiendi pecuniam: & hoc non, nam iste labor solùm suscipitur in gratiam deponentis: ergo is solùm debet illum compensare, non creditor, cui fit solutio. Nec verum esse putat, quod Sotus insinuat, Rempub. in eo consentire, vt is cui numeratur pecunia, soluat nummulario stipendiū: nō enim cōsentit, vt qui nō sūt iure grauādi, grauentur. Hæc Val. Idē tenet Toletus *5. Sum. c. 54. n. 4.* cuius verba referam *dub. 39.*

Num. 4. Molina verò distinctiùs respōdet quatuor conclusionibus. Prima, quando bācarius suscipit in se obligationem soluendi in fine nundinarum loco alicuius pecuniam, quā is non habet depositam apud bancarium, non videtur damnandum, quòd bancarius accipit 5. aut 6. pro mille, præsertim vbi id in more est: quoniam habet ad id iustum titulum, nempe suscipere in se obligationem illam, vt Sotus & Mercadus rectè affirmant.

Secunda conclusio, interesse illud formaliter, aut virtute is soluere debet, cuius nomine pecunia illa primò consignatur in banco. Probatur ratione Nauarri, quia reuerà onus illud, quod bancarius subit, loco illius, & in gratiam illius id subit: ergo ille soluere debet stipendium, vel per se, vel medio illo, cui pecunia numeratur, videlicet numerando ei plusquàm numerari deberet, vt inde bancario soluat.

Tertia conclusio; quando mille tantùm soluenda in pecunia numerata, & ipsi debita, alicui cōsignātur in banco; nihilominùs bācarius potest ex illis mille accipere suum stipendium; eo quòd ea lege censetur voluisse se obligare ad eam solutionem, vt ex pecunia numeranda acciperet stipendium: is tamen cui integra debebatur, ius habet aduersùs eum, qui illam consignauit, vt sibi restituat stipendium, quod bancarius inde accepit, qui sanè tenetur id ei soluere.

Quarta conclusio; quando non præcessit obligatio, quam bancarius in se susciperet pro pecunia, quam nomine alterius numeraret, ac solueret, nihil potest detrahere de pecunia, quam numerat, ac soluit, sed contentus esse debet stipendio, quod alioqui accipere ab eo debet, cuius negotia agit, & quo dignus est pro obsequiis, quæ in illius gratiam præstat. Probatur, quia nullum habet titulum accipiendi ab eo cui numeratur pecunia.

Num. 5. Alium bancariorū abusum ponit Mol. Quando enim pecunia aliqua cōsignata est in suo banco soluenda in fine nundinarum, si is, cui primò est

est consignata, aut alij, à quibus hic merces emit, quósque creditores debiti illius loco sui constituit, aliquando pecuniam velint ante finem nundinarum, solent nonnunquam bancarij eam illis dare ea lege, vt soluant interesse cum quo eo tempore daretur ad cambium ad aliqua loca, aut quoduis aliud interesse; quod est vsurarium cum onere restituendi, quoniam anticipata ea solutio virtute est mutuum, atque adeò vsura est quidquid ea de causa accipitur, nisi fortè accipiatur ob æquale lucrum, quod re ipsa & actu ex eo bancario cesset, quòd anticipata solutio fiat, quod rarò euenit.

LONGE maiori cum ratione dicendum est, peccare, & ad restitutionem teneri, quando iam tempus pecuniæ numerandæ aduenit, & ne solutionem differant, continuóque creditorem expediant, aliquid ab eo accipiunt: quod enim ita accipiunt, totum est inuoluntarium mixtè, iniustéque acceptum, nisi de liberali animo dantis constet.

TERTIAM conclusionem tenet etiam Rebell. *2. p. de oblig. lib. 11. q. 14. num. 3.* dicens, peccare contra iustitiam bancarium, qui exigit mercedem ab eo cui soluit pecuniam nomine eius, qui eã in eius bãco habet. Quanuis ipse à peccato regulariter excusaretur, si aliquid eiusdem pecuniæ retineret ad iustam suæ mercedis compensationem, præsertim si suum stipẽdium recuperare non valeret, vel id ipsum vt faceret à deponente fuisset significatum, esto creditor eandem sui debiti partem à deponente obtinere non posset. & *n. 4.* docet primam conclusionem cum Mercato *libro de cambiis, capite 13.*

CONSONA tex parte prædictis Bãnez *2. 2. to. 2. tract. de camb. dub. 7. & 8.* quẽ sequuntur Ioann. Bapt. Corrad. *tract. de cambiis.* & Ledesma *2. p. Sum. tract. 3.* vbi de camb. *con. 11. & sequentib.* vbi ponit. Bannez quatuor conclusiones. Prima est. Bancarius si certò scit rem venditam mille mercatori habenti pecuniam in sũo banco, non valere nisi 994. vel 995. potest detraheri venditori, cui mille consignata sunt in eo banco, quinque, aut sex, vt stipendium sibi à mercatore debitum; nam quinque, vel sex, quæ accipit mẽsarius sibi, ad mercatorẽ pertinẽt qui debet ei stipẽdium æquale: ergo tanquã stipendiũ sibi à mercatore debitũ potest illa accipere; in qua cõclusione manifesta cõueniunt Nauarr. & Molina suprà. Num. 6.

SECUNDA conclusio eius est. Non est sufficiens titulus ad excusãdum mensarium, & mercatorem, quòd istæ remissiones fiant inter ipsosmet mercatores, qui interdum sunt mercatores, interdum venditores. Dicunt enim aliqui, quòd mensarius iustè recipit à venditoribus, quibus pecuniam numerat, quinque, vt interdum quando sit mercator, impẽdat illis suam operam. Bannez autem dicit, hunc titulum primò deficere, quia non est vniuersalis ad omnes venditores, vt quando agricola vendit oues, & remittitur ad bancum pro solutione. Secundò, quia non semper mercator, & venditor habent pecunias apud eũdem mensarium. Tertiò, quia non toties est aliquis mercator, quoties venditor, quæ omnia necessaria erãt ad æqualitatem iustitiæ ratione huius tituli, & ad hoc, vt talis mensarius posset iustè illa quinque recipere à venditore;

tore; quanuis Ledesma suprà censeat hunc secundum titulum aliquando sufficere.

TERTIA illius conclusio. Verosimilis titulus ad excusandum mensarios est, quòd illorum officium est necessarium ad negotiationes emptionis, & venditionis, etenim si non esset tale officium, non possent recipere pecuniam numeratam, eo quòd mercatores non possunt pecunias ad tam varia loca secum deferre, & ideo quasi ex publico condicto, decretum est stipendium mensariis soluendum etiam à venditoribus, nempe 5. pro mille sibi numeratis: & quanuis hæc pragmatica fuerit reuocata per *l. 5. tit. 18. lib. 5. nouæ compil.* tamen huic legi derogasse videtur contraria consuetudo. Nec mirum, quòd venditores soluãt bancario aliquid, cùm officium eius cedat in bonum etiam venditorum: & ita tenet Ledesm. *illa con.* 11. cum Orellana.

QVARTA conclusio. Optimus titulus ad excusandum mensarios recipientes 5. pro mille quæ numerant venditoribus est, illa quinque se recipere à mercatoribus, & campsoribus, quorum pecuniam custodiunt; quia hac ratione recipit mensarius pecunias custodiendas, vt quoties campsor, vel mercator numerat mille venditori, vel alteri, superaddat quinque mensario accipienda ex pecunia mercatoris, vel campsoris, quod manifestari debet venditoribus, si ignorare id præsumantur, nec tenetur mensarius examinare an iustũ pretium rei vẽditæ sint mille præcisè, an mille exceptis 5. sed ipse venditor videat an mercator illa via sibi satisfaciat. In hac cõclusione conuenit etiam Mol. sed si, vt isti dicunt, mensarius ex pecunia campsoris, & mercatoris acceptus est 5. pro mille numeratis venditori, quid opus est ea inuoluere cum pecunia consignata venditori? nisi fortè vt si fuerit imperitus, fraudari possit illis quinque à mercatoribus, & campsoribus, aut lites cum illis habere pro illis quinque. Deinde, licèt iuxta tertiã conclusionẽ defenderemus bãcarios posse à vẽditoribus aliquid accipere, quia officiũ eorum etiam cedit in bonum eorũ, tamẽ sufficeret soluere medietatem illorum 5. vt etiam ait Bannez: cur ergo ab illis quinque exiguntur? Certè deberent Principes lege aliqua declarare, aut decernere, quantùm, & à quibus, & quo pacto bancarij possint exigere.

REFERT ibidem Bannez *dub. 7. ad vltimum*, sententiam asserẽtium, vsurarium esse quòd mercatores, & eãpsores exigant aliquid à mensariis, apud quos pecuniam deponunt custodiẽdam, & ipse ait esse iniquum, non tamen vsurarium: quia pecunia non datur illis mutuò, sed in custodiã, pro qua cùm deberent accipere stipendium, iniquè grauantur exigentibus aliis ab illis pretium. Idem cum Orellana tenet Petrus Ledesma suprà *conditio. 12.* Vega *in Summ. & Epit. verbo. cambium. casu* 44. Si verò mercatores excusent se dicentes, ipsos soluere mensariis stipendium, nempe 5. pro mille, sed quia stipendium est excessiuum, defalcare aliquod pretium ab illo stipendio, vel aliquid pretio æstimabile, scilicet fideiussionem, vt iustum tantùm mensariis maneat stipendium ministerij sui; ait Bannez, si hæc

Digitized by Google

hæc narratio vera est, nullã mensariis iniustitiam fieri; suspicari se tamen, verã non esse, & ideo mensariis iniustitiam fieri, quam ipsi patiuntur, vt aliam maiorem irrogent ipsis negotiatoribus, & maiorem vtilitatem capiant. Iam verò diximus cum Molina, & Nauar. depositionem pecuniæ cum facultate facta depositario vtendi pecunia, mutuum inuoluere, & pecuniam facere depositarij, & nihilominùs pro illa custodia posse stipendium accipere, & vsuram esse ab illo aliquid exigere; quanuis si deponentes maneant domini, per cõtractum societatis & assecurationis possint aliquid ab illo exigere. De stipendiis bancariorum dixi alia *dub.* 20. Iniquum verò esse aliquid demere de pecunia creditoribus numeranda, vt citiùs eam numerent illis quàm aliis, docet Vega *in Summa & Epito. casu* 44.

DVBIVM XXVII.

Vtrùm pro impuriori moneta eiusdem valoris legalis in eodem, vel diuersis locis puriorem accipere liceat?

SVMMARIVM.

1 *Respondet Bannez affirmatiuè.*
2 *Hæc sententia videtur contra Sotum.*
3 *Reuerà Sotus aduersatur Bannez. Bannez autem respondet.*

Num. 1. RESPONDET Bannez 2.2.to. 2. *tract. de cambiis. dub. 6. con. 1.* quem sequitur Corradus *in fin. Sum. tract. de camb.* & Lodesm. 2. *p. Summ. tract. de iust. commut.* agens de cambiis, posse puriorẽ pro minùs pura licite commutari, siue eodem loco, siue diuersis, nam sunt æquales in ratione mensuræ rerum venalium, & solutionum, licèt pro vna posset maius pretium exigi quàm pro alia propter maiorem commoditatem vnius quàm alterius, vt agendo de cambio minuto dictum est.

Num 2. HÆC sententia videtur contra Sotum 6. *iust. q.* 12. *art.* 1. *con.* 1. vbi ait: cambire monetam minoris valoris, hoc est, inferioris gradus auri, vel argenti pro alia superiori, nisi compensatione intercedente, est manifesta iniquitas. Hoc patet primùm, si in eadem fiat ciuitate, vt si coronas, quod deterius est aurum, pro auro ducatorum, aut Castellanorum eiusdem ponderis, quod longè purius est, commutares. Nam perinde est, ac si triticum, aut vinum, aut æs, aut cuprum pro alio cambires quod esset ex natura sua melius. Idem ergo si Parisiis mille scuta Gallica aliquis numeraret, vt sibi in Hispania tot puri ducati rependerentur. Res est plana, si excessus est alicuius momenti. Nam cambire ducatum Hispanum pro Hungaro, qui licèt sit pretiosior, eodẽ apud nos argento æstimatur, nihil habet iniustitiæ. Hæc Sotus. Nihilominùs Bannez non existimat Sotum reuerà sibi aduersari: quia ille loquitur de permutatione pro alia pecunia secundùm pondus, quod vulgò dicitur *à peso*, quòd si aliter intelligat, nos falsam reputamus illam sententiam: est enim manifestum exemplũ in Regno; erat enim pecunia quædam quæ vulgò dicebatur *tarja de a veinte*, & alia dicebatur

tur *tarja de a diez*, quarum duæ in ratione pecuniæ tanti æstimabantur, sicut vna *de a veinte*, licèt minùs haberent argenti, vnde postea per legem factæ sunt *de a nueue*, & sic minutæ sunt in pretio. Idem exemplum posset Bannez ponere *en el real de a 8. segoriano*, quod minùs argenti habet quàm Mexicanum, tamen pro illo commutatur, quia eiusdem est legalis æstimationis.

Num. 3. Sed reuerà Sotus expressè aduersatur Magistro Bannez, vt patet ex verbis citatis, nam loquitur de monetis eiusdem ponderis, sed inæqualibus in puritate, & bonitate metalli, & negat inferiorem sine compensatione posse pro puriori commutari, & probat exempio tritici; nam triticum minùs bonum non potest sine compensatione commutari pro deteriori, licèt eadem sit vtriusque mensura. Sed respondet Bannez primò, non esse simile: nam triticum minùs bonum non tanti æstimatur in foro sicut melius; pecunia autem ex auro minùs puro tanti æstimatur in taxatione legitima quanti pecunia ex auro puriori. Secundò, quòd si triticum minùs bonum tanti æstimatur in foro quanti magis bonum, licitum erit pro magis bono illud commutare. Hoc tamen (inquit) non obstat, quominùs qui habet melius triticum, possit illud permutare cum illo qui habet minùs bonum triticum, exigendo aliquod pretium pro illa commoditate, qua se priuat, modò absit fraus, & dolus contra pragmaticam frumentariam; si enim fraus adsit, erit illicita permutatio propter malum finem. v. g. si Petrus erat venditurus facilè triticum optimum, & eadem facilitate vendit minùs bonum, non erit ei licitum permutare illud cum tritico minùs bono Pauli, exigendo ab illo maiorem mensuram tritici: hæc enim est fraus contra pragmaticam. Hæc Bãnez. Sed Ledesm. 2. p. *Summæ. tract. 8. con. 9. de camb.* Soto consentit dicens: commutare pecuniam auri minùs pretiosi, & puri sine vlla recompensatione est iniustitia, siue fiat commutatio, & cambium in eadem Prouincia, siue ab vna in aliam prouinciam, vt quando commutatur scuta in Hispania *por doblones o cruzados de Portugal*, nulla facta recompensatione ex parte dantis scuta, est iniustitia. Oportet igitur addere aliquid iuxta qualitatem auri. Ratio est, quia dans scuta minùs dat, quàm recipit: ergo hic cõtractus est iniustus. Confirmatur: nam qui commutat vinum pretiosius pro viliori, vel oleum, nulla facta compensatione, peccat mortaliter peccato iniustitiæ, & tenetur ad restitutionem: ergo idem est in nostro casu, quia eadem est ratio. Et hæc conclusio vera est etiam, quando moneta deficit in pondere, vel figura, & commutatur pro moneta integra, & perfecta, licèt commutatio fiat ad æqualitatem sine alio interesse: quia quanuis substantia auri sit æqualis in hac commutatione, & cambio, quantitas tamen est inæqualis, & sic quantùm ad hoc interuenit iniustitia. Hæc ille.

DVBIVM XXVIII.

An commutare pecuniam in vno loco, pro eadem vel simili reddenda in alio loco, vbi pluris æstimatur in ratione pecuniæ, licitum sit?

S V M.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Respondet Bannez iniquum esse, & obiectionib⁹ occurritur.*

Num. 1. RESPONDET Bannez 2.2. *tom.2.tract.de camb.dub.6.con. 2.* iniquum esse, vt si Petrus Salmanticæ det Paulo 100. aureos reddendos Romæ, vbi pluribus argenteis æstimantur. Patet, quia recipit Petrus amplius quàm dat: ergo est iniquus. Idem tenet Petrus Ledes. 2. *p. Summæ. tract.* 8. vbi agit de *camb. con.* 10. & dicit esse omnium. Si obiicias, licitum est dare frumẽtum, vt simile, vel idem reddatur in quantitate, etiamsi in loco, & tempore vbi redditur, pluris æstimetur: ergo licitũ erit recipere tot aureos permutatos, etiamsi pluris æstimentur, vbi reddendi sunt. Respondet Bannez negando consequentiam, quia semper manet idem secundùm vsũ & cõmoditatẽ, licèt nõ pretium: at verò pecunia nõ manet eadẽ secũdùm commoditatem variato pretio.

OBIICIES secundò, quia Petrus poterat pecunias suas asportare Romam, & ibi permutare pretio currente: ergo potest exigere à Paulo, vt det eas Romæ in tanto numero sicut accepit. Bannez negat consequẽtiam, quia contractus permutationis pecuniæ ratione loci, non est cõtractus asportationi: nam in cõtractu asportationis asportator nõ efficitur dominus pecuniæ: at verò in cõtractu permutationis, qui eã recipit statim efficitur dominus pecuniæ, vnde nõ debet eã recipere maiori æstimatione, quàm valeat in loco vbi recipit. Exemplum est. Poterat Petrus suas merces asportare Romã soluto pretio portatori, & ibi eas vendere pretio currẽte Romæ: at verò si Salmaticæ vendat, & tradat portatori, nõ potest ab eo exigere pretiũ quod Romæ currit. Ita pecunia permutata non debet æstimari pluris, quàm valeat vbi traditur. Eodem modo respondet Ledesma suprà.

DVBIVM XXIX.

An commutatam, vel mutuò datam pecuniam, eandem, vel similẽ exigere, quando Princeps auxit pretium illius, iniquum sit?

SVMMARIVM.

1 *Respondet Bannez iniquum esse, & obiectioni satisfacit.*

2 *Quid alij Doctores sentiant n. 3.*

RESPONDET Bannez 2.2. *tom. 2. tract. de camb. dub. 6. con. 3.* iniquũ esse. v. g. Petrus mutuauit Paulo 100. scuta, quorum singula valebant 400. dispondia, postea verò euexit scuta Rex ad valorem 12. argenteorum, tunc Petrus nõ potest exigere à Paulo 100. scuta, sed pauciora, quia si exigeret 100. plus exigeret, quàm dedit in ratione pecuniæ; vt si Petrus mutuasset Paulo fanecam tritici, & illa augeatur, nõ potest Petrus illam integram exigere, quia aucta est mensura: ita in casu proposito non potest recipere tot scuta, quia auctum est scutum in ratione mẽsuræ. Idẽ tenet Ledes. 1. *p. Summæ tract. 8. con. 11. de camb.* Sed obiicit sibi: quia licitum est mutuò dare alicui fanecam tritici tempore, quo valet 10. argenteos, licèt postea valeat 14. Ergo idem est in scutis, quia eadẽ ratio militat. Respõdet, nõ esse eandẽ rationem, quia licèt augeatur pretium tritici, semper substancia est eadem, idémque vsus, quando

Digitized by Google

verò pretiũ monetæ variatur, licèt maneat idem metallum, & eadem moneta materialiter, non tamẽ formaliter, & in ratione pretij, & mensuræ rerum venalium, & ita non potest exigi eadem moneta materialiter. Exemplum est. Si quis fanecam tritici mutuò daret quando 10. modios habet, & postea Princeps statueret 12. habere, non posset exigi à mutuatario integra, quia variata est in ratione mensuræ. Quanuis si pactum fuisset inter campsorem, & cãpsarium de reddenda eadem moneta, siue pretium esset auctum, siue diminutum à Principe; quia tũc æqualis esset contractus si æqualis esset spes, vel timor augmenti, & decrementi. Item si campsor potuit verisimiliter existimare euehendam esse breui, poterat vt indemnem se seruaret, exigere eadem scuta, etiamsi aucta fuerint in pretio; vt qui seruaturus erat triticum in tempus quo plus valeret, potest deducere in pactum maius pretium, quàm nunc valeat. Item licèt campsor non coniecisset augẽdum esse pretium, si tam breui est auctum, vt esset verisimile scuta non esse à campsore distrahẽda, tenetur campsarius, non de rigore sed de æquitate, totidem reddere, poteritque campsor tuta conscientia eadem recipere.

Num. 2. CIRCA hoc sic ferè loquitur Emanuel 2. *p. Sum. c. 105. n. 2. & sequentibus.* vbi ait: si is qui mutuò dedit monetam auream, seruaturus eam erat in tempus augmenti, potest exigere, vt eadem aucta reddatur, similiter si in pactum deduxit vt eadem in specie redderetur, siue ascenderet, siue descenderet in pretio: extra hos casus sufficit reddere valorem quẽ habebat moneta tempore mutuationis, siue tempore euectionis perseueret moneta apud mutuatarium, siue non, quidquid dicant Bartol. & Nauarr. contra quos tenent Sotus, & Ludouicus Lopez. Qui autem mutuò dat pecuniam, quam volebat commutare, vel mittere in locum, vbi pluris æstimatur, potest deducere in pactum illud augmentum valoris deductis expensis, quia mutuanti est licitum in pactum deducere lucrum cessans. Si tempore, quo campsor acceptam pecuniam debet alibi reddere, ibi est habitura maiorem valorem, potest hac ratione pretium cambij augere. Si tempore solutionis creuit in valore oleum, vel triticum, Sotus, Nauarr. & Mercad. censent reddendam mẽsuram eandem, & eiusdem valoris naturalis. Couar. & idem Nauarrus sibi contrarius, Scotus, & alij quos citat, & sequitur Petrus Nauarra, contrarium docent. Sed ego dico, si erat dubium an res esset augenda in pretio, vel minuenda, eadem mensura, & eiusdem valoris naturalis reddenda est, siue augeatur, siue minuatur, nisi esset eam seruaturus in tẽpus maioris valoris, & deduxit in pactum vt ille maior valor redderetur. Hæc ibi Eman. Sed magis pertinent ad tractatum de emptione, vẽditione, mutuo, & vsuris, quàm ad tractatum de cambiis, quanuis & ad hunc possint accommodari: nam etiam in cambio haberi potest ratio augmenti legalis, vel vulgaris monetæ, futuræ tempore solutionis, sicut in emptione, & venditione mercium, vel mutuatione.

ANGLES *quæstione de camb. art. 5.* Num. 3. *dubio 4.* siquis det 100. scuta, vt totidem

tidem reddantur quando pretium fuerit auctum, vel probabilius putans augendum, contractus est vsurarius: si verò sub hac conditione, vt totidem reddantur siue pretium fuerit auctum, siue diminutũ, cõtractus est iustus, vt etiam in tritico, quãdo æquè probabile est futurum esse incrementum, vel decrementũ, vel erat seruandum vsque ad tale tempus, ait hanc Syl. doctrinam esse contrariam Soto docenti, mutuantẽ qui simpliciter mutuò dedit 100. scuta non posse totidem exigere si pretium postea augeatur.

DVBIVM XXX.

An campsor faciat contra iustitiam cũ onere restituendi, si initio nundinarum quando apud alios est copia pecuniæ cambiendæ, pecuniam suam abscondat, vt aucto pretio cambij, illam manifestet, & maiorem quæstum faciat?

SVMMARIVM.

1 *Ledesma affirmatiuè respondet, cuius conclusio declaratur.*
2 *Quid sentiat Toletus.*

Num. 1. LEDESMA 2. *p. Summa. tract. 8. de iusti. commut.* vbi agit de cãbiis *con. 19.* sic loquitur. Non est contra iustitiam commutatiuam, quòd campsor suam pecuniam abscondat seruaturus in aliud tempus, in quo plus valebit: licèt sit contra bonum commune, & publicum, & iustitiam legalem. Declaratur conclusio: solent homines in negotiatione callidiores quando videt initio nundinarum forum esse prosperum, & abundans pecunia, dare ad cambium pecuniam suam, vt per eam moderatè lucrentur, si autẽ vident esse pecuniæ penuriam, ipsi abscondunt suam pecuniam, vt sic pretium cambij augeatur, & tunc eam manifestant, & amplius lucrantur. Dicimus ergo hoc non esse contra iustitiam commutatiuam; esse tamẽ contra legalem. Prima pars probatur, quia sic occultare alias merces non est contra iustitiam commutatiuam, vt occultare, & seruare triticum vsque ad mensem Maij: ergo idem est de pecunia, quia eadem est ratio. Secunda pars probatur, quia in tali euentu augetur maximè pretium cambij cum ingenti damno Reip. ergo est mortale contra iustitiam legalem, vt esset occultare triticum in graui necessitate Reip. Ex prima parte cõclusionis infert, eiusmodi campsores in tali euentu non teneri ad restitutionem, quia non peccant contra iustitiam commutatiuam: ex secunda verò Iudices qui in tali euentu non compellerent campsores ad manifestandam, & cãbiendam suam pecuniam, peccare grauissimè, quia ex officio, & iustitia commutatiua tenentur bonum publicum procurare: cui aduersatur tunc pecuniam occultare. Tenentur ergo compellere campsores ad manifestandam, & cambiendam pecuniam, sicut tenentur tempore famis diuites compellere, vt triticum manifestent, & vendant. Inde infert Ledesma tertiò hos teneri ad restituẽda omnia damna secuta ex eorum negligentia: quia illa negligẽtia est contra iustitiam commutationem,

Digitized by Google

& obligationem officij sui: violatio autem iustitiæ commutatiuæ ad restituenda sequentia damna astringit: ergo.

SED Toletus *lib. 5. cap. 53. num. 2.* innuit campsores abscondentes pecuniam, vt pretium augeatur, peccare contra iustitiam commutatiuam, ac proinde teneri ad restitutionem augmenti.

DVBIVM XXXI.

An qui dat pecuniam ad cambium in aliud proximum Regnum, possit paciſci cum campsore, vt literæ non soluantur nisi post tres menses; eo tamen pacto, vt stipendium nullum pro cambio detur campsori?

SVMMARIVM.

1 *Declaratur titulus.*
2 *Conclusio negatiua.*

Num. 1. VERBI gratiâ, finitis Metinæ nundinis habet quis mille scuta quæ cupit habere Valentiæ, petit à campsore, vel bancario, vt ea per literas cambij transferat Valentiam, ille non vult nisi ei tres menses ad solutionem Valentiæ faciendam concedantur, potestne petens cambium concedere eos menses ea conditione, vt bancarius ab eo nullum exigat stipendium?

Num. 2. RESPONDEO, non posse, quia est propter dilationem solutionis, quæ dilatio mutuum virtuale est, exigere scilicet aliquid pretio æstimabile, nempe nullum stipendium bancario soluere propter traiectionem. ergo est vsura: Ita docent Eman. Rodrigu. *2. p. Summ. c. 104. n. 2.* Ang. *in florib. 4. q. de camb. art. 4. de cambio per literas. difficul. 1 con. 2.* Vega *in Epito. & Summa. verb. cambium. casu 4. & 5.* Ludouic. Lop. *in Instruct. negot. lib. 2. cap. 4.* contra Garsiam, qui ex parte vult à peccato excusare contractum istum.

NEQVE præsumitur in hoc casu mensarium donare pretium, & stipendium sibi debitum ratione transportationis, quia secundùm Nauar. *c. 23. n. 88.* in venditione, locatione, & conductione donatio non præsumitur. Neque hîc habet locum regula illa, *scienti, & volenti non fit iniuria*; nã hæc regula intelligitur de libero & absoluto cõsensu, qualis hic nõ est, quia pressus necessitate bãcarius, quia indiget illa pecunia, stipẽdium sui obsequij remittit. Si tamen grato & liberali animo id facere intelligeretur propter beneficium sibi impensum, remissio illa stipendij valida foret.

DVBIVM XXXII.

Vtrùm Barcinonæ cum consensu Cæsarauguſtæ & Valentiæ possit statutum fieri, vt literæ cãbij non nisi post 6. menses soluantur à die visionis earum computandos?

RESPONDEO, fore illicitũ, Num. 1. quia dantes ad cambium breuiori sæpe solutione indigent, eo quòd in Italiam sunt nauigaturi, vel Curiã Regiã citò adituri, &c. & quia hoc statuto daretur mercatoribus occasio vendẽdi res cariùs iusto, eo quòd tãdiu sint solutionẽ expectaturi. Nau. *lib. 5. cons. 5. de vsu.* Ema. *2. p. Sum. c. 104. n. 5.*

Digitized by Google

n.5. Veg. *in Epit. verb. cambium. casu 17. n. 3. & in Summa. p. 1. col. 343.*

DVBIVM XXXIII.

De multiplici valore, & vsu monetæ, & an moneta aliqua possit in ordine ad solutiones debitorum, emptiones, venditiones, aut cambia refutari?

SVMMARIVM.

1 *Quibus modis moneta possit esse maioris valoris.*
2 *An satisfaciant debitores soluendo debitum aureæ, argenteæve pecuniæ per aliam vilioris metalli?*
3 *Quomodo possit Princeps valorem pecuniæ augere?*
4 *An cùm valor monetæ alicuius statuto Principis variatur, soluendum sit debitum in eadem quantitate eiusdem monetæ? Rebellus respondet decem conclusionibus.*
5 *Contraria sententia Bartholo tribuitur.*

Num. 1. NOn è quatuor, vel quinque modis potest esse moneta maioris valoris. Primò, ratione materiæ in specie, vel individuo, quia pretiosiori secūdùm speciem, vel in diuiduum metallo constat. Secundò, ratione puritatis, nimirum si nullam, aut minorem admixtionem inferioris metalli habeat. Tertiò, Principis statuto, & lege. Quartò, ex copia, vel inopia minuitur, vel crescit valor monetæ: nam copia minuit, inopia, & penuria auget, vnde cæteris paribus, vbi pecunia abundat, minùs aliarum mercium pro illa datur. Quintò, maior est valor pecuniæ, si plures sint campsarij eam petentes ad cambium, & pauciores campsores, qui eam dent.

Vsvs primarius pecuniæ est, esse pretium aliarum rerum, vt emantur, & debitorum, vt soluantur. Vsus secundarios septem refert Nauar. *c. 17. n. 287.* Vnus est, eius mutuatio, pro quo vsu nihil pretio æstimabile exigi potest, secus pro aliis, vt pro commutatione cum altera pecunia, siue per cambium minutum, & manuale, siue per cambium literarium, vt vidimus; quia iste vsus non est tam necessarius communiter proximis, sicut mutuatio, & ideo etiamsi fiat pro pretio, non necessariò exhaurit proximorum, præsertim pauperum facultates, sicut exhaurit mutuatio, propterea nō est prohibitum pro hoc vsu exigere pretiū, sicut pro vsu dandi mutuò. Similiter pro commodatione, pignoratione, & aliis vsibus secundariis monetæ exigi potest pretium, vel aliquid pretio æstimabile, vt cum D. Thom. *2. 2. q. 78. art. 1.* & aliis communiter dixi *tract. de vsuris.*

Pecvniæ publico sigillo signatæ refutatio prohibetur *l. 1. C. de veteris numism. potest.* & in Lusitanis ordinationibus *lib. 4. tit. 53.* qua de re vide Pinel. *3. cap. prima p. l. 2. Cod. de rescin. vend. à num. 16.* videturque Rebello *2. p. de oblig. lib. 11. quæst. 2.* esse mortale ex genere, saltem in Lusitania, pecuniam refutare, ob appositam verberum pœnam, quanuis lex Lusitana solùm prohibeat refutare monetam illius Regni, non alterius, modò aurea non sit. Nec etiam il-

Digitized by Google

lius Regni, aut aureæ peregrinæ refutationem vetat, nisi legitimi ponderis non sit. Quòd si defectus suppleatur, etiam sub iisdem pœnis refutationem vetat.

Num. 2. VERVM difficultas est, an satisfaciant debitores soluendo debitum aureæ, argenteæve pecuniæ per aliam vilioris metalli? Pinel. suprà, & alij affirmant: quia *l. Quæ extrinsecus. ff. de verb. oblig.* attendenda est summa pecuniæ, quæ debetur, & non qualitas.

NEGANT tamen Bart. & Doctores communiter *in l. 1. ff. de contrahen. emp.* quia debitum satisfaciendum est ad æqualitatem; atque adeò pro debito aureæ pecuniæ, aurea quoque pecunia reddenda erit.

VTROSQVE ita conciliat Rebell. suprà, vt quantùm est de se, & ratione contractus, sublata contraria lege, vel consuetudine, procedat posterior sententia, si mens contrahentium fuit vt in pecunia æquè bona solutio fieret, si verò contrahentes non ad materiam, sed ad nudam pecuniæ quãtitatem attenderũt, prior procedit. De quo videndum ait Couar. *lib. de monetis. num. 15. in collat. c. 7. §. vnico. n. 1.*

AIT, *sublata lege*, quia *lege Lusitana cit. §. vlt. & tit. 8. 5. p. extrauag.* statutum est, vt in quacunque moneta satisfieri possit debito præstantioris monetæ, modò non cogatur debitor recipere vltra certam partem debiti in ærea moneta, imò lex Lusitana citata ex 4. ordina. obligat creditorem ad acceptandam, quanuis aliam monetam, Regia auctoritate signatam, etsi specialis pactio de solutione in certa monetæ specie interuenerit. Vnde quoad hoc iniustam esse legem, nec esse ei standum, insinuat Pinel. *suprà n. 17.* cùm contra rationem videatur vnum pro alio, inuito creditore solui, maximè contra expressam conuentionem, quæ legem facit. Cæterùm, vt ait Rebell. suprà, non videtur reiicienda lex Lusitana, cùm iusta ratione niti videatur, alioqui passim pecunia reciieretur, commerciáque impedirentur; quis enim vilioris generis numismata acceptaret pro suis mercibus, si liberum esset cuique contrahenti, sal. tem prædicta conditione, eadem refutare? Nec talis conuentio legem facit cùm propter commune bonum lege irritatur.

ADDIT Rebel. extra Lusitaniam etiam idem quod ea lege sancitur, defendi probabiliter posse propter similem receptam consuetudinem, vt testatur glossa *l. si quis argentum. C. de donatio.* cùm consuetudo vim legis habeat.

QVANVIS probabilius sit, vbi similis lex non fuerit, non obligari creditorem ad acceptandam alterius materiæ pecuniam, quando de certa materia conuentio præcessit, vt Pinel. & Couar. suprà cum plerisque aliis asserunt, respondentque consuetudinem aliam contrariam vbique gentium seruari solitam non obtinere vim legis, nec pro lege receptam fuisse, eo quòd ex ciuilitate, vrbanitate, & benignitate creditorum profecta sit: consuetudo autem in dubio pari non debet extendi, vt in foro conscientiæ obliget, cùm sit stricti iuris quoad interpretationem, vt Rebell. *1. p. de oblig. iust.* disserit, & nos *tract. de legibus.* Ait tamen priori loco, interdum, etiam intra Lusitaniam, pecuniam eiusdem

Digitized by Google

dem materiæ reddendam, quando ſcilicet dominium eiuſdem pecuniæ retineat, vt in depoſita, vel locata pecunia accidit; aut ſi propterea cõtractus de certa pecunia fiat, quia ipſa tanquam merces quæritur, vel alia pro ea permutatur, vt ſi pecuniã, vel rem aliam des, vt tibi detur puriſſimi auri moneta, quia tunc de ſubſtantia contractus eſt certa moneta, lex autem loquitur tantùm, quãdo ſubſtantiæ contractus ſuperadditur pactum de ſolutione in certa ſpecie monetæ.

An verò ſatisfaciat debitor certæ pecuniæ reddendo maſſam auri, vel argẽti, vel alterius metalli eiuſdem valoris, communis opinio negat, ac rectè (quanquam Bart. & Iaſon contradicant) quia pecunia pretium eſt maſſæ metallorum, ſicut & cæterarum rerum, non verò maſſa, vel res alia eſt pretium pecuniæ, vnde eſto debitor pro maſſa ſatisfaciat reddendo pecuniam, non tamen qui pecuniã debet, ſatisfacit maſſa. Quanuis non ſit negandum, per maſſam æqualis valoris poſſe fieri iuſtam compenſationem, quando pecunia dari nequit, ſed tunc non erit cambium, quia non eſt pecuniæ pro pecunia commutatio. vide Pinell. 1. *p. legis* 2. *C. de reſcin. vend. cap.* 3. *nu.* 14.

Num. 3. Sed quæres quomodo Princeps poſſit valorem pecuniæ augere, cùm *in cap. quanto de iureiuran.* ſancitum ſit nefas eſſe Principi pecuniam cudere minoris ponderis, quàm valor requirat.

Respondeo cum Rebello ſuprà, Principem de conſenſu populi, imò & ſine illo, ſi rationabilis cauſa ſubſit, poſſe de nouo pecuniam aucto valore cudere, aut iam cuſſæ valorem augere, etiam ſupra valorem materiæ, & expenſarum, quæ in ea cudenda fiunt: nefas tamen eſſe id facere, ſi cauſa rationabilis non ſubſit. Ita Innoc. Pan. & Hoſtie. *d. cap. quanto.* quos citat, ac ſequitur Couar. *loco cit. n.* 6. eſt de mente D. Thom. 2. *de regim. Princ. cap.* 13. imò & Ariſtot. 1. *Polit. cap.* 6. *&* 5. *Ethic. cap.* 5. aſſerentis pecuniam lege conſiſtere, vímque ſuam habere, & non natura, ſauétque *l.* 1. *ff. de contrah. emp.* decernens in nummis non ſubſtantiam, ſed quantitatem (hoc eſt, valorem publica auctoritate taxatum) conſiderari: idémque probatur ratione, quoniam huiuſmodi valoris mutatio facta à Principe, non poteſt in alterius præiudicium, quàm ſubditi populi cedere. Ergo ſi ea de ipſius populi cõſenſu fiat, licita erit. Quòd ſi non conſentiat, rationabilis tamẽ alia cauſa exiſtat, cuiuſmodi erit vel materiæ valor aliunde auctus, cùm irrationabile ſit monetam publico charactere ſignatam, & taxatam minùs valere quàm ipſius materiam deductis expenſis, nullam iuſtitiam continebit. In quo euentu vera eſt deciſio *d. cap. quanto.* & quanuis ex *eodem cap.* colligatur rectius eſſe, vt pecunia expenſis Regis, vel Reip. non deducendis ex valore metalli cudatur, nec pluris æſtimetur, quã nuda eius materia valeat, idque Bart. & alij apud Cou. ſuprà affirmẽt: fas tamen eſt ex publica poteſtate in qualibet moneta augeri, quantùm in ea cudenda expenditur, vt apud Luſitanos in cudenda moneta argentea fatetur *lex* 1. *tit.* 8. *p.* 5. *extrauag.* quod etiam in argentea, & aurea moneta declarant leges Caſtellæ citatæ *dub.* 6. ac meritò, cùm Princeps ſubditis

subditis pecuniam cudere propriis expensis minimè teneatur; & ita habet consuetudo totius Christiani orbis, vt experientia, dictique auctores testantur, atque id conducit ad eum finem, ne extra prouinciam pecunia tam facilè ac frequenter exportetur. Et si id licitum non foret, illicitus quoque vsus talis pecuniæ videretur, quod cederet in scãdalum ac perturbationẽ tali pecunia vtẽtium. Hæc Rebellus *illa q.* 2. quæ postea repetit *q. vlt.* eisdem verbis.

VBI tamẽ distinctiùs explicat quæstionem aliam, an cùm valor monetæ alicuius statuto Principis variatur, soluendum sit debitum in eadẽ quantitate eiusdem monetæ? & ponit decem conclusiones.

PRIMA est. Quãdo pactũ fuit de debito soluẽdo in certi metalli moneta. v.g. auri, vel argenti, in ea soluendum est. Pan. *d. c. quanto.* Bart. *l. Paulus. ff. de solut.* Cou. *illo c.* 7. *§. vnic. n.* 10. & alij communiter: quia vnum pro alio, inuito creditore solui non potest. *l.* 2. *§.* 1 *ff. si certum petatur.* Si autem esset eiusdem metalli, quanuis diuersæ formæ, cogeretur creditor eam acceptare, si ad æstimationem debitam solutio fiat, vt post Bart. & alios ex *dicta l. Paulus* probat Couar. 5. Intellige hæc de iure communi, quia in Lusitania creditor in quacũque alia moneta legitima cogetur debitum acceptare, etsi ænea sit, modò certam partem debiti non excedat, vt patet ex legibus *q.* 2. citatis.

SECVNDA conclusio. Si pecunia promissa mutetur quoad valorẽ intrinsecum, nempe materiæ, vel ponderis, non est soluenda secundùm valorẽ quẽ habet tẽpore solutionis, sed secũdũ antiquũ, quẽ habebat tẽpore cõtractus, modò nihil inter cõtrahẽtes de hac mutatione actũ sit. Hoc, teste Couarr. 5. *n.* 2. post alios commune est, quod tenent Bart. & alij ad *d. l. Paulus.* & ad *l. cùm quid. ff. si certum petatur.* & ad *c. olim. & c. cum canonicis. de censib.* ex quibus duobus capitibus non obscurè colligitur

TERTIA conclusio. Si antiqui nummi non solùm secundùm materiam, & põdus, sed etiam secundùm valorem legalem, & pretium publicum mutati fuissent, consentiunt omnes, distinctos à veteribus esse, ac proinde soluendos esse veteres, vel veterum æstimationem: & aliud absque temeritate affirmari non posse docet Couarr. 5. cùm in eo euentu decisio *d. cap. cum canonicis.* procedat.

QVARTA conclusio. Quæcunque variatio pecuniæ, siue quoad valorem intrinsecum, siue extrinsecum facta post moram culpabilem in soluendo, nocet morosо debitori, ex *l.* 3. *ff. de action. empti. ad fin.* tenent Bart. & alij *d. l. Paulus, & d. l. cùm quid.* & Canonistæ *d. c. quanto.* Restringit Bart. & alij communiter, vt procedat quando fit mutatio monetæ maioris, quæ per aliam minorẽ æstimari potest, secus, si per minorem æstimari non possit. Sed hæc restrictio reiicitur à Couar. 5. *n.* 4. post Brunum, Antonium, Pan. Imol. Curtium seniorem & Laudensem, quos citat: quia etiam nummi, quantumcunque minuti, saltem multiplicati per alium maiorem, æstimari possunt. Aliam restrictionem ponit Bart. 5. vt nõ noceat debitori in foro externo prædicta mora, nec teneatur de interesse extrinseco lucri cessantis, sed de intrinseco damni emergentis.

iux

Digitized by Google

iuxta *l.si sterilis.§.si per venditionem.ff. de actio.empti.* verùm iam hodie dandam esse actionem in foro externo non solùm ex *l. C. de sententiis quæ pro eo quod interest.* sed etiam ex Accursij glos. §. *cit. in scholio, æstimandum. & lege Lusitana.5.ordin.tit.5.* ostendimus *sect.1.de vendit.q.7.* nec aliter in foro conscientiæ censendum esse, si per moram culpabilem contra iustitiã commutatiuam lucrum cessaret.

QVINTA conclusio. Nulla ratio habenda est mutationis numismatũ, quæ ante terminum solutioni præfixum finita est. Hæc est omnium, & probatione non eget.

SEXTA conclusio. Si ab initio cõtractus, propter metum mutationis cautum sit inter partes, vt pecunia sub certa æstimatione soluatur, ea pactio seruanda est, nisi fortè aliunde iniusta sit. Syl. *vsura.1.n.15.* Coua. ẽ. *n.5.* probans ex *l.penul. §. si mancipia.ff. soluto matrimonio.* post alios, quos refert, in quibus est Bart. *d. l. Paulus.* communemque testatur Molinæus apud Coua. *eodem.n.* Verbi gratiâ, si tecum ita contraham, promitto tibi centum ducatos Lusitanos ad rationem 400. quadrantium pro singulis; quãtuncũque postea varietur ducatus, ista æstimatio soluẽda erit.

SEPTIMA conclusio. Si etiam ab initio conuentum foret, vt totidem nummi certę materiæ, ac formæ soluerẽtur, quot fortè mutuati fuissẽt, tot numero tunc eiusdem materiæ, ac formæ soluẽdi erũt, quot fuerint promissi, siue eorum valor accresceret, siue decresceret, cõmodúmque, & incommodum ad mutuantẽ tunc pertineret. Cõsentit Pan. & Cou. ẽ. & cæteri communiter; vbi aduerte non esse vsuram obligare mutuatarium ad reddendam pecuniam eiusdem materiæ, ac formæ cum ea quæ data fuit: secus si ad rariorẽ, pretiosiorémque obligaretur, quia vltra sortem ad aliquid pretio æstimabile obligaretur.

OCTAVA conclusio. Quando ab initio contractus pariter dubitandò de verisimili incremento, & decremento futuro quoad valorem pecuniæ promissæ, atque adeò siue expresse, siue implicitè æquali aleæ, vel lucrandi, vel perdendi se exponere velint, totidem nummi eiusdẽ materiæ, ac formæ reddendi erunt, quot fuerunt promissi, vel eorũ æstimatio secundùm valorem, quẽ habent tempore solutionis, siue variatio sit secundùm valorem intrinsecum, siue extrinsecum: vtrobique enim contractus nititur fortunæ, in vtriusque partis commodum, & incommodum æqualiter vergens, atque adeò apertè est iustus. Syl. *vsura.1. n.14.* post alios, quos refert, elicitúrque ex *c. fin. de vsuris.* Syl. tamen reprehenditur à Soto *lib.6.q.1.art.2.ante solutiones*, quia ab eo non bene intelligitur.

QVOD si non esset par dubium, sed verisimilius esset, incrementum valoris futurum, siue per legem, siue ob pecuniæ penuriam, vt in nundinis sæpe cõtingit, siue aliam ob causam; quidquid alij dixerint, committeret vsuram is qui tales nummos mutuò daret sub pacto, vt totidem aucti valoris sibi restituerentur, si illos vsque ad id tempus seruaturus non erat. Si tamen eos seruaturus foret, cùm non teneatur in gratiam mutuatarij lucrum negligere, licitè posset illud in pactum deducere, atque totidem nummos aucti

Digitized by Google

valoris paciſci, niſi fortè aliquid inde diminuendum eſſet ratione expenſarum, ſolicitudinis, & periculi, ſi quæ in conſeruandis nummis vſque ad illud tempus digna pretio contingere debuiſſent, iuxta dicta *tract. de vſuris*, Syl. §. Nauar. *Comment. c. fin. de vſuris. à n.* 48. *& in Summa. c.* 17. *n.* 294. Med. *de reſt. fol.* 117. & alij, rectéque colligitur ex *c. fin. de vſuris.*

NONA concluſio. Quando nullũ pactum tacitum, vel expreſſum intercedit circa incrementum, vel decrementum, & contrà eſt obligatio ſoluendi certam pecuniæ quantitatem in certa nummorum ſpecie, facienda erit ſolutio deſignatæ quantitatis in eiſdem nũmis nominatim expreſſis ſub incerto numero, æſtimatis tamen ſecundùm eam æſtimationem, quæ currit tempore ſolutionis. Bart. *d. l. Paulus. ad fin.* quẽ ſequitur Couar. §. *n.* 5. & poſt Brunum approbatam communi conſenſu videri, teſtatur.

DECIMA concluſio. Quando ab initio in mutuo, cenſu, cambio, emptione, & quouis alio contractu, ſiue diſpoſitione, vt in teſtamento, legato, penſione, tributo, ſalario, vel pœnis pecuniariis per legem ſtatutis, & cæteris, non exprimitur, vt pecunia deſignatæ materiæ, ac formæ ſoluatur, nec quicquam ſuper incremento, decrementóve declaratur, ſolui debet valor, quẽ pecunia habebat tempore talis contractus, vel diſpoſitionis, ſiue ipſius pecuniæ valor poſtea lege creuerit, ſiue decreuerit. Pan. §. Med. *de reſti. fol.* 117. Soto 6. *iuſt.* §. Cou. §. *n.* 3. poſt Molinæũ, & alios.

Num. 5. CONTRARIA tamen ſententia tribuitur Bartolo *d. l. Paulus.* quẽ Aretin. *conſilio* 11. & alij Iuriſperiti cõmuniter ſequuntur, & Nauar. vbi §. nũcupatim quoad contractum mutui: eos tamẽ poſſumus interpretari quòd loquantur de euentu octauæ cõcluſionis, quando ſcilicet contrahẽtes, ſaltẽ implicitè, æquali periculo augendi, minuendíve valoris ſe exponendo contraxêre, ne à cõmuni ſententia temerè recedere videamur, præſertim cùm iuxta Bartoli ſentẽtiam, quando à poſterioribus Doctoribus communiter non reprobatur, in Luſitania iudicandum ſit, quando nec lex Regni, nec Curię ſtylus, nec conſuetudo legitima, nec leges Cæſareæ (quibus tamen præferuntur ſacri canones in materia peccatum concernẽte) nec denique gloſſa Accurſij contrarium diſpoſuerit, vt 2. *ordina. tit.* 5. decernitur. Probatur cõcluſio: imprimis in omni contractu transferente dominium reſpiciendus valor, quem pecunia, vel res habet tempore traditionis, ſi aliud nõ exprimitur; tempore autem traditionis eſt valor antiquæ pecuniæ: ergo ſiue accreſcat, ſiue decreſcat in trinſecùs, vel extrinſecùs, debet fieri ſolutio ſecundùm valorem antiquũ, vt cuius eſt incommodum, ſit etiam lucrum, & vice verſa. Nec eſt maior ratio in cæteris diſpoſitionibus. Secundò, quia eadem concluſio ex *c. olim. & c. cum canonicis* §. *cit.* colligi videtur. Tertiò, res ſaltem poſt ipſius traditionẽ facta eſt eius cui traditur: ergo eiuſdem debet eſſe commodũ, & incommodum, incrementum, & diminutio valoris. Quartò, alioqui non ſeruaretur æqualitas inter cõtrahentes, quæ neceſſaria eſt ad iuſtitiam contractus, etiam in mutuatione pecuniæ, vel aliarum rerum. Quanuis Sotus ſuprà aliter dicendũ

eſſe

esse putet de valore pecuniæ in mutuo, aliter de valore aliarum rerum vsu consumptibilium: quia nulla lege, consuetudine, vel ratione (si liberalem donationem secludas) conceditur ius, vt non seruata æqualitate contractus mutuũ soluatur, vt *lib. de vsuris* diximus. Hæc ferè totidẽ verbis Rebellus.

DVBIVM XXXIV.

Vtrùm quo maior quantitas pecuniæ cambienda est, eo cæteris paribus maiorem mercedem campsor exigere valeat?

SVMMARIVM.

1 *Respondetur affirmatiuè.*

Num. 1. RESPONDEO cũ Rebello *de oblig. p. 2. q. 8. n. 7.* & aliis communiter affirmatiuè.

QVANVIS Medina *q. 4. de cambiis. §. de alia causa lucrum augendi.* neget in cambio minuto fas esse plus exigere ratione maioris pecuniæ cambiendæ: imò etiam in cambio ratione loci plus exigi posset ratione præcisè maioris pecuniæ; sed ex eo quòd propter maiora onera quæ circa maiorem pecuniã campsores subeunt, sortitur maiorẽ valorem, non quidem proprium ac legalem, sed quasi aduentitium, qui tamen in ipsa pecunia quodammodo existit.

NOSTRA tamen conclusio etiam quoad cambium minutum frequẽti vsu recepta est, in cambio minuto ratio est, quia quo plus pecuniæ cãbitur, eo plus laboris, & occupationis, & periculi in numerãdo in gratiam alterius impenditur: quod genus officij pretio æstimabile est, vt *dub. 3.* contra Caietan. vidimus, cui etiam Sotum video subscribere, ait Rebellus suprà. Sed verè non subscribit, solùm enim loquitur de numeratione, quæ in mutuo dando, vel recipiendo est; nam de numeratione in cambio oppositum docet *q. 9. art. vnico.* Deinde, qui plus pecuniæ cambit, maius beneficium indebitum cõfert campsuario; ergo maiori pretio est dignus: quæ ratio etiã in cambio locali procedit, & in eodem id probant Medina, & Rebellus, quia in tanta pecuniarũ & correspondentium, ministrorúmque varietate conseruanda, vt alia taceãtur, campsoris industria, solicitudo, ac expensæ mercedem de iustitia merentur: ratio autem postulat vt tanto maior merces exhibeatur, quanto maior pecuniæ copia per prædicta onera in vtilitatẽ campsarij administratur. Secundò, quia sicut æstimatio mercium maior esse solet, quo maiori industria, & expẽsis opus est ad earum traiectionem, maiórque iste valor ratione huiusmodi onerum aduenies quodammodo existit, vnde qui plus merciũ emit, plus pretij soluit, sic etiã in ipsa pecunia per campsores aggregata totus ille ea de causa susceptorum onerum valor ad mercedem recipiẽdam quodámodo existit, atque adeò, quo maior pecunia fuerit campsa, eo maior merces soluenda erit.

Quod etiam docet Graf. *to. 1. decisionum lib. 2. c. 110. n. 4.*

DVBIVM XXXV.

An quando pecunia rarior est, campsor localis plus mercedis exigere possit?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua. vbi duabus obiectionibus respondetur.*

2 *Ex dictis varia inferuntur ab auctoribus.*

Num. 1. RESPONDEO, posse, sicut è cõtrario, quando est maior pecuniæ abundantia, minùs, cæteris paribus, recipere tenetur; loquimur de dante vbi est raritas: nam valor rerum ex abundantia, & penuria variatur; quo autem res cambienda est maioris valoris, maius pretiũ cambij exigi potest. Ita sentiunt Sotus *6. iust. q.* 10. *art.* 3. Nauar. *Comment. c. fin. de vsur. n.* 51. Caiet. & Syluest. quos citat, & sequitur Rebell. *de oblig. p. 2. q. 8. n. 9.* Tolet. *lib. 5. c. 53.* Angles *q. de camb. art. 5. dub. 4. diffic.* 1. quamuis repugnet Medi. *q.* 4. *de camb. §. illud tamen.* qui ducitur primò, quia pecunia siue multa, siue rara sit, idem pretium lege taxatum habet. Secundò, quia si plus valet quo rarior; ergo qui mutuò accipit 100. satisfacit, si tempore raritatis minùs det in numero, quia æquale dat in valore. Sed ad primum respondeo: respectu aliarũ monetarũ sẽper retinet eundem valorem in ordine ad emptiones, locationes, cõductiones, & debitorũ solutiones; nãscitũ in ordine ad hæc sẽper valeti 3. argenteos, argenteus 34. marauedinos, &c.

AD secundum respondeo negando consequentiam: obligatio enim soluendi intelligitur secundũ mentem contrahentium, vt fiat non secundùm rerum valorem, sed per pecuniam in ratione pecuniæ, & secundùm valorem legalem, non attento valore eius ex circunstantiis, cùm talis sicut potest augeri, ita & minui: & non consistit in indiuisibili, nec potest facilè definiri, vnde vterque meritò æquali spei & periculo se exposuit augmenti, & decrementi, quare contractus sic intellectus fuit iustus, & 100. sunt reddenda, siue valor monetæ ob penuriam creuerit, siue imminutus sit. Si autem in pactum deduceretur, vt si notabilis, ac perceptibilis variatio fieret, solutio fieret secundùm valorem, quem pecunia tempore mutuationis habebat, validus contractus esset, si eo tempore expendenda pecunia erat, & non in futurum seruanda. Vide alia de hac re *dub.* 12. *in fine.* Vide etiam Valen. *2. 2. disp. 5. q. 23. pun. 2. con.* 2. vbi dicit, si copia, aut inopia metalli alicuius pecuniæ non est eadem, quæ fuit, quando pretiũ eius lege fuit statutum, licitũ esse variare eius pretium legitimum: nam copia metalli alicuius pecuniæ, sicut & cuiuscumque alterius rei, eius valorem minuit, sicut & inopia auget, vt bene notat Nau. *c. 17. n. 204. & 295.* ergo credẽdũ est, publicã potestatem superueniẽte copia, vel inopia tacitè, vel expressè (probãdo cõsuetudinem) cõsentire in variationem pretij: nam tunc iuxta penuriam metalli est etiam penuria pecuniarum, & ideo pluris æstimantur, saltem in foro conscientiæ. Confirmatur: quia cùm est penuria pecuniæ, minori summa merces emũtur: ergo crescit valor

Digitized by Google

valor pecuniæ. Cæterùm dico, non quoties est inopia, vel copia alicuius metalli, esse copiam, vel inopiam pecuniæ eiusdem metalli, & esto sit, non variari pretium legitimum: sed illud quod pecunia, vt & aliæ res, sumit ex circūstātiis, absque vllo arbitrio publicæ potestatis.

Num. 2. Ex dictis colligitur regula generalis, ex iisdem causis augeri, minuíve pretium cambij potest, ex quibus valor pecuniæ dandæ hîc, vel alibi à cāpsore. Rebel. *q. cit. n. 13.*

Ex 8. verò causis dicit Nauarr. *Comment. cap. fin. de vsuris. n. 43. & in Summ. cap. 17. n. 294.* & aliis, pluris solere valere pecuniam, non variato legali valore. Primò, ex diuersitate specifica metalli. Secundò, ex nobilitate maiori metalli intra eādem speciem, vt si aurum sit plurium caractorum, vel qualitatum (*quilates* vocant.) Tertiò, ex diuersitate formæ, vel inæqualitate ponderis. Quartò, ratione diuersarum regionum apud quas consistit. Quintò, ob alterius pecuniæ reprobationem factam, vel verisimiliter faciendam, vel ob eiusdem ascensum, vel descensum in valore. Septimò, propter abundantiā, vel penuriam eiusdem pecuniæ. Octauò, propter præsentiam vnius pecuniæ, & absentiam alterius, quia pecunia præsens loco per se vtilior est domino suo ad ordinarios vsus, quàm absens loco. Consonat Toletus *5. Summæ. cap. 53.*

Ex his infert Valen. *pun. cit.* non esse licitum, ex vi cambij simplicis secluso adiuncto titulo, pro pecunia data in vna Prouincia, vbi illa propter copiam, vel aliam causam minoris æstimatur, accipere in alia Prouincia pecuniam eiusdem quantitatis, & metalli, vbi propter inopiam pluris æstimatur; quia esset inæqualitas, & iniustitia, vt ait Sotus *6. iusti. q. 12. art. 1. & 2.* sic etiā iniustitia est commutare triticum datum pro tritico recipiendo, vbi propter inopiā, vel aliā causā pluris æstimatur.

Falsvm verò putat Valen. quod ait Sotus, eum, qui mutuò dedit frumētū tēpore, quo minoris valebat, posse tantundem recipere tempore quo pluris æstimatur, nisi esset illud seruaturus in aliud tempus, vel nisi expressè pactum fuisset de reddenda eadem quantitate in quocūque euētu. Alioqui contractus non esset æqualis, & iustus. Vnde Sotus non est locutus consequenter.

DVBIVM XXXVI.

Vtrùm ex multitude, & paucitate campsorum, vel campsariorum iusta pretia cambiorum varientur?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*

Respondeo, variari, sicut ex multitudine, vel paucitate emptorū, aut vēditorum variatur valor aliarum mercium. Itaque si plures ad cambium petant, augetur pretium, si verò pauciores, minuitur, nec mirum, quia ipsa pecunia inter eos censetur augeri, vel minui. Ita Caiet. *tract. de camb. cap. 7.* Sa *verb. cambium. n. 3.* Toletus *5. Summ. cap. 52.* Angles *q. de camb. art. 5. dub. 4. diffic. 1.* Num. 1.

Digitized by Google

Medin. *de camb.q.4.§.aduerte.* Rebellus *de oblig.p.2.lib.11.q.8.* qui cum Soto *6.iust.q.11.* aduertit, id verum esse, modò monopolia, & aliæ fraudes secludantur; si enim campsores omnem ferè pecuniam ad se colligant, & abscondant, vt sic multi cogantur cariùs pecuniam ad cambium recipere, non solùm iniustitiam committunt, sed etiam ad restitutionem obligandi erunt, vt in aliis monopoliis. Idem dicit Angles suprà, & Vega *in Epitome.verb.cambium.casu 25.* Malè autem *casu 26.num. 2.* ait, non est iusta causa augendi cambiorum pretia abundantia campsariorum, imò est vsura, & refert se ad *1.p. Summ. col. 349.*

DVBIVM XXXVII.

Vtrùm si campsor rogatus mutuet pecuniam, quam ad cambiendum cum labore, & expensis aggregatam habet, possit mercedem inde recipere, ac si ad cambium eandem daret?

SVMMARIVM.

1 *Ioannes Medina respondet.*

Num. 1. IOANNES Medin. *quæst.4. de cambiis.§.sed iterum.* ait, si illam pecuniam cũ labore, & expensis aggregauit ad benefaciendum aliis indifferenter per cambium, vel mutuum, posse valorem sui laboris, & expensarum exigere mutuando, ac si ad cambium eam pecuniam daret, quia labor ille, & expensæ sunt pretio æstimabiles, & etiam in mutuo æstimantur, vt liquet in monte pietatis, etiam secluſa obligatione ad mutuandum, quæ etiam est pretio æstimabilis secundùm D. Thom. & omnes.

HANC doctrinam reiicit Rebellus *de oblig.p. 2.q. 9.* dicens, mutuantem ciusmodi pecuniam etiamsi eo fine expensas fecerit, & laborem sustinuerit, non posse, nisi lucrum cesset, vel dãnum emergat, vel se obliget ad mutuandum: nec eandem esse rationem putat de mutuo in monte pietatis; nam ibi auctarium recipitur propter necessarium ministerium exhibitum ad conseruationem montis per se primò instituti in gratiam pauperum, quibus non tenentur ministri gratis deseruire, sed sicut *qui aliari seruit, de altari viuere debet.* 1. Corinth. 9. ita qui monti seruit, de monte viuere debet. Hîc autem non ordinantur expensæ, & labores præcisè in bonum aliorum, sed primò, aut æqualiter in lucrum cambij: ergo non poterit campsor satisfactionem exigere sicut in monte pietatis.

DVBIVM XXXVIII.

De monopoliis circa cambia factis.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo fiant huiusmodi monopolia, & an peccent qui illa faciunt contra legem, aut charitatẽ. n. 2. 3. 4.*

Num. 1. SOLENT nummularij nonnũquam initio nundinarum totam ferè pecuniã præoccupare sumendo

mendo eam ad cambium sub minori mercede ad diuersa loca, vt sic ea in potestatem suam redacta, non solùm commune pretium pecuniæ, sed etiam cambiorum mercedem augeant. Interdum etiam inter se conueniunt de non cambiendo nisi pretio summo, vel supra summum, & similibus modis monopolia faciunt. In quibus non solùm peccatum lethale committunt cótra charitatem, & iustitiam legalem, sed etiam contra iustitiam commutatiuam, ac proinde cum onere restituendi: videntur enim Respub. & earum subditi ius liberi fori, si non naturali, saltem gentium iure habere, ita vt per monopolia, similésque fraudes rerum pretia non augeantur, & vt minimùm leges ciuiles, quæ esse vbique solent, ius istud illis conferunt summè necessarium, vt commercia tam cum externis, quàm cum indigenis stare possint; maximè verò monopolia in cambiis pernicioſa sunt; quanuis enim priuatus quisque absque vlla iniustitiæ nota, quidquid sit de peccato contra charitatem, possit rogare alterum, aut omnes ne Reip. aut aliis quicquam donent, modò vim & fraudem non adiungat: similitérque rectè possint mercatores, & campsores non acceptare nisi supremum pretium, cùm vtrobique nullum alterius ius violetur, tamen ad monopolia iniusta facienda, non solùm qui rogat, sed etiam qui rogánti consentit alterius ius violat, vt ex dictis probatur. Accedit, quòd quando nullum monopolium est, quisque eorum vult descendere in pretio, vt plus, & priùs vendat, vel cambiat, quàm alij: quòd si quis eorum descendere nolit, cùm nec ipsi campsuarij summum et pretium dare teneantur, potest ad alios recurrere, qui fortè descendent: quod posito monopolio locum non habet; vnde eius iniustitia perspicua est, cùm cogat summum pretium dare pro cambio, quo indiget. Hæc Rebellus *de oblig. p. 2. q. 12. num. 1. & 2.*

Num. 1. ALIA de his monopoliis dixi *dub. 13. in fin. & dub. 18.* etiã *in fin.* Vide etiã Rebellum 3. *num. 3.* vbi his verbis retractat sententiam quãdam, quam *lib. 9. quæst. 7.* tenuerat. *Magis consentanea probatæ praxi ea sententia videtur, quæ tenet excusandos esse ab iniustitia, atque adeò à restitutione, illos, qui siue scienter, siue ignorãter vẽdant, cambiántve sub prętio currẽte, postquã per aliorum monopoliũ, aliámve iniustã causã ab aliis præstitam effectum est pretium commune, & nulla taxa prohibetur, quanuis quæst. citata cum aliis in contrariam inclinauerim, licèt enim aliud pretium sit iniustè auctum, ac proinde damnum inde datum partibus sit ab iis satisfaciendum, qui in culpa sunt, eo modo, quo eadem quæst. explicatũ est; tamen iustum euadit respectu aliorum, qui culpam non commiserunt, nec ex officio tenentur monopolium tollere, vel ei occurrere, cùm possint, eo quòd tantum mercis, siue cambij pretium sit, quantum communiter secundùm præsentes circunstantias æstimatur, licèt ea æstimatio ex causa iniusta originem duxerit, vt ex rapinis, furtis, & vsuris, quibus inducta est penuria pecuniæ.* Hæc ferè ille, quæ consonant dictis *dub. 13.* quãuis Molina *tract. 2. disp. 310.* Nauar. *Comment. cap. fin. de vsur. n. 9. & in Summ. cap. 17. num. 295.* & Ema. *2. p. Sum. cap. 105. con. 3.* tenere videantur augmentum pretij procedens ex causa iniusta, iustum non esse, etiam respectu eorum, qui sine culpa sunt.

VIDE

Num.3. VIDE etiam Toletum 5. *Sum. c.* 83. vbi agens de monopolio in cambiis, ait, cùm duo, vel tres ante nundinas, vel in earum principio accipiunt pecunias ad cambium ad alia loca, vt augeatur pretium cambiorũ in nundinis, teneri ad restitutionem augmenti. Idem dicit, cùm abscondũt pecunias, vt pretium augeatur: quia debet ex licita causa augeri pretium, putà cùm verè est paucitas pecuniæ propter bella, aut alia impedimenta, aut propter multitudinem petentium ad cambium. Consonat Vega *in Epito. verb. cambium. casu* 24. *& in Summa. p.* 1. *col.* 347. damnans prædicta monopolia in cambiis. & *in eadem Epito. 1. casu* 25. pretiũ cambij iustum ait esse, quod est in foro campsorum, seclusis fraudibus, tempore contractus, non quod habebit quando literæ ostendentur, vel fiet solutio.

SALON etiam *tract. de cambiis. q.* 4. *art.* 2. *controuersia* 13. illa duo genera monopoliorum, quæ initio cõstituimus, ait esse iniusta cum onere restituendi, & damnata iure naturali, & ciuili, nec non Ecclesiastico: nam Pius V. in Bulla de cambiis ait. *Eos verò, qui conspirationes fecerint, vel cõgestum vndique pecuniam ita ad se redegerint, vt quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ à iure contra facientes monopolium constituta sunt, teneri sancimus.* Et quòd auctores monopoliorum peccent contra iustitiam commutatiuam, & teneantur ad restitutionem augmenti pretij quod ex eorum monopolio processit, tenent præter citatos, Gabriel. 4. *d.* 15. *q.* 10. *art.* 3. *dub.* 2. Ioan. Med. *C. de restit. q.* 36.

Num.4. SED non peccare contra iustitiã commutatiuam, sed cõtra legalem, seu charitatem, ac proinde nec teneri ad restitutionem, tenet Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 345. *in fin.* cuius opinionem probabilem putat Læsius 2. *iust. c.* 21. *dub.* 20.

DVBIVM XXXIX.

Quot modis cambia sicca fieri soleant.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor modis solent fieri cambia sicca. n.* 2. 3. 4.

TOLETVS *lib.* 5. *c.* 52. docet cambia sicca quatuor modis fieri solere. Primus est, Num.2. cùm quis indigens pecuniis petit à campsore dari sibi tot scuta, campsor autem dat hac lege, vt soluat intra certum tempus iuxta valorem, quo tempore aliquo signato valuerint Venetiis, vel alio simili loco. Hoc dicitur cambium siccum, quia non est pecuniarum transmissio, cùm in eodem loco accipiantur, & reddantur: dicitur etiam casuale, quia potest accidere scuta valitura plus, & valitura minùs, quando æquale est periculum, cambium est iustum, secus si ex vna parte sit maior certitudo, quia tunc vna pars magis oneratur, & sic fieri solet; vnde est vsura palliata, quia est mutuum cum lucro ex ipso mutuo palliato nomine cambij.

SECVNDVS. Indiget Petrus pecuniis, petit à campsore, campsor non aliter dat nisi accipiat pro Sicilia, vel alio loco distanti soluendas, & Num. 3. petit

Digitized by Google

petit ab eo pretium, quo solet illas dare pro locis similibus, vbi tamen scit alium non habere pecuniã, nec respõdentes, nec velle alibi eas reddere, sed in eodem loco. Hoc est manifesta vsura secundùm omnes, nisi pretiũ recipiatur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Caie. *opusc. de cumb. c.* 1. Nauarr. *Comm. c. fin. de vsuris. n.* 25.

Num. 3. TERTIVS est compositus ex cambio, & recambio sicco. Campsor dat Romæ Petro 100. soluẽda Venetiis, vbi campsor, aut campsuarius nullos habet correspondentes, & tempore solutionis fingitur aliud cambium à Venetiis, & soluitur Romæ sors cum lucro cambij, & recambij. Hîc est duplicata vsura cum onere restituendi totum lucrum.

Num. 4. QVARTVS est cambium aulicorũ, quod Romæ aliquando fit. Petũt aulici pecunias à campsore, ille dat ad locum distantem, vbi solutio non est facienda, sed Romæ, & accipit ab illis 5. 6. aut 8. vltra pretium quod accipit à mercatoribus, quia maius periculum est dando aulicis. Hoc cambiũ geminã habet iniustitiã; prima est, quòd pro cambio sicco aliquid accipitur: secũda, quia pro periculo plus accipiunt campsores ab aulicis quàm iustum sit. Fit etiam aliquando cambium aulicorum hoc modo; datur certum tempus in quo campsuarij debẽt certificare de solutione alibi facta, quam certitudinem si non dederint, fit statim recambium ad locum campsoris, etiamsi reuerà solutio facta fuerit. Hoc autẽ quanuis aliquo modo posset tolerari, quia est ad modum cuiusdã pœnæ: tamen cùm sine culpa campsuarij fit, vt nõ possit certificare, quia aliquando in via deficiunt literarũ portatores, nõ potest iustè recãbium exigi, imò licèt statuto tempore non soluat, si id absque culpa sua fit, vel quia nõ potuit, vel quia non habuit. Hæc eisdẽ ferè verbis Tolet. Vide quæ dixi de recambiis *dub.* 22.

DVBIVM XL.

De cambio ad incertam solutionis quantitatem, & cambio ad creditum, an licita sint?

SVMMARIVM.

1 *Quid cambium ad incertã solutionẽ.*
2 *Quid ad creditum.*

CAMBIVM ad incertã solutionem est cùm quis dat suas pecunias Romę. v.g. vt recipiat eas alibi ad pretium fori tunc occurrẽs, quod modò crescit, modò decrescit. Sotus *6. iust. q.* 12. *art.* 4. ait, cùm est æquale periculũ augmenti, & decremẽti, iustũ cãbiũ esse: cùm verò probabilius est plus, aut minùs valituras pecunias, iniustũ esse vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis. Idem tenet Angl. *q. de camb. art.* 5. *dub.* 4. *diffic.* 2. citãs etiã Caiet. Hoc bene intelligit Tol. *lib.* 5. *Sum. c.* 54. *n.* 2. quando excessus est tantus, vt vincat id quod minùs valet ratione absentiæ. *Num.* 1.

CAMBIVM ad creditũ fit hoc modo. Mercator nolens apud se habere pecunias, dat campsori, & cãpsor dat literas, quibus se obligat pro illo dare tot pecunias cui ipse per suũ chirographum dederit; mercator emit merces suas, & soluit dando chirographa pro cambio, venditores recurrunt ad cambium, & aliquãdo *Num.* 2.

Digitized by Google

pecuniam numeratam accipiunt, aliquando aliqua chirographa pro aliis cambiis; in hoc nulla est iniustitia. Solét autẽ duo hîc fieri; vnum est, quòd campsor solet maius creditum facere mercatori quàm accipiat pecunias. v. g. accipit mille, & facit creditum duorum milliũ, quia campsores maximè cupiunt habere pecuniam præsentem. Hoc bene approbat Sotus *6. iust. q. 11. art. vnico.* & Tolet. *c. illo 54. n. 3.* nam hoc creditum est quædam fideiussio, quam sponte sua campsor facit pro mercatore ex animi gratitudine, vel vt eum moueat ad deponendum apud se pecuniam: quod est vtile ipsi campsori. de quare dixi *dub. quodam præcedenti.* Alterum est, solere campsores ab iis quibus numerãt pecuniã propter aliorum chirographa exigere aliquid: hoc autem iniustum esse arbitratur Tol. *n. 4.* cũ Naua. *c. fin. de vsur. n. 38.* quia debitor nõ potest pro solutione aliquid exigere à creditore; campsor autem tunc debitor est: vnde pretium solùm debent soluere depositores pro custodia suarum pecuniarum.

ADDIT Tol. Et hîc apparet iniustitia illorum mercatorũ, qui nolũt dare pecunias suas cãpsori nisi hac lege, vt pretium exigat ab illis, qui deferunt ipsorum chirographa, & minantur alteri campsori daturos. Tales tenentur ad restitutionẽ campsoribus, cãpsores autẽ illis à quibus acceperũt. Liceret in hoc casu, quòd mercatores emerẽt tãto cariùs merces à venditoribus, quanto isti plus deberẽt soluere pro receptione pecuniarum per chirographa: nõ tamẽ credo ita fieri. Hæc Tol. & bene: sed de hac re plura dixi *dub. 20. & 26.*

DVBIVM XLI.

An cambium ratione officij sit licitum?

SVMMARIVM.

1 Explicatur titulus: varia sententia referuntur n. 2. 3. 4.

HOc cambium sic aliqui explicant, vt quis habeat mensam paratam ad mutuãdum omnibus pecunia indigẽtibus, & mutuò det hac lege, vt aliquid vltra sortem ipsi mutuanti reddatur. Quod cùm sit mutuum, impropriè dicitur cambium. Num. 1.

Hoc autem esse licitũ putat Dur. *3. d. 37. q. 2. n. 6.* Læsius *2. de iust. & aliis virtu. c. 23. dub. 2.* Mol. *de iust. to. 2. tract. 2. disp. 399.* citãs Medinam, Nauarr. & Maiorem. Idem tenet Valen. *2. 2. disp. 5. q. 23. pun. 4. con. 5.* Bannez *2. 2. tom. 2. tract. de camb. dub. 5. con. 4.* Ioannes Baptista Corradus *tract. de cambiis.* & latè Palac. *3. de contract. §. fortè obiicies,* & deinceps, citans nõ solùm Medinam, & Dur. sed etiam Scotum *4. d. 15. q. 2.* Num. 2.

SED Angles *in floribus Quarti. q. de cambiis. art. 2.* licèt fateatur eam esse absolutè Durandi, & Medinæ opinionem; Nauarri verò quãdo auctoritate Reip. imponitur illi officium, & non quando sponte suscipitur: tamen absolutè, & vniuersè affirmat tale cambium esse vsurariũ, suámque sententiã, quam esse ait Caietani, probat, quia vsura est recipere aliquid vltra sortem ratione mutui: sed in hoc cãbio recipitur aliquid vltra sor

Digitized by Google

sortem ratione mutui: ergo est vsurarium. Ait etiam malè contrariam sententiam tribui Scoto 4. *d.15.q.2.art.2.§.sequitur*, quam nec somniasse putat. Nam Scotus loquitur de negotiatione licita, quæ fit emendo, & vendendo in Rep. non autem de cãbiis huiusmodi, quæ ipse de vsuris verba faciens damnauit.

Num.3. Sed certè Nauarr. *Comment. c. fin. de vsuris. n.15. & tribus sequentib.* vt idẽ refert *in Manuali. c.17. n. 288.* docet, cambium per officium licitum esse: nam quidquid aliqui ibi citati dicant, posset constitui à Rep. officiũ mutuandi egentibus cum salario de publico constituto, imò & præstituto aliquo paruo lucro reddendo à mutuatariis vltra sortem pro labore. officiarij instar montium pietatis, quod ibi, inquit, copiosè probatur. Non ergo negat Nauarrus posse hoc officium sponte assumi, quanuis id non affirmet: non esse tamen in vsu docet *eodem c.17. n.285. ad fin. & Comment c. fin. de vsuris.*

Num.4. De Caiet. Soto, & aliis qui mõtes pietatis damnant, non est curandũ, quia eorum sententia falsa est prorsus, & contra Pontificum, & Conciliorum decreta, qui hos montes meritò approbant: supposita autem hac approbatione manifestũ videtur, mutuanti ex officio licitum esse non solùm pro obligatione mutuãdi, si interuenit, sed etiam pro laboribus & expensis officij, aliquid vltra sortem accipere, sicut in montibus pietatis recipitur pro salariis ministrantium, & aliis laboribus, & expensis. Si enim licet recipere aliquid vltra sortẽ pro salariis ministrorum & expẽsis, etiam licebit recipere aliquid vt salarium propriũ sibi à mutuantibus soluendum, in quorum bonũ laborat, & pro expẽsis: non enim tenetur in bonum eorum gratis laborare, & expensas facere, *dignus enim est operarius mercede sua.* Luc. 9. &, *nemo militat stipẽdiis propriis.* 1. Corinth. 9. Pro labore autem numerãdi pecuniam cùm priuatim mutuò datur, & recipitur, nihil potest vltra sortem exigi, quia hic labor est intrinsecus, vel per se annexus mutuo, quod secundùm legẽ diuinam naturalem gratis fieri debet: quanuis Læsius suprà videatur dicere pro hoc labore numerandi posse mutuantem aliquid accipere, vt in cambio, vt retulimus *dub. 3. ante medium.*

Et nota, bene Palac. & alios auctores prioris opinionis tenere, licitum esse accipere à mutuatariis stipendium iustum suorũ laborũ, expẽsarum, & damnorũ, non solùm quãdo munus mutuandi esset ei impositum à Rep. sed etiam quando sponte illud susciperet. Quod licèt non teneat expressè Scotus, tamen ratio, qua vtitur ad id asserendum in officio mercatoris, procedit in officio mutuantis, nempe quia is qui laborat, & expendit in aliorum vtilitatẽ, licitè potest ab illis mercedem exigere, qui de suo labore, & expensis participare velint; non enim tenetur gratis illis inseruire, etiamsi id muneris sponte subierit, nemine iniungente.

DVBIVM XLII.

An liceat sub hac forma cambire?

Digitized by Google

Num. 1. ACCIPE 100. ducatos auri Castellani hac lege vt Olysipone totidem ducatos auri cruciatorum reddas. Respondet Angles *quæst. de cambiis. art. 5. dub. 3.* cambium esse iniustum, quia non seruatur æqualitas, cùm aurum cruciatorum sit longè purius, perfectius, ac pretiosius auro ducatorum Castellæ. Hoc intellige, nisi compensatio fiat non exigendo stipendium pro traiectione, nec pro absentia pecuniæ, quam patitur campsor; quæ duo fortè merentur excessum illum cruciatorum.

DVBIVM XLIII.

An cãpsor petẽti ad cãbiũ in locũ, vbi minùs possit lucrari, possit nolle dare nisi in locũ, vbi plus lucrabitur?

SVMMARIVM.

1 *In rigore potest campsor id efficere, sed erit parum charitati consonum.*

Num. 1. VEGA *in Epit. verb. cãbium. casu 24. n. 2.* simpliciter affirmat, sed *n. 3.* videtur sibi aduersari: ait enim, qui officium cambiendi habet, cambium facere tenetur iuxta petitionem, & voluntatem recipientis, modò petat in locum, in quem campsor solet literas dare. Ego dico in rigore posse campsorem id efficere, sed esse parum consonum charitati, & æquitati: imò si ex officio tenetur ad cambium dare, quia cum ea conditione permisit ei Princeps, vel Resp. officium huiusmodi, debere ad cambium dare in locũ, quẽ campsarius elegerit, si in illum locũ solet cambire, & ibi habet pecuniam, & correspondentes, quia eo modo debet intelligi ea obligatio sibi imposita à Rep. & hoc videtur intendere Vega, qui etiam *in Epito. & Summa. casu 25.* affirmat, duobus petẽtibus ad cãbium, posse campsorẽ abiicere eum, qui petit in locum, vbi minus est lucrum, & dare petenti in locum, vbi est maius; non posse tamẽ in pactum deducere, vt solutio fiat in nũdinis, vel terminis, vbi credit pretia cãbiorum maximum incrementum habitura, ac pretia cãbiorum, vt sint iusta, debere esse moderata, & iuxta forum mercatorũ, nulla attenta necessitate, vel vtilitate petẽtis. Repetit hoc *in Epito. & Summa. casu 26. casu* autem 48. ait licitum esse sumere ad cãbiũ cũ detrimento in vnũ locũ, vt cũ maiori lucro det in aliũ locũ.

SALON *tract. de camb. q. 4. art. 2. contro. 13.* ait esse apertã iniustitiã nolle dare ad cãbiũ in locũ vbi minùs cãpsor lucrabitur, si ibi habet pecuniã, & correspõdẽtes, quia cũ iniuria cãpsarij suis cõmodis prospicit; cogit enim cãpsariũ, vt soluat vbi minùs cõmodè potest: deinde docet, duobus ad cãbiũ petẽtibus, posse dare ei, qui petit in locũ maioris lucri, neglecto illo, qui petit in locũ minoris lucri. Sed existimo, si Resp. vel Princeps imposuit ei obligationẽ dãdi ad cãbiũ omnibus, & habet pecuniã pro vtroque, debere vtrique dare: sed si nõ habet pro vtroque, posse dare petẽti in locũ maioris lucri, & negare alteri. Statim verò subiũgit Salõ, licitũ esse cãpsori dicere; ego nõ compello, nec obligo te, vt pecuniã meã Hispali cõmutandã recipias: nolo tamẽ nisi ad hũc locũ tantũ, quia mihi ita expedit cõferre. Tu quoque vide quid

Digitized by Google

quid tibi expediat, si in eũ locũ vis, habéſque ibi pecuniam, vel creditum, bene quidem, ſin minùs, quære ab alio, liberum tibi eſt: certè ita agentem non damnarem; quia campſor non tenetur ex officio cuicumque, & in quẽcumque locum illam poſtulanti conferre) de huiuſmodi enim nunc loquimur, de alio inferiùs dicemus) ſed confert pecunias liberè, & propria ſponte. Cùm ergo ita illas conferat, liberum eſt illi apponere conditionem illam; quæ quidem turpis non eſt, ſi campſarius ibi habet, vel habere poteſt pecuniam, vel correſpondentem, ſecus ſi non poſſet habere, quia eſſet cambium ſiccum & fictum. Quæ verba prioribus manifeſtè contradicere videntur, in quibus dixerat apertam iniuſtitiam, & violentiam eſſe, nolle dare ad cambium niſi in locum, vbi habebit maius lucrum: niſi illa priora verba intelligat, quando campſor tenetur ex officio omnibus dare. Neque campſor cogit abſolutè ad ſoluendum vbi minùs commodè campſuarius poteſt, ſed illum cogit neceſſitas accipiendi ad cambium, & carentia campſoris, qui det ad locum commodiorem. Sic mercator, qui non vult vendere alicui merces, niſi pretioſiores, cogit quodammodo illas emere quibus emptor non indiget, non tamen irrogat iniuriam emptori, licèt fortè in hoc caſu, & in alio de cambiis faciat contra charitatem, & liberalitatem, nimis intendens propriis commodis, & parum curans incommoda aliena, vt propria commoda conſequatur.

DVBIVM XLIV.

De cambiis quibus Hiſpalenſes dant pecuniam in Occidentali India ſoluendam.

SVMMARIVM.

1 *Doctrina cuiuſdam expenditur.*

DE hac re bene agit Vega *in Summa, & Epitom. verb. cambium. caſu 38. & tribus ſequentib. caſu 38.* Num. 1. Cambium (inquit) quod frequenter fit in foro campſorum Hiſpalenſ. inter ipſos campſores, & eos qui in Indiam Occidentalem ſunt nauigaturi, eſt vſura apertè. Nauigaturi enim accipiunt ad cambium ſoluturi 50. vltra ſortem pro 100. campſoribus aſſecurantibus nauim, & ſuſcipientibus in ſe periculum ipſius. Quod pretium cambij nimium non eſt; nec poteſt dici eſſe etiam pretium aſſecurationis nauigij, & ideo nimium non eſſe. Nam ſæpe nauigium illud non eſt campſariorum, ſed aliorum qui ipſis ſoluunt pretium aſſecurationis: ergo non tenentur illud ſoluere campſarij.

In *caſu* verò 39. ait vſurarium eſſe cambium in quo campſores Hiſpalenſes magiſtris, ſeu gubernatoribus alienarum nauium dant 100. ea lege, vt vltra ſortem cùm ex India venerint, accipiant 80. ſuſcepto in ſe nauis periculo vſque ad reditum: nam tale pretium pro cambio eſt nimium; pro aſſecuratiũe verò pretium recipiunt à domino nauis: ergo nihil debent recipere à campſario.

Digitized by Google

In *casu* 40. ait, non posse magistros nauium dare ad cambium aliis ministris nauis ad pretium quod illi aliis campsoribus soluunt, quando id est nimium, nisi ministri illis iunxerint, vt pro illis etiam ad cambium sumerent, & ita ipsi fecerint. Hoc est manifestum; quia non licet in cambio iustum pretiũ excedere.

In 41. *casu* ait, ab Hispali in S. Dominicum posse campsores exigere 10. pro 100. ad nouam Hispaniam & Nomen Dei 15. ad Peru, 25. ad Chile 35.

DVBIVM XLV.

An petere ad cambium vsurarium pro se, vel pro amico sit licitum?

Num. 1. RESPONDEO, id non esse licitum nisi vrgente aliqua necessitate, sicut non est licitum, vt dictum est *tract. de vsur.* pro se, vel amico sumere sub vsuris, nisi premente necessitate aliqua. Veg. *in Sumn. & Epito. verb. cambium. casu 46.*

SI verò aliqua vrget necessitas, non solùm est licitum dare ad cambium verũ: sed etiam est charitas illum rogare, vt ad cambium verum pecuniam sibi necessariam sumat, vt docet Salon *tract. de camb. q. 4. art. 2. controue. 14. circa finem.*

DVBIVM XLVI.

An si amicus à me petat, vt ad cambium illi sumam cum lucro, vt solet, cãpsoris possim ego ex mea pecunia dare, vt lucrũ illud habeã?

RESPONDEO, posse, vt docet Veg. *in Sum. & Epit. casu 47.* nulli enim facio iniuriam. Num. 1.

DVBIVM XLVII.

Vtrùm peccent campsores dantes ad cambium iis, quos sciunt, ad ludos, & luxus, aliáque delicta committenda pecunias postulare?

RESPONDET Salon *tract. de camb. q. 4. art. 2. controuer. 14. ad fin.* cum Fabiano *tracta. de camb. n. 49. & 50.* illos malè agere, tum quia cùm huiusmodi communiter nullã habeant pecuniam, vel creditum in locis designatis solutioni, cambia, & recambia, quæ cum iis exercentur, ficta sunt, & simulata: tum quia esto illud haberent, tamen qui norũt in tales vsus esse conuertẽdas pecunias, cõsentiunt & cooperantur prodigalitati, ac peccatis illorum; *non solùm autem digni sunt morte, qui talia agunt, sed etiam qui cõsentiũt facientib.* Rom. 1. Imò addũt teneri ad restitutionem dãnorũ, qui pecunias dãt ad cãbium Principibus, vel aliis, quos sciũt illas cõsumpturos in bellis iniustis: nam *si tua causa datum est damnum, vel iniuria illata, iure super his satisfacere te oportet*, vt habet regula iuris. Sed *tracta. de vsur.* examinaui, an qui rem dat ei, quem scit ea abusurum ad damna aliis inferenda per vsuras, vel alio modo, teneatur de damnis. Num. 1.

TRAC

TRACTATVS DE LVDO.

DE ludo agit D. Thomas *quæstione 168. de modestia*, *quæ consistit in exterioribus motibus corporis.* de qua materia disserendum putaui, vt plures difficultates, quarum nec auctores meminêre, breuiter expediantur.

DVBIVM I.

An ludus aliquis licitus sit?

SVMMARIVM.

1 *Quid ludus latè sit.*
2 *Quid ludus propriè sit.*
3 *Quando licitus & meritorius sit.*
4 *Variæ causæ, ob quas ludus illicitus redditur.*

Num. 1. LVDVS propriè accipitur pro dictis, & factis ad oblectationē & relaxationem animi ordinatis, & quando dictis exercetur, propriissimè appellatur iocus, quāuis etiā factis iocari contingat: siue autē verbis, siue factis fiat, si consentaneè ad rectam rationem, debitisque circūstantiis exerceatur, actus est virtutis, quem Aristot. 4. Ethic. *c.* 8. εὐτραπελίαν vocat, aliqui vertunt *vrbanitatem, comitatem, leporem, festiuitatem, & facetiam.* D. Thom. 2.2. *quæst.* 168. *art.* 2. *arg. sed contrà*, ait appellari posse iocunditatem.

SED propriissimè ludus est certamen quoddam iucundum & festiuum ad animi oblectationē pertinens, cui adiuncta est conuentio, qua ludentes inter se paciscuntur, vt seruentur certæ leges ludi, & vincenti aliquid cedat, & tribuatur. De hoc genere ludi agendum modò, & quia in toto orbe, præsertim in Hispania, est frequentissimus, & multa in eo possunt iniustitiæ peccata committi. Vnde de ipso multæ leges iuris communis, & municipales, iurisque Canonici latæ Num. 2. sunt,

Digitized by Google

sunt, multáque de eo Theologi, & Iurisperiti scripserunt, Paris de Puteo, Ioan. Bap. Cariarulus, & Stephanus Costa speciales de ludo tractatus scripserunt, qui habentur *tom. 7. tractatuum.* Alcozer etiam librum de ludo scripsit. Couar. de eo agit *reg. peccatum. p. 2. §. 4.* Venincasius *præfatione de actionibus à n. 364.* Thomas Grano *decis. 40. à n. 2.* Ornotomus *§. Item siquis in fraudem. n. 34. de actionibus.* Riminaldus *§. 1. n. 78. inst. per quas personas.* &c. Tiraq. *de retractu linagier. §. 1.* glos. *4. n. 10.* Abēdanno *de exequēdis mandatis legis lib. 2. c. 9. fol. 163.* Bernardus Diaz *in pract. verb. aleatores.* Nauarrus, Morla, Rebuff. Azebedo, Didacus Perez, & alij referendi: & communiter Iurisperiti *in ff. titul. de aleæ lusu, & aleatoribus. & C. de Religiosis, & sumpt. fun. l. alearum vsus.* & in aliis iuribus. Theologi verò cōmuniter *4. dist. 15.* & cū D. Thom. *2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* vbi Arag. & Bannez *q. 168. art. 2. & seqq.* Valentia *disp. 5. q. 6. puncto 5. q. 8.* Castro *2. de lege pœnali. c. 2. corol. 3. in concluſ. 1.* Sotus *4. iustitiæ. q. 5. n. 2.* Alensis, Adrianus, Antoninus, Vega, Mol. Læsius, Reb. Toletus, Azor, & alij multi ꝯcitandi, & Summistæ *verb ludus.*

Num. 3. CONVENIVNT omnes, ludum si debitam materiam, debitásque circunstantias habeat, & iure positiuo prohibitus non sit, licitum, imò & meritorium esse.

Num. 4. ILLICITVS erit ratione materiæ, si ea sit irreligiosa, seu idololatrica, cuiusmodi ludi vituperantur Exodi *32. sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Tobiæ *3. numquam cum ludentibus miscui me.* Hier. *15. Nō sedi cum ludentibus in consilio.* De quo genere ludorum posset intelligi Chrysost. Homil. *6.* in Matthæum dicens, *non dat Deus ludere, sed Diabolus.* Quod confirmat illo Exodi testimonio, quanuis D. Thom. *2. 2. q. 168. art. 2. ad 2.* de omni ludo inordinato Chrysostomum exponat, præsertim de eo, in cuius delectatione vltimus vitæ finis constituatur, sicut factū fuisse putat D. Thom. ab illis impiis, de quibus dicitur Sap. 14. *æstimauerunt ludum esse vitam nostram.*

ESSET etiam ludus illicitus ratione materiæ, esset noxius, vel periculosus ludentibus, vt hastiludium cum spiculis.

RATIONE autem circunstantiarum esset illicitus: primò, si plus tēporis in eo insumatur quàm oportet: nā, vt ait Cicero *1. de officiis, ita parcè condienda est vita ludo, vt sale cibi.* Secundò, si fiat quando, vel vbi non oportet; aut à quo non oportet; vt si mulier, Clericus, Religiosus, senex aut Prælatus ludo sibi indecenti ludat. Tertiò, ratione scandali. Quartò, si sit occasio periuriorum, rixarū, aut etiā blasphemiarum re siniſtrè succedente. Quintò, si fiat vi alium trahēdo ad ludum, vel in ludo illum detinendo. Sextò, si fiat fraudibus, deceptionibus, aliisque iniuriis aduersus colludentes, vel cartas illorū videndo, aut è duobus alterū in medio sumendo, & signa faciēdo, vel si peritior cum imperitiori noto ludat. Septimò, si fiat conuertendo noctes in diem, & diem in noctes cum detrimento propriæ salutis, aut non recitando horas debitas, vel sacra diebus festis, proprium patrimoniū, vxoris, ac filiorum bona dissipando, officium proprium negligendo cum damno familiæ, vel etiam publico,

&

Digitized by Google

& bona aliorum vsurpando, debita non soluendo, vt pecunia ludo non desit. Nonò, ab iis lucrando qui alienare non possunt, vt à Religiosis, à pupillo, vel minori, à muliere coniugata, à seruo, &c. Decimò, proximos in extremâ, vel graue necessitatem coniiciendo, quo pacto debet intelligi Medina 1. *Sum. c.* 14. §. 28. dicens peccare mortaliter eum, qui ludo vtitur ad auferendum alterius bona. Vndecimò, malum aliquem finem intendendo.

DVBIVM II.

An ludus in quo lucrum notabile, & non animi relaxatio præcipuè intenditur, sit peccatum mortale?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans proponitur.*
2. 3 *Opposita sententia præfertur, & probatur.*
4 *Varia sententia impugnantur.*
5 *Ad contraria argumenta respondetur.*

Num. 1. PARTEM affirmantem docet Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 13. *art.* 1. *notab.* 3. *& art.* 2. *concluſ.* 3. Panorm. *c. penult. de vita, & honestate Clericorum. n.* 12. Rosella, & Supplementum, & Dominicani apud Syluestrum *verb. ludus. q.* 2. *dicto* 6. *& q.* 4. Vega *in Epitome verb. ludus. casu* 1. *in fine.* Raymundus *in Summa. tract.* 4. *C. de quibus debet fieri eleemosyna.* Turrecremata *c. Episcopus. dist.* 35. *art.* 1. citans Archidiaconum, Laudensem, & Hugonem. Comitolus *lib.* 3. *q.* 7. *& Ioan. de Salas.* 8. Abulensis Matth. 6. *q.* 53. *& 55.* habens, etiamsi lucrum intentũ non magnum sit, esse peccatum mortale. Ratio horum est, quia eo ipso quòd fiat ex cupiditate, est prohibitus decimo Decalogi præcepto, *non concupisces rem proximi tui.* Item, quia intẽdere damnum proximi, est peccatum mortale.

SED hæc opinio meritò reiicitur à Num. 2. Ioanne Medin. *de restitut. q.* 22. Sot. 4. *Iust. q.* 5. *art.* 2. Mol. *disp.* 511. Læsio *lib.* 2. *c.* 26. *dub.* 1. Reb. *de oblig. p.* 2. *lib.* 12. *q.* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. *q.* 8. Azor *tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 24. *q.* 2. Nauarr. *c.* 20. aliàs 19. *n.* 3. Caiet. 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *& in Summa. verb. ludus.* Morl. 1. *p. Empor. tit.* 7. *q.* 1. Grasis 1. *p. d.* 2. *art.* 121. *n.* 11. Alcozer 1 *de ludo. c.* 6. Lop. 7. *p. Instructorij cõscientia. c.* 31. Beya 1. *p. respons. casu* 61. Pet. Ledes. 2. *p. Sum. tract.* 31. *c.* 2. Imò Syluester *illa q.* 4. *& verb. auaritia. q.* 1. ait, si ludus non sit prohibitus iure positiuo, etiamsi principaliter fiat propter lucrum, non esse peccatum mortale.

PROBATVR, quia ipse ludus est Num. 3. de se indifferẽs, & potest appeti propter honestos fines distinctos ob animi relaxationem: ergo etiamsi animi relaxatio minimè, vel minùs principaliter intendatur, ludus erit licitus. Quæ ratio non solùm probat non fore peccatum mortale, sed neque veniale, vt docet Molin. Ioan. Medina, Rebellus, & Læsius suprà: si tamen affectus lucri sit nimius, & immoderatus, erit peccatum auaritiæ oppositum liberalitati, quod ex genere suo solùm est veniale, vt docet Molina, Ioannes Medin. Reb. Valentia, Alcozer, Læsius, & Morla 5. Grasis *illo num.* 10. Bart. Medin. 1. *Sum. cap.* 14.

§. 28. ex D. Thom. & Caiet. 2. 2. *q. 118. art. 3. & 4.* & Doctoribus differentibus de auaritia.

Num. 4. VNDE fallitur Nauar. c. *n. 3. & 8.* docens, quando lucrū præcipuè intenditur, ludum esse peccatum, saltē veniale, quia re inuenta in vnū finē vtitur ad alium; quod est ea abuti. Idem tenet Bart. Med. & Valentia c. & Vega *in Epitome. verb. ludus. casu 1. ad finem.* Sed dico non semper esse abusū re inuēta, & ordinata ad vnū finem vti ad alium, præsertim illi nō contrarium, & maximè si ille alius simul, licèt minùs principaliter, intendatur. Falsò etiam Petrus Couar. *tract. de ludo. p. 2. c. 7.* & Nauar. c. *n. 12.* & Vega c. *n. 10.* dicunt esse peccatū prodigalitatis exponere pecuniam ludo fortunæ, quia non est prodigalitas cùm datio est debita ex iusto contractu, neque contractus in quo partes pari periculo se exponūt cū pari spe lucri, prodigus est. Falsò etiam Pet. Ledes. ait, quando præcipuum motiuum est lucrū, esse auaritiā, ac proinde peccatū veniale. Falsò quoque Azor putat ludum quādo in solū lucrū refertur, esse actū otiosū, ac proinde peccatū veniale; cùm actus vtilis ad lucrū otiosus esse nequeat. Verum est si non sit maior spes lucri quàm damni, actum videri otiosum, cùm ad eū finē mediū assūptū non magis possit prodesse quàm obesse. sed si quis magis indiget pecunia quam periculo exponit quàm ea quā lucrari sperat, peccabit, quia temerè se exponit tanto periculo. Cæterùm si plus lucrari sperat quàm possit perdere, prudenter ludet aliquando: vnde contra liberalitatem erit velle lucrari, quia est velle auferre ab amicis quibus esset dandū, ait Aristoteles 4. Ethicorum cap. 1.

Num. 5. AD primum argumentū aduersæ opinionis respūdeo, nō esse cōtra decimū Decalogi præceptū velle alienas res suas facere contractu iusto, qualis est ludus: sed via iniusta, siue id principaliter, siue minùs principaliter intendatur. Ad secundū respōdeo, propriè non inferre damnū qui iustè incommodum infert, vt docet Mol. ex *c. qui assequitur. de elect. in 6.*

Ex iis patet malè aliquos dixisse, esse peccatū mortale exponere bona ludo fortunæ. Hugo *c. Episcopus. 35. dist.* Matth. apud Cardinalē *Clem. 2. §. sed si talis. q. 11. de vita, & honest. Cler.* quos meritò reiicit Med. *de rest. q. 22.* Sotus *4. iust. q. 5. art. 2.* Alcozer c. *q. 2.* & alij, quia in contractu sortiū, & assecurationis, & in emptione iactus retis, & similibus exponitur pecunia periculo fortunę. *l. iactum retis. ff. de actionibus empti. & l. in naui. ff. locati.* vbi Paulus Castrensis. & *C. nauiganti. de vsuris.* Vide Nauarr. *c. 19.* aliàs *20. n. 3.* Mol. *disp. 511. in fine.* Pet. Couarr. *de ludo. p. 2. c. 2.*

DVBIVM III.

An aleæ ludus iure Cæsareo sit prohibitus, vt peccatum mortale?

SVMMARIVM.

1 *Quid aleæ nomine intelligatur.*
2 *Alearum ludi prohibiti sunt.*
3 *Leges Imperiales non obligant modò sub mortali.*
4 *An leges Imperiales habeant locum in nostra Castella?*
5 *Aliquorum sententia impugnatur.*

Svp

Num. 1. SVRONO ex omnium sententia *aleæ* nomine omnes,& solos eos ludos cõprehẽdi, qui fortuna magis, & casu, quàm arte, aut viribus reguntur: huiusmodi sunt ludi tesserarum,taxillorum,& talorum;itẽ ludus tabularum, vt docet Nauarr. *c.2.num. 6. ex authentica interdicimus. C. de Episcop. & Clericis. & §. interdicimus. authent.de Episcop. collation. 9.* Idem ait Nauarr. & omnes de omnibus cartarum pictarum ludis,quia licèt aliqui multùm habeant industriæ, plus tamen habent fortunæ.

Num. 2. Hoc supposito,dico primò alearũ ludos prohibitos esse *l.2.3.& 4.ff. de aleæ lusu,& aleatoribus.* vbi prohibetur ludi pecunia,aut re pecunia æstimabili, nisi in conuiuio quod manducandum est, ludatur,aut pecunia, vnde aliquid ad manducandum ematur: prohibentur etiam expensiones *trauiesas* in ciusmodi ludis prohibitis,atque repetitio conceditur lucri accepti.& in *l.alearum vsus. C.de Religiosis,& sump.fun.*sic legimus: *nulli liceat in publicis, vel priuatis domibus,vel locis ludere,neque in genere, neque in specie,& si contra factũ fuerit, nulla sequatur condemnatio,id est,victus non cogatur soluere, sed solutum reddatur,& competentibus actionibus repetatur ab iis, qui dederint, vel eorum heredibus,aut iis negligentibus, à patre, vel defensoribus illius ciuitatis,vel recipiat fiscus non obiestante 30.annorum præscriptione.* In Græco textu habetur, victum in aleæ lusu non posse conueniri, & si soluerit,habere repetitionem,tam ipsum,quàm hæredes eius aduersùs victorem, & eius hæredes, idque perpetuò, etiam post 30. annos:& in eadem lege virtutis exercendæ causâ permittuntur ludi cursus,saltus, sardopilij iaciendi, aut hastę,luctę,hippodromi(equorũ cursus) & similes,qui etiam permittuntur *l.solùm.ff.de aleæ lusu.* & in *dicta l. alearum* dicitur: *sed nec permittimus etiam in iis ludere vltra vnum solidum, etiamsi multùm dies sit.*

Dico secũdò, has leges Imperiales non obligare modò sub mortali. Ita Beya 1.*p. respons. casu 61. punct.1.* quia leges seculares non obligant communiter sub mortali. Secundò, quia non videtur esse intentio legislatoris obligare sub mortali, nisi transgressio sit contra iustitiam:hæc autem solùm est contra liberalitatẽ, quia est prodigalitas,quæ ex genere tantùm suo est peccatum veniale, vt docet D.Thom.ab omnibus receptus 2.2.*q.183.art.7.*vel est contra tẽperantiam,& modestiam,quæ solùm obligat sub veniali.Tertiò,quia istæ leges, & aliæ similes non sunt vsu receptæ,cùm in omnibus mũdi partibus videamus cuiuscumque ordinis laicos magnam pecuniæ summã aleæ exponere,principaliter intendentes lucrum,qui tamen à cõfessariis absque vllo scrupulo absoluuntur,quanuis nõ habeant propositum abstinendi à tali ludo,quæ tamẽ absolutio esset sacrilega,& inualida,si illi ludente peccarẽt mortaliter.

Hæ rationes sunt desumptæ ex *c. nau.19.*aliàs 20 *& n. 10. vers.dico quartò.* Sed duæ priores nullius sũt momenti, quia falsum est leges seculares communiter non obligare sub mortali, aut nõ sic obligare,cũ non versentur circa materiam iustitiæ, sed liberalitatis,tẽperantiæ,aut modestiæ:nam multi actus prohibẽtur

Digitized by Google

ſub mortali, etiamſi non verſentur circa materiam iuſtitiæ: eo quòd ſũt occaſiones grauium in Repub. malorũ: vnde neque vlla eſt ratio Soti 4. *iuſt. q. 5. art. 2.* dicentis, huiuſmodi ludos cùm ex genere ſuo non ſint contra charitatem, neque iuſtitiam, licèt ſint prohibiti, non videri mortali charactere notandos: & rectè Alcozer *lib. de ludo. c.* 10. dicit has leges ſeculares vbi ſũt receptę, & non abrogatæ contraria conſuetudine, obligare ſub mortali in materia graui, etiamſi ceſſent omnia ludi incõmoda in particulari; ſed re ipſa eſſe abrogatas contraria conſuetudine, ideo non obligare. Idem docet Læſi. *lib. 2. c. 26. dub.* 1. vbi hac ratione cenſet neque ſub veniali obligare; quod etiam ſentit de aliis legibus huius Regni, & aliorum. Med. *1. Sum. c. 14.* Valentia etiam *diſp. 5. 2. 2. q. 6. puncto 5. q. ſua 8. dicit de laicis.* Nauar. Sot. & Caiet. locis citatis docẽt eos propter eiuſmodi prohibitiones nõ peccare, etiãſi pro magna quãtitate ludãt ſecluſis aliis prauis circũſtantiis contra ius naturæ, quoniam vel illæ leges non eum eo rigore obligãt laicos, vel certè quòd apud illos per contrariã conſuetudinẽ ſũt paſſim eneruatæ, ſaltem quoad obligationem ſub mortali, vnde ſine ſcrupulo ſolẽt vbique abſolui laici, quãuis nõ habeãt propoſitũ à ludo abſtinendi. Loci Caiet. ſũt *verb. ludus. & 2. 2. q. 168. art. 3. in fi.* vbi dicit, ludũ aleæ cõmuniter licitũ eſſe laicis ex cõſuetudine; ait etiã *d. 35.* legẽ quatenus prohibet laicis ludũ aleæ, per contrariã conſuetudinẽ eſſe omnino abrogatã: etiã dicit Læſius s̃. idem. Azebedo etiã *l. 11. tit. 7. n. 9.* ait, neque *c. 1. diſt. 31.* neque leges ſeculares vnquã fuiſſe receptas quoad laicos, & ſic quotidie à cõfeſſariis ludẽtes abſolui ſine propoſito ſeruãdi dictas leges: & addit fortè legiſlatores ſeculares nõ intẽdiſſe obligare ſub mortali. Similiter Lopez 2. *p. Inſtruct. conſcientiæ. c. 31.* docet, laicos, etiamſi ludant quid notabile, non peccare mortaliter, quia conſuetudo id illis concedit.

NOTA autẽ cũ Mol. quòd licèt leges Imperiales eſſẽt receptæ à ſubditis, & nõ abrogatæ cõtraria cõſuetudine, nõ haberẽt locum in noſtro Regno Caſtellæ, quia nõ eſt ſubditũ legibus Cæſareis, vt docẽt omnes, & nos latè *tract. de legib.* vbi autem vim habẽt, ſaltẽ circa Clericos, etiãſi illos directè obligẽt, vt generatim de legibus ſecularibus cũ multis cõtra alios diximus *eodẽ tract.* tamẽ Clerici quoad pœnas ſubiecti non ſũt legibus, vel Prĩcipibus ſecularibus. Vnde quãdo in *authen. interdicimus. C. de SS. Epiſcop.* interdicitur Epiſcopis, & omnibus Clericis ludere ludo tabularũ, aut eis intereſſe ſub pœna, vt tribus annis arceantur à miniſterio, ita tamen vt ſi intra id tẽpus pœnituerint, liceat Epiſcopis minuere illis tẽpus, & ſuo miniſterio illos reſtituere, vt notat Mol. *diſp. 512. in fin.* cum Greg. Lop. *l. 57. tit. 5. partit. 5.* citante Epiſcopum Calegurritanũ, cùm ea pœna ſãcita non ſit iure Canonico, non tenẽtur Prælati illã executioni mãdare: Prĩcipes.n. ſeculares nõ poſſũt Epiſcopis aut Clericis pœnas imponere, nec præcipere Epiſcopis vt pœnas Clericis imponant, vt docet Angel. *verb. ludus n. 4.* Imò Armil. *eodẽ verb. & num.* ait, Imperatorẽ nõ potuiſſe prĩcipere Clericis ne luderẽt. *Num. 4.*

Ex iis patet, falsò Beyam s̃. & Nauarr. *capite 20. numero 6. & 10.* docere, *Num. 5.*

Digitized by Google

cere, leges Imperiales, & similes prohibentes ludum obligare laicos sub veniali: cùm enim sint omnino abrogatæ erga laicos cõtraria consuetudine neque sub veniali illos obligant. Et magis falsum est quod dicunt aliqui leges obligare laicos sub mortali in materia graui. Sylueſt. *verb. ludus. quæſt.* 2. & 4. Alensis 4. *p. q.* 33. *membro* 2. *art.* 15. Sum. Confeſ. *lib.* 2. *tit.* 18. *quæſt.* 23. Turrecrema. *cap.* 1. *diſt.* 35. *art.* 1. Anton. 2. *p. tit* 1. *cap.* 23. §. 2. Raymundus 4. *Sum.* tractando de eleemosyna. Alex. de Arioſtis *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. Gab. 4. *diſtinct.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *notabili* 3. & *art.* 2. *concluſ.* 13. Comitol. *lib.* 3. *quæſt.* 7.

DVBIVM IV.

De legibus in Regno noſtræ Caſtellæ circa ludum.

SVMMARIVM.

1 *Lex Alphonſi circa ludum.*
2 *Ioannis I. & Ferdinandi.*
3. 4 *Lex ſecunda, & difficultati ſatisfit.*
5 *Alia lex.*
6. 7 *Lex Philippi II. circa varios ludos.*
8 *An legiſlatores poſſint obligare ſub mortali?*
9 *Verba quibus leges Regni vtuntur, videntur obligare ſub mortali.*
10 *Iam iſta leges non obligant ſub mortali.*
11 *Aliarum legum explicatio.*

Num. 1. IN hoc Regno variæ leges circa ludũ latæ ſunt. Alphonſus Rex anno 1386. legem tulit quæ hodie eſt 1. *tit.* 7. *lib.* 8. *nouæ collect.* qua in expeditione belli ludum tesserarum, aut tabularum, fortè cartarum (quæ nondum erant in vſu Hiſpanis, ait Mol. *diſp.* 512.) prohibuit ſub pœna ſexcentorum marauedinorum, & vinculorum. Item ſtatuit, vt quicumque aliquid lucraretur eiuſmodi ludo, continuò illud redderet ei à quo id eſſet lucratus, quòd ſi non haberet vnde redderet, coniiceretur 30. diebus in vincula. Hæc lex tribuitur Ioanni Regi primo, *lib.* 8. *ordinam. tit.* 10. *leg.* 1. dicitúrque facta in Viruieſca anno 1367. & ex illis verbis, *cõtinuò illud redderet*, colligit Bannez 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. in eiuſmodi ludo non transferri dominium lucri, ac proinde qui illud accepit, teneri ad reſtitutionem ante Iudicis cõdẽnationẽ. Idem docet Alcozer *de ludo. cap.* 12. *concluſ.* 3. & fuſiùs *toto cap.* 29. cum Soto 4. *iuſtitiæ. quæſt.* 5. *art.* 2. Sed hæc ſententia non placet, quia illa verba ſolùm indicant, ſtatim lata ſententia debere lucrum reddi: & præterea hæc lex non eſt vſu recepta; hodie enim, vt ait Mol. s̃. in expeditionibus bellicis, atque in præſidiis nihil frequentius reperitur quàm ludus teſſerarum, & cartarum.

POSTEA Ioann. primus anno *Num.* 2.
1387. & Ferdinandus anno 1476. *l.* 2. *eod. tit.* prohibuerunt ludum teſſerarum, & cartarum ſub quibuſdam pœnis pecuniariis, quæ ſi ſolui non poſſint, coniiceretur luſor per aliquot dies in carcerẽ & vincula. Idem Ferdinandus poſtea *l.* 9. *eiuſdem tit.* immunes ab eiuſmodi pœnis fecit, vt qui luderent fructus, vinum, aut pecunias ad emendum quod ſtatim prandeatur, aut cœnetur, modò

Digitized by Google

id non luderent tesseris. Et Carolus V. cùm *l.* 10. immunes ab eiusmodi pœnis fecisset qui solùm luderent duos regales ad emenda aliqua quæ manducarentur. *l.* 11. immunes fecit omnes qui non luderent vltra duos argenteos, etiamsi non luderent ad emendum quod manducetur.

Num. 3. LEX secunda citata nouæ collectionis præscribit eum, qui ludo prohibito aliquid amisit, posse illud repetere intra octo dies à puncto quo id soluit, & qui lucratus est, teneri illud reddere, si repetatur: si verò qui amisit, intra octos illud non repetat, potest quicũque alius id exigere, & retinere sibi, quòd si nullus id repetat, tunc quicumque Iudex ex officio suo tenetur illud exigere, & adiudicare fisco, &c. Postea Carolus V. *l.* 10. *eiusdem tit.* præcepit, vt ludentes condemnari non possint pœna ludi, nisi intra duos menses à crimine commisso: cùm autem repetitio eius quod quis ludo est lucratus, in pœnam concedatur, vtique locum non habebit nisi intra duos eos menses, vt bene docet Gutierrez *de iuramento confirmatorio, p.* 1. *cap.* 53. *num.* 3. & Molin. *illa disput.* 512.

Num. 4. DIFFICVLTAS autem est an transactis octo illis diebus concessis ei qui ludo aliquid amisit, vt repetere illud posset, repetere nihilominùs id possit reliquo tempore quousque duo menses integrè elabantur?

AVILLES relatus à Gutierrez *illo n.* 3. negat. Mol. autem & Gutierrez cum Auendanno dicunt posse illud repetere, modò tamen post eos octo dies alius de populo, aut Iudex ipse ex officio id non exigeret. Ratio est, quoniam lex illa concedit collusori octo illos dies, in quibus ipse solus possit repetere quod ludo amisit, & non alius: reliquum verò tempus duorum mensium ipsi, & aliis est commune, atque locus est præuentioni: quare si elapsis octo illis diebus alius id exigere incipiat, excludetur qui id amisit.

LEGE autem 7. *eiusdem tit.* *Num.* 5. omnibus etiam alienigenis prohibetur ludere tesseris quocumque ludi genere, aut tesseras conficere, vel confici præcipere, aut eas vendere, vel vendi præcipere per se, vel per interpositam personam, directè aut indirectè, aut eas in hæc Regna afferre sub pœna exilij duobus annis ab iis Regnis, & vt qui deprehẽsi fuerint eis ludere, amittant executoriè omnia quæ ludere deprehendentur, modò intra octo dies à puncto quo fuerint deprehensi, feratur sententia condemnatoria. Insuper qui tesseris luserint, soluent 20000 marauedinos fisco Regis. Item domus in qua fuerit compertum tesseris fuisse lusum, ac taberna in qua venditæ fuerint, ac repertæ ad vendendum, applicatur Fisco Regis: ministri verò iustitiæ, qui hæc executioni non mandauerint, officiis suis priuantur, ac inhabiles ad alia obtinenda redduntur.

POSTEA Philippus II. *c.* 15. *tit.* *Num.* 6. 26. *lib.* 8. *nouæ collect.* conficientibus, aut vendentibus tesseras per se, aut per alium directè, aut indirectè, vel eis ludentibus, vel apud se habentibus statuit in pœnã, si nobilis fuerit, aut ciuilitate illa gaudeat; quã *hidalgiã* vocamus, exulet quinquẽnio ab iis Regnis, & insuper soluat ducẽtos aureos: si verò fuerit inferioris notæ, flagelletur

Digitized by Google

flagelletur publicè, & quiquénio remiget in triremibus, & amittat de suis bonis 30. mille marauedinos, &c. Ex quibus pœnis videtur peccatum mortale ludere tesseris, nam istæ leges videntur vsu receptæ, & imponunt grauissimas pœnas, quæ sine peccato mortali incurri non possunt. Consonat Pet. Ledesm. *p. 2. Summ. tract. 31. cap. 2. in fin.* vbi ait: ludere ludis prohibitis sub grauissimis pœnis mortis, aut similibus est peccatum mortale, quia ex grauitate pœnę colligitur euidenter intentio legislatoris obligandi sub mortali: & Læs. *lib. 2. cap. 26. dub. 1.* ait laicis non esse mortiferum ludere aleæ ludis, nisi alicubi aliqua lex politica sub graui pœna id prohibens sit in vigore.

Num. 7. IDEM fortasse est de ludo qui dicitur *alos bueltos*: est enim similis ludo taxillorum, & sub eisdem pœnis prohibitus est à Philippo II. anno 1586. *l. 14. noua compilat. tit. cit.* quæ sic habet: *Mandamos que todo lo dispueto por las leges de estos nuestros Reynos cerca de el juego de los dados assi quãto a las penas y aplicaciõ de ellas como al modo del proceder en ellas ordenado, aya lugar y se platique y execute en el juego de los Naipes que llaman los bueltos. Bien assi y de la mesma forma y manera que si real y vedade ramente, el juego de los bueltos fuera juego de dados.* quamuis videam hunc ludum frequentem esse apud nobiles. Ideo non omnino audeo illum damnare. Imò apud proceres videtur introducta, vel introduci cœpta consuetudo ludendi tesseris, Rege, eiúsque consiliaris scientibus, & permittentibus, vel etiam colludentibus.

QVOD verò attinet ad alios ludos cartarum, tabularum, & similes, quia non sunt purè tesserarum, dico primò: causa, ob quam vetantur, sufficiens est, vt legislatores possint obligare sub mortali. Hoc est contra Sotum 4. *iustitia. quæst. 5. art. 2.* Nauar. *cap. 19.* aliàs *20. nu. 10.* Vegam *casu 6.* generatim asserentes, leges quibus prohibentur, non obligare sub mortali, quia earum trãsgressio non est contra iustitiam, seu charitatem: sed cõtra liberalitatem, temperantiam, vel modestiam: quos reieci *dub. 3.* cum Alcozer *de ludo. cap. 30.* quia satis est opus aliquod communiter esse occasionem grauium malorum contra charitatem, iustitiam, castitatem, Religionem, & alias similes virtutes, vt possit sub lethali peccato prohiberi. Num. 8.

DICO secundo: verba quibus leges Regni vtuntur sufficienter indicant mentem legislatorum esse prohibere grauiter, ac proinde sub mortali huiusmodi ludos; vtuntur enim verbo, *mandamus, prohibemus*, & similib. per quæ in materia graui, qualis est hæc, indicant obligationẽ sub mortali in legibus quæ non sunt purè pœnales, vt vidimus *tract. de legib.* vnde initio peccarunt mortaliter qui has leges non receperũt, vel receptas consuetudine abrogare cœperunt. Num. 9.

DICO tertiò: iã istæ leges nõ obligant sub mortali, imò nec sub veniali; quod est contra Alcozer *de ludo. cap. 12.* & Pet. Cou. *de ludo p. 2. cap. 6. & sequentib.* quia contendunt modò obligare sub mortali, eo quòd ad grauissima incommoda vitanda latæ sunt, & vsu receptæ, & contraria consuetudine non abrogatæ, cùm Num. 10.

sæpe

sæpe puniantur qui eas transgrediũtur. Addit tamen Alcozer *ibi, & c. 10. concluſ. 5.* multos excusari à culpa, saltem mortali, quia non est intentio legislatorum eos sic obligare: verùm non indicat qui sint quos nolunt legislatores sic obligare, & qua de causâ.

Sed iis omissis nostram conclusionem tenet Nau. Bart. Med. Vega, & Azebedo citati *dub. præced.* & Mol. *disp. 521.* dicens: laicis in Regno Castellæ non est censendus prohibitus ludus cartarum sub culpa lethali, vt ex pœnis, à iuribus *disp. 512.* relatis in eis Regnis ludentibus eo ludo constat, quoniam esto hodie aliqui ludant plusquàm duos regales argẽteos in Castella ludi permissos, modò non excedant quantitatem quam iuxta cõditionem suæ personæ animi gratiâ eos ludere deceat, neque venialiter peccabunt, tam in Castella, quàm in Lusitania, quoniam non eo rigore leges illæ vsu sunt receptæ in Regibus, & ministris publicis scientibus, atque ipsismet ludentibus longè plusquàm consueuit ludi. Neque obstat quòd non rarò aliqui ob ludum cartarum pœna mulctentur, quoniam id inseruire videtur ad coërcẽdum ne ludi vsus multùm se extendat, & si fas est dicere, vt ministri publici habeant vnde pœnas eruant, quas non à potentibus publicè ludentibus, sed à paruulis semel deprehensis solent extrahere. Timorati tamen Iudices, vt in Lusitania accepi, quando deprehensi de numero eorum nõ sunt qui nimiùm ludo sunt dediti, sed qui animi gratiâ interdum moderatè ludunt, impunes illos dimittere solent: neque enim æquitas patitur, vt pœnas pro eo soluant quod sine vllo peccato efficiũt, & quod passim idcirco aliis permittitur, quòd eiusmodi leges nõ sint eo rigore susceptæ. Similia dicit Bart. Med. 5. quæ mihi placent, præter rationem quã Mol. ponit de pœnis: licèt enim pœnæ pecuniariæ, saltem non valdè graues, non indicent obligationem sub mortali, tamen neque indicant sub solo veniali, aut nullam: sed grauitas obligationis ex grauitate materiæ pensanda est. Quòd autem conclusio nostra communis sit hoc tempore patet, quia omnes sine vllo scrupulo absoluũt ludentes, licèt animus maneat ludẽdi vltra quantitatem legibus permissam, modò non ludant cũ magno familiæ, aut creditorum dispendio, cessẽtque alia grauia inconuenientia.

Ex quibus patet quomodo sint accipiendæ aliæ leges præter relatas, vt lex *9. tit. 7. lib. 8. compilat.* vbi præcipitur vt nulla persona cuiuscumque qualitatis, & cõditionis sit, vna die possit ludere pila, vel alio ludo permisso plusquàm 30. ducatos in pecunia, etiamsi dicat se pro alio ludere, *ni en los dichos juegos ayan trauiesas y que no puedan jugar ni juegen preseas ni prendas ni otra cosa en poca ni mucha cantidad, ni a credito ni a fiado, ni sobre palabra*: & ponuntur pœnæ pecuniariæ; & *lege 15.* de nouo addita eidem titulo dicitur: *mandamos que las leyes de nostros reynos que ponen pena alos officiales que juegan en dias de trabajo se entiendan y estiendan alos jornaleros que jugarẽ los tales dias.* Ista lex quoad circunstantiam temporis, & illa quoad quantitatẽ pecuniæ non sunt vsu receptæ: alias leges Regni inferiùs referemus. Num. 12.

Digitized by Google

DVBIVM V.

An is qui ludo prohibito lucratur, etiam sine vi, & fraude ab eo qui alienare potest, teneatur lucrum restituere perdenti, aut pauperibus antequam petatur?

SVMMARIVM.

1. *Sententia affirmatiua proponitur, & suadetur.*
2. 3 *Opposita vt probabilior sẽtẽtia præfertur, & confirmatur.*
4. 5 *Duo notanda sunt.*
6 *Argumentis satisfit.*
7 *Panormitani sententia improbatur.*

Num. 1. PRo parte affirmatiua arguitur primò, quia leges Imperiales, & huius Regni prohibent ludũ aleę, sed cùm leges prohibent cõtractum illum, etiam irritant, vt patet *leg. non dubium. C. de legibus.* ergo talis contractus est nullus, & sic non transfert dominium in victorem, & tenetur lucrum acceptum restituere. Secundò, quia in *lege quemadmodum. C. de agricolis & censitis. lib.* 10. dicitur: *male fidei possessorem esse, nullius ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Ergo etiam qui contra legum interdicta lucratur, malæ fidei possessor est: ac proinde tenetur restituere. Tertiò, quia *l. aleatorum. C. de Rel. & sump. fun.* præcipit solutum reddi. ergo victor tenetur victo illud restituere. Quartò, quia in *eadem l.* in textu Græco irrita redditur omnis cautio super aleæ lusu: ergo etiam contractus ludi est irritus. Quintò, quia *l. 10. tit. 25. partita 3.* expressè decidit, de ludo acquisitis non posse eleemosynam fieri; quod falsum est si victor comparat dominium. Sextò, quia est multorum, & grauissimorum hominum sententia, acquisita ludo prohibito retineri non posse: sed danda esse victo, si ad ludum à victore tractus est; si verò non est tractus, pauperibus. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 37. art. 7. ad 2.* quem male Aragon ibi, Sotus, & Valentia ĩ. interpretãtur, vt solùm ponat obligationem restituendi post Iudicis sententiam. Alij verò, vt Pet. Gouar. *de ludo. p. 3. c. 2. ad 4.* vt solùm velit quòd si ius aliquod positiuum irritaret translationem dominij, tale lucrum retineri non posset. Sed vtraque expositio violenta est, vt patebit inspicienti: nam de Iudice nulla ibi fit mentio, & D. Thom. absolutè vult, ius Cæsareum prohibere, & irritare tale lucrum, & ideo vbi viget tale ius, restitui tale lucrum debere victo, si tractus fuit ad ludum à victore: pauperibus verò si non fuit tractus, quia victus cùm voluntariè lusit, indignus factus est cui fieret restitutio: atque ita eum interpretantur Anton. Angles, Syluester, Adrianus, Comitolus, Ioan. Medin. & multi alij referendi. Neque alienus est Bannez ibi ab hac interpretatione; ait enim intelligendum de legibus si quæ ferantur, quæ annullant translationem dominij, aut si loquatur de legibus iuris communis suo tempore iam editis, fortasse illo tẽpore sic intellectas fuisse à Iurisperitis: sed tamẽ vel illam

Digitized by Google

non fuisse legitimam intelligẽtiam, aut certè fuisse abrogatas contrario vsu. Idem tenet D. Thom. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *q.vlt. ad* 2. Bonauent. 2. *p. illius dist. n.* 69. non solùm de ludo aleę sed etiam de ludo tornamenteorum prohibito, & de omnibus ludis illicitis intelligit: nã ratio eius ad omnes pertinet. Idem tenet Syluester *verb. ludus. q.* 13. Tab. *q.* 8. Rosel. *n.* 4. Armil. *n.* 6. Ricard. *eadem dist. art. vlt. q.vlt.* Alb. *art.* 43. Palud. *q.* 3. *art.* 5. Alẽsis 4. *p. q.* 33. *membr.* 2. *art.* 5. Arias *q.* 86. *membr.* 3. *art.* 6. Comitol. *lib.* 3. *q.* 8. Anton. 2 *p. Sum. tit.* 1 *c.* 23. §. 3. & 4. Turrecremata *c.* 1. *dist.* 35. *art.* 2. & 3. Hostiensis *in Sum. tit. de pœnitentiis, & remissionibus* §. *sed quid de lusoribus. à n.* 61. Sum. Confess. *lib.* 2. *q.* 25. Raymũdus *in Sum. tract.* 4. *c. de quibus debeat fieri eleemosyna.* qui alium Raymũdum citat. Aug. Triumphus Anconitanus *lib. de potestate Eccles. q.* 62. *art.* 6. Aluarus Pelagius *de planctu Eccles. c.* 46. *colum.* 22. & 23. dicens, omnes Doctores sui temporis in eadem esse sententia: quam etiam tenet Alex. de Arioſtis *lib.* 2. *tit.* 3. *c.* 1. & multi alij apud eũdem, & apud Anton. & Syl. uest. 5. & Azorem 7.

SED quidam limitant ad ludum prohibitum, in quo lex præcipit restitutionem, vt in ludo tornamẽteorum, in quo lex eam non præcipit, dicunt non esse obligationem restituendi. Ita Armil. 5. & Tabi. *q.* 9. cũ Rosel. & Ricardo. Dicunt etiam Armilla, Rosel. & Sylvest. *verb. ludus. q.* 12. & 13. hanc sententiam esse veram vbi leges sunt in viridi obseruantia, secus quando contraria consuetudine sunt abolitæ. Palud. etiam docet, si quis restituit pauperibus, non posse à Iudice cogi, vt victo restituat.

SECVNDA & probabilior sentẽtia est, in eo casu victorem comparare dominium lucri, & non teneri ad restitutionem ante Iudicis condemnationem Ita Adrianus *in* 4. *q.* 11. *de restitut.* quæ est *de ludo*, & incipit, *quia in superioribus.* Ioan. Med. *de restitut. q.* 22. Maior 4. *dist.* 15. *q.* 13. Gab. *q.* 13. *art.* 1. & 2. Sotus 4. *iustitia. q.* 5. *art.* 2. Castro 2. *de lege pœnali. c.* 2. *concluſ.* 1. *corollario* 3. Couar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 4. *à n.* 1. Nauar. *c.* 20. *n.* 18. & 19. Angelus *verb. ludus. n.* 3. Mol. *disp.* 513. Caiet. *in Sum. verb. ludus.* & 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 3. & *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. vbi Aragon, Bannez, & cæteri Thomistæ, Læsius 2. *iustitia. c.* 26. *dub.* 6. Reb. *de obligat. p.* 2. *lib.* 22. *q.* 2. Sa *verb. ludus. n.* 6. Emanuel *n.* 1. Vega *casu* 5. Martinus Ledesma 2. *p. Quarti. quæst.* 18. *art.* 4. Morla *in Emporio. p.* 1. *tit.* 7. *q.* 2. *n.* 1. & 4. Toletus *lib.* 5. *c.* 27. Azor *to.* 3. *lib.* 5. *c.* 24. *lect.* 4. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *puncto* 5. *q.* 8. Angles *q. de ludi restitut. in principio.* Petrus Ledesma 2. *p. Sum. tract.* 31. *c.* 2. Beya 1. *p. respons. casu* 61. Bartol. Med. 1. *Sum. c.* 14. §. 29. Alcozer *de ludo. c.* 22. Pet. Couarr. *p.* 3. *c.* 9. Ioan, Baptista Corrad. *in Sum. q.* 196. Ludouicus Lopez 2. *p. Instruct. conscientiæ. c.* 33. Num. 2.

PROBATVR ex §. *per traditionem. Inst. de rerum diuis.* vbi dicitur, nihil tam conueniens esse naturali æquitati quàm voluntatem volentis rẽ suam in alium transferre, ratam haberi. Sed ludentes etiam ludo prohibito volunt rem suam ludo transferre: ergo bene transfertur. Ad idẽ est *l.* 1. §. *si conueniat. ff. depositi.* & *l. contractus. ff. de reg. iur.* vbi dicitur contractus ex conuentione legem accipere, &c. Confirmatur, quia stando Num. 3.

in

in iure naturæ ludus, & contractus iustus est dominij translatiuus secuta traditione, vt alij contractus: per leges autem positiuas licèt aliqui ludi prohibeantur, non tamen irritantur, nisi in Castella, quando luditur creditò: ergo qui ludit præsèti pecunia, si lucratur, fit dominus rei, & non tenetur eam restituere antequam petatur, imò nec antequam per sententiam Iudicis condemnetur, vt latiùs postea videbimus. Ergo & miror sanè cur aliqui dixerint restitutionē pauperibus faciēdam: nam si per ludum non transfertur dominium, illud manet apud victum; ergo illi est facienda restitutio & non pauperibus: vel si adhuc nō soluit, sibi poterit retinere.

Num. 4. Sed nota primò ex Molin. *disp.* 513. quanuis intentio legū latorum esset irritum reddere eum ludi contractum, atque impedire translationem dominij, quod tamen falsum est, vt cōstat *l. si ipsas expendēdo.* hodie tamen per contrariam consuetudinē essent quoad hoc obsoletæ, cùm consuetudo sit lucrum ex ludo non restituere; sed tanquam suum id retinere: & D. Thom. *illo art. 7. ad 2.* Anton. de Arioſtis, & omnes, nullo reclamante, docent posse leges quoad hoc aboleri contraria consuetudine. Imò Armil. *verb. ludus n. 9.* Roscl. *n.* 4. cum Ioanne Andrea, & Calderino, Alex. Lombardo *tract. de vsuris.* & Scoto 4. *dist.* 15. dicunt quoad hoc leges Cæsareas esse abrogatas, ita vt nulla perdenti detur actio in iudicio, quod etiam ex Bannez s. retulimus.

Num. 5. Nota secundò ex Mol. ibidem, & Reb. *illo lib. 12. q. 1.* Panor. *c. penult. de vita, & honestate Cler. n. 12.* Alcozer *de ludo c. 29. in fin.* cum Doctoribus *c. 1. de treug. & pace.* licèt repetitio pecuniæ in ludo amissæ nunquam in vsu fuisset post receptam, validámque legem, non proinde censendum esse legem abrogatam, quia non est consuetudo per actus contrarios, qua sola lex abrogari potest, qualis fuisset si repetitio petita in iudicio negari consueuisset, non vsus autē legem non abrogat, vt *in tract. de legib.* cum aliis docui, vt si nullus natus sit multis annis hermaphrodita, non cessat lex *inuenis*, vt hermaphrodita secundùm sexum præualētem iudicetur.

Num. 6. Ad primum argumentum respōdeo ex Mol. *tom. 1. tract. 2. disp. 88.* Reb. & Adriano s. qui citant Bartol. & alios, legem illam intelligendā esse, vt locum non habeat quando lex prohibet aliqua, nec sistit, sed vlteriùs progreditur conferendo modum infirmandi quod contra eā legem factum fuerit: tunc enim non plus censetur infirmari quàm iuxta modum traditum. Vnde, quia leges Cæsareæ ludum prohibentes non ibi sistunt, sed vlteriùs progrediuntur concedendo repetitionem in iudicio eius quod ludo prohibito cōparatum est, ideo leges illæ non intendunt irritum efficere contractū, neque ad restitutionem obligare, nisi post latam sententiam. Addit Mol. ibi: fortè dispositio illius legis vim non habet nisi in foro externo, & post latam sententiam; quasi eo ipso quòd aliquid contra legem factum est, dignum sit quod irritetur, arbitrórque (inquit) legē illam nō amplius esse vsu receptā. Quod colligit ex nōnullis legibus Lusitanię, & vsu totius orbis, qui legem illam

Digitized by Google

sic interpretatus est, vel contra eam præscripsit. Suar. *to. de legibus. lib. 5. c.* 27. post longam disputationem resoluit, eam legem velle, vt contractus prohibitus in substãtia, & non in solis circunstantiis irritus sit, id est, irritandus, retrahendo irritationem ad diẽ comissii criminis. Vasq. 1. 2. *to. 2. disp.* 164. ait, illam legem, *non dubium*. apertè decernere factum in substantia contra legem esse nullum: cæterùm non habere locum in hoc Regno, neque in aliis quæ non sunt Imperio subiecta.

AD secundum respondeo, legem quæ prohibebat emptionem seruorum rusticorum, & censitorum sine solo, impediuisse translationem dominij verbis legis, vel vsu ita interpretante, ideo seruos emptos contra illam legem non potuisse proscribi, quia mala fide possidebantur. In ludo verò nulla est lex quæ impediat dominij translationem.

AD tertium respondeo, ipsam legem alearum interpretari quomodo solutum sit reddendum: subiungit enim, *& competentibus actionibus repetatur*, scilicet in iudicio.

AD quartũ respondeo ex Læs. ẽ. *dub.* 3. irritam quidem reddi omnem cautionem super ludo prohibito, qua nimirum caueatur, vt lucrum possit peti à victore; vel non possit repeti à victo in iudicio: ipsũ tamen ludi contractum esse validum, & dominium transferre, etsi infirmum.

AD quintum respondeo, malè illam legem citari à Morla *illa quæst.* 2. *n.* 11. in ea enim nihil ad rem: si tamen alicubi inueniatur, exponenda est, vt solùm velit de ludo acquisitis nõ posse fieri eleemosynam ex sententia Iudicis, quia restitui debent victo, si ea petat in iudicio, saltem intra octo dies, vel duos menses.

Ex iis patet quàm falsum sit quod ait Pan. *c. penul. de vita, & ho. Cler. n.* 12. & videtur sequi. Sylvest. *verb. ludus. q.* 14. & Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 13. *art.* 2. *concluso.* 3. scilicèt ludentem præcipuè lucri causâ, etiam ludo non prohibito, teneri ad restitutionem. *Num.* 7.

DVBIVM VI.

An qui alium traxit ad ludum per vim, fraudem, minas, conuitia, vel nimiam precum importunitatem, teneatur restituere lucrum ante Iudicis sententiam?

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua proponitur, & suadetur.*
2. 3 *Sententia affirmans attrahentem teneri ad restitutionem præfertur, & probatur.*
4 *Ad contraria argumenta fit satis.*
5 *An attractus debeat restituere lucrum trahenti?*

PARTEM negãtem tenet Mol. *disp.* 516. & Francisc. Garsia *de cõtract. p. 2. c.* 19. Primò, quia talis absolutè voluntariè lusit; tale autẽ voluntariũ sufficit ad transferendũ dominium, præsertim in cõtractu oneroso, vt cùm aliquis sic cõpulsus vẽdit rẽ iusto pretio. Secũdò, quia si sic attractus vincat, nõ tenetur restituere lucrũ: ergo neque inductor si lucretur; debet enim esse par vtriusque cõditio. Tertiò, quia hoc ipso quòd intendis lucrari ab altero, cẽseris ei liberè cõcedere ius lucrãdi à te, alioqui debebas habere animũ restituẽdi si lucrareris, aliàs nõ esset æqualitas. ergo non tenetur tibi restituere. *Num.* 1.

SED

Num. 2. SED vera & communior sententia est, teneri attrahentem ad restitutionem. Sic absolutè docent D. Thom. Bonau. Palud. Ricar. Anton. & Alens. citati *dub. præcedenti*, quos de quacunque tractione ad ludum prohibitum, etiamsi in ea non interueniat vis, fraus, dolus, vel iniuria; sed simplex inuitatio, & deprecatio, interpretantur Adrianus *q.* 11. *de restit.* quę est de ludo. Med. *de restit. aut. quæst.* 22. & Azor *lib.* 5. *to.* 3. *cap.* 25. *quæst.* 1. quia illi tenent, lucrantem teneri ad restitutionem, & in eo casu potiorem esse conditionem tracti quàm pauperum: ideo illi, & non pauperibus faciendam restitutionem. In quo casu illam sententiam esse falsam meritò docēt Adrianus, Medin. & Azor, quia cùm nulla ex parte lucrantis iniuria interueniat, nihil est quod impediat trāslationem dominij in ipsum, aut inducat restituēdi obligationem. Cæterùm multi D. Thom. piè, & benignè interpretantur, vt non loquatur de tractione merè deprecatiua, & inuitatiua, quæ propriè, & per se tractio non est, cùm non causet inuoluntarium mixtum cum iniuria, nec sit coactio; nam volentes ducimus, nolentes, inuitos ac repugnantes trahimus: sed de tractione in qua interuenit iniuria, & inuoluntarium mixtum, vt si interueniant minæ, metus, aut vis, opprobria, conuitia, preces importunæ, vel fraus. Ita D. Thom. & alios, qui ipsum imitantur, interpretantur Victoria, Caiet. Bannez, & Aragon 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Alcozer *de ludo. cap.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 5 *sect.* 6. *puncto* 5. *q.* 8. Comitol. *lib.* 3. *q.* 9. & ita sentiunt ij omnes, & Sotus 4. *iustitia. quæst.* 5. *art.* 2. Castro 2. *de l. pœnali. cap.* 2. *corollario* 3. Couarru. *reg. peccatum. p.* 2. §. 4. *n.* 7. Angles *in* 4. *quæst. de ludo. dub.* 4. Morla 1. *p. Empor. tit.* 7. *quæst.* 2. *num.* 10. Rebell. *de oblig. p.* 7. *lib.* 12. *quæst.* 3. *n.* 7. Sa *verb. ludus. num.* 7. Læsius *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 7. & alij communiter.

Num. 3. RATIO est, quia contractus graui metu facti sunt irriti iure naturæ, & dominium non transferunt, vt docet ipse Mol. *to.* 2. *disp.* 326. *ad* 2. & nos latè cum aliis 1. 2. *to.* 4. *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 1. Ergo cùm in prædicto casu interuenit vis, metus, aut minæ graues, aut tanta importunitas, quæ æquiualeat violentiæ, contractus est irritus, & dominium non transfert, ac proinde parit naturalem obligationem restituendi. Læsius verò probat primò, quia iste contractus est extortus per iniuriā; ergo inducit obligationem restituendi damnum quod inde secutum est. Secundò, quia si per vim cogam te ludere cum tertio, tenebor ad restitutionem damni tibi prouenientis: ergo etiam si colluſor te cogat, tenebitur, nam vtrobique eadem est ratio. Tertiò, quia si te cogam mecum inire contractum societatis mercaturæ, tenebor ad restitutionem, si nauis pereat, vel alia damna accidant, eo quòd sum iniusta causa, sine qua damnum non incurrisses: ergo similiter habet. Quartò, si non haberes animum lucrandi, colluſor teneretur restituere, atque animus lucrandi ex contractu, suppositā coactione iniusta, non adimit ius sarciendi damnum, si quod fortè ex tali cōtractu secutum fuerit: nam in potestate ipsius est contractum confirmare, vel rescindere: ergo &c.

Num. 4. AD primum verò argumentum

respondet Læsius, licèt illud voluntarium sufficiat ad valorem contractus, & translationem dominij secuta traditione; tamen quia est per iniuriam extortum, posse læsum acta rescindere, & rem alienatam recuperare, & lædentem teneri ad resarciendum damnum, cuius causam iniustè dedit. Sed meliùs respondetur, illud voluntarium mistum cum iniuria graui non sufficere ad valorem contractus, alioqui ansa daretur malefactoribus cogendi ad contractus: & sanè si ille contractus esset validus, & transferret dominium secuta traditione, posset lucrans vti lucro in quemcumque vsum, quia dominium est ius vtendi re in quemcumque vsum. ergo non tenetur restituere lucrum.

AD secundum respondeo cum Læsio negando consequentiam: tenetur enim inductor ratione iniuriæ ex qua parte damnum obuenit, quia debet esse par conditio ludentium, si per se contractum ludi spectes, secus si intercedat iniuria: si enim mihi iniuriam facis in numero punctorum, vel calculorum, non potes lucrari; ego tamen possum. Simile quid concessit Moli. *disp. 352. concluſ. 1.* vbi existimat, & rectè, contractum, cui dolus vnius contrahentiũ causam dedit, esse irritum in conscientia, ac si vis ab eodem illata causam illi dedisset. Addit tamen decipientem teneri in conscientia ad standum contractui, si id deceptus eligat, etiam nulla expectata sententia Iudicis, quia naturali æquitati consentaneum est, & bono communi expedit, vt detur optio decepto. Similiter multi Theologi, & Iurisperiti, quos nominatim refert Thomas Sanchez *to. 1. de matrim. disp. 5.* tenent, eum qui metu graui coegit ad matrimonium, debere stare contractui, si coactus id velit, quanuis ipse Thom. Sanch. cum aliis multis oppositum teneat; & meritò, quia non est eadem ratio in matrimonio, & in nostro casu, in quo quidam existimant, attractum restituere debere non trahenti, sed pauperibus. Ita Alex. *3. p. quæst. 32. memb. 3. art. 2. quæst. 1.* Palud. *4. dist. 15. quæst. 3. art. 5.* Anton. *2. p. tit. 1. cap. 23. §. 3.* cum Raymundo, quem etiam citat, & sequitur Turrecremata *c. 1. dist. 35. art. 2.* Idem tenet Panorm. *cap. penulti. de vita, & honest. Cler.* cum Innocentio, quos citat, & sequitur Comitolus *lib. 3. quæst. 9. num. 4.* Sylvester etiam *verb. ludus. quæst. 13.* citat Archidiaconum, quem, & alios malè exponit, vt sentiant restitutionem faciendam pauperibus non de præcepto, sed de consilio: nam manifestè loquuntur de præcepto.

ALII verò tenent, attractum debere restituere lucrum trahẽti: nam sicut trahens lucrari non potest, ita nec attractus. Sic sentit Lopez *2. p. Instr. cap. 34.* citans Victoriam, & Alcozer *de ludo. cap. 2.* quorum sententiam probabiliorem putat Petrus Ledesma *2. p. Summ. tract. 8. cap. 31. concluſ. 10.* qui citat Bannez. Probabilius mihi est oppositum, quod tenent Emanuel *2. p. Summ. cap. 188. concluſ. 8.* Ioann. Medin. Molin. Garsia, Reb. & Læs. ẽ. in quod etiam videtur inclinare Angles ẽ. *dub. 5.* citans Vzedam Franciscanum. Sed contra Garsiam, & Mol. teneo, cogentem debere restituere. Itaque cogens potest amittere, & non lucrari: coactus verò potest lucrari, & Num. 5.

non

non amittere, quod verum est etiãsi coactus habeat animum lucrandi à cogente: per quod respondeo ad tertium argumentum: nam etiamsi coactus habeat animum lucrandi, contractus est validus in fauorem ipsius, nullus verò in fauorem cogentis. Læsius verò respondet, coactum non liberè, sed coactè dare alteri ius lucrandi: & ideo licèt contractus sit omninò validus; posse ipsum reuocare, vel ratificare pro vt voluerit: vt etiam docet *eod. lib. cap.* 17. *dub.* 6.

Sed quæres an id sit verum quãdo metus, vel vis non est grauis, sed leuis? Azor 3. dicit primò certum esse apud omnes teneri ad restitutionem quicumque quẽ traxerit alium ad ludum vi, fraude, vel metu cadẽti in virum constantem. Secundò addit, si trahat ad ludendum conuitiis, vel importunis precibus, aut metu leui, debere restituere tractorem. Citat Sotum, Couar. & Nauarr. & ait oppositum tenere Adrianum: sed Adrianus solùm ait, quando nulla noscitur iniustitia, non teneri ad restitutionem, & Sotus solùm docet, vim, aut metum grauem sufficere ad irritandum contractum, & ad inducendam restituendi obligationem; neque quidquam dicit de metu leui. Præterea nec semper vis leuis est per conuitia, vel importunas preces; sed interdum grauis, & tũc censeo esse obligationem restituendi, & contractum esse irritum, aliàs verò non, quanuis Couarr. *illo num.* & Reb. *de obligationibus p.* 2. *lib.* 1. *q.* 5. & Nau. *cap.* 17. *n.* 5. 15. & 29. aliàs 30. & *c.* 22. *n.* 51. & *c. dicatis. n.* 67. & Comitol. *lib.* 3. *quæst.* 2. *nu.* 8. & *quæst.* 3. & Sarmiento 2. *Select. cap.* 11. Emanuel 2. *p. Sum. cap.* 82. *concluſ.* 2. & alij teneant, metu leui facta irrita esse in conscientiæ foro, licèt non in externo. Quam sententiam reiicit 1. 2. *loco cit.* & fusiùs eam impugnabo *tractatu de contract.* in communi.

Quæ dicta sunt de trahente ad ludum, dicenda sunt de cogente ad eius continuationem, vt notat Azor, & communiter alij citati.

DVBIVM VII.

An qui fraudibus in ludo vtitur, peccet contra iustitiam cum onere restituendi?

SVMMARIVM.

1 *Qui fraudibus vtitur contra leges iustitiæ, vel ludi, peccat mortaliter cum onere restituendi.*
2 *Aliqua præcipuè obseruanda circa ludum, & sponsionem.*
3. 4 *An colluſor, vel circumstantes debeant monere aduersarium si aliquid committat, vel omittat?*
5 *Qui fraudem contra leges ludi committit, ad quam restitutionem teneatur?*
6 *Iuxta doctrinam traditam quatuor notanda sunt.*

Num. 1. Respondetur, qui fraudibus contra leges iustitiæ, vel ludi vtitur, peccat mortaliter ex suo genere contra iustitiam, & tenetur restituere damnum emergens, & lucrum cessãs colluſori, secus si fraudes iuxta leges ludi, & æquales fiant. Ita docet Medina *de restit. quæst.* 22. *ad fin.* Couarr.

Digitized by Google

Couar.*reg.peccatum.p.*2.§.4.*n.* 5. *&* 6. D.Thom.Caiet.Bann.Victoria,Aragon,& alij *2.2.q.*32.*art.*7.*ad* 2.Valentia *disp.*5.*q.*6.*puncto* 5.Mol.*disp.* 517. Læs.2.*iustitia.c.*26.*dub.* 2.Reb.*p.*2.*lib.* 12.*q.*3.Morla *p.*1.*Emporij.tit.*7.*q.* 2.*n.* 5.*&* 6. Castro, Soto, Lopez, Bartolomæus Medin. Nauar. Alcozer,& alij.

*Num.*2. HINC primò,qui certus est se lucrari,eo quòd primũ locum, & meliorẽ sortẽ habeat,licitè potest auge reexponsionẽ,& lucrari,quia hoc ferunt leges ludi. Hinc secundò, qui certus est se inferiores partes ludi habere, potest augere exponsionẽ, vt alter deterritus id augmentum recusẽt, & pecuniam ante positam amittat.

*Num.*3. HINC tertiò,siquis videat aduersarium aliquid cõmittere,vel omittere,propter quod expõsionẽ amittat,licitè permittet eundem decipi, vt si lex ludi sit expõsionẽ amittere qui plures cartas, quàm cõsuetas acceperit,& viderit aduersariũ plures accipere, non tenetur eum monere.Idem est si videat illum errare in enumerandis punctis, calculis, seu signis,& non moneat. Quisque enim (vt ait Læs.) suas tantùm partes agit, neque cẽsetur ludenti prodesse, quod per negligentiam non aduertit.Addit tamen Læs. hoc non esse vniuersè verum:sed vbi consuetudine est receptum.Imò Nauarr. *c.* 20.*n.*17.Azor *to.*3.*lib.*5.*c.*25.*q.*2. Mol. & Reb. ẽ. dicũt,si aduersarius lucratus est,& id non attendit, vel quia in numeratione pũctorũ decipitur, vel alia de causa, aut per obliuionẽ non petit quod est lucratus,colluforẽ teneri ad restitutionem, nisi fortè lex ludi alicubi sit, vt id noceat, aut non attendẽti,aut non petẽti:sẽper enim legibus ludi standum est.

*Num.*4. ET quando colluſor nõ tenetur aduersariũ monere,nec qui ludo interſunt,ad id tenentur, imò tenẽtur non monere,& si monuerint,tenentur ob iniuriã illatam colludẽti restituere quod eius intererat aduersariũ monitũ non fuisse. Addit Mol. hanc doctrinam procedere etiamsi alter colludentiũ obiiciat se ignorare eas leges,quia contractus ludi, sicut & cæteri, censetur celebratus iuxta leges loci, in quo luditur: si alias ipsi non statuerint,sibique imputare debet qui ludit,si non interroget leges eius loci. Idem dicunt Læs.& Reb.

*Num.*5. ADDIT etiam Læs. siquis fraudẽ alicui faciens contra leges ludi, dubitet an impedierit alicuius lucrũ, non teneri ad restitutionem, quia melior est conditio possidentis. Eadẽ ratione si dubitet an ipse ob fraudem fuerit lucratus,tenetur lucrum restituere,quia in dubio non potest sibi rem alterius attribuere, cùm sit melior conditio possidentis.

DICO tamẽ restituere debere quãtùm valebat spes quam alter habebat lucrandi,vel non amittendi,qua iniustè per illam fraudem illũ priuauit,vt dicunt Nau.& Reb. ẽ. de eo qui cartas suſurrat, vel notat, vel vtitur cartis quas à tergo nouit colluſore eas ignorante,non per negligentiã,sed quia illis cartis antea nõ luserat sicut colluſor.Idem est de eo qui componit cartas arte, & industria, vt melior pars sibi obueniat, & de eo qui scienter numerat sibi plura pũcta,vel aduersario pauciora quàm habeat,& de eo qui admonet de ludo aduersarij,& de socio nõ

ad-

Digitized by Google

adiuuante quantùm potest, & tenetur iuxta leges ludi, tenetur enim ludere quanta potest dexteritate, sociúmque quàtùm expedit, & fas est, admonere. Idem est de eo qui scienter primum locum surripit, quam manum appellãt, quia surripit colluſori ius aptiùs ludendi. Idem est de eo qui commissione, vel ludo certo discedit, vel cartas euoluit, aut ostédit, quando id non licet iuxta ludi leges, & causa est aliis vt amittant, aut non lucrentur. In iis enim ac similibus euentis non totum lucrum est restituendum, sed quàtùm colluſori valebat spes lucrandi, vel non amittendi, si id factum non fuisset, sicut qui destruit messem non tenetur restituere quàtùm postea in area redderet, sed quantùm in herba æstimaretur. Ita Nauar. Azor, & Reb. ex Doctoribu. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 4.

SED nota primò cum Rebel. si quis bona fide primum locum alteri debitum acciperet, iste error quasi per leges ludi, & consuetudinẽ toleratur, & obligationem restituendi excludit. Secundò nota, inspectorem ludi non peccare contra iustitiam, si non admoneat ludentem errare computando puncta, vel non capiẽdo primum locum, nisi id promiserit; & ita non teneri restituere, licèt interdum peccet contra charitatem. Ita Nauar. s. & Vega *verb. ludus. casu.* 19. quod verum est, etiamsi teneamus, colluſorem peccare contra iustitiam, si de iis nõ admoneat, vt tenuerunt Nauar. Azor, & Mol. s. citati. Tertiò nota, quando inter colludẽtes disceptatio est an aliquid sit contra leges ludi, cõsulendos esse eius ludi peritiores, eorúmque iudicio standũ, vt ait Couar. s. *n.* 4. Bann. *Ioan. de Salas.* Arag. & alij. Quartò nota, cùm aduersarius gratis dat tibi facultatem, vt aliquid facias quod aliàs facere nequeas iuxta leges ludi, *como hazer mas resto a que aya mas des carte*, si suppoſita ea gratia, & liberalitate lucreris, lucrum tibi ex iustitia deberi. Vltimò nota, absoluta manu, seu commissione, nisi ab initio aliud cautũ sit, quemlibet posse à ludo surgere, & lethaliter peccare perdentem, teneríque ad interesse, si cogat ad ludi prosecutionem, vt cũ Azor. & aliis diximus, & docet Reb. *lib.* 12. *q.* 1. *n.* 4. Nauar. *c.* 20. *n.* 13. Palac. *in Sum.* Caiet. *verb. ludus.*

DVBIVM VIII.

An à fure, vſurario, depoſitario, & quouis alio rem alienam ludente ſine facultate domini lucrari poſſimus?

SVMMARIVM.

1 *Si res est aliena, quæ vsu non consumitur, tenetur qui illam lucratus est eam restituere domino statim ac nouerit esse alienam.*

2. 3 *Quando non tenetur restituere quirẽ alienã lucratus est, & quãdo tenetur?*

4 *Etiamsi ludens cum fure sciret pecuniam esse furtiuam, si fur haberet alia bona contractui ludi esset validus.*

5 *Cuiusdam difficultatis resolutio tribus conclusionibus.*

RESPONDETVR primò: si res est aliena, quæ vsu non consumitur, quæ est depoſita, &c. qui illam lucratur, etiã bona fide, tenetur statim ac nouerit esse Num. 1.

esse alienam, eam restituere domino: Mol. *disp. 518.* Læs. *lib. 2. c. 16. dub. 5. n. 35.* Ratio est, quia licèt bona fides impediat obligationem restituendi ortam ex iniusta acceptione, non tamen ortam ex re accepta. Docent tamen Mol. & Læs. ludentem tunc teneri de euictione, deberéque restituere lucranti valorem rei domino redditæ, vel euictæ, nisi res sit furtiua, & lucrans id sciat, quia vēditor rei alienæ tenetur de euictione, nisi emptor sciret rem esse furtiuam. Sed ego de hac doctrina dubito, tum quia non videtur eadem ratio de vendente, & de ludente rem alienam: nam vendens rem alienam aliquid accipit pro illa, ludens verò non: tum quia vendens rem in ludo, vel illam ludens, saltem ludo prohibito, non tenetur de euictione. *l. fin. ff. quarum rerū actio detur.* Glossa, Angelus, & alij *ibi, & leg. 36. tit. 5. partita 5.* vbi Gregorius Lopez. Nihilominùs non audeo damnare illam sententiam, quæ etiāest Reb. *de oblig. p. 2. q. 12. n. 13.*

Num. 2. Dico secundò, si fur, vel vsurarius pecuniā vsura, vel furto acquisitā, aut depositarius depositā, aliúdve vsu consumptibile ludo perdat, habeátque alia bona, ex quibus soluere possit antiquo domino, is qui rem illam fuerit lucratus non tenetur illam restituere, sed potest sibi retinere, quia qui rem perdidit, est dominus illius, & non tenetur eandem numero restituere: sed tantùm specie, quia res vsu consumptibiles functionem in suo genere recipiunt; vnde ille potest rem illam ludere, & de illa facere donationē, vel eleemosynā, vt latè docet Mol. *disp. 326. & 327.* Poterit ergo ea re lucrari, ac proinde illam amittere, & sic lucrantes non tenebuntur illam restituere. Ita sentit Mol. *disp. 518.* Læs. Reb. & Pet. Ledesma.

Dico tertiò, si fur, depositarius, vel vsurarius nihil omnino habebat, vnde redderet antiquo domino valorem rei furtiuæ, vsurariæ, vel depositæ vsu consumptibilis, qui illam fuerit lucratus, tenebitur eam restituere, quia illa res erat antiquo domino restituenda, nec poterat ludi, vel donari, &c. ergo ludens non poterat eam amittere, ac proinde nec per eam lucrari: ergo qui ludo ipsam acquireret, teneretur restituere. Si verò habebat vnde redderet partem valoris eius rei, posset perdere partem, & tantundem à colludente lucrari. Ita sentiunt authores citati. Atque de mente Mol. Reb. & Læs. in hoc euētu, si pecunia, vel aliquid aliud antiquo domino restituatur, vel euincatur, perdēs eam ludo tenetur de euictione lucrāti, seu valorē illi restituere quando potuerit. *Num. 3.*

Dico quartò, etiamsi ludens cum fure sciret pecuniam esse furtiuam, si fur habebat alia bona, contractus ludi esset validus, & vterque ludentium posset licitè, & validè lucrari. Videtur contra Mol. *illa disp. 518.* asserentem tunc fortè contractum ludi esse nullum, quoniam quando emptor scit rem esse furtiuam, contractus est nullus, vt cū ipso *disp. 327.* vidimus *tract. de empt.* Cæterùm non est eadem ratio de illo ludo, & de emptione: nā in illo ludo non exponit fur rem alienā, sed propriam, vt Mol. fatetur, & eius valorem potest reddere antiquo domino: ergo contractus est validus, & lucrum à lucrante retineri potest. *Num. 4.*

Ex

Digitized by Google

Num 5. Ex quo infertur resolutio difficultatis tertiæ, quam tractat Ledesm. 2.p. *Sum. tract.* 31. *c.* 2. *cõclus.* 7. de quodam qui cum alio ludens deficiente sibi pecunia, clàm eam surripuit à colludente, & lucratus est, an possit lucrum tuta conscietia retinere? Ad quam difficultatẽ confusè respõdet. Ego verò dico primò, si ille non habebat vnde pecuniam furto habitã restitueret, cõtractum esse nullum, & similiter donationem, & eleemosynam (sicut etiam in vsurario nulla habente bona nisi per vsuras acquisita) ac proinde eum qui lucratus est, vel in eleemosynam aliquid ab illo accepit, debere illud restituere. Ita sentit Ledesma.

Dico secundò: si lusor ille habebat alia bona vnde pecuniam subreptã posset domino restituere, probabile est lucrari à domino licitè potuisse, & non teneri ad restitutionẽ; sicut & dominus quod ab eo lucraretur, non teneretur illi restituere; & sicut fur, vel vsurarius, quod pecunia furtiuè, vel vsurariè partã lucratur à domino, vel ab aliis, nõ tenetur illis restituere. Similiter, si pecunia colluſoris, quam quis suam bona fide putabat, & quam ex bonis quæ domi habebat, poterat restituere, aliquid ab eo lucratus fuisset, nõ teneretur postea illud domino restituere: in omnibus enim iis casibus eadem ratio videtur.

Dico tertiò, probabilius esse id quod magis ipse Ledesma innuit, talem debere lucrum illud restituere. Ratio Ledes. est, quia actus aliter est omnino inuoluntarius, & cũ illo nõ luderet, si sciret nullam habere pecuniã propriã præsentẽ. Itẽ, quia in hoc contractu non est æqualitas, licèt fur domi habeat bona propria, ex quibus possit furtum restituere: nam vnus ludit quasi pecunia absenti, alter quasi præsenti, & sic cõtractus est iniustus & nullus. Sed eæ rationes non cogunt: nam multi cõtractus sunt validi, qui tamen fiunt ex ignorantia alicuius circunstãtię, quæ si sciretur, non fierent, vt *tract. de empt.* vidimus: & in ludo etiã patet, nam si sciremus rem esse furtiuã, vel vsurariam, etiamsi à nobis rapta non esset, sæpe nollemus cum exponente illam ludere, tamẽ si ludamus, contractus est validus in fauorem vtriusque: ergo nõ obstat prima ratio. Secundam etiam inferiùs videbimus nõ obstare: nam si vnus ludat pecunia credita, & alius præsenti, contractus est validus iure communi: & præterea in hoc casu vterque ludit pecunia præsenti; quòd autem sit propria, vel aliena, nõ videtur obstare valori contractus in fauorem vtriusque, maximè cùm pecunia furtiua fiat propria furis, vt diximus, quando habet alia bona vnde possit illã restituere. Melior ergo ratio tertiæ assertionis est, quia fraus, violẽtia, vel iniuria directè ordinata ad extorquendũ cõsensũ, irritat cõtractum iuxta cõmunẽ Doctorũ sentẽtiã: ergo similiter cõtractus ludi irritus est cùm surreptio fraudulenta directè ordinatur ad extorquendũ cõsensũ, vt aliquis ludũ incipiat, vel prosequatur: secus in aliis casibus secũdæ assertionis, vbi vel nulla est iniuria, vel non est contra colluſorem, vel non est directè ordinata ad extorquendum consensum in talem ludum.

Digitized by Google

DVBIVM IX.

An quod à filiofamilias, vel minori quis lucratur, sit restituendum?

SVMMARIVM.

1 *Filiusfamilias pubes licitè sine consensu patris ludit bona castrensia, vel quasi castrensia.*
2 *Et bona aduentitia quæ patre permittente administrat.*
3 *Tria sunt aduertenda.*
4 *Filius ludens bona aduentitia inuito parente, peccat mortaliter, sed communiter loquendo nihil tenetur restituere.*
5 *Idem dicendum de quouis minori pubere, vel impubere, pubertati tamen proximo, quod dictum est num. 4. de filiofamilias.*
6 *Quomodo filius licitè perdat ea quæ officio seruitutis comparauit.*
7 *Ludens filius contra iustam patris voluntatem ea quorum dominium ad patrem pertinet, peccat mortaliter cum onere restituendi.*
8 *Quid de filiofamilias existenti in Curia, vel Vniuersitate dicendum.*

Num. 1. DIco primò: si filiusfamilias pubes sit, hoc est, de cimumquartum annum excedat, licitè, & validè ludit bona castrensia, aut quasi castrésia, etiã sine consensu patris: hæc sunt quæ militiæ castrorúmve causâ acquisierit, vel ex officio publico Clerici, aduocati, medici, aut professoris alicuius scientiæ, vel artium liberalium, vt fusè Mol. *to. 1. disp. 230. 231. 261.* & alij passim.

HANC conclusionem docet Mol. *to. 2. disp. 519.* Reb. *2. p. lib. 12. q. 4. sect. Lætũ. lib. 2. c. 26. dub. 5.* & est cõmunis & notissima, quia ille filiusfamilias habet plenũ dominiũ, vsumfructũ, & administrationẽ illorũ bonorum: ergo qui ea ab illo lucratur, non tenetur restituere.

Num. 2. DIco secũdò: filiusfamilias pubes licitè, & validè ludit ea bona aduentitia, quorum vsumfructũ, & administrationem pater ei permittit. Ita citati, & plures alij. Aduentitia sũt quę nõ à patre, neque intuitu patris filio adueniunt, vt quæ à matre, vel auis maternis, & quæ filius opifex arte sua mechanica comparat, vel obsequio aliis exhibito, cũ non est in domo paterna; nec opibus patris alitur, & quæ ipsi nõ intuitu patris, vel matris viuẽtis donãtur; vt latè Mol. *disp. 332.* Ratio cõclusionis est, quia, vt docet Molin. *to. 1. tract. 2. disp. 8.* licèt vsusfructus, atque administratio horũ bonorũ ad patrẽ spectet, potest pater & vsũfructũ, & administrationẽ omnino donare, ita vt nõ teneatur filius post mortẽ patris eũ vsũfructũ adducere ad collationẽ cũ fratribus. Ex quo capite sæpe excusãtur à culpa, & onere restituẽdi qui ludũt cũ filiofamilias qui extra parẽtũ domũ ex opificio, vel ex obsequio aliis exhibito, aut aliter sua industria viuit, maximè si cũ facultate patris domum paternam reliquit, nec pater egeat, nec bona sint magni momenti, vt ait Rebell. nam si prædictę circũstãtię cõ currũt, cẽsetur pater vsũfructũ filio cõdonare.

Num. 3. ADVERTE primò: si pater sciẽs & vidẽs permittat filio accipere vsumfructũ, & administrare bona aduẽtitia, censetur ei tacitè cõdonare talẽ vsumfructum, & administrationem, donec expressè auferat. Secundò, si pater, ignoret eum vsumfructũ, &

Digitized by Google

& administrationem ad se spectare, ex iuris dispositione hæc ignorantia ei nocebit; ita vt interim dum in ea est, licitè habeat filius & vsumfructum, & administrationẽ. Mol. *to.2. disputat.* 519. Tertiò, cùm pater permittit filio administrationem eorum bonorum, quanuis nollet ea ludere, alienationem ab eo factam esse validam. Molina *illa disp.* 519. Quod aliqui moderantur, nisi pater vellet filium non alienare ea bona si luserit: potest enim pro libito permittere filio, vt alienet per alios contractus, & non per hunc.

Num. 4. Dico tertiò: filius familias ludens inuito patre bona aduentitia, quorum administrationem non habet, peccat mortaliter ex genere: sed communiter loquendo, nec patri, nec post eius mortem fratribus tenetur quidquam restituere. Ita Mol. *illa disp.* 519. & probabile putat Læsius *illo num.* 34. Prior pars probatur, quia vsurpare patri vsum fructum, vel administrationem, ex genere suo lethale est. Posterior verò probatur, quia rarò credendũ est patrem aliquem adeò esse morosum cum filio, vt velit eum cogere ad restituendum sibi, vel post eius mortem fratribus eum vsumfructum, cuius emolumentum communiter modicum est, cùm bona ludo amissa semper sint bona mobilia. Iam autem diximus condonare posse filio huiusmodi vsumfructum, etiam in præiudicium fratrum, vt communiter condonare censetur: ergo filius, nec qui ab illo huiusmodi aliquid lucratus est, tenetur id restituere. Imò in hoc casu qui lucratus aliquid est contra præsumptam patris voluntatem, nec patri, nec filio teneretur id restituere, quia licèt alienatio bonorum aduẽtitiorum facta à filiofamilias, etiam pubere, sed minori 25. annis, sine consensu patris inualida sit, vt fert omnium Iurisperitorum sententia, quos refert, & sequitur Mol, *disp.* 261. verùm, vt ipse ibi docet, & *disp.* 519. contractus à filiofamilias pubere celebratus, validus est, ita vt teneatur in foro conscientiæ ei stare quandiu per beneficium restitutionis in integrum non eliditur, vel si sit contractus ludi prohibitus, per beneficium legis cõcedẽtis repetitionẽ. Ergo qui ea bona lucratus est nõ tenetur quidquã restituere filio quandiu ille non vtitur aliquo ex prædictis beneficiis: vt enim quis iustè retineat quod sic obtinuit, necesse non est acquisisse eius dominium; sed satis est si sibi esset naturaliter debitum, vt docet Mol. *to.1. disp.* 224. *ad finem. & to.2. disp.* 519. Quod probabile putat Læsi. *illo num.* 34. Hoc tamen, inquit, limitauerim ad eum euentum, quo parens censeri posset cõdonare filio vsumfructum, & cedere iure administrãdi illa bona, vel quando per filium alia ratione compensari potest: nam si pater id quod sic amissum est, repeteret, vel constaret ipsum velle sibi restitui, restituendum esset; sed filius teneretur ad euictionem de rebus suis quamprimùm commodè posset, nisi fortè ludo vetito amiserit: tunc enim sicut non tenetur soluere ita nec compensare, si fuerit euictum, vel nisi se posset eximere beneficio restitutionis in integrum, quod minori si fuerit læsus cõpetit vsque ad vicesimũnonũ annũ cõpletũ, vt dictũ est *c.* 17. *dub.* 8. Hæc Læsi. Alij verò tenent, rarissimè, qui lucratur

cratur hæc à filio, teneri patri restituere: rarò enim, aut nunquam credendum est patrem aliquem, licèt doleat quòd filius luserit, velle vt cum tam exiguo suo emolumento, & cum grauamine filij, qui in conscientia manebit obligatus, & cum dedecore vtriusque, fiat restitutio vsusfructus qui solùm ad eum spectat; & Reb. ait: non desunt quibus videatur non esse peccatum mortale si filius absque patris voluntate talia bona alienet, si pecunia sit, quia cùm pecunia de se fructifera non sit, parum detrimenti regulariter ex eius alienatione pater recipit. Verùm si pater egeret, vel bona essent notabilia, vel aliunde pater rationabiliter putaretur inuitus, consulerem vt patri restitueres, vel sub mortali te obligarem, vt voluntatem patris explorares, consensúmque requireres, si fieri posset: in dubio tamen pari melior possidentis conditio hac in re cuidam perdocto viro videtur. Hæc Rebell. Bannez etiam ait: bona aduentitia potest filius ludere quando is qui donauit, concessit ei, vt liberè, & sine licentia patris posset ea administrare.

Num. 5. Dico quartò, quæ de filiofamilias pubere ludente bona aduentitia sine consensu patris dixi *conclusione 3.* dicenda sunt de quouis minori pubere, vel etiam impubere, pubertati tamen proximo, nempe qui excedat decimum annum cum dimidio, si sit masculus, aut nonum cum dimidio si fœmina, ludente sine auctoritate curatoris, vel tutoris, de quo latè Molina *to. 1. disp. 224. & to. 2. disp. 519.* & Rebell. *2. p. lib. 12. quæst. 4. sect. 1.* Angles etiam *quæst. de ludo. dub. 1.* docet contractus, & alienationem factam à minore sine auctoritate tutoris, vel curatoris nullam esse, ideo qui ab illo lucratur teneri ad restitutionem. Limitat, nisi parua sit materia. Eandem limitationem ponit Rebel. s. alioqui nemo eis res ad victus necessarias vendere, vel mutuare, vel iumenta locare, vel eorum operas conducere sine tutoris, vel curatoris consensu auderet. Idem dicit de aliis alienare impeditis.

Num. 6. Dico quintò: validè, & licitè filius ea ludo perdit quæ officio vili, vt pro agricultura, aut pro mercede seruitij comparauit quando est in domo paterna, & opibus patris alitur, si modo huiusmodi lucra vidente patre, nec contradicēte solitus sit in alios vsus pro arbitrio insumere, vel si ea sciat pater à filio haberi, nullo tamen modo ea exigat, quia eiusmodi res censetur pater filio condonare si prædictæ circunstantiæ adsint, quanuis inter bona profectitia numerentur, quorum tam dominium quàm vsus fructus ad patrem per Doctores, & leges pertinet. Ita Reb. s. Imò Mol. *disp. 234. & 519.* ait: si filiusfamilias in domo patris existens, atque de illius bonis alimento necessaria accipiens, plus patri ex opificio aliquo lucretur, quàm pater cum eo insumat, eáque de causa inscio patre aliquid sibi reseruet, vel de bonis patris vsurpet, quia non vult illud condonare patri, illúdque ludat, neque lucrantem teneri ad restitutionem, neque ipsum patri, aut fratribus post mortem patris, quia ludit quod suum est, & non patris, nisi fortè quoad vsumfructum, & administrationem, dum

Digitized by Google

dum pater viuit, quod non est tanti faciendum, vt statim subiũgo. Concinit Azor *to.3.lib.5.cap.26.quæst.2.*

SED iam ad bona profectitia,& alia, quorum dominium solus pater habet,reuertamur.

Num.7. DICO sextò: filius ludens contra iustam volũtatem patris bona, quorum dominium, & administratio ad patrem pertinet, peccat mortaliter cum onere restituendi tam patri quàm post eius mortem fratribus, quia contrectat rem alienam inuito domino rationabiliter: sunt autem omnino patris quoad dominium, vsũfructũ, & administrationẽ omnia bona profectitia filij, nimirum quæ sũt ei donata proximè,& principaliter intuitu patris, vel de patris substantia processerunt, vt colligitur ex §. *Igitur.vers. sancitum est. insti. per quas personas nobis acquiratur. & l. cùm oportet.* iuncta glos. ibi, *verb. ex illius substantia. Cod. de bonis quæ.& l.5.tit.17. partita 4.* quod latè explicat Mol.*to.1.disp.233.& 234.& to.2. disp.819.* In iis computãtur quæ pater filio in suam sustẽtationem mittit dum extra paternam domũ versatur in scholis,Curia, alióve loco, & quæ in domo,vel extra domũ patris administrat negotia eius gerendo. Et quidem Nauarr. Sylueſter,& Anto. Gomez, quos citat Mol. censent, quæ filius de bonis patris occultè accipit, aut quæ sibi ab eo tradita erant in sustẽtationẽ in studio, aut quæ quouis alio modo malè consumpsit in ludo, vel cũ meretricibus, aut alia ratione, teneri ea adducere ad partitionem cum fratribus, & computare in portionem, quæ sibi contingit. Excipit Nauarr. cum Anton. nisi pater dum vixerat, ea illi condonasset. Sed quomodo potest condonare? Respondet Moli. *disp.24.tom.1.* non semper, quando filius ita inordinatè aliquid contra voluntatem patris insumit, vt lethaliter peccet, teneri adducere illud ad partitionem cum aliis fratribus:quoniam rarò inuenitur pater qui si quod ita insumitur, non valdè excedat, velit vt filius post mortem suam ad partitionem id adducere teneatur:sufficítque illi tacita, & præsumpta voluntas patris, vt ad id non teneatur:nam licèt donata filio à patre alio titulo teneatur filius adducere ad collationem,nõ tamen donata ad sustentationem, nisi respectu sui status excessiua sint:nam si excessiua essent, esto constaret patrem quãtùm est ex se,liberè illa remittere, filius tamen cogendus esset adducere excessum ad partitionem, nisi pater in portionem,de qua liberè potuit disponere, illum acciperet, aut nisi fratres tantumdem inordinatè consumpsissent; nam tunc locus esse compensationi.

SED de filiofamilias, cui pater *Num.8.* præbet alimenta in Curia,Vniuersitate,vel alio loco,&qui nulla habet bona nisi patris,difficultas est quantùm possit in ludo insumere. Sotus *4.iustitia.quæst.5.art.2.*quem sequuntur Nauarr. *cap.20.num.12.* Alcozer *de ludo c.14.*Læsi.*lib.5.dub.5.num.36. & 37.* Reb. s. Arag. & Bannez *2.2. quæst.32.art.2.*Valentia *disp.5.quæst.6. puncto 5.§.2.*Lopez *2.p.Instruct. consci. cap.33.*Med.*1.Sum.c.14.§.28.*Molin. *illa disp.242.*Azor s. *quæst.5.* & alij, dicit posse quotannis in ludo insumere quatuor, vel quinque ex centum.

DVB

DVBIVM X.

An si constet voluntatem patris esse vt filius qui in Vniuersitate, vel Curia versatur, nihil omnino ludat, adhuc possit aliquid ludere?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*

Num. 1. SOTVS, Valētia, Mol. Reb. & alij. s. partem negatiuā tenere videntur, quia totam facultatem ludēdi referunt in expressam, vel tacitam voluntatem patris. Idem tenere videtur Vega *verb. ludus. casu* 20. & Morla *in Emporio. p. 1. tit. 7. q. 2. n.* 8. sed dicendum est etiamsi pater velit, vt filius nihil omnino ludat, & vt ab illo lucrantes restituant, posse ludere quod eius ætas, & personæ qualitas postulat, & eos qui ab illo lucrantur ad restitutionem nō teneri, quia sicut iure naturæ, vel gentium filij possunt etiam inuitis parentibus accipere de eorum bonis id quod necessarium est ad decentem eorū victum, & vestitus, ita & ad moderatā recreationē, vt expressè docet. Pet. Ledes. 2. *p. Sum. tract.* 31. *c.* 2. *concluſ.* 8. & 9. Indicat Toletus *lib.* 5. *c.* 27. dicēs, filiumfamilias posse ludere modicā quantitatem, saltem ex tacito consensu parentum: & Alcozer *de ludo c.* 14. dicens rigidam, & Irritationabilem fore voluntatem parentum, si nihil eiusmodi filiis permitterēt; & Angles *q. de ludo. dub.* 1. ait eū qui lucratur à filiofamilias existente in potestate patris, teneri restituere, nisi parua sit quātitas, vel pater sit dives, vel ex voluntate patris luserit: & Azor s. *q.* 6. dicens huiusmodi filium ius habere exponendi ludo aliquam pecuniæ summam.

DVBIVM XI.

An filius qui est in domo patris, etiam eo inuito possit aliquid ex eius bonis ludo exponere quando propria non habet?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*

AZOR *illa q.* 6. affirmat ius non habere, quia in minori cura & labore est. Sed hæc ratio ad summū probat ius non habere ad exponendam ludo tantam quātitatem: & ipse Azor addit, si pater videt filium quem domi habet, ludere solitum, & non reprehendit cùm commodè possit, videri tacitè consentire vt ludat. Item si sciat alios similis conditionis ludere per annū solitos. Reb. etiam *illa sect.* 4. *q.* 1. ait; quo pater fuerit ditior, & in maiori statu, tanto plura præsumitur concedere filiofamilias ad ludendum, vsúsve alios non necessarios, etiamsi in domo paterna existat, & opibus paternis alatur, tum etiam quo magis opes paternas auget, mercaturam fortè exercendo, vel alia ratione laborando, quæ multo plus patri lucratur. Num. 1.

DV.

Digitized by Google

DVBIVM XII.

An si fortè filius in principio, vel medietate anni totam illam summam, quam poterat, in ludo, vel aliis non necessariis expenderit, posit in sequentibus aliis diebus aliquid ludo exponere?

Num. 1. RESPONDEO negatiuè cum Rebello *ibid.* & Azor *eillo cap. 26. quæst. 7.* & Alcozer *de ludo. capite 14.*

DVBIVM XIII.

An filiusfamilias, minor, aut quiuis alius posit lucrari cùm non potest perdere, aut plus lucrari quàm posit perdere?

SVMMARIVM.

1 *Opinio negans refertur.*
2 *Opposita sententia proponitur.*
3 *Vno iactu cum vno solo ludens non potest plus lucrari quàm perdere.*
4 *Si multi ludant, plus potest aliquis eodem iactu lucrari quàm perdere.*
5 *Pluribus iactibus cum eisdem potest quis plus lucrari quàm in itio posset perdere.*
6 *Occurritur cuidam obiectioni.*
7 *Neque in diuersis iactibus plus potest lucrari quàm ab initio posset perdere, si decepit collusorem.*

Num. 1. PRIMA opinio negat, quia contractus debet esse æqualis ex vtraque parte. Ioannes Med. *de re Ioan. de Salas.* *stitut. q. 22.* Castro 2. *de leg. pœnali. c. 2. corol. 2.* Sotus 4. *iustitia. q. 5. art. 2.* Couar. *reg. peccatum. p. 2. §. 4.* Azebedo *l. 2. tit. 7. lib. 8. compilat. n. 88. & 89.* Morla *illa q. 2. n. 9.* Arag. 2. 2. *q. 32. art. 7.* Henriquez *tom. 1. c. 35. de indulgentiis.* Alcozer *de ludo. c. 16. 1. p. Sum. c. 173. n. 3.* Mol. *to. 2. disp. 519.* Læs. *lib. 2. c. 26. dub. 5.* Comitol. *lib. 3. q. 9.*

OPPOSITVM tenet Nau. *c. 20. n.* Num. 2. 12. & Lopez 1. *de contract. c. 21. & 2. p. Instructory conscientia. c. 33.* Ledes. *2. p. Sum. tract. 31. c. 2.* Bannez 2. 2. *q. 32. art. 72.* Reb. *de oblig. p. 2. lib. 12. q. 4. sect. 1.* Angles *q. de ludo. dub. 1.* Corradus *in Sum. q. 196.* Azor *to. 3. lib. 5. c. 29. q. 5. 6. & 7.*

SED pro concordia harum opi- Num. 3. nionum, & explanatione veritatis dico primò: vno iactu cum vno solo ludens nõ potest plus lucrari quàm perdere communiter, & per se loquendo. Ita docent auctores vtriusque sententiæ, quia contractus debet esse æqualis ex vtraque parte. Limitant aliqui, nisi quis capitalem maius *el resto*, in exponsione aliqua exposuerit contra minus: tunc enim qui habet capitale minus potest acceptare exponsionem, si timor perdendi excedat spem lucrandi. Ita Azor, dicens esse Garsiæ contra Alcozer. Limitari etiam debet conclusio, nisi vera donatio interueniat, quam quidam interuenire putant quoties quis plus exponit in ludo sciens alium minùs ludere posse. Quod confirmant, quia scienti, & volenti nulla fit iniuria: ergo is qui lucratur plus quàm perdere posset, non facit iniuriam collusori id non ignoranti. Ita Rebel. Lopez, Emanuel, Angles, & Azor ẽ. Sa *verb. ludus. n. 7.*

Digitized by Google

PRO eadem sententia Angles refert Gabrielem, & Sylvest. & oppositam tribuit Castro: sed Emanuel putat non esse Castri, & Azoris esse contra Ioan. Med. Nau. & Garsiam: sed de mente Soti, & Alcozer *c.* 16. Ego existimo illic non interuenire donationem communiter, quia illi non habent animum faciendi, vel acceptandi donationem: sed ludendi, & lucrandi per fas, & nefas. Neque ille qui ludit cum eo qui alienare non potest, consentit liberè in eius lucrum: sed quia non potest aliter ludere, suæque libidini, vel cupiditati satisfacere, sicut *tractatu de empt.* diximus, cum qui scienter rem emit pluris quàm valet, quia non potest minoris eam emere, nihil donare: similiter nec donat auctarium qui non potest sine illo mutuum obtinere.

Num. 4. DICO secundò: si multi ludant, plus potest aliquis eodem iactu lucrari quàm perdere, vt si quatuor ludant, & quilibet exponat vnum aureum, singuli solùm possunt perdere singulos aureos, cùm tamen possint lucrari tres propter maius periculum perdendi vnum aureũ, cui se quisque exponit, quo plures habet collusores. Ita docẽt ferè omnes citati, & confirmat vsus.

Num. 5. DICO tertiò: pluribus iactibus cũ eisdẽ potest quis plus lucrari quàm initio posset perdere: nam si cœpit cum vno aureo, per illũ potest lucrari alterum, & per illos duos totidẽ, & sic deinceps. Ita habet vsus, & docent ferè omnes, & non negaret Sotus, neque alij qui id non exprimunt. Ratio est, quia in singulis iactibus singuli contractus æqualitatem habent.

SED obijcies, quia filiusfamilias, vel minor solùm potest ludere quatuor, vel quinque aureos: ergo si per eos lucretur alios quinque, non potest hos cum prioribus ludo exponere, & sic lucrari decem. Vnde Armilla *verb. ludus, n.* 8. ait, filium familias ludendo ludo licito, vt scacorum, posse patri acquirere; sed non posse acquisita distrahere. Idẽ ait de vxore, seruo, Religioso, & aliis, qui alienare nõ possunt. Respondet Ban. licèt illud lucrum computetur in bonis profectitiis, quorũ dominiũ, & administratio ad patrẽ pertinet, tamen pater cõcedit tacitè filio administrationem, ne cogatur cũ suo dedecore, & aliorum offensione statim à ludo surgere. Eandẽ facultatẽ tacitè filio concedi affirmant Læs. Corr. & Eman. ꝫ. Lopez *illo c.* 33, & Sylvester *verb. ludus. q.* 17. Sa *n.* 7. Imò Mol. *illa disp.* 519. *in fin.* ait, totum lucrum ludi posse filium in eodem ludo exponere, vt omnes cõfitẽtur, vel in alio cũ aliis lusoribus, vel cũ eodẽ. Idẽ ait Azor *illo c.* 26. *q.* 3. Limitat tamen Mol. nisi fortè esset ingens sũma, quam veluti acquisitã pecuniã patris non posset prodigere, sed teneretur seruare patri, tametsi sẽper plus ex ea posset ludere quàm ex solis bonis quæ reciperet à patre: & ibidem docet, lucrum ludi factũ ex solis bonis aduentitiis cedere in augmẽtũ peculij aduẽtitij filiorũ. Sed Rebellus *illa q.* 4. *sect. vlt.* ait, acquisitum ludo prohibito, vel alio illicito quæstu, etiam ex bonis patris, nõ patri, sed filio acquiri, ac proinde inter bona profectitia cõputandũ nõ esse, iuxta Bartolũ, cõmunémque. Iurisp. sententiam relatã *lib.* 6. *cõmuniũ opinionũ. verb. filius.* quam sequitur Syl. *Num. 6.*

pe

Digitized by Google

peculium.1.q.14. patétque ex *l.quod seruus.ff.de acquirēda possessione.& l.quod autem.ff.pro socio.* Et ratio est, quia filius quoad illicitos acquirendi modos non est subiectus patri, etiā precipienti. Itē, quia si filius in eiusmodi ludis perderet, ipsemet, non verò pater teneretur soluere: ad filiū ergo, non ad patrē lucrū pertinebit, cùm eiusdem sit lucrū cuius est damnū, iuxta *l.55.de reg.iuris in 6.* aliásque leges ibi à glossa citatas. Idem eadē ratione dixit Reb.de ludo licito, vt scacorum. Fauent multa quæ habētur apud Greg.Lop.*l.5.tit.12.partita 4.* & apud Sa, Sylvestrum, & alios Summistas *verb.peculium.*

Num.7. Dico quartò: neque in diuersis iactibus plus potest lucrari quàm ab initio posset perdere, si decepit colusorem, dicendo se plus posse perdere. ita Tolet.*lib.5.c.27.* Patet ex iis quæ diximus *dub.* 8. de eo qui per fraudem trahit alterū ad ludum: sed attractus poterit lucrari, quidquid dixerit Tol.ibi; & alij *eodem dub.* impugnati.

DVBIVM XIV.

An probabile sit lucrantem à minori sine consensu tutoris, vel curatoris, non teneri in conscientia restituere ante ludicis cōdēnationē?

Num.1. RESPONDEO, nō esse omnino improbabile, vt docet Sa *verb.ludus. n.7.* & *verb.licèt minor.n.5.* similiter Alcozer *de ludo.c.14.* existimat, filiumfamilias sine cōsensu patris validè ludere sua bona aduentitia, reseruato patri dum viuit, vsufructu, & administratione.

DVBIVM XV.

An si pater filio tradat certam pecuniæ summam, vt agat pro libito, & ipse parcè viuendo aliquid ex ea summa sibi reseruet, possit illud ludere?

RESPONDEO cum Azore *illo c.26.q.5.* posse, modò non petat plura alimenta à patre, quia hæc præsumitur patris voluntas. Num.1.

DVBIVM XVI.

An si pater filio in scholis versanti tribuat 100. aureos ad alimenta propter suam liberalitatem, cùm septuaginta illi sufficiant ad vsus ordinarios, possit ludere triginta?

RESPONDEO cū Reb. *illa sect.1.q.4.* posse, quia hæc præsumitur voluntas patris. Num.1.

DVBIVM XVII.

An si quinque ex 100. quæ ex præsumpta voluntate patris potest filius in Vniuersitate expendere in eleemosynas, donationes, & honestas recreationes, expendat ludis illicitis, & rebus turpibus, qui illa accipit, teneatur restituere?

Digitized by Google

Num. 1. RESPONDEO cum Mol. *to.* 1. *disp.* 242. nō teneri, quia pater non est inuitus quoad sumptus, sed quoad modum, & obiecta circa quæ filius insumpsit, quia in alios vsus inhonestos sine restitutionis onere potest honestos commutare. Vnde neque meretrix, nec qui ludo est lucratus, tenetur restituere, quando pater eius est ingenij, vt, quāuis omnino nollet vt filius eo pacto insumeret, nihilominùs postquam est insumptum, restitutionem non exigat. Eius ingenij sunt multi patres, vt latiùs prosequitur Molina.

DVBIVM XVIII.

An quod quis lucratur à muliere coniugata, obnoxium sit restitutioni?

SVMMARIVM.

1 *Lucrans non tenetur ad restitutionem si ludat ex facultate expressa, vel tacita mariti.*

2 *Etiam inuito marito potest ludere quantùm eo loci aliæ sui status ludere consueuêre.*

3 *Si plus ludat sine licentia mariti, non tenet factum.*

Num. 1. DICO primò: si ludat ex facultate expressa, vel tacita mariti, lucrans non tenetur ad restitutionem, quia ex tali licentia licitè, & validè ludit: tacitam verò licentiam ludendi quantùm eius status, conditio, & necessitas postulat, ei concedit maritus, cùm ei concedit liberam aliquotum bonorum administrationem. Ita Azor *tit.* 3. *lib.* 5. *cap.* 26. Ledesma 2. *p. Summ. tract.* 3. *cap.* 2. *concluſio.* 9. & alij.

Num. 2. DICO secundò: etiam marito inscio, vel inuito potest validè ludere quantùm aliæ sui status, qualitatis, & conditionis eo loci ludere consueuerunt. Ledes. s̄. Molin. *disp.* 520. Reb. *de obligationibus p.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. Alcozer *de ludo. cap.* 14. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 23. Maior 4. *dist.* 15. *q.* 13. Sotus 4. *iust. quæst.* 5. *art.* 2. Ratio est, quia in contractu coniugali, præsertim si mulier competentem dotem attulit, tenetur vir necessaria ad victum, vestitum, & decentes recreationes ipsi dare. Vnde malè Morla *in Emporio. p.* 1. *tit.* 7. *quæst.* 2. *num.* 8. ad solam mariti voluntatem verisimiliter præsumptam retulit, quòd paruam aliquam quantitatem ludat. Intellige cum Reb. & Mol. nisi ex aliqua rationabili causa ludum ei maritus prohibeat. Cauendū etiam, vt monet Corrad. *in Summ. quæst.* 196. ne ex eius ludo scandala, vel graues rixæ inter ipsam, & maritum oriantur.

Num. 3. DICO tertiò: si similiter sine mariti licētia luserit de bonis mariti, vel dotalibus, vel cōmunibus plus quā eius cōditio postulet, factū nō tenet. Tol. *lib.* 5. *c.* 27. Angl. *q. de ludo. dub.* 1. & alij: imò in hoc Regno nec de paraphernalibus potest donationem, vel eleemosynā facere, vel ludere, quia *l.* 55. *Tauri.* quæ hodie est 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *nouæ collect.* dicitur non posse sine licentia mariti facere cōtractum, vel quasi contractum, vel distractum. Vide Azebed. & Matienz. ibi, & Anto. Gom. *l.* 54. *Tauri. n.* 8. & Couar. *de sponsalib. p.* 2. *c.* 7. §. 1. *lib.* 3. qui alios referunt, & Alcozer s̄. De iure

tamen

tamen communi potest liberè disponere de bonis paraphernalibus, vt docet Alcozer ex quodam *c.* Corrad. s̃. & indicant Tol. & Angl. Imò licèt Mol. *to. 1. tract. 2. disp. 94. §. vtrũ verò* cum Soto, & Pet. Ledes. *2. part. Sum. tract. 8. c. 10. con. 9.* dixerint bona ex turpitudine aliqua esse communia, & ideo non posse de illis liberè, & validè disponere sinę licẽtia mariti: ac proinde lucrantem teneri ad restitutionem; tamen totum oppositum docent Reb. *de oblig. p. 2. lib. 12. q. 4. sect. 2. n. 8.* & Palac. *5. de contract. cap. vlt. pag. 834. & sequentib. & 4. dist. 15.* éstque valdè probabile.

DVBIVM XIX.

Vtrùm qui lucratur à viro coniugato debeat restituere vxori, vel filiis?

SVMMARIVM.

1 *Quantumuis pater inordinatè ludat, non tenetur restituere, nec qui ab eo lucratur.*

2 *Quantùm potest maritus licitè & valide ludere.*

3 *Quando peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem?*

4 *Quando vxor potest officium Iudicis implorare?*

5 *Si maritus habet alia bona, qui ab illo lucratur, nõ tenetur vxori restituere.*

6 *Qui lucratur bona propria viri, hypothecata vxori, nõ tenetur restituere.*

Num. 1. DIco primò: quamtumuis pater inordinatè ludat de bonis propriis, nõ tenetur filiis restituere, & similiter nec qui ab eo lucratur, quia ipse habet liberam suorum bonorum administrationẽ, nec tenetur filiis consulere ex iustitia: sed ex pietate, maximè quòd per ludum sicut potest perdere, ita & lucrari. Ita tenet Azor *illo c. 26. q. 11.* & Mol. j̃. secus si amitteret bona filiorum.

Num. 2. DIco secundò: maritus licitè, & validè ludit quæ spectato vsu aliorũ sui status, & conditionis non non dedecet ipsum ludere, quin esto excedat, & notabilẽ amittat quantitatem, interim saltem dum non comperitur ex ludo notabile detrimentum in bonis communibus (huiusmodi sunt in hoc Regno omnia lucrata constante matrimonio) nec fit impotens ad soluendam dotem, arras, aliáque bona propria vxoris, validè ludit, & lucrans nihil tenetur vxori restituere. Ita Molin. *disp.* 520. Azor s̃. Læs. *lib. 2. c. 12. dub. 14. n.* 88. Reb. *illo n. 8.* Cùm enim contractus ludi sit iustus, & maritus sit legitimus administrator bonorum societatis initæ inter ipsum, & vxorem, poterit vltra suam oblectationem experiri hunc contractũ, sicut & alios in commodum, vel detrimentum societatis.

Num. 3. DIco tertiò: quando compertum esset virum ludo multa bona consumere in detrimentum vxoris, sæpiùs perdendo, quàm lucrando, & deserere negotia quibus res familiaris augenda esset, mortaliter peccaret ludendo: verùm in hoc Regno non teneretur restituere vxori, si solùm afferret ei detrimentum quoad bona superlucrata. Ita Molin. & Azor s̃. & Nau. j̃. nã ex *c. 5. tit. 9. lib. 5. noua collection.* constat, maritum liberè omnino posse distrahere validè ea bona, etiam cum præiudicio vxoris, nisi id faceret animo eam defraudandi. Sic legem illam

Digitized by Google

de alienatione quouis titulo facta intelligunt Gomez ad *l. 50. Taur. n. 75.* Greg. Lopez *l. 13. tit. 10. partita 5.* Ioannes Lupus relatus à Nauarr. *c. 17. num. 155.* quanuis Nauarr. & Azor ſ. eam legem intelligant de alienatione facta titulo oneroſo, & dicant donationem viri minuere eius lucra, non vxoris.

Num. 4. Dico quartò: ſi vxor viderit maritum plus iuſto ludere, & perdere, poterit officiũ Iudicis implorare, vt cogatur ea quæ perdiderat ludo ex bonis cõmunibus, cõputare in ſortem ſibi debitam, vt pars lucrorum debita vxori ſalua maneat. Ita Azor.

Num. 5. Dico quintò: ſi maritus habet alia bona vnde poſſit vxori reſtituere dotem, arras, & bona paraphernalia, qui à viro lucratur ea, non tenetur ipſa vxori reſtituere, quia maritus habet liberam eorum adminiſtrationem, niſi ſint bona immobilia: ipſe tamen maritus tenebitur ex ſuis bonis damna vxoris reſarcire: ſi verò maritus non habet vnde reſarciat, qui ea lucratus eſt, tenebitur vxori reſtituere. Ita Azor.

Num. 6. Dico ſextò: ſi maritus ludit ex propriis bonis, hypothecatis tamen vxori pro dote, arris, vel paraphernalibus, qui lucratur, non tenetur reſtituere, quia maritus habet eorũ dominium, & adminiſtrationem; tamẽ vxor poterit implorare officium Iudicis, vt à colluſore extorqueãtur, vel à quouis alio, præſertim ſi maritus ea perdiderit in fraudem vxoris.

De iure verò Luſitaniæ vide Molinam, Rebellum & Nauarrum ſuprà.

DVBIVM XX.

An qui à ſeruo alterius lucratur, teneatur reſtituere?

SVMMARIVM.

1 *Sententia Azoris refertur.*
2 *Si ſeruus ſine conſenſu domini ludat de bonis domini maiorem quãtitatem quàm petat eius conditio, qui lucratur, reſtituere tenetur.*
3 *Seruus poteſt aliquorum bonorum dominium habere, de quibus poterit liberè diſponere ludendo, vel alio modo.*

AZOR *illo cap. 26. q. 9.* ait, *Num. 1.* in tribus tamen caſibus nõ teneri reſtituere. Primus eſt, quando dominus ſciẽs permittit ſeruum habere aliquas pecunias ſibi donatas, laboréque partas, vel quando dominus eas illi dat, vt pro libito expendat. Secundus, quãdo conuenit cum ſeruo, vt quotidie certam portionem ex ſuo labore, & induſtria reddat domino, & reliquum ſibi retineat. Tertius, quando dominus concedit ſeruo quotidie certam pecuniam, vt ſe alat, & ille parcè viuẽdo, ita vt deſit debito ſeruitio, aliquid ſibi reſeruat, quia tũc ex tacita voluntate domini illud poteſt ludere.

Dico tamen primò: ſi ſeruus ſine *Num. 2.* conſenſu domini, ſaltem tacitò, maiorem quantitatem ludat de bonis domini quàm petat eius conditio, qui

qui ab eo lucretur, tenetur restituere, nisi ludus sit boni vsu consumptibilis, & seruus habeat alia bona vnde possit domino restituere, sicut de lucrante res furtiuas dixi *dubio 8*, vt ait Azor *illo cap. 26. quæst. 5.* & Mol. *disput. 520.* Conclusio est de mente Reb. *illa quæst. 4. sect. 2.*

Num. 3. Dico secundò; seruus potest aliquorum bonorum domnium habere, de quibus poterit liberè disponere ludendo, vel alio modo. Hæc est contra Vasq. *1. p. to. 1. disp. 85. num. 44. & 45. & 1. 2. to. 2. disp. 223. num. 25.* Sed est de mente Sa *verb. seruus. num. 7.* vbi ait; serui bona ludo, aut dono, aut hæreditate acquisita non sũt domini, sed serui. Idem tenet Suar. *opus. de iustitia. sect. 6. nu. 9.* dicens, seruum ex donatione, permissione, aut pacto domini posse habere ius iustitiæ contra illum, verumque dominium: & Lopez *2. p. Instruct. consci. cap. 33.* cum Soto *4. Iust. q. 2. art. 2.* docet, siquid dono acceperit, vel hæreditario iure, vel ludo licito lucratus fuerit, non teneri in conscientia domino exhibere; ideo posse ludo id exponere. Hoc intelligunt Sotus, & Lop. de seruis bello captis: de reliquis verò dubitãt, & remittũt ad Iurisperitos. Sed Mol. *disput. 38. 261.* & *520.* Reb. *illon. 13.* de vtrisque seruis id docẽt, & Mol. *illa disp. 38.* ponit 5. casus, in quibus serui possunt habere dominium, & probat ex nonnullis iuribus, & *disput. 261.* ponit contractus quos facere possunt: imò Azor *to. 3. lib. 5. 14. in fin.* addit, naturaliter, licèt non ciuiliter posse alios sibi obligare, & aliis obligari, & probat ex nonnullis legibus.

DVBIVM XXI.

An à Religiosis aliquid ludo lucrari possimus?

SVMMARIVM.

1, 2 *Sententia negans Prælatum nec sibi sumere, nec subdito dare posse facultatem expendendi in ludo excessiuo, proponitur, & suadetur.*

3 *Hæc sententia probabilis est.*

4, 5 *Sententia affirmans, Religiosos quibus per superiorem licet de re aliqua liberè disponere, etiamsi ludis illicitis expendant, validè expendere, probabilis etiam est, & confirmatur.*

6 *Hæc sententia præcipuè locum habet in Religiosis militibus, & eorum clericis.*

PRIMA opinio est, Prælatum nec sibi sumere, Num. 1. nec subditis dare posse facultatem expendendi in ludo excessiuo, aut prohibito, nec in aliis rebus turpibus & illicitis; ideo qui ab illis accipiunt, teneri ad restitutionem: secus in ludo licito & moderato. Ita tenet Mol. *to. 1. tract. 2. disp. 94. §. si quid fornicarium. & disp. 140. & to. 2. disp. 256. col. 242. litera D. & 144. litera B. & 145. litera C. & disp. 520.* Azor *to. 3. lib. 5. cap. 26. quæst. 8.* Læsius *2. iustitia. cap. 4. dub. 5. num. 29. & cap. 18. dub. 11. n. 83. 84. & 85. & cap. 41. dub. 8. num. 73. & dub. 9.* Grafis *1. p. decis. lib. 3. cap. 5. num. 133.* Abulensis Matth. *6. quæst. 37.* Antoninus *in Sum. §. defecerunt. cap. 2. de restitution.* Petr. Ledes.

Digitized by Google

Ledesm. 2.p. *Sum.tract.* 31. *c.* 2. *conclu.* 10. Veg. *verb. Religiosus.casu* 27. Corduba *in Sum. quæst.* 188. Petrus Nau. *3.de restitut.cap.1.num.* 194. Corrard. *in Sum.quæst.* 59. citãs Victoriam, Eman. *1.p.Sum.cap.* 173. *num.* 4. malè citans Alcozerem, & Lopez.

Num. 2. SVADETVR secũdò, quia Prælatus non est dominus bonorum religionis, sed dispensator, & administrator: ergo non potest sibi sumere, vel aliis dare facultatem expendendi eain rebus illicitis Confirmatur, quia etiamsi posset talem facultatem dare, tamen nisi id exprimeret, censendus esset non dare nisi ad licitos vsus, quia in generali concessione non veniunt intelligenda, quę si in particulari proponerentur, nequaquã fuissent concessa, iuxta regulam Bonifacij VIII. *c. in generali. de reg. iur. in 6.* sed Prælatus in speciali non cõcederet facultatem insumẽdi in illicitos vsus: ergo neque in illa generali concessione talis facultas concessa intelligitur.

Num. 3. HÆc sententia est valdè probabilis, cui fauet Valentia 2.2. *disp. 10. q.4. puncto 3.* dicens, peccare mortaliter Prælatum, qui multa superflua concederet Religiosis, vt ea pro libito vsurparent ad omnem vsum siue honestum, siue illicitum. & Pan. *c. Monachus. de statu Monachorum. n.8.* dicens, Religioso legatum ad proprios vsus de piis debere intelligi, nõ vt Religiosus pro libito possit vti, & donare cui voluerit.

Num. 4. SECVNDA tamen satis probabilis opinio est, Religiosos quibus per superiorem licet de re aliqua liberè disponere, etiamsi ludis illicitis, vel rebus turpibus eam expendant, validè expendere, nec recipientes teneri ad restitutionem. Ita Alcozer *de ludo. c.* 12. Angles *q. de restitut. ludi. dub.* 1. Lopez *2. de contractibus.* 40. §. *an autem. & 2.p. Instruct. consci. c.* 35. aliàs 183. Medina 1. *Sum. c.* 14. §. 29. Reb. *de obligat. p. 2. lib. 12. q. 4. sect. 2. conclus. 2.* Imò & Læs. *lib. 2. c.* 26. *dub.* 5. dicit Prælatum posse dare facultatem ludendi validè, & perdendi notabilem summam, & quia iste contractus onerosus posset esse Monasterio vtilis, quanuis peccet res Monasterij sic exponendo periculo, & quidem mortiferè, vt ait Nauarr. *c.* 20. *n.* 9. si tamen contingeret Monasterium grauitur lædi ex ludo, datur ei restitutio in integrum.

PROBATVR hæc opinio primò, Num. 5. quia Religiosus eiectus à religione, vel extra illam de licentia Papæ viuens, siquid expendat in vsus illicitos, factum tenet, vt consuetudo habet, & testantur Mol. *to.* 2. *disp.* 276. & Læs. *lib. 2. c. 41. dub.* 15. *n.* 113. Ergo similiter Religiosus existens in aula, Vniuersitate, aut beneficio, cui aliquid pro libito, vel in vsus licitos expẽdendum datur, si in illicitos expendat, factum tenet.

SECVNDO probatur: nam Religiosus est sicut filiusfamilias, & minor respectu Prælati: sed filiusfamilias, & minor si habeat facultatem à patre, tutore, vel curatore liberè, vel in vsus licitos aliquid expendẽdi, & in alios expẽdat, factum tenet, vt docet ipse Mol. *tom.* 1. *disp.* 242. Reb. s. & alij communiter: ergo si similiter Religiosus, quia Prælatus ex iustis causis id potest, & censetur ratum habere. Prima est, vt subditus lucrari possit, quia si non posset perdere, non posset lucrari. Secunda, vt peccata in Religioso, & colluden

Digitized by Google

dentibus minora, & pauciora sint sublata actus nullitate, & restituēdi obligatione. Tertia, quam ponit Reb. vt consulatur honori, & famæ Religiosi, & religionis, quæ periclitaretur, dum ageretur de restitutione, maximè si personæ cum quibus Religiosus illicitè expendit, publicè cōquererētur se esse delusas, & deceptas à Religioso. Quarta, quia licèt turpes actus mali sint, tamē pro illis iam factis aliquid dare per modum doni, vel pretij, vel datum non repetere licitū est, maximè si persona indigeat: huic enim dare, vel datum ab ea nō repetere, eleemosyna est. Quinta, quia id non erat expendendum in commodum religionis, sed Religiosi, ergo meritò Prælatus potest ratū habere si in rebus illicitis expendatur, maximè quando restituendum esset Religioso, qui fortè illud iterum in malos vsus conuerteret.

Num. 6. Hæc sententia præcipuè locum habet in militibus, Religiosis, & eorum Clericis, præsertim si in beneficiis sint, & quidquid Alcozer, Angles, & alij dicant, locum habet in ordine minorum: nam licèt ij neque in particulari, neque in communi proprium habeant, habent tamen bonorum administrationē, quæ sufficit vt ratum sit quod in prædictis euentibus faciūt. Idem dicendum esset de Clericis, etiamsi nō essent domini redituum Ecclesiasticorū, quia sufficit esse liberos administratores, quanuis Nauar. *c. 20. n. 12.* & Corr. *q. 33. & 196.* dicant, si de bonis Ecclesiasticis illicitè ludant, siue ipsi lucrentur, siue perdant, lucrantes teneri ad restitutionem.

Ioan. de Salas.

DVBIVM XXII.

Quantùm Religiosi licitè ludere possunt.

SVMMARIVM.

1 *Varia Doctorum placita.*
2 *In hac re ius & consuetudo attendenda est.*

Num. 1. NAVARRVS *c. 10. n. 12.* ait, Religiosum in studio, vel Curia versantē posse licitè ludere quatuor, vel quinq; ex 100. ei datis ad alimenta. Idē tenet Grasis *1. p. decis. lib. 2. c. 22. n. 5.* Probabile putat Aragon *2. 2. q. 32. art. 7.* nisi cōstaret de contraria voluntate Prælati. Azor verò *tom. 3. lib. 5. c. 16. q. 8.* Nauart. reiicit, & ait primò regularem non habere ius aliquid exponendi ludo regularibus prohibito, vt aleæ. Citat Anton. *2. p. tit. 1. c. 23.* Secundò ait, ludo non prohibito, nec sibi indecenti posse modicum aliquid recreationis gratiâ ludere dum laborat extra conuentum, quia tunc est tacita voluntas Prælati. Tertiò, si examinentur aliquid sibi subtrahi, posse honesto ludo illud exponere. Alcozer autem *de ludo. c. 14.* cum Maior. *4. dist. 15. q. 13.* ait, Religiosum in studio existentem validè, & licitè posse ex bonis Monasterij in alimenta sibi datis modicam quātitatē ludere, præsertim verò de bonis parentum, cognatorū, vel amicorū, quæ illis dantur vt pro libito expēdāt. Eman. verò *verb. juegos. c. 173. n. 4.* ait, Religiosos non posse ludere

Digitized by Google

quantitatem quam liberè alienare possunt, præsertim si sint ordinis minorum, qui nihil habent proprium etiam in communi : ait etiam idem Alcozer *c.12. & 14.* & Lopez *2.p. Instr.conscien.c.33.*

VEGA verò *verb. ludus.casu 15.* ait, non posse perdere, ac proinde nec lucrari vltra duos argenteos.

Num.2. SED in hac re attendendum est ius commune, de quo statim, & ius, vel consuetudo cuiusque religionis, & voluntas expressa, vel tacita Prælati, sunt enim religiones quæ nihil ludo exponere permittunt, nisi fortè aliquas paruas imagines, vel grana benedicta, aut quid simile.

DVBIVM XXIII.

An Religiosi, vel alij licitè ludant pias aliquas preces pro victore, vel animabus Purgatorij dicendas?

SVMMARIVM.

1 *Conclusio affirmatiua.*

Num.1. RESPONDEO: Lopez *2.p. Instr. consc.c. 32.* & Vega *verb. ludus. c. 14.* dicunt esse irreuerentiam, quia sacra profanis miscentur: imò esse simoniã si ludentes ciuiliter ad huiusmodi preces obligare intendãt. Sed oppositũ dicendum est cũ Nauar. *c.20.n. 6.* aut *7.* Reb. *de oblig.p.2 lib.12.q.1.* & ex vsu nostræ Religionis, & quia nulla est irreuerentia si preces reuerẽter dicantur, cùm iuxta Paulum in omni loco orare liceat, nec simonia, aut alia inordinatio, pro præmio, & quasi in pœnam si id proponant in ludo religioso, & honesto, vt sit stimulus maioris recreationis. Imò neque sic commutare vnam rẽ specialem pro alia, est simonia; nisi aliquando de iure positiuo, vt in beneficiis, si fiat auctoritate priuata: sic licitum est de Missa dicenda sponsionem facere.

DVBIVM XXIV.

An ludus aleæ sit prohibitus Clericis?

SVMMARIVM.

1 *Ludus aleæ Clericis prohibitus est.*

2 *Clerici beneficiati, vel in sacris constituti peccant mortaliter si ludum alearum in consuetudinem ducant. Secus si secluso scandalo rarò ludant.*

3 *Sex præcipuè aduertenda sunt.*

Num.1. RESPONDEO: Innocentius III. *c.penul. de vita, & honest. Cler.* prohibet Clericis ludum aleæ, & taxillorum, imò & tali ludo interesse. & *can.41. Apostol.* legimus : Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietatibus vacans, aut desinat, aut damnetur. Id est, excommunicetur, vel beneficio priuetur, aut ab officio suspẽdatur. & *can.42.* subdiaconus, aut cantor, aut lector similia faciens, aut desinat, aut separetur. Id est, communione priuetur. Similiter & laici. Habentur ij canones *c.1. dist.35.* licèt loco illius verbi *vacans*, habeatur, *deseruiens.* & *c. inter dilectos. de excessibus Prælat.* quidã Clericus

ricus eo quòd esset publicus aleator, & vsurarius, repulsus est à quodam dignitatis gradu, ad quem fuerat electus, nec profuit illi dicere, in Gallia esse cõsuetudinem, vt Clerici aleis ludant, quia (ait Pontifex) est corruptela non tolerãda, sed puniẽda. Renouati sunt isti canones per Trid. *sess. 22. c. 1. de reformat. & sess. 14. c. 12. de reformat. ad fin.*

His suppositis dico primò: Clericus qui non est in sacris, aut beneficiarius, potest ludere, sicut laicus. Nauar. *c. 20. n. 10.* cum Panor. recepto *in c. penult. de vita, & honestate Cler. & c. 1. & 2. de postulat. Prælatorum.* Rutilio Vẽconio *in speculo lib. 1. disp. 1. q. 7. dub. 2.* Ratio est, quia sicut illud caput primum *dist. 35.* quatenus loquitur de laicis, vel non fuit vsu receptum, vel contraria consuetudine fuit abrogatũ, vt *dub. 3.* dixi, docétque Læs. *lib. 2. c. 26. dub. 1.* & Caiet. *2. 2. q. 168. art. 3.* ita quatenus loquitur de Clericis, qui neque in maioribus sunt, nec beneficiarij, quia laicare possunt.

Num. 2. Dico secundò: Clerici beneficiati, vel in sacris constituti peccant mortaliter si ludum alearum in cõsuetudinem ducant, secus si rarò ludant, etiamsi magnam quantitatem ludant secluso scandalo. Prima pars, in qua omnes cõueniũt, probatur, quia violare leges canonicas in re graui est peccatum mortale, præsertim si imponant pœnam excõmunicationis, suspensionis ab officio, aut beneficio, quia eæ pœnæ sine mortali peccato infligi nõ possunt. *arg. capit. non afferamus. 24. q. 1. & c. nemo. 11. q. 3.* Sed sacri canones, vt vidimus prohibent Clericis assiduitatem ludi aleæ sub illis pœnis. ergo. Secunda verò pars probatur, quia illi canones solùm prohibent assiduitatẽ, & cõsuetudinẽ ludẽdi, vt patet ex illis verbis, *vacans, deseruiens, aleator*, quæ consuetudinem, & quasi ludum ex officio designant. Ergo si rarò ludant, non peccant mortaliter. Ita docet glossa *c. 5. dist. 55.* Molin. *disp. 512.* Læs. *loco citato.* Rebell. *p. 2. lib. 12. q. 1.* Azor *to. 3. lib. 5. c. 27. q. 2.* Med. *c. 14. 1. Sum. §. 28.* Guillelmus apud Anton. *2. p. tit. 1. c. 23. §. 2.* licèt ipse Anton. teneat, etiam semel ludere notabilem quantitatẽ, esse mortale, quod etiam tenere videntur Nauar. *c. 20. n. 6. & seqq.* Sotus *4. iustitiæ. q. 5. art. 2.* Tolet. *5. Sum. c. 27.* Azebedo ad Bernar. Diaz *in praxi c. 70.* Alexander de Ariost. *in Sum. tit. 3. c. 1.* Valentia *2. 2. disp. 5. q. 6. puncto 5. §. 2.* & multi alij, quos refert, & sequitur Rutilius 5. licèt ipse postea limitare id videatur, vt solùm habeat locum quando ludus ducitur in consuetudinem. Imò Nauarr. ait, si in ludo principaliter intendatur recreatio, non esse peccatũ mortale, quod etiam tenet Sa *verb. ludus. n. 1.* Syl. *q. 4.* Armil. *n. 4. & verb. Clericus. n. 10.* Med. Tol. Rutilius, & Val. 5. Pan. *c. penult. de vita, & honest. Cler.* Sed credo etiã esse peccatũ mortale ludere assiduè, etiam propter recreationem.

Adverte tamen primò ex Mol. Nu. 3. Pan. *c. penult. de vita, & hon. Cler. n. n.* glossa ibi, Bernardo Diaz, & Arm. 5. & Greg. Lop. *c. 57. tit. 5. partita 1.* vt Clericus à beneficio obtinẽdo arceatur, satis esse si sit publicus aleator, esto admonitus non sit vt à ludo se contineat, iuxta *dictum c. inter dilectos.* vt verò priuetur beneficio iam obtento, vel suspendatur, necesse esse priùs moneri, iuxta *c. 1. dist. 35.*

Digitized by Google

SECVNDO aduerte, Pōtificem *dicto cap. inter dilectos.* dixisse, consuetudinem nihil suffragari Clerico, quia vel non erat vtilis, vel non legitimè præscripta, vel erat contra ius diuinum, ex quo indecens est Clerico publicū aleatorē esse, maximè cū scādalo, & distractione à debito officio.

TERTIO aduerte, Rebell. putare Sacerdotes, præsertim Religiosos & Episcopos, non posse à veniali excusari si vel semel ludant, nisi vrgeat necessitas excitandi; vel recreandi infirmum, vel alia similis, cui non possit aliter satisfieri, in qua necessitate licitè ludere posse docet Nauarr. *cap. 20. n. 3.* & Salcedo 5. Sed credo nec peccare venialiter, si semel, aut iterum fiat, quia canones solùm prohibent assiduitatem.

QVARTO aduerte, hanc prohibitionem, quæ de Clericis tantùm loquitur, à nonnullis extendi ad omnes Religiosos, vt à Valentia, Med. Bernar. Diaz, & Rutilio 5. & Nauar. *c. 20. n. 9.* sed sine fundamento: & Religiosi, qui Clerici non sūt, non peccant contra illos canones ludendo etiam assiduè.

QVINTO aduerte, de ludo Clericorū solere statui aliquid in constitutionibus Synodalibus, quæ custodiendæ sunt. De Eborensibus agit Mol. & Reb. de Toletanis Bernard. Diaz, & Salcedo 7.

VLTIMO aduerte, non esse curandum de *l. 56. tit. 5. partita 1.* vbi prohibetur Clericis ludus pilæ, *y del tesuelo*, sub pœnis quę clericis aleatoribus iure Canonico statutæ sūt: tum quia, licèt illi ludi si publicè exerceantur, nō ita Clericis sūt decētes, quòd nudari interdū oporteat ad' illos exercendos, si tamē exerceātur vbi conspici à solis familiaribus possint, nihil indecentię habēt: tū quia hæc lex ve' non fuit vsu recepta, vel contrario vsu est abrogata: tū quia Rex nō potest Clericis pœnas imponere, neque ab vno casu ad alium pro Clericis illas extendere; nec leges speciales facere pro Clericis, præsertim bono tēporali communi minimè necessarias. Ita docet Mol. 5. Salcedo, & Bern. Diaz *illo c. 70. litera C.*

DVBIVM XXV.

Vtrùm ludens possit ab imperitiori lucrari?

SVMMARIVM.

1 *Communis sententia est quòd si quis sciat aduersarium longè imperitiorem esse, non possit lucrum accipere, aut retinere.*
2 *Oppositum probabile reputatur.*
3 *Stando communi sententia, si peritior meliores cōditiones imperitiori concedat, quibus excessus peritiæ compensetur, licitè potest lucrari.*
4 *Si imperitior expresè dicat se velle donare lucrum peritiori, & quantitas sit modica, censendus est donare, secus si quantitas magna sit, & in hoc casu peritior restituat excessum.*

COMMVNIS sententia est, si quis sciat se esse longè peritiorem, ita vt moraliter in tuto, & certus de victoria sit, non posse lucrum accipere, aut retinere, sed debere restituere, nisi, non ratione maioris peritiæ, sed fortunæ ministrantis meliores cartas lucratus fuerit. Ita Grasis *1. p. decis. lib. 2. c. 122. n. 9.* Angl. *q. de restit. ludi. dub. 2.* Ema. *p. 1. c. 173. n. 6.* Mol. *disp. 527.* Azor *to. 3. lib. 5. c. 25. q. 4.* Veg. *verb. ludus. cas. 9.* Læsius *lib. 2. c. 27. lib. 5. in princip.* Reb. *p. 2. lib. 12. q. 3.* Lop. *2. de contract. c. 21.* Corra. *q. 192. in addit.* Medin. *de restitu. q. 22. ad fin.* Sa *verb. ludus. n. 9.* Pet. Ledesm. Num. 1.

Digitized by Google

2.p.Sum.tract.31.c.2.con.7. Fundamētū est, quia in ludo debet esse æqualitas, seu par conditio ludentium. Idem in expositionibus docet cōmunis sententia, nempe eum qui certus est de veritate, de qua cōtenditur, lucrari nō posse. Azor to.3.lib.11.tit. de expōsitionib.dub.3.& seqq. Eman. s̄.c.174. Mol. illa disp.517. Franc. Garsi. de contract. p.2.c.13. Alcozer de ludo.c.47. & alij propter eandem rationem.

Num.2. NIHILOMINVS oppositum tam in ludo quā in expōsionibus est probabile, quia in expōsionibus (de quibus eadem est ratio quæ de ludo, ait Læs.) multi tenent, certum de veritate, & victoria lucrū accipere, & retinere posse. Ita expressè Sa. verb. contract.n.12. Tolc. lib.5.c.27.n.6. Nauar. c.20.n.18. Decius consilio 115. quem citat, & sequitur Cou. reg. peccatū. §.4. n.6. quorū sētētia cōfirmari potest: nā in ludo qui certus est de victoria, & lucro, potest augere exponsionem, vt docent omnes Doctores, & vsus ergo similiter qui antequam ludum intraret, propter suā peritiā certus est de victoria, vel in aliis expōsionibus potest lucrū accipere, & retinere. Dices nō esse simile, quia illud est secundùm leges ludi colludentibus æquales, hoc verò nō: cōtrà, quia etiā dici potest hoc esse secundùm leges ludi, vel exponsionis, vt cuique sua scientia, vel peritia prosit, ignorantia verò, vel imperitia obsit.

CONFIRMATVR secundò, quia si inæqualitas in scientia, vel peritia non sit notabilis, contractus est licitus, vt docent ferè omnes citati: ergo etiamsi sit notabilis, quia magis & minus non variant speciem.

CONFIRMATVR tertiò, quia Alzer illoc. 47. fatetur si duo certēt dere cōsistēte in ingenio habet: etiā si quis certus sit de victoria, lucrari posse: ergo. Idē est dicendum de aliis exponsionibus, & de ludo.

CONFIRMATVR quartò, quia idē Alcozer c.19. absolutè ait, cùm res sūt paruæ, certum de victoria posse eas lucrari: ergo idē est de magnis.

NEQVE obstare putat Læs. fūdamentū cōtrariæ sētētiæ, scilicet, quia par debet esse cōditio ludētiū. Id. n. verū nō est de paritate industriæ, vel notitiæ: sed de paritate in legibus seruādis, & in iure lucrādi, vel perdēdi: vnde ad rē nō facit. Alio tamen fundamēto cōmunem sētentiā tenet Læs. scilicet, quia tūc error dat causā cōtractui: si .n. hic alterius peritiā nosset, nollet ludere; quādo autē error dat causam contractui, vel contractus est irritus, vel in irritum ab errante reuocari potest. Sed hoc fundamentum minùs solidū est, quia error sine dolo, aut fraude neq; irritat cōtractū, nec facit vt propria auctoritate ab errāte reuocari possit, vt diximus tract. de emp. Hīc autē supponimus nō interuenire dolū, aut fraudē: ergo ratione erroris ille contractus nō est irritus, neque illīcitus.

Num.3. TENENDO tamē cōmunē sētētiā dicēdū est, si peritior excessū aliū, seu meliores cōditiones imperitiori cōcedat, quibus excessus peritiæ cōpēsetur, licitè lucrari posse. Ita Ang. illo dub.2. Reb. & Lop. s̄. & alij. Cōcedēdū est etiā est cū Med. Alcoz. Sa, Ledesm. Mol. & Reb. si vterq; alterius peritiam ignoret, peritiorē lucrari posse, nec debere restituere, quia pari periculo se exposuit: sed cognito excessu debere à ludo desistere: sic cū aliqui ignorātes valorē rei venalis cōueniūt de pretio pari periculo se exponētes, neuter tenetur restituere, vt ait Led. s̄. & disp.553. cū Caiet.

Num. 4. ALIQVI etiam dicunt, si is qui imperitior est excesſũ alterius colludentis sciat, vel ab eo monitus, vel alia ratione, & nihilominùs velit ludere, peritiorem lucrari posse, quia scienti, & volenti nulla fit iniuria, & sibi imputare debet quòd amiserit, & donare illud censetur. Ita Grasis, Azor, Medin. Ledesm. Corrad. Mol. Reb. & Lopez.

EGO autem dico præterea; si imperitior expresè dicat se velle donare lucrum ei qui dicit se esse peritiorem, & quantitas sit modica, credendum est esse donationem, vt dicunt Angles s. *dub. 3.* & Alcozer *de ludo. cap. 19. in fin.* si verò quantitas sit magna, non est credendum donare velle, etiãsi id expresè dicat: sed excitatũ affectu ludẽdi, vel alia ratione, nõ credere dicẽti se esse lõgè peritiorẽ, ideóque cum peritiore ludere. Ita Angles, & Alcozer: si verò non dicat se donare; sed ludat tãtùm, quia non credit dicenti se esse peritiorem, non censeri donare. Ita à fortiori dicerent Angles, & Alcozer, vt expresè ait Mol. s. Idémque affirmat in exponsionibus cùm quis dicit se certò scire veritatem, & alter illi non credit: tunc enim victus non censetur donare, ideóque victor non potest lucrum retinere. Præterea si certò credit alium esse longè peritiorem, & nihilhominùs vult ludere, non est censendus donare, sed affectu obligationis ludere impulsus: & ideo lucrum à victore retineri non potest titulo donationis: sed vel conformando se opinioni asserenti certum de victoria lucrari posse, vel quia constituit aliam legem ludi, nempe vt longè peritior lucrari possit, quod innuunt Couar. & Reb. s. vel potiùs, vt docet idem Reb. quòd sit eius contumaciæ, & temeritatis condigna pœna conuentionalis. Et hæc videtur lex ludi. Idem ait in exponsionibus, & bene admonet semper hanc pœnam debere esse culpæ proportionatam. Denique si non certò, sed probabiliter iudicat se esse peritiorem, potest ludere, & lucrari, & similiter si sciat excedere, non ita tamen vt certam habeat victoriam. In hoc videntur omnes conuenire: & sanè cùm certa esset omnimoda æqualitas, otiosum & impertinens esset ludere, nisi propter recreationem, cùm non sit maior spes lucri, quàm timor incommodi.

DVBIVM XXVI.

An ludens pecunia credita teneatur soluere, & an si soluat, qui accipit, teneatur restituere?

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans teneri soluere qui pecunia credita ludit.*

2. 3 *Secunda sententia negans teneri, & eius fundamenta.*

4 *Qui creditò ludit, potest non soluere, si petatur in iudicio.*

5 *Iure Castella nemo tenetur soluere pecuniam creditò amissam, sed propria eam potest auctoritate reseruare.*

6. 7. 8 *Sententia affirmans non debere restituere eum qui accepit pecuniam creditò amissam, si soluat aduersarius, proponitur, admittitur, & explicatur.*

Dis-

Num. 1. DE primo puncto quidam dicunt ſtando in iure Cæſareo, debere ſoluere. Ita Ioann. Medin. *de reſtit. q.* 42. Caſt. 2. *de lege pœnali. cap.* 2. *concl.* 1. *corol.* 3. Bannez 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 7. *circa* 2. §. *reliquum eſt.* Cordoua *in Summa. q.* 98. Corradus *quæſt.* 196. Garſia *de contract. p.* 2. *cap.* 19. Azor *to.* 3. *lib.* 5. *cap.* 24. *q.* 7. Probant primò, quia iure naturæ promiſſio, maximè cùm mutua eſt, obligat in conſcientia, niſi aliquo iure poſitiuo irrita ſit: ſed promiſſio facta in ludo qui ſit pecunia credita, eſt mutua, nullóque Cæſareo iure irrita. ergo obligat.

SECVNDA pars minoris probatur, quoniam lex alearum. (*C. de Religioſis, & ſumptib. fun.* ſolùm ait: *nulla ſequatur condemnatio, ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur.* Quæ verba non indicant irritationem: nec vlla alia lex Cæſarea reperietur quæ promiſſionem illam irritet. Secundò, qui ludit pecunia præſenti tenetur, ſi perdat, ſoluere: ergo ſimiliter qui ludit data fide: in toto enim iure Cæſareo nullum inter hæc diſcrimen habetur. Confirmatur: aliàs ſi duo colluderent, alter credita, alter poſita pecunia, vnus teneretur ſoluere, alter nō, quod eſt contra leges ludi, in quo debet eſſe æqualitas.

Num. 2. SECVNDA ſententia eſt, non teneri ſoluere. Adrianus *4. quæſt.* 11. *de reſtitut.* quæ incipit, *quia in ſuperioribus.* Sotus *4. iuſt. quæſt.* 5. *art.* 2. Aragon 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 7. *ad finem. & quæſt.* 62. *art.* 1. Couar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 4. *n.* 8. Nauar. *cap.* 20. aliàs 19. *num.* 15. *& 16.* Læſius *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 4. Alcozer *de ludo. cap.* 30. 31. 33. 42. Guttierrez, quē citat, & ſequitur Mol. *diſp.* 215. *con.* 4. Comitolus *lib.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 6. *& q.* 11. *n.* 6. *& q.* 11. *n.* 3. Tol. *lib.* 5. *c.* 27. Angles *quæſt. de ludo. dub.* 6. Morla 1. *p. Emporij. tit.* 2. *quæſt.* 3. *in fin.* Martinus Ledeſm. 2. *p. Quæſti. quæſt.* 18. *fol.* 273. *col.* 3. Petrus Lædeſma 2. *p. Summæ tract.* 31. *cap.* 2. *con.* 11. Lopez 2. *p. Inſtruct. conſc. c.* 33. Medin. 1. *Summ. c.* 14. §. 29. Rebellus *de oblig. part.* 2. *lib.* 12. *quæſt.* 2. malè pro hac ſententia citans Cordubenſem.

FVNDAMENTVM eſt, quia iure Cæſareo victor, ſi ſoluerit, datur actio ad repetendum *lege alearum citata.* ergo rectè poterit victus non ſoluere: nam exceptio, & retentio competit ei cui datur actio *leg. inuitus.* 199. §. *cui damus. ff. de reg. iur. l. creditori. C. de pactis. cap. quia ad agendum. de reg. iur. in 6.* & quorſum per inutiles ambages, & circuitus duceretur victus, vt rem ſibi debitam recuperaret, cùm ab initio poſſet nō ſoluere? Reſpondet Bannez, hoc argumētum pariter probare, eum qui ludit præſenti pecunia, non teneri ſoluere, quia etiam ibi datur actio ad repetendum: neque circuitum illum priùs ſoluendi, & poſtea repetendi eſſe inutilem Reip. quoniam ſic homines arcentur ab eiuſmodi ludis, dum norunt priùs debere ſoluere, licèt poſtea poſſint repetere, eo vel maximè, quia ſeruare finem nūquam eſt inutile. Regulam autem iuris ait non habere locum quando iure cōceditur reſtitutio in integrū: tunc enim in odium contractus prohibiti, vt hîc in odium ludi, conceditur repetitio, quanuis non concedatur retentio in foro conſcientiæ. Fatetur tamen Bannez in foro externo permitti retentionem, & lædenti Num. 3.

Digitized by Google

denti intra dimidium iusti pretij.

SED vrget Læs. quia in dicta *l.aleatum*. sancitur, vt victus non cogatur soluere, atqui parum est nõ cogi in foro externo, si interim cogatur in conscientia. Deinde cur non vult cogi nisi quia mens eius est, vt non soluat, & rebus suis se non exuat, & victor non fruatur lucro? Præterea cùm ibi concedatur, vt victus & eius hæredes possint solutum repetere, eo ipso videtur concedi, vt victus nõ teneatur soluere. Cur enim nõ eximat illum ab obligatione soluendi, cui, si soluerit, dat ius repetẽdi? Præterea *in dicta l.aleatum*. in textu Græco redditur irrita omnis cautio data super aleæ lusu. Vult ergo ex aleæ lusu non nasci obligationem soluendi: cur enim vellet cautionem, quæ contractum confirmet, esse irritam, si ex contractu velit aliquam obligationem nasci?

NEC obstat (inquit Læsius) quòd iure naturæ tenemur promissa implere: hoc enim verum est nisi lex ea reddat irrita, aut nisi faciat potestatem non implẽdi, quod ex iusta causa facere potest: quanuis enim lex contractum ludi nõ reddat propriè irritum, victor enim potest exigere à victo solutionem rei quam lucratus est, & cùm ei tradita fuerit, acquirit eius dominium, nec tenetur ante sententiam rem victo restituere, tamen concedit victo potestatem liberandi se, & excutiẽdi obligationem per contractum inductam, si velit: itaque etsi victor possit solutionem exigere, tamen non potest eam extorquere si victus beneficio legis vtens nolit soluere. Videntur Læs. & alij auctores huius sententiæ idem tenere quando luditur exposita pecunia: quia eius rationes etiã in hoc casu militare videntur. Bannez tamen, & alij oppositum certũ putant: vnde quidam ex auctoribus secundæ sententiæ ad confirmationem secundi argumenti pro prima posiri respondent, debere esse æqualitatem inter colludentes, nisi quis eorum aliquid de æqualitate expresè, vel tacitè remittat, vt qui ludit præsenti pecunia remittit, alij solutionem credens: nam eo ipso lex concedit illi retentionem cui solutio creditur.

DICENDVM tamen cum Rebel. s. & Valentia 2.2.*q.6. puncto* 5. §. 2. posse non soluere si petat in iudicio vt cassetur talis promissio: nam lex concedens repetitionem, vt postea translatio dominij irritetur, à fortiori concedit promissionem in iudicio cassari posse; & interim dũ res agitur in iudicio, potest solutionem retinere: non posset autem eam retinere sua auctoritate propria sine sententia, vel sine quasi dispensatione obtẽta à publica potestate. Sic cõciliatur illæ duæ sentẽtiæ; & secunda limitari debet cum Morla s. quãdo quis ludit ludo prohibito: nam in ludo licito sicut non datur iure Cæsareo repetitio, ita nec retentio; quia verò datur in ludo prohibito repetitio, etiamsi apposita pecunia ludatur, dabitur quoque retentio, nisi scandalum, aut rixæ timeantur. Imò Comitolus, & alij putant in tali ludo non transferri dominium, & lucrantem teneri lucrum acceptum restituere: sed hoc suprà reiecimus. *Num. 4.*

IVRE autem Castellæ certum est apud omnes non solùm secundæ, sed etiam primæ sententiæ auctores, & *Num. 5.*

Eman-

Digitized by Google

Eman. *1.p.Summ.cap.173. n. 9.* neminem teneri soluere pecuniam creditò amissam; sed propria auctoritate posse illam retinere, etiamsi ludus sit licitus, & sub pignore, aut fideiussore ludatur, quia hunc contractum irritauit Carolus V. in Comitiis Matriti anno 1518. vt habetur in *Repertorio. tit. 8. lib. 8. t. 2.* & est lex octaua *tit. 7. lib. 8. nouæ collect.* vbi Carol. V. vetuit creditò ludere, etiam pila, & & aliis ludis hoc in Regno permissis aut toleratis; & negatur actio lucrantibus contra colluſores, vel eorum fideiussores, & irritantur omnes obligationes, scripturæ, & promissiones, quas tales personæ super hac re fecerint. Est autem lex æquissima: postquam enim animus colluſorum ludo incaluit, si ludatur pecunia credita, ludunt sine modo, & termino, & in maiori quantitate, quàm si luderetur pecunia exposita, & nobiles ac illustres viri in magnam pauperiem rediguntur, & mercatores ipsi decoquunt, *se algan.* Vnde dici solet, quod non ponitur, non soluitur. Ita docent Bannez, Cordubens. Sotus, Petrus Ledes. Mol. Nauar. Azor, Valentia, Emanuel, Couar. Castro, Alcozer, Vega, *verb. juegos. casu 7. & 8.*

Num. 6. De secundo autem puncto partem affirmantem tenet Comitolus, Sot. Castro, Couar. Alcozer, & Cordubensis. Sed negantem, nempe accipientē nō teneri ad restitutionem, tenent Bannez, Aragon, Vega, Corr. Bart. Med. & Pet. Ledes. ꝛ. Idem tenet Ema. *in Bulla compositionis. cas.* 10. & meritò, non quia tunc victus censeatur renuntiare beneficio legis allegatæ, ac proinde donare, præsertim si non sit ignarus legis, vt tenent Bannez, & nonnulli alij, quod non placet, quia non videtur esse animus donandi, præsertim quando victus legem ignorat: sed propter aliam rationem, quia cæteri præter Bart. Med. vtūtur, scilicet, quia lex illa vel non intendit obligare ad restitutionem lucri, si solutum fuerit, vel si id intēdit, non fuit in eo sensu recepta, vel saltem contraria consuetudine fuit abrogata, vt ait Mol. ꝛ. & valdè consentaneum id rationi fuit: cùm enim hoc sit Hispanorum ingenium, præsertim nobilium, vt si solutum reddatur, ignominiæ deputent, non debuit Carol. ad eā redditionē obligare, aut meritò nō in eo sēsu lex est recepta: vnde cū frequēter nobiles sic ludāt & soluāt, inauditū est cōfessarios lucrātibus restitutionē iniunxisse.

Sed petit Læs. an si vterque ludentium credita pecunia beneficio legis renuntiauerit, cesserítque iure suo, possit adhuc victus solutionē negare, aut solutum repetere? Respōdet bene, si solū renūtiauerit simplici verbo absq; iuramēto, posse nō soluere, posse quoque solutū repetere: simplex. n. cessio nō priuat hominem iure q̄ lex ei tribuit in fauorē boni cōmunis, alioqui facillimè lex inanis & inutilis redderetur. Idē tenet Sa. *verb. lud. n. 9.* Cou. & Reb. ꝛ. dicētes à nullo viro docto negādū. Sed Sot. Azor, & Cord. id negare videtur, quorū sētētiā probabilē putat Reb. si promissio pervi aut fraudē extorta nō sit, nec tāta bonorum iactura interueniat, vt propter scādalū, aut propter vxoris, filiorū, vel creditorū detrimētū implere promissionē peccatū sit. Si verò alteri, vel vtrique beneficio legis renūtiauit cū iuramēto, tenetur, inquit Læs. soluere, & solutum nō repetere, quia iuramētū est de re liçita: ideo de *Num. 7.*

necessitate seruandum, ex *c. quis pactum. de pactis in 6. & c. debitores. de iureiurando.* Ita etiam Sotus, Cordub. Bannez, Pet. Led. Mol. Couar. Reb. Vega, Nauar. Valentia, Tolet. Sa, Lopez, Eman. & Arag. ſ. Guttierrez *de iuramento confirmatorio. c. 53. n. 2.*

SED an tunc poſſit victus petere, & Prælatus concedere iuramenti relaxationem, Mol. & Reb. putant relaxari non poſſe ſine conſenſu eius, cui factum eſt, quia factum eſt in eius commodum abſque vi, fraude, vel iniuria, ac proinde acquiſitum eſt illi ius quo inuitus ſpoliari nō poteſt. Læſius verò inquit relaxari poſſe ſi ſolùm iurauit ſoluere, non autem excluſit repetitionem, quia tale iuramentum non confirmat contractum, cùm non excludat priuilegium legis, quo repetitio conceditur: ſi autem iurauit ſoluere, & non repetere, vel ſaltem ea mens eius fuit, licèt non expreſſerit, tenet relaxari non poſſe eo inuito cui præſtitum eſt, niſi vis, aut fraus interuenerit: ſecus eſt de iuramento ſoluendi vſuras, quod per iniuriam extortum eſt, & nullum ius cōtulit vſurario. Sotus etiam ait niſi magna eſſet bonorū iactura, non poſſe eum qui legis beneficio renuntiauit, petere relaxationem, vel diſpenſationem.

Num. 8. VERA tamen & communis cæterorum ſententia eſt, peti & concedi poſſe talis iuramenti relaxationem, etiam non citato eo cui præſtitum eſt, & eō inuito, quia tale iuramentum nullum ius iuſtitiæ contulit illi: ſed ſolùm obligat ex religione: vnde per relaxationem nulla illi fit iniuria. Ita Nau. Couar. Valen. Tolet. Veg. Eman. Sa, Guttier. & alij, quos citat, & ſequitur Henriq. *lib. 7. de Indulgentiis. c. 35. n. 6.* Vbi etiam virtute Bullę, vel ſimilium priuilegiorum mendicantium poterit tale iuramētum mutari: hūc enim nulla fit iniuria parti, ſi amiſſum nō ſoluatur, vel ſolutum in iudicio repetatur. Ita Vega, Em. & Henriquez alios referens.

EXISTIMAT Reb. citans Couar. promiſſionem etiam iuratam de ſoluendo, & non repetendo illicitam, & inualidam eſſe: & hoc falſum eſſet contra omnes, imò & contra ipſummet, quia licèt illa promiſſio inualida ſit quantùm ad conferendū ius iuſtitiæ promiſſario, tamen valida eſt quatenus obligationem religionis adducit, alioqui non eſſet neceſſaria iuramenti relaxatio. Item promiſſio illa eſt de re licita: ergo licita eſt & valida non ex iuſtitia, ſed religione.

DVBIVM XXVII.

An qui lucratus eſt aliquid ludo prohibito à potente alienare, & ſine vi, aut fraude, teneatur illud reſtituere victo petenti extra iudicium, vel ante iudicis ſententiam?

SVMMARIVM.

1. 2. 3 *Pars negatiua, vt probabilior admittitur, ſuadetur, & à contrariis argumentis vindicatur.*

Num. 1. SOTVS ſ. probabilem putat partem affirmantem, quam etiam tenere videtur Mol. 1 *Sum. c. 14. §. 29.* Sed probabilius eſt oppoſitum: imò, vt ait Sotus, certiſſimum, & cōtrarium improbabile, vt putat Bannez 2. 2. *q. 32. art. 1. ad 2.* vbi & longè probabi

probabilius. Item & Arag. *q. 62. art. 1.* Castro 2. *de lege pœnali. cap. 2. cuvol. 3.* Ioan. Med. *de restit. q. 22. §. neque obstat.* Couar. *regula peccatum p. 2. §. 4. n. 8.* Valentia 2. 2. *disp. 5. q. 6. puncto 5. §. 2. in fin.* Tolet. *lib. 5. c. 27.* Corrad. *q. 196.* Salon *to. 1. q. 5. de dominio.* Eman. *1. p. Sum. c. 173. num. 1.* Mol. *disp. 514.* Morla *p. 1. Emporij. tit. 7. q. 2.* Mart. Ledesm. 2. *Quarti. q. 18. art. 8.* Pet. Ledesm. 2. *p. tract. 31. conclu. 11.* Angel. *verb. ludus n. 7.* Azor *tom. 3. libro 5. cap. 24. q. 5.* Læsius *lib. 2. cap. 26. dub. 3.* Vega *p. 1. casu 61.* Lopez 2. *part. Instructory conscientia. casu 33.* Palud. & alij communiter.

Num. 2.

PROBATVR, quia illa restitutio est pœna per Iudicem infligenda, vt patet *l. alearum vsus.* & aliis legibus Regni citatis 5. Talis autem pœna non debetur ante Iudicis condēnationē, vt latè docui *tract. de legib.* ergo. Nec est eadem ratio de vsuris ad quas repetendas datur actio *c. debitores. de iureiurando.* quia vsurarius non acquirit dominium vsurarum: ideo ante omnem sententiam aut petitionem tenetur eas restituere. Deinde, quamuis hæc lex non esset pœnalis, saltem est dispositiua modi, quo res perdita debet recuperari, sicut cùm concedit restitutionem in integrum contra præscriptionem, vel contractum vtrimque impletum, iuxta doctrinam Læsij *lib. 2. cap. 6. dub. 18. & cap. 17. dub. 9.* Sed modus quem lex præscribit ad recuperationem rei ludo amissæ, est per Iudicem *dicta lege alearum. C. de Religiosis, & sumptibus funerum.* vt competentibus actionibus repetatur: actio autem non dicitur nisi quæ fit in iudicio *l. 1. §. quidquid. ff. quod cuiusque Vniuers.*

ADDE non esse cōsentaneū moribus hominum, vt victus obligetur ante sentētiā, quia rari sponte restituerent, & ita conscientiæ hominum absque fructu implicarentur: denique consuetudine receptum est, vt neme putet se teneri lucra reddere, nisi per sententiam Iudicis compellatur.

Num. 3.

DICES, in Græca constitutione alearum vsus habetur, vt data super aleæ lusu cautio sit irrita: ergo contractus ludi, ac proinde solutū debet restitui. Respōdet Læsius, licèt omnis cautio sit irrita, quia ex vi ipsius victus nō potest cogi ad solutionē, & si quis ex ea coactus fuerit soluere, eo quòd non potuerit probare datā esse super aleę lusu, potest vti occulta cōpensatione, tamen contractus ludi est validus, & lucri dominium trāsfert: ideo victor ante sentētiam non tenetur lucrum reddere. Addit Mol. lucrantem non teneri fateri crimen in iudicio, nisi antè semiplenè ipsi probatum fuerit, etiamsi sub iuramento fuerit interrogatus: at verò non satis esse si ludus ei semiplenè probetur, vel ipse illud fateatur, si non ei fuerit probatum quantum lucratus fuerit, non enim obnoxius est pœnæ propter solum ludum, sed propter ludum cum lucro, & ad mensuram lucri.

SED quid si victor impediat ne Iudex ipsum condemnet ad restitutionem, tenebitúrne adhuc restituere? Respondent Molin. & Læs. si impedit per vim, vel fraudem, tenetur, quia per iniuriam impedit ne victus possit recuperare id ad quod leges ius tribuunt; secus si absque vi, & fraude, quia vtitur iure suo, ne condemnetur, vt si neget se ludo quidquam lucratum, eo quòd res

Digitized by Google

sit omnino occulta, nec victus habeat vllũ testem: cùm enim hic examinetur criminaliter, vt puniatur priuatione lucri in pœnam criminis, non tenetur fateri, etiamsi sub iuramento interrogetur, antequam semiplenè probetur, scilicet per vnum testẽ omni exceptione maiorem. Addit Læs. hanc Mol. opinionem esse probabilẽ, contrariã tamẽ videri veriorẽ ex contrario fundamẽto, nõ enim ista lex videtur pœnalis, sed dispositiua boni, & æqui, ne homines rebus suis per Iudũ irrecuperabiliter priuentur cum magno Reip. incommodo. Confirmat, quia si victor in pœnam delicti condemnaretur ad restitutionem lucri, non deberet restitutio fieri victo, qui fuit particeps delicti, sed Fisco, sicut cùm aliquid datum est pro adulterio, vel homicidio. Itaque victor non examinatur criminaliter, sed ciuiliter: ac proinde tenetur fateri veritatem, licèt occulta sit. Ego quidem existimo hãc legem non esse purè pœnalem, quatenus præcipit restitutionem lucri, sed dispositiuam, alioqui si constaret, aliquem bona fide lusisse, non posset damnari ad restitutionẽ lucri, etiamsi ludo verè prohibito lusisset. Itẽ, etiãsi iuridicè, & post semiplenam probationem negaret ludum, vel lucrum, non teneretur restituere, sicut nec reus qui iuridicè interrogatus negat delictum, tenetur restituere pœnam, ad quã dãnaretur, si crimẽ fateretur: nihilominùs censeo legislatorẽ velle neminẽ dãnari ad restitutionẽ, nisi & ludus, & lucrũ quasi crimẽ probatum fuerit, eo quòd etiam hæc est quasi pœna; & ideo non teneri ad confessionẽ, vel restitutionẽ, nisi ludus, & lucrum semiplenè probatum fuerit.

DVBIVM XXVIII.

An cùm quis ludo prohibito aliquid amisit, & soluit quod veretur petere in iudicio, vel non potest auctoritate Iudicis commodè recuperare, possit occultam compensationem facere, tantumdem accipiendo, vel retinendo occultè de bonis lucrantis?

SVMMARIVM.

1 *Occulta compensatio in hoc casu illicita est.*

COMMVNITER Doctores partem affirmantem tribuunt Adriano *q. 11. de restitut.* cuius prima verba sunt: *quia in superioribus. §. sed oritur ex iis dubium.* immeritò tamen, vt probat Mol. *disp.* 514. Eam tamen opinionem probabilem putat Angles *q. de ludo. dub.* 10. Sed tenendum est cum Mol. Ledes. Batthol. Med. Soto, Arag. Bannez, (qui meritò contrariam sententiam putat improbabilem) Lopez, Eman. Valentia, Ioanne Med. Castro, Azor. Rebel. Sa, imò & ipso Angle, & Adriano, illicitam esse eo casu occultam compẽsationem: nam qui auctoritate propria cepit alienum sibi indebitum, fur est, & nemo potest ius sibi dicere in causa propria, & nemo, etiã publicus fiscalis, potest pœnam infligere sine Iudicis auctoritate; & lex solùm concedit, vt competentibus actionibus solutũ repetatur. Ergo nemo potest auctoritate propria compensationẽ facere, nisi victor iniustè impediuisset ferri iustam sententiam, qua id victo fuisset adiudicandum, Num. 1.

Digitized by Google

candum, vt ait Mol. bene addens, eodē modo fore iniustā compensationē, & cum restituendi onere, si cùm quis in ludo prohibito amisisset, vellet cōpēsare ludēdo cū eodē fraude, & dolo: denique cùm quis aliquid ludo prohibito amisit, potest lucranti comminari repetitionem, & cum eo paciscì vt partem sibi restituat, ne totum in iudicio repetat, vel vt à petitione in iudicio cœpta desistat, & iure suo cedat. Ita Molin. & Azor.

Qvi tamē (inquit Mol.) ob verecundiā, infamiā, vel aliam causā repetiturus non erat, animúmque repetendi finxit, vt alius deterritus partem lucri restitueret, retinere illud in conscientia non possit, quoniam qui ita restituit, per fallaciam & simulationem alterius re sua spoliatus est.

Addo ego, si nihil fingendo pro iuris cessione aliquid accipiat, posse id in conscientia retinere, modò illa cessio tantumdem valeat.

Digitized by Google

INDEX

RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Primus numerus columnam, secundus dubium, tertius numerum marginalem indicat.

A

Abundantia.

Abundantia proximè futura communiter cognita, rem minùs communiter estimari facit 52. 32. n. 8.

Actio.

Actio datur in foro externo contra lasorem, si lasio intra dimidium contingat per dolum. 41. dub. 77. n. 7.

Actio principalis, & fideiussoria sunt incompatibiles. 490. dub. 38. n. 2.

Actio pro quacumque valoris defraudatione apud nullam nationem unquam est concessa, sed permissum aliquod damnum impunè fieri. 37. dub. 26. n. 8.

Actio periculosa aut litigiosa minùs valet, quàm res ipsa. 76. dub. 39. n. 6.

Actio contra ladentem in quibus negetur. 43. dub. 27. n. 18.

Actio lasionis quoto anno extinguatur. 44. dub. 27. n. 13.

Actioni iniuriarum cedere est quid pecunia estimabile. 151. dub. 15. n. 3.

Actionem habere minus est, quàm rem habere. 75. dub. 39. n. 3.

Actiones quanam non sint intrinsecè malæ. 86. dub. 47. n. 5.

Actus.

Actus qui fit ex ignorantia, est inuoluntarius. 51. dub. 32. n. 2.

Actus externus nullam malitiam addit interno. 86. dub. 47. n. 4.

Actus interni sicut non possunt cadere sub precepto humano; ita nec sub contractu. 150. dub. 15. n. 2.

Actus multi prohibentur sub peccato mortali, etiamsi non versentur circa iustitiam. 644. dub. 3. n. 3.

Adarame.

Adarame *Hispanorum à Sarracenis qui Hispanias occuparunt, dimanauit. 550. dub. 6. n. 1.*

Æqualitas.

Æqua-

Digitized by Google

Æqualitas rerum vbi est, locum non habet obligatio restitutionis. 146. *dub.* 13. *n.* 1.

Æqualitas inter rem & pretium non debet esse mathematica, sed moralis, & quare. 10. *dub.* 4. *n.* 8.

Æstimatio.

Æstimatio pecuniæ maior, vel minor extrinseca quot ex causis proueniat. 573. *dub.* 12. *n.* 2.

Æstimatio bonorum cuiusque, vt iuxta illorum quantitatem, ac valorem tributum imponeretur, cuius dicta est. 346. *dub.* 1. *n.* 1.

Æstimatio rei quare non debeat sumi à futuris euentibus. 53. *dub.* 32. *n.* 8.

Æthiopes.

Æthiopes pro nõnullis ludicris, quæ apud illos noua, & rara sũt, multa aureorum millia exoluunt. 33. *dub.* 25. *n.* 5.

Albanenses.

Albanenses, & Graci schismatici vsuras esse licitas asseruerunt. 101. *dub.* 3. *n.* 1.

Alchimia.

De Alchimia. 62. *dub.* 35. *n.* 3.

Alea.

Aleę nomine quid intelligatur. 642. *dub.* 3. *num.* 1.

Alienum accipere.

Alienum accipere ex libera voluntate domini non est iniustitia. 117. *dub.* 5. *num.* 5.

Amicitia.

Amicitia non est pretio æstimabilis. 150. *dub.* 15. *num.* 1.

Anomala venditio.

Anomala venditio quænam appelletur 402. *dub.* 8. *n.* 2.

Apostolicæ literæ.

Apostolica litera, quando ad aliquorum Prælatorum, vel Principum manus peruenerint, possunt, si aliqua incommoda iudicentur continere, Pontifici indicare. 384. *dub.* 6. *n.* 3.

Arra.

Arra quid sit. 95. *dub.* 66. *n.* 1. *ea data non licet à contractu resilire.* ibid.

Artifex.

Artifices qui ex causa inueniunt superflua & curiosa, possunt excusari. 88. *dub.* 47. *n.* 10.

Assecuratio.

Assecuratio, & translatio virtualis pecuniæ quid sit. 563. *dub.* 8. *n.* 3.

Assumptum ad finem medium.

Assumptum ad finem medium non magis potest prodesse, quàm obesse. 642. *dub.* 2. *n.* 4.

Attrahens ad ludum.

Attrahens ad ludum prohibitum tenetur ad restitutionem. 653. *dub.* 6. *n.* 2.

Auaritia.

Auaritia peccatum ex genere suo solùm est veniale. 641. *dub.* 2. *n.* 3.

Auctirium.

Auctirij petitio non ideo iusta est, quòd sit medium ad habendam securitatem, vel ad recuperandum debitum. 205. *dub.* 22. *n.* 5.

Augustinus.

Augustini verba ex epistola ad Macedonium

Digitized by Google

donium restituta, & explicata. 39. dub. 26. n. 9.

Augustus Cæsar.

Augustus Cæsar censum personalem induxit. 365. dub. 3. n. 3.

Aurum obryzum.

Aurum obryzum quod dicatur. 550. dub. 6. n. 1. cur sic vocetur. ibid.

B

Bancarius.

Bancariis quot modis consignentur pecuniæ, quibúsque modis eas soluant. 608. dub. 25. n. 1.

Baptizatus.

Baptizati soli subduntur legibus, & iudicio Ecclesiæ. 112. dub. 4. n. 1.

Beneficium.

Beneficium facere de proprio nemo contra vtilitatem suam tenetur. 169. dub. 19. n. 3.

Beneficia Ecclesiastica, & alia spiritualia non sunt pecuniâ æstimabilia. 151. dub. 15. n. 3.

Beneficiarius in minoribus constitutus an peccet mortaliter negotiando, videtur anceps. 5. dub. 2. n. 5.

Beneuolentia.

Beneuolentiæ affectus non est compensandus de iustitia, sed de gratitudine. 106. dub. 3. n. 4.

Bonum commune.

Bonum commune priuato præferendum. 13. dub. 6. n. 4.

Bonum publicum in multis casibus causa est, vt quis possit cogi ad vendendam rem suam. 93. dub. 53. n. 1.

Bona Ecclesiastica immobilia ab alijs empta in Anglia, & Hollandia qui vendiderunt, qua ratione excusari possint à restitutione. 91. dub. 48. n. 6.

Bona vsurarij non esse obnoxia restitutioni quando titulo oneroso distracta sunt, non est vniuersaliter verum. 300. dub. 42. n. 7.

Bonis suis quisque potest, modo liberæ sint, censum imponere. 348. dub. 2. n. 1.

Bulla.

Bulla Pij V. de censibus si esset declaratoria iuris naturalis, vel diuini, esset vbique & semper seruanda. 386. dub. 6. n. 4.

Bulla quædam Mantuæ concessa explicuit decretum Concilij Lateranensis, non Caietanus in suo opusculo. 265. dub. 33. n. 5.

Bulla Pij V. de censibus stante non sufficit quòd res fructifera sit per accidens. 393. dub. 7. n. 8. ea tamen excluſa sufficit. ibid.

Bulla Pij V. de censibus in Hispania vim non habet, nisi in quantum est declaratoria iuris naturalis, ac diuini. 368. dub. 3. n. 3.

Bulla Pij V. solùm intelligitur de censibus ex contractu & conuentione partium creatis. 535 dub. 15. n. 1.

Bullam facere, & sacro approbante Concilio definire, & sub excommunicatione præcipere, vt nemo oppositum doceat, non pertinet ad Pontificem, vt est priuatus doctor, vel moralis Philosophus. 266. dub. 33. n. 7.

C

Cæsareæ leges.

Cæsareæ leges concedentes præscriptionẽ mala fide, ab Ecclesia damnatæ sunt. 38. dub. 26. n. 9.

Cam

Digitized by Google

C

Cambium.

CAmbium cum lucro aliquo ſæpe eſt licitum, & ars campſoria licitè exercetur. 539. *dub.* 3. *n.* 7.

Cambium generatim idem eſt quod permutatio, ſpeciatim autem permutatio pecuniæ pro pecunia. 530. *dub.* 1. *num.* 1.

Cambium ad incertam ſolutionem quid ſit. 633. *dub.* 40. *n.* 1.

Cambium reale, & ſiccum quomodo differant. 534. *dub.* 2. *n.* 1.

Cambij *variæ acceptiones.* 530. *dub.* 1. *n.* 1. *eius diuiſio.* 533. *dub.* 2. *n.* 1.

Cambia ſicca illicita. 563. *dub.* 8. *n.* 4. *definitio falſa impugnata. ibid.*

Cambia inter mercatores tripliciter celebrantur. 606. *dub.* 24. *n.* 3.

Campſor quibus titulis in cambio localialiquid lucrari poſſit. 559. *dub.* 8. *n.* 1. *& ſeqq.*

Canon.

Canones vſuram inhibentes vnde ortum habuerint. 322. *dub.* 45. *n.* 1. *varias pœnas ſtatuerunt. ibid.*

Canonico iuri conſentaneum eſt, vt qui fruitur communi populi vtilitate, communi damno ſubiiciatur. 17. *dub.* 9. *n.* 1.

Canoniſtæ antiquiores omnia vſurarij bona pro vſuris ſoluendis eſſe hypothecata arbitrantur. 309. *dub.* 43. *n.* 3.

Caſtella.

Caſtellæ Regnum non eſt ſubditum legibus Cæſareis. 644. *dub.* 3. *n.* 4.

Cautiones inſolitæ.

Cautiones inſolitæ ſimulationem fraudis præ ſe ferunt. 458. *dub.* 26. *n.* 4.

Cauſa.

Cauſa finali diſpoſitionis ceſſante, non ceſſat diſpoſitionis effectus, quando finis non ponitur vt additio. 245. *dub.* 29. *n.* 10.

Charitas.

Charitatis, & non lucri gratiâ quilibet poteſt panem ad vendendum conficere. 24. *dub.* 15. *n.* 9.

Charitatis tantùm eſt obligatio non vendere ei quem ſcias non curaturum de periculo. 58. *dub.* 34. *n.* 3.

Cenſus.

Cenſus non tantùm emptione formali, ſed etiam virtuali conſtitui poteſt. 406. *dub.* 8. *num.* 6.

Cenſus reſeruatiuus, & emphyteuſis quomodò inter ſe differant. 457. *dub.* 26. *num.* 2.

Cenſus, & monumenta publica potiora teſtibus. 347. *dub.* 1.

Cenſus in quibus caſibus re pereunte pereat. 473. *dub.* 33.

Cenſus perſonalis pro minori pretio quàm ſit latitudo penſionum vſurarius eſt. 376. *dub.* 4. *n.* 3.

Cenſus quando minoris emitur quàm ſit iuſtum pretium, non totus contractus ruit: ſed qua parte iuſtam pẽſionem excedit, eſt nullus. 448. *dub.* 23. *n.* 4.

Cenſus non ſecuri minori pretio vendi debent, quàm ſit lege taxatum. 19. *dub.* 11. *n.* 2.

Cenſus *variæ acceptiones.* 346. *dub.* 1. *n.* 1. *vnde dictus. ibid. vera eius acceptio.* 346. *eod. dub. n.* 2. *definitio. ibid. diuiſio. ibid. n.* 3.

Cenſus non perit re pereunte, niſi id in contractu ſit expreſſum. 470. *dub.* 33. *n.* 4.

Ioan. de Salas.

Digitized by Google

Census non imponitur super fructibus rei, sed super re ipsa. 504. dub. 41. n. 1.
Census reales quomodo in Hispaniis constituantur. 442. dub. 21. n. 1.
Census merè realis perit re censita pereunte. 487. dub. 3. n. 6.
Census quotupliciter in aliqua re constituatur. 393. dub. 7. n. 7.
Census an super annuis reditibus possit constitui. 388. dub. 7. n. 1.
in Censu minoris empto cur non sufficiat augere pretium, sed restituendi sint fructus. 448. dub. 23. n. 4.
Censuarij, & censualistæ *discrimen. 348. dub. 1. n. 6.*

Cessatio lucri.

Cessatio lucri damnum quoddam est pretio æstimabile, quod nemo tenetur dare gratis. 48. dub. 30. n. 3.

Circunstantia.

Circunstantia communiter ignorata non minuit pretium, 51. dub. 32. n. 4.

Ciuilis obligatio.

Ciuilis obligatio ex genere suo sub mortali obligat, & in foro externo astringit. 131. dub. 9. n. 4.

Clementina.

Clementina, & aliæ extrauagantes quæ non habentur in corpore iuris, vim habent legis, & in iudicio, & extra iudicium admittuntur. 356. dub. 2. n. 5.

Clericus.

Clericus semel aut iterum negotians secundùm quos non dicatur negotiator. 5. dub. 2. n. 3.
Clericus non debet pro laico fideiubere, nisi in necessitate. 493. dub. 38. n. 4.
Clericus non tenetur dare pauperibus lucrum per negotiationem acquisitum, licèt turpis fuerit, nisi in pœnitentiam imponatur. 8. dub. 3. n. 7.
Clerici sacris non initiati non peccant mortaliter negotiando. 5. dub. 2. n. 5. neque etiam venialiter. ibid. omnia illis licent quæ laicis, possuntque ad seculum redire, & laicare. ibid.
Clerici tenentur directè in ciuilibus potestatibus secularibus obedire. 17. dub. 9. n. 2. Sunt partes Reip. & vassalli Regum. ibid.
Clerici quomodo possint cambium minutum facere. 6. dub. 2. n. 9.
Clerici possunt per potestates seculares compelli ad vendendum triticum etiamsi ex decimis collectum, ob instans periculum. 17. dub. 9. n. 1.
Clerici propter suam, vel suorum necessitatem, cui aliter nequeunt commodè subuenire, possunt per se negotiari. 6. dub 2. n. 7.
Clerici possunt vendere panes coctos, qui in Ecclesia illis offeruntur, solúmque illis prohibitum est coquere panes ad vendendum. 24. dub. 15. n. 9.
Clerici solent in beneficiis pacta facere, ne puniantur. 122. dub. 7. n. 5.
Clerici negotiatores quibus priuantur. 5. dub. 2. n. 2. an peccent mortaliter. ibid. num. 3.
Clerici negotiatores Clericali priuilegio expoliantur. 5. dub. 2. n. 2. eorum pœnæ renouatæ sunt per Concilium Tridentinum. ibid.
Clerici & Religiosi olim arte facta conficiebant, vt ex pretio se sustentarent. 6. dub. 2. n. 9.
Clerici prohibentur ambulare in nundinis non emendo, sed inter mercatores exercendo officium proxenetarum. 6. dub. 2. n. 10.
Clerici negotiationi dediti vt priuilegium amittant, priùs requiruntur tres monitiones. 7. dub. 3. n. 2.

Digitized by Google

Clerici negotiantes amittunt solùm priuilegium immunitatis à tributis & exactionibus.7. dub.3.n. 3.si emendentur, recuperant priuilegium.8.eod.dub.n.5. de iis quæ negotiando vendunt, gabellam debent,etiamsi non sint moniti, vt à negotiatione desisterent. ibid. n. 6. etiam quando licitè negotiantur per alios, eam debent. ibid. ex quibusdam etiam negotiationibus impropriè dictis nonnulli debere asserunt.ibid.

Clericis non est prohibita emptio census vitality.391.dub.5.n.3.

Clericis interdicta est negotiatio propriè dicta.4.dub. 2.n. 2.

Coactio.

Coactio, & similes iniuriæ non sunt pecunia compensabiles.111.dub.3.n. 6.

Cœmeterium.

Cœmeterium nomine loci sacri *intellectum.94.dub.60. n.1.*

Collybia.

Collybia,& collybistæ quid vocentur.530. dub.1.n.19.

Commercia.

Commercia hominum nihil ratum haberent, si nullum id esset, quod ignorata aliqua circunstantia fieret. 60. dub. 34.n. 8.

Commune bonum.

Communi bono expedit, vt magis faueatur emptoribus,quàm venditoribus,qui pauciores sunt., & minùs egent. 16. dub. 7.n.6.

Commutatio.

Commutatio æquiualentis pro æquiualenti est ex se licita, quando res tales non sunt, quæ sint prohibita commutari. 354.dub.2. n.5.

Commutationes rerum venalium,quarum mensura est pecunia, sunt duplices. 545.dub.4.n.1.

Compensari.

Compensari quædam quæ in proprio genere non possunt, non est obligatio compensandi in pecunia. 144. dub. 12. num.4.

Compensatio non nisi de liquido fieri debet. 237.dub.28.n.8.

Complutenses Theologi.

Complutenses Theologi malè à Feliciano reiecti, quòd asserant in censum dari posse res mobiles vsu consumptibiles. 412.dub.8.n.13.

Concessio dilationis.

Concessio dilationis indebitæ est mutuum virtuale.246.dub. 29.n.14.

Concilium.

Concilium Eliberitanum quid in negotiationibus concedat Clericis. 6, dub. 2. num. 7.

Concilij Lateranensis acta omnia an sint vsu, & more Ecclesiæ recepta. 264. dub.33.n.4.

Conditio.

Conditio de solutione pretij in contractu census non est apposita tanquam necessaria, sed tanquam sufficiens cum cæteris ad honestatem. 402. dub. 8. num.2.

Conditiones positæ ad iustitiam census

Digitized by Google

secundùm quosdam non requiruntur de iure naturæ, sed de iure tantùm positiuo. 392. *dub.* 7. *n.* 6.

Conditiones ad iustitiam census requisitæ. 381. *dub.* 6. *n.* 1. *& sequentib.*

Conditiones quæ requirantur, vt mutuans possit damnum emergens, vel lucrum cessans exigere. 178. *dub.* 20. *n.* 1. *& seqq.*

Confessarius.

Confessarij non obligant pœnitentes ad solsoluendas pœnas positas in contractibus, nisi post Iudicis sententiam. 191. *dub.* 21. *n.* 1.

Conscientia.

Conscientia foro læsor tenetur ad supplementum pretij, nisi bona fide rem, vel pretium consumpserit, nec factus sit ditior. 43. *dub.* 27. *n.* 11.

Consensus.

per Consensum traditione an conferatur dominium. 271. *dub.* 38. *nu.* 2. 2777. *eod. dub. n.* 7.

Consignatiuus census.

Consignatiuus census quid sit. 347. *dub.* 1. *num.* 3.

Consilium.

Consilium eligendi mali minoris ad maius vitandum non est malum, sed bonum ex obiecto. 342. *dub.* 49. *n.* 4.

Consilia, & præcepta continentur respectu diuersorum euentuum in illis verbis, diligite inimicos vestros. 109. *dub.* 3. *num.* 6.

Consuetudo.

Consuetudo est optima legum interpres. 339. *dub.* 29. *n.* 3.

Consuetudo legem interpretari, legique derogare potest. 96. *dub.* 66. *n.* 1.

Constitutio.

Constitutio à iure communi exorbitans, & à rerum natura, non est extendenda, sed coarctanda. 394. *dub.* 7. *n.* 8.

Constitutio declaratoria iuris antiquioris humani extendit se ad præterita. 386. *dub.* 6. *n.* 4.

Constitutionum obligatio licèt pendeat ex vsu, non tamen vis definitionum, & declarationum iuris naturalis, vel diuini. 164. 4. *dub.* 33. *n.* 4.

Conuentionalis pœna.

Conuentionalis pœna non incurritur nisi ob culpam proportionatam. 458. *dub.* 26. *num.* 3.

Conuentionalis pœna debetur ab eo, qui à contractu recedit. 193. *dub.* 21. *n.* 3. *Quæ conditiones requirantur, vt iustè imponatur, & exigatur.* 194. *eod. dub. num.* 4.

Contractus cambij vt sit perfectus, quot personæ regulariter requirantur. 585. *dub.* 16. *num.* 1.

Contractus.

Contractus emptionis, & venditionis qua ratione idem. 1. *dub.* 1. *n.* 1. *potest fieri siue verbis, siue literis, siue scriptura. ibid.*

Contractus censualis est venditio de præsenti, non in diem, siquidem ab inito contractu constituens censum manet debitor soluendi pensionem annuam. 401. *dub.* 9. *n.* 1.

Contractus innominatus quis vocetur. 169. *dub.* 18. *n.* 3.

Contractus celebrari censentur iuxta consuetudinem loci in quo fiunt. 220. *dub.* 25. *num.* 1.

Contractus non potest esse validus ex vna parte, & ex altera nullus. 283. *dub.* 39. *num.* 1.

Digitized by Google

Contractus emptionis, & venditionis inter quasdam personas celebrari non potest. 93. dub. 55. n. 1.

Contractus cum pari certitudine lucri, & damni censentur iusti. 380. dub. 5. n. 2.

Contractus omnis à consuetudine inductus, est innominatus, secundùm Baldum. 505. dub. 43. n. 1. in foro Cæsareo ab eo resilire licet, quicquid sit de iure canonico. ibid. Impugnatur hac opinio. ibid. n. 2.

Contractus definitio quam tradit Vlpianus, quibus improbetur, & quibus probetur. 2. dub. 1. n. 2.

Contractus bonæ fidei dolo facti nulli sunt in foro externo: stricti verò iuris validi. 64. dub. 35. n. 6.

Contractus vbi fuerit apertè vsurarius, huiusmodi delictum esse mixti fori, Theologorum & Iuristarum communior sententia docet. 323. dub. 5. num. 2

Contractus graui metu facti sunt irriti iure naturæ, & dominium non transferunt. 653. dub. 6. n. 3.

Contractus statim perficitur cùm ad consumptionem, & vsum res traditur. 78. dub. 41. n. 3.

Contractus factus metu iustè incusso, validus est, licèt habeat inuoluntarium. 53. dub. 32. num. 8.

Contractus qualis sit cambium. 530. dub. 1. n. 2. & sequentib.

Contractuum diuisio. 2. dub. 1. n. 2.

Contrahendi *variæ significationes. 2. dub. 1. num. 2.*

Contumacia.

Contumacia actualis ad excommunicationem requiritur, non ad irregularitatem. 196. dub. 21. num. 4.

Cooperans ad vsuras.

Cooperans ad vsuras ex parte mutuatarij, ad nullã restitutionẽ tenetur. 312. dub. 44. num. 1. De cooperante ex parte vsurarij. 313. eod. dub. num. 3.

Creditor.

Creditor quòd possit pretium à fideiussore accipere, vt eum liberet à vinculo fideiussionis, de periculosa est intelligendum. 142. dub. 111. n. 2.

Crimen vsuræ.

Crimen vsuræ secundùm se est seculare. 322. dub. 45. n. 1.

Culpa.

Culpa leuis, leuissima, & lata quomodo differant. 236. dub. 28. n. 6.

Custodia pignoris.

Custodia pignoris non onerosa nullo precio digna censetur. 267. dub. 33. num. 8.

Custodita res maiori labore, non semper custoditur maiori periculo. 267. dub. 33. num. 8.

Curiositas.

Curiositas scrutandi intentiones eméntium, conducentium, aut recipientium; perniciosa est. 86. dub. 47. num. 3.

D

Damnum.

Damnum emergens quo pacto intelligatur. 48. dub. 3. num. 2.

Damnum esse extrinsecum, vel intrinsecum, in foro conscientiæ nihil refert. 189. dub. 20. num. 12. In foro externo intrinsecum sæpe exigi non potest. ibid.

Digitized by Google

Damni compensatio nisi deducatur in pactum, non potest exigi. 49. dub. 30. n. 4.

Debitum.

Debitum cum labore, & expensis recuperabile minus valet recuperaturo ratione damni emergentis. 231. dub. 27. n. 8.

Debitum licèt esset creditori dubium, & incertum, ementi tamen esset liquidum, & certum, non posset minoris emi. 230. dub. 27. n. 8.

Debitum dotale non semper ratione iniuriæ, sed ratione priuilegij dotis præferendum est debito vsurarum. 206. dub. 42. num. 22.

Debitum contractum cum maiori iniuria, prius est restituendum. 306. dub. 42. num. 21.

Debitum ex gratitudine est simpliciter debitum, quod in pactum deducere esset vsura. 131. dub. 9. n. 4.

Debiti solutio licitè in pactum deduci potest. 128. dub. 9. n. 1.

Debiti solutio inuito creditore non potest diuidi. 521. dub. 56. n. 6.

Debita antiqua in Hispania soluuntur in valore antiquo ducatorum quoad antiquũ valorem, etiam si nullus nummus sit qui eum valorem habeat. 221. dub. 25. n. 1.

Debita immatura an possint minoris emi. 75. dub 39. num. 1. & sequentib.

Debita acerba seu iura ad illa quotupliciter emi possint. 225. dub. 27. num. 1.

pro Debitorum expectatione aliquid exigere, vsura est, quia expectatio est debitum virtuale. 223. dub. 26. num. 1.

Debitor nullam donationem potest licitè, aut validè facere, qua se reddat impotentem ad soluenda debita. 299. dub. 42. num. 5.

Debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fideiussori. 493. dub. 38. n. 4.

Debitor, etsi præfixum terminum transgrediatur, repetere potest pignus debito soluto. 259. dub. 32. n. 1.

Deceptio.

Deceptio vltra dimidium, & intra dimidium quid sit. 34. dub. 26. num. 1.

Decimæ.

Decimæ personales in lege veteri soluebantur. 365. dub. 3. n. 3. etiamnum ex parte in aliquibus Ecclesiis ea consuetudo perseuerat. ibid.

Deus.

Dei est, non hominum, exactè omnes circunstantias comprehendere, & ponderare valoris rerum in ordine ad omnes humanos vsus. 9. dub. 4. n. 6.

Deum amare principaliter propter alium non licet, minùs principaliter tamen licitum est. 115. dub. 5. n. 3.

Delictum.

Delictum vsurarum quomodo probetur. 328. dub. 46. n. 5.

Descriptio ciuium.

Descriptio, & enumeratio ciuium apud Romanos fieri solita, census dicebatur. 346. dub. 1. n. 1.

Dispensatio.

Dispensationes à Superioribus concessæ, & sine mendacio impetratæ, licèt tacean-

Digitized by Google

taceantur aliqua de iure non exprimenda, quæ si exprimerentur, non concederentur tales licentiæ & dispensationes, valida sunt. 60. dub. 34. num. 8.

Dispositio.

Dispositio habitualis ad peccatum nihil refert. 116. dub. 5. n. 5.

Distans.

Distans parum, nihil distare videtur. 51. dub. 32. n. 1.

Doctrina.

Doctrina quorundam asserentium. Clericos violantes taxam peccare mortaliter, non vt faciunt contra legem ciuilem, sed vt faciunt contra legem naturæ de seruando iusto pretio, reprehenditur. 18. dub. 9. n. 5.

Dolus.

Dolus non est pernicioſus, sed officioſus, cùm venditor res suas supra meritum laudat. 64. dub. 35. n. 6.

Dolus in re modica, & leui non irritat contractum, neque inducit obligationem restituendi. 62. dub. 35. n. 2.

Dolus in factis, & verbis quomodo contingat. 64. dub. 35. n. 7.

Dolus quando causam dedit contractui, contractus est nullus: quando verò incidit, est validus, sed rescindendus actione doli. 41. dub. 27. n. 7.

Dominium.

Dominium quomodo non transferatur in secundum emptorem. 85. dub. 46. num. 8.

Dominium non acquiritur solò contractu absque traditione. 84. dub. 46. n. 3. quinam casus excipiantur. ibid.

Dominium perfectum, & imperfectum sunt eiusdem rationis, & quare. 274. dub. 38. n. 5.

Dominium vtile feudi qua conditione, & lege vassallo conferatur. 110. dub. 3. n. 6.

Dominium est ius vtendi re in quemcumque vsum. 272. dub. 38 n. 2.

Dominium montis pietatis apud quem sit. 269. dub. 33. n. 9.

Dominij translationem lex non irritat. 94. dub. 5. n. 1.

Dominus directus feudi quomodo possit fructus vltr a sortem percipere. 255. dub. 31. n. 1.

Donatio.

Donatio læsionis de qua intelligenda. 44. dub. 27. n. 14. in Lusitania, & in Castella irrita est. ibid. n. 15.

Donatio, & promissio acceptata contractus dicuntur laxiori significato. 2. dub. 1. n. 2.

Donatio vera quando præsumatur. 49. dub. 31. n. 1. an eius ratione res possit carius vendi. ibid.

Dos.

Dotium fideiussio quare prohibeatur. 485. dub. 37. n. 2.

Ducatus.

Ducatus aureus antiquus in Hispania creuit quoad valorem. 221. dub. 25. num. 1.

E

Ecclesiasticus Iudex.

Ecclesiasticus Iudex cur magis se intromittat in pœna vsurariorũ, quàm furum. 325. dub. 45. n. 2.

ad Ecclesiæ iudicium spectat declarare, num vsura peccatum sit. 322. dub. 45. num. 1.

Ele

Electio.

Electio minoris mali ad vitandum maius non est in se mala, sed potius bona, posito quod malum sit futurum. 342. *dub.* 49. *n.* 4.

Eleemosyna.

Eleemosyna potest fieri de ludo acquisitis si victor comparat dominium. 649. *dub.* 5. *n.* 1.

Emphyteusis.

Emphyteusis, pereunte totaliter re emphyteutica, perit. 468. *dub.* 33. *n.* 1.

in emphyteusi non transfertur nisi dominium vtile. 457. *dub.* 26. *n.* 2.

Emphyteuta vendens rem non monito domino directo, cadit in commissum, & tenetur soluere laudemium. 457. *dub.* 26. *n.* 2.

Emptio, & venditio.

Emptio, & venditio consensu verbis, aut aliis signis expresso perficiuntur, quamuis pretium nondum sit numeratum, nec res tradita, nec dominium translatum. 3. *dub.* 1. *n.* 4.

Emptio census vt alitij qua conditione sit licita. 379. *dub.* 5. *n.* 1.

Emptionis, & venditionis apud veteres promiscua appellatio. 1. *dub.* 1. *n.* 1. *quomodo distinguenda. ibid.*

Emptionis fini intrinseco repugnat, vt res sint noxiæ, vel inutiles emptori. 63. *dub.* 35. *n.* 5.

Emptionis de ratione non est, vt per eam etiam traditione intercedente, dominij acquisitio, vel translatio fiat. 3. *dub.* 1. *n.* 4.

in Emptione parum refert distinctio numerica, vel specifica rei venalis, modo sit æqualitas in ordine ad humanos vsus. 62. *dub.* 35. *n.* 3.

Emptor census dilata solutione pretij, vel partis eius, non potest integras pensiones recipere. 403. *dub.* 8. *n.* 3.

Emptor primus in Regno Valentiæ secundo præfertur, etiamsi sit in possessione. 85. *dub.* 46. *n.*

Emptor etiamsi cognito vitio non esset rem eo pretio empturus, contractus tamen est validus quoad pretium. 59. *dub.* 34. *n.* 8. *an etiam sit validus quoad substantiam. ibid.*

Emptor prior quo pacto possit rem à secundo euincere. 84. *dub.* 46. *n.* 6.

Emptores qui iniustam manifestè in suum fauorem taxam seruant, damna restituere tenentur. 29. *dub.* 21. *num.* 3.

Error.

Error in substantia irritat matrimonium. 62. *dub.* 35. *n.* 1.

Erector montis pietatis non tenetur illum conseruare de bonis suis. 264. *dub.* 33. *num.* 3.

Exceptio.

Exceptiones, & priuilegia odiosa sunt, & strictè interpretanda. 16. *dub.* 8. *num.* 3.

Excessus.

Excessus bona fide acceptus in conscientia retineri potest. 38. *dub.* 26. *n.* 9.

Excessus pretij quare restitui debeat. 11. *dub.* 5. *n.* 5.

Expensæ.

Expensarum distributio facta inter ciues ius non dat vendendi tritici vltra taxam. 25. *dub.* 16. *n.* 3.

Extrema necessitas.

Extrema necessitas omnia reddit communia quoad vsum. 295. *dub.* 42. *n.* 1.

Factum

F

Factum Lot.

Factum Lot, qui filias suas Sodomitis obtulit, vt illis abuterentur, quomodo intelligendum. 343. dub. 49. n. 6.

Facultates.

Facultates, & bona cuiusque quare census dicta. 346. dub. 1. n. 1.

Fames.

Famis tempore taxa obligat, contra Vegam. 16. dub. 7. n. 6.

Feudum.

in Feudo Ecclesiæ potest fructus feudalis pignoris ab Ecclesia non computari in sortem. 255. dub. 31. n. 1.
in Feudo Ecclesiæ, & laicorum idem dicendum. 257. dub. 31. n. 4.

Fides.

Fides bona licèt impediat obligationem restituendi ortã ex iniusta acceptione, non tamen ortam ex re accepta. 658. dub. 8. num. 1.
Fidei, *vel hæresis nomine non solùm propositio Catholica, vel hæretica; sed etiã actus, & habitus qui circa eam versatur, solet appellari. 98. dub. 1. n. 1.*

Fideiussio.

Fideiussio quid sit. 141. dub. 11. n. 1.
Fideiussio eius qui est sub alterius potestate, cõmuniter nõ valet. 493. dub. 38. n. 4.
Fideiussor licitè potest cum debitore pacisci, vt si intra terminum non soluat, pignus maneat venditum minori pretio, ad coërcendam moram debitoris. 260. dub. 32. n. 3.
Fideiussor non tenetur simpliciter ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, nec ad debiti augmentum, ex eo quòd debitor non soluerit. 493. dub. 38. num. 4.

Filiusfamilias.

Filiusfamilias pubes licitè sine consensu patris ludit bona castrensia, vel quasi castrensia. 660. dub. 9. n. 1. Bona etiam aduentitia, quorum usumfructum, & administrationem pater ei permittit. ibid. n. 2.

Fœnus.

Fœnoris *etymon. 98. dub. 1. n. 1.*

Forum.

Forum externum præsumptione ducitur & fraudes vitare intendit. 189. dub. 20. n. 12.
Foro cedere, *vnde natum sit. 530. dub. 1. num. 1.*

Fraus.

Fraus & dolus nulli debent patrocinari. 283. dub. 39. num. 1.

Fructus.

Fructus pignoris si excedant onera matrimonij, excessus est restituendus, vel in sortem computandus. 244. dub. 29. n. 10. oppositum à nonnullis insinuatur. ibid.
Fructus iurisdictionis sunt stipendia data pro administratione. 235. dub. 28. n. 4.
Fructuum excessum quando teneatur proprietarius feudatario restituere. 255. dub. 31. n. 1.
Fructuarij, & pecuniarij census differentia. 347. dub. 1. n. 4. fructuarius alius certus, alius incertus. ibid.

G

Gabella.

Gabella non debetur in censu, quia habetur inter bona immobilia. 466.

Digitized by Google

dub.32.n.1.
Gabellam debent Clerici de iis quæ negotiando vendunt.8.dub.3.n.6.

Gener.

Gener non tenetur fructus pignoris pro solutione dotis accepti computare in sortem.170.dub.19.n.3.
Gener quando possit licitè recipere fructus pignoris vltra sortem: 242. dub.29. num. 8.
Genera censuum sex potissimè enumerantur.348.dub.1.n.8.

Gentiles.

Gentiles si pro transgressione legis naturalis non puniantur à Principibus secularibus, an à Papa puniri possint. 112.dub.4.n.2.

H

Hæresis.

Hæresis peccatum tolerari potest ad maiora damna vitanda.112.dub.4. num.3.

Homicidium.

Homicidium est intrinsecè malum. 86. dub.47.n.5.

Hypotheca.

Hypotheca generalis quot de causis exigatur.493.dub.39.n.1.

I

Iactura.

Iactura honoris,& famæ licèt per pecuniam compensari possit, solet tamen per amicitiam condonari. 144. dub. 12.n.3.

Iaponij.

Iaponij pro tripodibus vetustissimis ataworum magnum pretium pendunt. 33. dub.25.n.5.

Ieiunium.

Ieiunium soluturo qua ratione licitum sit dare cibos,vel etiam ad cœnam inuitare.88.dub.47.n.10.

Ignorantia.

Ignorantia concomitans quid sit. 115. dub. 5.n.5.

Indifferentia.

Indifferẽtia ad bonũ, vel malõ vsum quomodo licitũ sit iis tradere quos noueris ad peccatũ abusuros.86. dub. 47.n.4.

Indigenæ.

Indgenæ extrà sua Regna non tenentur pragmaticam frumentariam seruare. 16.dub.8.n.1.
Indigentia communis venditorum,maximè si vltrò merces offerant, pretium minuit.82.dub.43.n.3.

Inductio.

Inductio propria, & impropria quomodo differant.336.dub.48.n.3.

Infideles.

Infidelibus iure positiuo dare arma prohibetur.88.dub.47.n.11.

Iniustitia.

Iniustitia est vitia mercium non manifestare, aut saltem iuxta exigentiam in pretio non descendere. 82.dub.41.n.1.

Iniquitas.

Iniquitas prioris venditoris non tribuit facultatem secundo ad similem iniquitatem.25.dub.16.n.1.

Innominatus contractus.

Innomi

Digitized by Google

Innominatus cõtractus iure, & nõ sola cõsuetudine inductus est. 505. dub. 45. n. 2. ab omni contractu innominato non licet resilire, neque ab omni nominato resilire nefas est. ibid.

Intentio.

Intentionis principalis *nomine quid intelligatur. 118. dub. 5. n. 8.*

Interrogatio.

Interrogatio non obligat ex iustitia ad dicendam veritatem. 61. dub. 34. n. 9.

Inuoluntarium.

Inuoluntarium mixtum, volenti, & scienti iniuriam non fieri, limitat. 38. dub. 26. n. 9.

Intrinseca pecuniæ æstimatio quæ vocetur. 577. dub. 17. n. 1. dici potest legitima. ibid.

Itineris iura. si tempore abundãtiæ aliunde triticum aduehatur, ab aduehentibus recipi possunt. 27. dub. 17. n. 2.

Ioseph.

Ioseph qualem censum constituerit in omnibus terris Ægyptiorum, Sacerdotalibus exceptis. 347. dub. 1. n. 3.

Iubileum.

Iubilei anno cur res omnes venditæ ad suos primos dominos redirent. 467. dub. 32. n. 3.

Iudæi.

Iudæi noui Rabid *quid vocent. 99. dub. 1. n. 1.*

Iudex.

Iudex non est omnino obligatus verbis contrahentium in contractibus bonæ fidei, sed potest ex æquo, & bono arbitrari. 2. dub. 1. n. 3.

Iudex in contractibus iuris stricti multum ad verba contrahentium adstringitur. ibid.

Iudex secularis de crimine usurarum cognoscere potest, siue quando sit iuris, siue quando sit facti. 324. dub. 5. n. 2.

Iudices in Castella qui contractus illicitos non puniunt, pœnis afficiuntur. 70. dub. 37. n. 5.

Iudices seculares etiam declarant quando contractus aliquis sit usurarius. 323. dub. 5. n. 1.

Ius.

Ius Canonicum quando concedat actionem læso contra ladentes. 40. dub. 27. num. 3.

Ius ad rem quando tantùm valeat, quantùm res ipsa. 76. dub. 39. n. 5.

Ius ad pensiones minoris emitur propter pericula, & incommoda, quibus emptor subiicitur. 368. dub. 3. n. 3.

Ius ciuile non intendit omnia vitia manifestari debere, sed solùm grauia, quæ rem noxiam, & minùs vtilem notabiliter efficiunt. 60. dub. 34. n. 9.

Ius ad pensiones licèt sit res immobilis, tamen ipsæ pensiones inter immobilia computantur. 508. dub. 44. n. 2.

Ius quot modis actioni, vel acceptioni resistat. 278. dub. 38. n. 7.

Ius gentium propriè loquendo positiuum est. 1. dub. 1. n. 1.

Iure simpliciter prohibitum, censetur etiam ipso iure irritũ. 276. dub. 38. n. 5.

Iure Cæsareo permissæ sunt aliquæ usuræ propriè dictæ, quantùm ad impunitionem. 108. dub. 3. n. 6.

Iure naturæ omnes contractus facti metu graui iniustè incusso, sunt irriti. 95. dub. 63. n. 1.

Iura perpetua pro rebus immobilibus habentur, & cum eis computantur. 389. dub. 7. n. 2.

Iura quæ liciùm esse pœnitentiam in con-

Digitized by Google

tractibus innominatis asserere videtur, quomodo intelligenda. 533. dub. 1. n. 5.

Iuramentum.

Iuramentum quod non est contra bonos mores, implendum est, nisi prius fuerit relaxatum. 237. dub. 28. n. 8.

Iuramentum solùm affert obligationem religionis in iurata solutione vsura. 279. dub. 38. n. 7.

Iuramentum vbi inualidet contractum. 45. dub. 27. n. 17.

Iustitia.

Iustitia consistit in equalitate. 9. dub. 4. num. 7.

Iustitia qua ratione seruet mathematicam equalitatem. 10. dub. 4. n. 8.

Iustitia commutatiua respicit equalitatem arithmeticam, distributiua geometricam. 10. dub. 4. n. 7.

Iustinianus.

Iustinianus olim vsuras implicitè prohibuit. 109. dub. 3. n. 6. Concilij Niceni decreta seruari iussit. ibid.

L

Labor.

Labor est pretio æstimabilis, licèt interdum gratis subiri soleat. 536. dub. 3. n. 2.

Læsio.

Læsio enormis intra dimidium qua dicatur. 44. dub. 27. n. 15.

Læsio intra limites iusti pretij ineptè appellatur circunuentio. 37. dub. 26. num. 8.

Læsio passiua venditoris, & emptoris vltra dimidium quomodo computanda. 39. dub. 27. n. 1.

Ladentes intra medietatem non peccare, neque ad restitutionem teneri quinam existiment. 33. dub. 26. n. 4. contra ius naturæ peccare cuius sit sententia. ibid. num. 5.

Læsus intra dimidium quid à Iudice Ecclesiastico petere possit. 40. dub. 27. n. 4.

Laudemium.

Laudemium debetur in emphyteusi in recognitionem dominij directi. 415. dub. 11. n. 1.

Lex.

Lex naturæ quoties definit rerum pretium, irritat excessum. 14. dub. 6. n. 5.

Lex seruanda est, quamuis eius finis cesset in particulari, si non cessat in generali. 408. dub. 8. n. 11.

Lex vim non habet nisi sit sufficienter promulgata, & à populo acceptata, vsuque recepta, vel saltem si in desuetudinem abierit 384. dub. 6. n. 3.

Lex præscriptionis ob quas causas iusta sit. 38. dub. 26. n. 9.

Lex naturæ non patitur, vt alicui sit sua improbitas emolumẽto. 63. dub. 35. n. 9.

Lex 5. & alia tit. 25. lib. 5. nouæ collect. omnibus triticum afferentibus iura asportationis concedunt, modò prouisioni ciuitatis intenderint. 27. dub. 18. num. 2.

Lex potest facere res nõ aquè bonas, æquales in pretio, quando expedit communi bono 21. dub. 12. n. 3.

Lex Christi non addit aliquam obligationem legi naturæ. 161. dub 18. n. 3.

Lex vetus quoad iudicialia, & ceremonialia non obligat post Christi passionem. 467. dub. 32. n. 3.

Lex vetus ad quid obliget. 104. dub. 3. n. 4.

Legi fraudem facit, qui saluis verbis legis, sententiam eius circunuenit. 23. dub. 15. n. 2.

Lege iusta, & iusto Iudice concedente, si quid

Digitized by Google

quid sit, licit sit: secus si tantùm permittente. 37. dub. 26. n. 8.

Leges ciuiles concedentes in nautico fœnore vsuram centesimam, quantùm ad illam partem abrogatæ iam sunt. 211. dub. 23. n. 7.

Leges condere declarantes quid sit iustum, vel iniustum, pertinet ad potestatem Petri eiúsque successorum. 383. dub. 6. num. 1.

Leges ciuiles permittunt, vt vltra sortem pro ipso mutuo aliquid exigi possit. 170. dub. 19. n. 4.

Leges vbi non distinguunt, neque nos distinguere debemus. 41. dub. 27. n. 8.

Leges, quæ disponunt eos, qui non confecerunt inuentarium, teneri etiam vltra vires hæreditatis, fundantur in præsumptione. 309. dub. 43. n. 2.

Leges, & Iudices pœnam imponere possunt, etiam cùm necessaria non est, vt præcepta seruentur. 198. dub. 21. n. 6.

Leges ciuiles possunt obligare sub mortali ad ea quæ non sunt de lege naturæ. 13. dub. 6. n. 3.

Legum negantium actionem læso intra dimidium rationes in quo casu non militent. 40. dub. 27. n. 5.

Legalis, & iudicialis pœna non est exigenda ab Ecclesia secundùm honestatem, & decentiam. 198. dub. 21. n. 5.

Legitimum rerum venalium pretium quodnam sit. 8. dub. 4. n. 1.

Leuitas materiæ.

Leuitas materiæ, vel ignorantia ab iniustitia excusat, si res vitiosa tanto pretio vendatur quanto non vitiosa. 57. dub. 34. n. 2.

Liber.

Liber continens descriptiones ciuium, siue patrimoniorum, vnde census appellatus. 347. dub. 1. n. 1.

Licitam rem facere, etiamsi scias alteri futuram occasionem peccati mortalis, an sit mortale. 349. dub. 48. n. 9.

Literæ cambij.

Litera cambij variis formis scribuntur. 608. dub. 26. n. 1.

Lot.

Lot quòd à Petro iustus appellatur, ad carentiam vitij Sodomitici refertur. 334. dub. 49. n. 6.

Lucrum.

Lucrum Clericorum, etiam per turpē negotiationem quæsitum, non est contra leges iustitiæ, sed religionis, & de eò testari possunt. 8. dub. 3. n. 7. nisi eis in pœnitentiam imponatur, non tenentur illud dare pauperibus. ibid.

Lucrum ratione impliciti mutui vsura est. 81. dub. 43. n. 1.

Lucrum cessans quid sit. 49. dub. 30. n. 5. eius exemplum. ibid.

Lucrum cessans, & damnum emergens, si latè accipiantur, idem sunt. 160. dub. 18. n. 1.

Lucrum quomodocunque ex mutuo intendatur, an sit vsura. 113. dub. 5. n. 1.

Lucri cessantis gratiâ potest aliquid exigi vltra rei valorem. 48. dub. 30. n. 2.

Lucra quæ non possumus iustè habere, non dicuntur simpliciter possibilia, imò nec verè sunt lucra. 170. dub. 19. n. 3.

Ludus.

Ludus quomodo ratione circunstantiarum sit illicitus. 640. dub. 1. n. 4.

Ludus est de se indifferens, & potest appeti propter honestos fines. 641. dub. 2. num. 3.

Ludus, in quo vltimus vitæ finis constituitur, plane est inordinatus. 640. dub. 1. num. 4.

Digitized by Google

Ludi definitio. 630. *dub.* 1. *n.* 2. *actus est virtutis si consentaneè ad rectam rationem, debitisque circunstantiis exerceatur. ibid.*

Lusitaniæ leges.

Lusitaniæ leges quibus pœnis afficiant vendentes merces eis quos constat non velle ad negotiandum, neque ad familiam alendam, sed ad viliori pretio vendendas. 69. *dub.* 37. *n.* 5.

M

Magis & minùs.

Magis, & minùs absolutè, vel proportionaliter non variat speciem. 36. *dub.* 26. *n.* 6.

Malum.

Malum est per se, & intrinsecè ad peccatum inducere. 336. *dub.* 48. *n.* 3.

Malum minus licitum est consulere ad maius vitandum. 113. *dub.* 4. *n.* 3.

Manifesti vsurarij.

Manifesti vsurarij quatuor modi. 327. *dub.* 46. *n.* 4.

Materia.

Materiæ ratione ludus est illicitus, si sit irreligiosa, seu idololatrica. 640. *dub.* 1. *num.* 4.

Materialis distinctio, non est specifica distinctio. 402. *dub.* 8. *n.* 3.

Materiale quid est imago in nummo, quà nummus. 538. *dub.* 3. *n.* 4.

Mathematica æqualitas.

Mathematica æqualitas consistit in indiuisibili. 10. *dub.* 4. *n.* 7.

Matrimonium.

Matrimonium consistit in traditione eorum, non in vsu eorum. 62. *dub.* 35. *num.* 3.

Medium virtutum.

Medium virtutum moralium cur latitudinem labore dixerit Aristoteles. 10. *dub.* 4. *n.* 8.

Mediator.

Mediator in quibus casibus potest excessum pretij sibi retinere. 83. *dub.* 45. *n.* 3. *& seqq.*

Mendacium.

Mendacium officiosum an obliget ad restitutionem damni. 55. *dub.* 33. *n.* 2.

Mentalis vsura.

Mentalis vsura quomodo numquam obligaret ad restitutionem. 122. *dub.* 8. *num.* 1.

Mercator.

Mercator pluris vendere potest quàm ab aliis vendi soleat. 32. *dub.* 25. *n.* 3.

Mercatorum infortunij, vel imprudentiæ nulla ratio habenda in constitutione pretij. 48. *dub.* 29. *n.* 5.

Mercatorum cura in conquirendis, conseruandis, & distrahendis mercibus est pretio æstimabilis. 46. *dub.* 29. *n.* 1.

Meretrix.

Meretricibus quibus ex causis liceat domos locare, etiamsi à Repub. non permittantur. 88. *dub.* 47. *n.* 10.

Merx.

Merx scientis non minùs valet quàm ignorantis. 51. *dub.* 32. *n.* 4.

Mercis *appellatio ad res tantùm mobiles extenditur proprie: immobiles tamen etiam translatè merces dicuntur.* 3. *dub.* 1. *n.* 7.

Digitized by Google

Merces siquis non erat seruaturus in tempus maioris valoris, neque ipsi, neque secundùm se plus valent quàm commune pretium fori tempore quo traduntur. 216. *dub.* 24. *n.* 4.
Merces scientis monopolium non minùs valent, quàm nescientis. 73. *dub.* 38. *num.* 3.
Merces vltroneæ cur ex tertia parte vilescant. 32. *dub.* 25. *n.* 3.
Merces quam ob causam crescant, & decrescant. 50. *dub.* 32. *n.* 2.

Mixtio.

per Mixtionem vsurarius non fit dominus pecuniæ vsurariæ. 279. *dub.* 38. *num.* 9.
Mixtus census qualis sit. 347. *dub.* 1. *num.* 4.
Mixta ex industria, & absque industria non licet eodem pretio vendere, quando pretium per legem taxatum est. 63. *dub.* 35. *n.* 4.

Modus vendendi.

Modus vendendi per accidens quomodo pretium crescere faciat. 80. *dub.* 42. *num.* 2.

Mohatræ.

Mohatræ *quæ vocentur.* 336. *dub.* 48. *num.* 2.

Moneta.

Moneta valor si crescat, minor summa reddenda est. 214. *dub.* 24. *n.* 4.

Monopolium.

Monopolij *etymon.* 70. *dub.* 38. *n.* 1. *quibus modis fiat. ibid. n.* 2. *quæ monopolia prohibeantur.* 71. *dub.* 38. *n.* 3.
Monopolij scientia non facit eius participem. 73. *dub.* 38. *n.* 6.
Monopoliorum auctores circa cambia an peccent contra iustitiam commutatiuam. 632. *dub.* 39. *n.* 3. & 4.

Mons pietatis.

Mons pietatis qua ratione possit auctirium pro obligatione mutuandi pauperibus exigere. 264. *dub.* 33. *n.* 3.
Mons pietatis quid sit. 261. *dub.* 33. *n.* 1. *quot eius leges, seu conditiones. ibid.*
Montis pietatis ministri pro asseruatione pignorum mutuatariorũ stipendia accipiunt, & quare. 236. *dub.* 28. *n.* 7.
Montes pietatis multi in Italia. 266. *dub.* 33. *n.* 7.

Mortale peccatum.

Mortale peccatum non est Clericis, semel aut iterum negotiari. 5. *dub.* 2. *n.* 4.
Mortale peccatum non est, ad res indifferentes mutuum sub vsuris petere à parato dare. 339. *dub.* 48. *n.* 9.

Motus proprius.

Motus proprius Pij V. vbi receptus non est, constitui census potest super omnibus bonis præsentibus, & futuris, nullo designato. 494. *dub.* 39. *n.* 3.

Mutuum.

Mutuum quale ad vsuram requiratur. 100. *dub.* 1. *n.* 3.
Mutuum cum spe antecedenti gratuitæ compensationis non est vsura. 116. *dub.* 5. *n.* 5.
Mutuum accipiens sub vsuris non committit iniustitiam aduersus vsurarium. 335. *dub.* 48. *n.* 1.
Mutuum ex natura rei, & præcepto Christi gratis est dandum. 167. *dub.* 19. *num.* 1.
Mutuum non parit vtrinque obligationem, quia solus mutuatarius manet obligatus. 2. *dub.* 1. *n.* 2. *mutuans etiam quo pacto obligetur. ibid.*

Mu

Digitized by Google

Mutui ratio in quo consistat. 105. *dub.* 3. *num.* 4.

in Mutui reddition non solùm attendendus est valor naturalis, sed etiam moralis. 215. *dub.* 24. *n.* 4.

in Mutuo quo titulo aliquid vltra sortem licitè possit exigi. 78. *dub.* 41. *n.* 4.

Mutuatio quo pretio sit æstimabilis. 128. *dub.* 9. *n.* 1.

Mutuatarius, & quilibet beneficium recipiens tenetur ad antidora. 116. *dub.* 5. *num.* 5.

Mutuatarius quomodo possit iniustitiam committere contra vxorem, & filios accipiendo ad vsuras. 336. *dub.* 48. *n.* 2.

Mutuans potest tempus sui mutui limitare. 129. *dub.* 9. *n.* 1.

N

Naturale pretium.

Naturale pretium consistit in indiuisibili; sed latitudinem habet supremi, medij, seu rigorosi vel rigidi, moderati, pij, & minimi. 9. *dub.* 4. *n.* 4. *non tamen sic intelligendum est, vt pretium iustum naturale sit indiuisibile, sed ignoretur quòd reuerà verum pretium iustum sit diuisibile, & latitudinem habeat. ibid. n.* 5.

Naturale rerum venalium pretium quale sit. 9. *dub.* 4. *n.* 1.

Natura rerum secundùm se non attenduntur in naturali pretio definiendo; sed in ordine ad humanos vsus. 9. *dub.* 4. *n.* 1.

Negotiatio.

Negotiatio propriè dicta quid. 4. *dub.* 2. *n.* 1. *ea est interdicta Clericis, & Religiosis. ibid. n.* 2.

Negotiari per alios Clericis nullibi est prohibitum 6. *dub.* 2. *n.* 8. *à venialibus non excusantur si per seipsos rationem dati, & accepti exigant. ibid.*

Nesek.

Nesek *quare vsura ab Hebræis vocetur.* 98. *dub.* 1. *n.* 1.

Nobilis.

Nobilis, vel Clericus vendens panem coctum, & societatis contractum cum panifico iniens, peccat mortaliter, sed non tenetur lucrū restituere, iuxta Thomistas. 24. *dub.* 15. *n.* 9.

Nobiles communis vtilitatis causâ triticum afferri curantes, iura asportationis vltra taxam exigere possunt: secus si propriæ commoditatis causâ. 27. *dub.* 18. *num.* 1.

Notorij vsurarij.

Notorij vsurarij notorietate facti qui dicantur. 325. *dub.* 46. *n.* 1. *qui notorietate iuris. ibid.*

Nullitas.

Nullitatis, aut vsuræ exceptio principali competens, similiter competit eius fideiussori. 491. *dub.* 38. *num.* 3.

Nummi.

Nummi dupliciter considerantur. 538. *dub.* 3. *n.* 4.

Nummorum valor sæpe crescit supra taxam legalem, ex appretiatione, & vsu vulgi, Principe non contradicente, & quare. 538. *dub.* 3. *n.* 4.

O.

Obligatio.

Obligatio diuidua, & indiuidua quomodo dignoscatur. 198. *dub.* 21. *num.* 3.

Digitized by Google

Obligatio quæ non est incommoda mutuatario, non est pretio æstimabilis. 140. *dub.* 10. *n.* 3.

Obligatio ciuilis adiecta obligationi charitatis an possit in pactum deduci. 131. *dub.* 9. *n.* 4.

Obligatio ad remutuandum quando sine vlla incommoditate fieri potest, non est pretio æstimabilis. 133. *dub.* 9. *n.* 4.

Obligatio sumpta finaliter non est de essentia contractus: sed eius effectus. 2. *dub.* 1. *n.* 2.

Obligatio restituendi vnde oriatur. 36 *dub.* 26. *n.* 6.

Obligatio ciuilis est pretio æstimabilis. 130. *dub.* 9. *n.* 2. *strictior est quàm naturalis ad gratitudinem spectans.* 131. *eod. dub. n.* 4.

Obligatus ex delicto ad restitutionem non comparauit rei dominium. 276. *dub.* 38. *num.* 5.

Obligatio detegendi vitia rerum quomodo accipienda. 60. *dub.* 34. *num.* 8.

Odia.

Odia restringenda. 7. *dub.* 3. *num.* 2.

Opera.

Opera hominis locari, non vendi dicitur. 4. *dub.* 1. *n.* 10.

Ordine naturæ viuentia non viuentibus præponuntur. 9. *dub.* 4. *n.* 2.

Obsequium.

Obsequiũ quoduis ex vi mutui intentum vsura est cum obligatione restituendi eius æstimationem. 152. *dub.* 16. *num.* 1.

Obsequia ex liberalitate, & gratitudine pro mutuo exhibita restitutioni obnoxia non sunt. 153. *dub.* 16. *num.* 1.

P

Pactum.

PActum ne dominium transferatur quare contractui venditionis repugnet. 3. *dub.* 1. *n.* 4.

Pactum de retrouendendo in fauorem emptoris non habet locum vbi Bulla Pij V. recepta est. 456. *dub.* 25. *n.* 5.

Pactum de rescindendo contractu tam in fauorem emptoris, quàm in fauorem venditoris, in iure approbatur. 453. *dub.* 25. *n.* 3.

Pactum de retrouendendo quomodo licitum. 235. *dub.* 28. *n.* 5.

Pactum quod ex natura rei habet magna incommoda & damna, est irritum iure naturæ. 104. *dub.* 3. *n.* 4.

Pactum quo obligatur venditor ad reddendum pretium, si res censita casu pereat, quomodo non sit iniquum. 473. *dub.* 33. *n.* 6.

Pactum quodcunque in contractu appositum in fauorem venditoris, pars pretij censetur. 442. *dub.* 22. *n.* 2.

Pactum legis commissoriæ in pignoribus reprobatum, irritumque est. 259. *dub.* 32. *num.* 1.

Pactum de competenti pretio vltra sortem pro damno emergente licitum est. 161. *dub.* 18. *n.* 2.

Pactum idem cum contractu. 2. *dub.* 1. *n.* 2. *eius definitio secũdùm Vlpianũ ibid.*

Panificus.

Panifici lucrum, taxato tritico, non manet taxatum. 23. *dub.* 15. *n.* 3.

Panificorum officium legibus interdictum. iis quos eiusmodi negotiatio dedecet. 23. *dub.* 15. *n.* 4.

Papa.

Papa in vsura dispensare nequit, licèt fidelibus eam permittere possit ad vi-

Digitized by Google

tanda maiora damna, vel scandala. 112.dub.4.n.3.

Partus.

Partus futuri ratione licitum est rem pluris vendere, quàm si non esset paritura.169.dub.19.n.3.

Parum.

Parum quod est, & sine damno, pro nihilo reputatur.197.dub.21.n.4.

Pater.

Pater non tenetur dare dotem sufficientem ad onera matrimonij. 243. dub. 29.n.9.

Pauperes.

Pauperes tenentur soluere ministrorum montis pietatis stipendium, & quare. 264.dub.33.n.3.

Pharmacopolæ.

Pharmacopolæ dantes vnum pro alio æquali, vel ferè æquali ad medicinam excusantur.63.dub.35.n.3.

Peccatum.

Peccatum lethale proximi sub reatu culpæ lethalis vitandũ.337.dub.48.n.4.
Peccatum quale sit inducere ad dandum sub vsuris. 336.dub.48.n.3.
Peccatum non est contra charitatem res mox in pretio minuendas vendere pretio currenti.54.dub.33.n.1.
Peccatum mortale est ex genere cum onere restituendi, discedere à pretio per legem taxato.12.dub.6.n.2.
Peccatum an sit vindere indiscriminatim cartas lusorias, arma offensiua, & similia.88.dub.47.n.8.

Pecunia.

Pecunia est quidquid pecunia æstimari potest.405.dub.8.n.5.
Pecunia, licèt secundùm se non sit res venalis, tamen vt censualis est, venalis esse videtur.357.dub.2.n.5.
Pecunia considerata vt est pretium, non licet valorem eius legalem excedere. 546.dub.4.n.3.
Pecunia numerata vnũ pretium esse constituendum, aliud credita, quos sentiat. 217.dub.24.n.4.
Pecunia quæcumque in Hispania soluitur pro ea quæ expressa est in contractu, excepta area in Lusitania.220. dub.25.n.1.
Pecuniæ vsus secundarij septem. 621. dub.33.n.1.
Pecuniæ abundantia in vrbe nouo res cariores facit quàm in Hispania. 32. dub.25.n.2.
Pecuniæ extrinseca æstimatio quid sit. 573.dub.12.n.1.

Pensio.

Pensiones in fructibus inconstantes ad modium sunt quoad valorem, & quare. 354.dub.2.n.5.
Pensionis etymon. 348.dub.1.n.8.

Penuria.

Penuria proximè futura solùm auget pretium cùm est communiter nota. 52.dub.32.n.8.

Permutatio.

Permutatio est, non venditio, neque emptio, cùm pecunia pro pecunia, vel non pecunia pro non pecunia datur. 1. dub.1.n.1. quomodo dicatur esse iuris gentium. ibid.
sub Permutationis *nomine qui meminerint cambij. 530.dub.1.n.1.*
Permutationes omnes præter emptionem, & venditionem sunt contractus innominati.531.dub.1.n.3.

Digitized by Google

Periculum.

Periculum, & commodum reietiam ante traditionem ad emptorem pertinet. 92. dub. 50. n. 1.

Perpetuum tempus.

Perpetuum tempus in iure quod vocetur. 507. dub. 44. n. 2.

Perpetuus census.

Perpetui census, & temporalis discrimen. 347. dub. 1. n. 6. temporalis alius durat certo tempore, alius incerto. ibid.

Persona.

Persona priuatæ non habent auctoritatem imponendi aliis pœnam. 191. dub. 21. num. 1.

Personalis census licitè potest lege statui. 365. dub. 3. n. 3.

Pignus.

Pignus quando tantùm ad securitatem datum est, non possunt fructus eius vltra sortem recipi. 245. dub. 29. n. 11.

Pignus propriè de quibus dicatur. 233. dub. 28. n. 1. non datur in vtilitatem, sed in securitatem creditoris. ibid.

Pignus habens simplici creditori præfertur, maximè in ipso pignore. 84. dub. 46. num. 5.

Pignoris fructiferi quando non percipiuntur fructus, tenetur creditor eorum fructus in sortẽ cõputare. 236. dub. 28. n. 6.

Pignoris, & hypothecæ genus quod in censu offertur, quomodo ab aliis differat. 473. dub. 33. n. 7.

Pœna.

Pœna ante datam sententiam licèt non debeatur, ius tamen ad illam exigendam est aliquo pretio æstimabile. 144. dub. 12. n. 3.

Pœna in fraudem vsurarum quomodo sit. 296. dub. 21. n. 4.

Pœna iniusta, si iuramento promissa est, soluenda est de religione ob reuerentiam iuramenti, non de iustitia. 199. dub. 21. n. 8.

Pœna conuentionalis, quantumuis grauis, imponi potest ex mutuo contrahentium consensu. 479. dub. 34. n. 7.

Pœna grauis non potest imponi propter leuem culpam. 30. dub. 24. n. 2.

Pœna quam statuit Honorius aduersùs Clericos negotiatores, vt incurratur, quot monitiones requirantur. 7. dub. 3. n. 1. 2.

Pœna in compromisso statuta an debeatur in conscientia ante Iudicis condemnationem. 192. dub. 21. n. 2.

Pœna imponi non potest, vt quis amittat pignus, vel rem emptam, si non soluerit pretium in termino, & quare. 196. dub. 21. n. 4.

Pœna vsurariorum quæ sint. 329. dub. 47. n. 1. & sequentib.

Pœna posita contra manifestos vsurarios quando incurrantur. 328. dub. 46. num. 4.

Pœna ferendæ non indicant sufficienter legem obligare sub peccato mortali. 5. dub. 2. n. 3.

Pœnæ impositæ vendentibus frumentum contra taxam, irrogantur solùm consummantibus venditionem essentialiter. 30. dub. 24. n. 1.

Pontifex.

Pontifex summus nihil potest definire quod non contineatur in sacris literis, vel traditionibus. 266. dub. 33. num. 7.

Pontifex cur statuerit generum non esse compellendum ad computandos fructus pignoris in sortem. 243. dub. 29. num. 9.

Digitized by Google

Pontifices, & Cœcilia infallibilem auctoritatem habent in definiendo, qua carent non solum Iudices seculares, sed etiam alij Iudices Ecclesiastici. 322. *dub.* 5. *num.* 1.

Pontifices in rebus fidei, & morum errare non possunt, si definiant vt Pontifices. 356. *dub.* 2. *n.* 5.

Pontificia lex circa ea in quibus versatur anima periculum, seruanda est in vtroque foro. 383. *dub.* 6. *n.* 1.

Præcepta positiua.

Præcepta positiua nulla sunt in lege noua nisi spectantia ad fidem, vel Sacramenta. 105. *dub.* 3. *n.* 4.

Prælati successor.

Prælati successor non tenetur pro eius fideiussione. 493. *dub.* 38. *n.* 2.

Prætor.

Prætores non possunt abrogare legem, vel in ea dispensare, eámve suspendere. 29. *dub.* 22. *n.* 1.

Præscriptio.

Præscriptio qua vim habet in conscientia, ab humana lege statuta est. 35. *dub.* 26. *num.* 5.

Præscriptio non datur contra censum, qui in signum subiectionis, & recognitionis præstatur. 509. *dub.* 45. *n.* 2.

Pretium.

Pretium iustum est vel quod Principis lege, vel communi æstimatione constat, etiamsi in errore, & ignorantia fundetur. 51. *dub.* 32. *n.* 4.

Pretium sumitur ex communi hominum æstimatione secundùm Couarruuiam. 33. *dub.* 25. *n.* 5.

Pretium rei empta non est quantùm valet emptori ob eius industriam, sed quantùm valet in se, aut ipsi venditori. 230. *dub.* 27. *n.* 8.

Pretium taxatum à lege quando sit mortale exigere. 19. *dub.* 11. *n.* 2.

Pretium duplex an constituatur, vnum pro venditione ad creditum, alterum ad numeratum. 80. *dub.* 42. *n.* 2. *& sequentibus. ea pretia seruando an peccent emptores, & venditores.* 81. *dub.* 42. *num.* 3.

Pretium iustum latitudinem habet. 408. *dub.* 8. *n.* 12.

Pretium legitimum consistit in indiuisibili. 9. *dub.* 4. *n.* 3.

Pretium cambij non potest variari ratione solius temporis longioris, seu breuioris. 595. *dub.* 18. *n.* 1.

Pretium iustum legis tempore abundantiæ tantùm est quod habet vsus fori. 26. *dub.* 17. *n.* 1.

Pretium aliud non est taxandum communiter pro externis, aliud pro indigenis. 29. *dub.* 21. *n.* 2.

Pretium rerum venalium duplex. 8. *dub.* 4 *n.* 1.

Pretium lege taxatum non licet ex modo vendendi, vel emendi præterire. 33. *dub.* 25. *n.* 4.

Pretium rei emptæ cum pacto retronendendi in fauorem emptoris, si exiguum sit, præsumitur vsurarium. 456. *dub.* 25. *num.* 5.

Pretium loco rei succedit. 283. *dub.* 39. *n.* 1. *quomodo intellectũ.* 289. *dub.* 39. *n.* 4.

Pretium census redimibilis multo minus est pretio census irredimibilis. 442. *dub.* 22. *n.* 2.

Pretium non debet attendi secundùm tempus, in quo soluitur, sed secundùm tempus traditionis mercium. 216. *dub.* 25. *num.* 4.

Pretium verè iustũ quale sit. 10 *dub.* 4. *n.* 7.

Pretij maioris petitione sola non incurruntur pœnæ vendentibus frumentum contra

Digitized by Google

tra taxam imposita. 30. *dub.* 24. *n.* 1.
Pretij pars esse potest, vt alter obligetur ad quidpiam aliud vendendum. 140. *dub.* 10. *n.* 3.
Pretij mercium augendi causa quæ sint. 32. *dub.* 1. *n.* 1. *& seqq.*
Pretia rerum arbitranda ex iis quæ communiter, & per se accidunt mercatoribus. 47. *dub.* 29. *n.* 3.

Princeps.

Princeps an possit taxare triticum minori pretio infimo. 13. *dub.* 6. *n.* 4.
Princeps secularis non potest derogare legibus Pontificiis. 335. *dub.* 47. *n.* 10.
Princeps secularis ante restitutionem usurarum, vel cautionem factam, non potest statuere, vt testamentum manifesti usurarij sit validum. ibid.
Principes, & Iudices Ecclesiastici non possunt directè, & per se compellere Iudæos ad solutionem usurarum, neque eos punire ob earum retentionem. 324. *dub.* 5. *n.* 2.
Principes interdum possunt diuites cogere, vt gratis triticum dent pauperibus. 14. *dub.* 6. *n.* 7.

Prior tempore.

Prior tempore, potior est iure. 84. *dub.* 46. *num.* 2.

Priuilegium fori.

Priuilegium fori, & Canonis quando amittant Clerici. 7. *dub.* 3. *n.* 3. *id recuperant si emendentur.* 8. *dub. eod. num.* 5.

Prodigalitas.

Prodigalitatis non est peccatum exponere pecuniam ludo fortunæ, cùm datio est debita ex iusto contractu. 642. *dub.* 2. *num.* 4.

Proloquium.

Proloquij illius explicatio; Tantùm valet res, quantùm vendi potest. 12. *dub.* 5. *n.* 6.

Promissio.

Promissio vsura, licèt sit simpliciter voluntaria, est tamen inualida, nullámque inducit obligationem ciuilem, vel naturalem. 276. *dub.* 38. *n.* 5.
Promissio facta non transfert dominium, nec tribuit ius in re. 84. *dub.* 46. *n.* 4.
Promissio de re vendenda non est promissio. 3. *dub.* 1. *n.* 5.
Promissiones simplices ex vna tantùm parte obligationem inducunt. 3. *dub.* 1. *n.* 9.

Protectio.

in Protectionem susceptj quod soluunt in signum talis susceptionis, census vocatur. 346. *dub.* 1. *n.* 1.

Proxenetæ.

Proxenetæ, si vsurariorum partes agant, quærendo qui ad vsuram accipiant, atque id illis suadendo, ad restitutionem tenentur. 321. *dub.* 44. *n.* 15. *Limitatio quorundam reiicitur. ibid.*
Proxenetarum officium inter mercatores Clericis prohibitum. 6. *dub.* 2. *n.* 10.

Proximus.

Proximi damnum intendere, peccatum est mortale. 641. *dub.* 2. *n.* 1.

R

Realis census.

REalis census, & personalis discrimen. 447. *dub.* 1. *n.* 4.

Digitized by Google

Receptio.

Receptione prohibita indirectè, consequenter prohibetur petitio. 30. *dub.* 24. *num.* 1.

Reditus.

Reditus personales moraliter semper habent aliquod periculum & incommodum. 76. *dub.* 39. *n.* 6.

Reditus ad longum tempus inter bona immobilia computantur. 507. *dub.* 44. *num.* 2.

Redhibitoria actio.

Redhibitoria actio an concedatur emptori, si venditor vitia occulta non manifestarit. 59. *dub.* 34. *n.* 5.

Redimibilis census.

Redimibilis census, & irredimibilis quomodo differant. 348. *dub.* 1. *n.* 7.

Regula.

Regula generalis, Traditione rei transfertur dominium, *in venditione patitur exceptionem.* 533. *dub.* 1. *num.* 4.

Regula topica explicatio; Ex duobus malis minus est eligendum. 341. *dub.* 49. *n.* 4.

Religiosi.

Religiosi possunt sibi aliquam materiam comparare, ex qua arte facta conficiant, & vendant. 6. *dub.* 2. *n.* 9. *possunt agros proprios colere, & opera rustica exercere, vt fructus vendant. ibid.*

Religiosi possunt vtramque pœnam & extraiudiciariam exigere. 198. *dub.* 21. *n.* 5.

Repudij libellus.

Repudij libellus non erat Iudæis licitus, sed impunè permissus. 107. *dub.* 31. *num.* 5.

Res.

Res confiscanda minùs est humanis vsibus apta, ideo minoris est pretij. 52. *dub.* 32. *n.* 8.

Res æstimandæ sunt quatenus veniunt in humanos vsus. 216. *dub.* 24. *n.* 4.

Res vsu consumptibiles functionem in suo genere recipiunt. 284. *dub.* 39. *num.* 1.

Res cariùs vendi posse exteris quàm incolis, quomodo censeat Molina. 45. *dub.* 28. *n.* 1.

Rei suæ quemque esse moderatorem, & arbitrum, quo censu accipiendum. 38. *dub.* 26. *n.* 8.

Re ordinata ad vnũ finem vti ad alium, præsertim illi non contrarium, non semper est abusus. 642. *dub.* 2. *num.* 4.

Re pignorata quomodo licitum sit vti. 236. *dub.* 28. *n.* 6.

Rerum venalium pretium prudentis arbitrio definitur. 9. *dub.* 4. *n.* 1.

Reseruatiuus census.

Reseruatiuus census quid sit. 347. *dub.* 1. *n.* 3.

Restitutio.

Restitutio debet fieri pauperibus loco incertarum personarum. 237. *dub.* 42. *num.* 2.

Rex.

Rex, licèt indirectè teneatur ad legem quandiu durat, non tamen directè, & quare. 18. *dub.* 9. *n.* 4.

Romanus Pontifex.

Romani Pontificis priuilegio potest permitti Iudæis exercitium vsurarum erga

Digitized by Google

erga Christianos. 113. *dub.* 4. *n.* 3.

S

Sagitta.

Sagittæ quando fieri prohibeantur. 88. *dub.* 47. *n.* 11.

Scandalum.

Scandalum pusillorum, & Pharisæorum. 337. *dub.* 48. *n.* 4. *&* 5.

Scientia.

Scientia non minuit pretium, nisi minuendo communem æstimationem. 51. *dub.* 32. 4.

Scienti, & volenti non fit iniuria. 35. *dub.* 26. *n.* 5.

Scriptura.

Scriptura in contractibus requiritur ad memoriam, & fidem, probationémque inter homines. 512. *dub.* 51. *n.* 1.

Simonia.

Simonia non est dare aliquid alicui spe antecedenti obtinendi ab eo Ecclesiasticum beneficium. 117. *dub.* 5. *n.* 5.

Socer.

Socer excessum donare censetur, dum aliud non explicat. 244. *dub.* 29. *n.* 10.

Societas.

Societatis contractum inire cum panificis, dando eis triticum, vt in lucro participent, quibus personis non liceat. 23. *dub.* 15. *n.* 5.

Solutio.

Solutio immemorialis, & continuata vim habet causæ, & tituli. 510. *dub.* 45. *num.* 5.

Solutionis dilatio est implicitum quoddam mutuum. 78. *dub.* 41. *n.* 3.

Solutione anticipata merces quædam licitè minoris emuntur. 81. *dub.* 43. *n.* 1. *& seqq. quomodo istæ emptiones iustificentur. ibid. n.* 3.

Sors.

Sortis *nomine in mutuo quid appelletur.* 99. *dub.* 1. *n.* 3.

Sortis periculum supra iustum pretium aliquid exigere an permittat. 78. *dub.* 41. *num.* 5.

Spes.

Spes concomitans quid sit. 115. *dub.* 5. *n.* 5. *antecedens. ibid. quomodo differant.* 116. *eod. dub. & n.*

Spiritualia.

Spiritualia, vel annexa Spiritualibus an vendi possint. 92. *dub.* 49. *n.* 1.

Statutum.

Statuto montis pietatis non potest triticum vendi pauperibus, sed mutuari. 370. *dub.* 33. *n.* 10.

Sterilitas.

Sterilitatis tempore pragmatica frumenti seruanda. 15. *dub.* 7. *n.* 3.

Stipulatio.

Stipulatio, mutuum, & similes contractus solo consensu perfici nequeunt. 4. *dub.* 1. *num.* 9.

Subiectum.

Subiectum census non est res censui supposita; sed emptor, & venditor. 473. *dub.* 33. *n.* 7.

Subiectionis, fundationis, aut alterius iustæ causæ ratione quod annuatim alicui præstatur, etiamsi sit inferior Principe, census dicitur. 346. *dub.* 1. *n.* 1.

Sub

Substantia.

Substantia moneta in valore consistit, quem habet ex lege. 214. *dub.* 24. *num.* 4.

Superiores.

Superiorum legibus, & præceptis in dubio tenentur obedire subditi. 29. *dub.* 21. *num.* 4.

T

Tabellio.

Tabellio qui instrumentum conficit vsuras clarè continens, an peccet. 19. *dub.* 44. *n.* 8.

Taberna.

Taberna argentaria Romæ vocabantur domus campsoriæ. 530. *dub.* 1. *n.* 1. *erant in foro prope Ædem Castoris. ibid.*

Taxa frumenti.

Taxa frumenti tempore sterilitatis non est iniusta: sed ita possent variari circunstantiæ, vt iniusta esset. 15. *dub.* 7. *num.* 4.

Tempus longum.

Tempus longum in iure quod dicatur. 507. *dub.* 44. *n.* 2.

Temporale pro spirituali vbi datur, & recipitur, simonia est, si sit obligatio non reciproca. 140. *dub.* 10. *n.* 3.

Teredo.

Teredo in deliciis olim. 99. *dub.* 1. *n.* 1.

Terminus.

Terminus mutui præfixus, vt ante tale tempus non possit à mutuatario reddi, vsura est. 155. *dub.* 16. *n.* 8.

Testamentum.

Testamentum vsurarij qui post mortem notorius factus est, an reddatur nullum. 334. *dub.* 47. *n.* 10.

Testamentum notorij vsurarij infidelis, vel Principibus Christianis ad iurisdictionem subiecti, an sit inualidum. 334. *dub.* 47. *n.* 10.

Testamentum validum, nec legatum facere potest debitor in fraudem debitorum. 299. *dub.* 42. *n.* 5.

Thales.

Thales Milesius sterilitatem oliuarum præuoscens magnam olei copiam emit. 52. *dub.* 32. *n.* 5.

D. Thomas.

D. Thom. sententia de dominij rei vsurariæ etiam vsu non consumptibilis in vsurarium translatione, improbatur. 281. *dub.* 38. *n.* 11.

Traditio.

Traditione secluſa ius prioris emptoris potius est. 85. *dub.* 46. *n.* 10.

Traiectio.

Traiectionis iura solùm conceduntur per egem aduehentibus aliunde triticum, vt ciuitati prouideant. 25. *dub.* 16. *num.* 2. *non sunt pars pretij, sed transportationis. ibid.*

Traiectores si testimonium exhibeãt quod plures leucas numeret, quàm reuerà sint, & ideo plura iura exigantur, quàm debeantur, restituere excessum tenentur. 28. *dub.* 19. *n.* 2.

Tributa.

Tributa quæ ex censibus soluebantur, census,

Digitized by Google

census etiam appellata. 346. dub. 1. n. 1 qua etiam per capita imponebantur, præsertim in subiectionis ac dominij iurisdictionis recognitionem. ibid.

Triplex rerum pretium iustum hominum opinione, & æstimatione prudenti, & probabili constitui potest. 9. dub. 4. num. 6.

Triticum.

Triticum in Hispaniam per mare vehentes, & per terram asportantes quibus iuribus fruantur. 16. dub. 8. num. 3.

Triticum ex industria mixtum non potest sine peccato mortali eodem pretio vendi quo sic veniens ex area, quando habet pretium à Repub. taxatum. 20. dub. 12. n. 2.

Triticum taxat lex quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta. 20. dub. 12. n. 3.

Triticum industria repurgatum quare possit vendi maiori pretio quàm sit lege taxatum. 21. dub. 2. n. 5.

Tritici valor si crescat, minor eius mensura an reddenda sit. 214. dub. 24. num. 4.

V

Valor.

VAlor census fructuarij, & pecuniarij æqualis est, cùm pensiones sunt æquales in valore. 354. dub. 2. n. 5.

Valor iustus rerum non ex quacumque æstimatione sumitur, sed ex prudenti, & discreta. 50. dub. 32. n. 2.

Valor rerum omnium venalium sumitur in ordine ad humanos usus. 11. dub. 5. num. 5.

Valor rerum nec attenditur penes emitates, nec penes utilitates, & commoditates. 357. dub. 2. n. 5.

Ioan. de Salas.

Valorem rei moralem semper licitum est exigere. 2. dub. 24. n. 4.

Valentia.

Valentia nullus sit contractus in quo interponatur iuramentum, aut si sit interpositum, nullius est momenti. 45. dub. 27. n. 17.

Vectigal.

Vectigal non ex omnibus contractibus, sed ex emptione, venditione, & permutatione tantùm debetur in Regno Castellæ. 345. dub. 32. n. 1.

Vectores.

Vectoribus frumenti præmium cur à Repub. constituendum. 28. dub. 19. num. 3.

Venditio.

Venditio minori pretio facta, in eo quod pretium excedit, an censeatur donatio. 49. dub. 31. n. 1.

Venditio tum malum est cùm sit occasio, & causa sine qua peccatum, vel damnum non fieret. 86. dub. 47. n. 5.

Venditio rei alienæ non dicitur validè quòd transferat rei dominium. 89. dub. 48. n. 1.

Venditio suapte natura ad translationem dominij ordinatur 3. dub. 1. n. 4.

Venditio, & emptio quibus conditionibus iusta sit. 68. dub. 37. n. 3.

Venditio rei alienæ non est translatiua dominij, nec est vera venditio, licèt habeat aliquid veræ venditionis. 3. dub. 1. num. 5.

Venditionis appellatio omnes contractus interdum comprehendit. 466. dub. 32. n. 1.

Venditionis, & emptionis definitio. 2. dub. 1. n. 4. 3. dub. 1. n. 6. & sequentib.

Digitized by Google

Venditione prohibita, intelligitur prohibita commutatio. 31. *dub.* 24. *n.* 5.
Venditor non tenetur commodo suo gratis se priuare. 48. *dub.* 30. *n.* 1.
Venditor quomodo teneatur de damno emergente, vel lucro cessante. 50. *dub.* 32. *n.* 2.
Venditor non tenetur ex iustitia monere emptorem, quando ex sua culpa vitium non aduertit. 58. *dub.* 34. *n.* 3.
Venditor quando teneatur de crimine falsi. 85. *dub.* 46. *n.* 7.
Venditor, aut emptor an contractum inchoët, nihil refert. 49. *dub.* 30. *n.* 6.
Venditor quando possit vitia rei tacere. 61. *dub.* 34. *n.* 9. *limitatio duplex. ibid. & n.* 11.
Venditor de euictione quando non teneatur rei alienæ emptori. 89. *dub.* 48. *n.* 2.
Venditoris, & emptoris priuata scientia communem æstimationem non mutat. 52. *dub.* 32. *n.* 5.
Venditori in quo euentu competat actio ex re vendita, & emptori ex re empta. 3. *dub.* 1. *n.* 4.
Venditoribus, & emptoribus quando teneantur taxantes pretia restituere damnum. 29. *dub.* 21. *n.* 3.
Vendentes qui taxam manifestè iniustam in suum fauorem seruant, damna restituere tenentur. 29. *dub.* 21. *num.* 3.

Venena.

Venena quomodo licitè possint emi. 87. *dub.* 47. *num.* 8.

Verba, & facta.

Verborum, & factorum dolus si dat causam contractui, tenetur venditor ad omnia damna subsecuta, nisi tempestiue emptorem admoneat. 64. *dub.* 35. *num.* 8.

Violatio.

Violatio iustitiæ commutatiuæ obligat ad restitutionem. 13. *dub.* 6. *n.* 3.

Virtus.

Virtutes occultæ quare non augeant pretium. 68. *dub.* 36. *n.* 9.

Vitalitius census.

Vitalitius census quis appelletur. 347. *dub.* 1. *n.* 6.
Vitalitius census personalis iure naturæ tam licitus est, quàm realis. 380. *dub.* 45. *n.* 2.

Vitium.

Vitium censetur moraliter adhærere ipsi rei ex vitio domini. 53. *dub.* 32. *n.* 8.
Vitium rei occultum non reddit eam noxiam, aut inutilem. 60. *dub.* 34. *n.* 8. *lites innumeræ ex occultatione vitantur. ibid.*
Vitium triplex in re vendita esse potest, in substantia, in quantitate, & in qualitate. 57. *dub.* 34. *n.* 1.
Vitia rei quando teneatur ex iustitia venditor manifestare. 58. *dub.* 34. *n.* 4.

Vox.

Vocis (naturaliter) *expositiones.* 38. *dub.* 26. *n.* 8.

Votum.

Votum obligat iuxta intentionem vouentis. 196. *dub.* 21. *n.* 4.

Vsura.

Vsura prohibetur in vtroque Testamento. 102. *dub.* 3. *n.* 2. *iure naturali non esse prohibitam quinam sentiant.* 103. *eod. dub. n.* 3.
Vsura in mutuatione tantùm inuenitur. 143. *dub.* 11. *n.* 3.
Vsura realis non obligat ad restitutionem

Digitized by Google

tionem secuta liberali donatione. 125. *dub.* 8. *n.* 4.
Vsura mentalis in quo consistat. 116. *dub.* 5 *n.* 5.
Vsura compensatoria, & lucratoria quomodo differant. 98. *dub.* 1. *n.* 1.
Vsura realis quid sit. 100. *dub.* 1. *n.* 2. *quid mentalis. ibid.*
Vsuræ *nomen variè acceptum.* 97. *dub.* 1. *n.* 1. *eius etymon. ibid. definitio vera.* 99. *dub. eod. n.* 2.
Vsuram explicitè & in particulari prohiberi in vtroque Testamento qui censeant. 109. *dub.* 3. *n.* 6.
Vsuram in solo mutuo constitui quis asserat. 100. *dub.* 1. *n.* 3.
in Vsura omnis obligatio oritur ex iniusta læsione mutuatarij. 124. *dub.* 8. *n.* 4.
in Vsura mentali qui nihil à mutuatario accepit, nihil restituere tenetur. 133. *dub.* 9. *n.* 4.
in Vsura tota obligatio restituendi oritur ex damno iniustè illato ipsi mutuatario. 132. *dub.* 9. *n.* 4.
Vsuras dupli quantitatem non debere excedere secundùm leges cùm dicitur, de quibus intelligendũ. 189. *dub.* 20. *n.* 12.
Vsuras non esse naturæ iure prohibitas asserere non est hæreticum, sed temerarium, erroneum, vel errori proximum. 106. *dub.* 3. *n.* 5.
Vsuras petere ad faciendum eleemosynas non licet. 270. *dub.* 33. *n.* 10.
Vsuras exercendi materiam præbens non peccat contra iustitiam, sed contra charitatem. 315. *dub.* 44. *n.* 5.
Vsuris impropriè dictis hostes premere, contra quos bellum est iustum, an liceat. 110. *dub.* 3. *n.* 6.
Vsurarius aliquando acquirit per accidens dominium accessionis vsurariæ. 279. *dub.* 38. *n.* 8.
Vsurarius non est iniurius cum violentia. 87. *dub.* 47. *n.* 8.
Vsurarius in iure vocatur fur, seu raptor, 277. *dub.* 38. *n.* 5.
Vsurarij bona possidens non potest molestari super illis à Iudice, etiam propter restitutionem vsurarum, quando debitor ex eo non est factus impotens ad restituendum. 300. *dub.* 42. *n.* 8.
Vsurario alienigenæ locare domum prohibetur. 88. *dub.* 47. *n.* 9. *vnde quidam colligant licere locare indigenæ. ibid.*
Vsurariæ accessionis dominium an in vsurarium transferatur. 272. *dub.* 38. *n.* 3. *Limitatio de vsu consumptibilibus, & non consumptibilibus.* 273. *eod. dub. num.* 4.

Vsus.

Vsus nummorum primarius est, vt sint mensura rerum venalium. 538. *dub.* 3. *num.* 4.
Vsu non consumptibilia in suo genere functionem non recipiunt. 284. *dub.* 39. *num.* 1.

Vtilitas.

Vtilitas, vel necessitas mercis singularis emptori non auget pretium. 33. *dub.* 25. *num.* 6.
Vtile per inutile non vitiatur. 448. *dub.* 23. *n.* 4.

Vxor.

Vxor imperfectè est domina dotis, quia non potest eam administrare viuente viro. 269. *dub.* 33. *n.* 9.
Vxore inuita an vir possit se vendere in mancipium. 92. *dub.* 49. *n.* 1.

FINIS INDICIS.

BIBLIOTHEQUE ... LYON ... 1896

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google